


CONCIONES

EVANGELIORVM

DE DOMINICIS ALIQVOT ET FESTIS SOLENNIORIBVS TOTIVS ANNI, AC QVADRAGESIMALIBVS FERIIS NONNVLLIS;

singulari pietate & eruditione refertæ,
atque à multis hactenus
desideratæ:

Star. Camaldulen. M.C. in Insula Vigrensi ex Legato Fris Agathangeli.

Authore

R. P. D. CORNELIO MVSSO,
EPISCOPO BITONTINO.

In præsentia Pontif. Cardinalium, Episcoporum, Imperatorum, Regum, Principum & Magnatum; ac doctissimorum virorum consessu, magnaq; populi frequentia, diuersis temporibus & locis habitæ, & ab ipso Authore Italica lingua conscriptæ.

NVNC PRIMVM IN GRATIAM totius Christianismi Latinitate donatæ opera & studio MICHAELIS ab ISSELT Amorsfortij, atque in duos Tomos digestæ.

TOMVS PRIMVS.

Christianus Casimirus Risius

COLONIÆ ao 1608.

Apud Geruinum Calenium, & hæredes Ioannis Quentelij.

ANNO M. D. XCIIII.

Cum gratia & Priuilegio Cæsareæ Maiestatis.

REVERENDISS. ILLVSTRISSIMOQVE PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO IVLIO, EPISCOPO Herbipolensi, Franciæ Orientalis Duci &c. Domino suo clementissimo.



NTIQVISSIMVS ille Hesiodus, Poëta diuinus, & Theologus singularis, de rara hominis nobilitate canens, admirari satis non potuit eam corporis humani partem, licet exiguam, cuius beneficio arcanas cordis cogitationes exprimimus. Intelligere namque proprium esse dicebat Angelis, sentire bestiis, loqui autem hominibus: ideoq; inter omnes thesauros homini à Deo datos, nullum esse lingua aut maiorem, aut pretiosiorem. O verißimam hominis Ethnici sententiam, si de vsu, non de abusu intelligatur. Quid enim non facit, fecitq; semper lingua? est clauus omnium affectuum, opinionumq; humanarum, quibus mundus regitur. Hæc sententias hominum mutat, hæc affectus in quam partem vult concitat. Testes sunt apud Græcos AEschines & Demosthenes, apud Latinos Marcus Cato & Tullius Cicero: quorum ille ex porcorum custode (vnde & Porcius dictus) factus est Senator, hic ex homine nouo, ignobilique Arpinate Romanus Consul.

Quibus diuitijs, quibus armis, potentia, beneficijs? lingua. Hæc erat eorum scutum, hæc arma quibus Romam, Romanumq́; imperium toties defenderunt. Hac Cicero Catilinariam coniurationem extinxit; hac magnum Pompeium ad tantos honores prouexit, totiq́; terarum orbi fecit formidabilem: hac toti Senatui dominabatur; hac plus potuit, quàm Cæsar cum omni suo imperio. Rectè itaque Euripides; Omnia effecit oratio quæ ferrum hostile efficere potuit. Sed omissis humanis, videamus quæso, Illustrissime Princeps, quid in diuinis lingua potuit. Nomen Dei, quod erat sepultum apud Ethnicos, quomodo reuixit, nisi per linguas Apostolicas? Diuina lex quæ Pharisaicis traditionibus apud Iudæos erat obliterata, quomodo emersit, nisi per has linguas sanctissimas? Euangelium quomodò promulgatum, & per vniuersum orbem disseminatum est, nisi linguarum beneficio? Quibus armis idem Euangelium contra Philosophos, Magos, Hæreticos & Tyrannos defensum est, nisi linguis? Quid idololatriam euertit? Diabolum mũdo eiecit? fidem plantauit, plantatamq́; vsque in hodiernum diem conseruat, nisi linguæ? Quid prodessent miracula Sanctorum, puritas Virginum, sanguis Martyrum, Confessorum sanctitas, si non fuissent, essentq́; linguæ Apostolicæ: quæ licet mortuæ, viua tamen quadam energia legem Christi in cordibus nostris fouent & enutriunt? Magnum igitur Dei beneficium est linguæ ministerium, cui vt verissimo instrumento initium nostræ salutis debemus: in quo & præcipuum

Eccle-

Ecclesiæ ministerium consistit. Quare Spiritus sanctus Ecclesiæ rector non alia forma, quàm linguæ, in Apostolos, Ecclesiæ Architectos, descendit. Inter omnia itaque nomina, quibus Deo sumus obligati, nequaquam minimum est, quòd omni ætate & seculo ad nos mittit seruos, qui linguis suis, saliua Verbi sui tactis & mundatis, Euangelium prædicant, fidem serunt, virtutes excitant, & vitia cordibus humanis exterminant. Vt quid enim illos mittit, nisi vt nos saluos faciat? Fatetur id sacra Scriptura, cùm dicit; Mittebat autem Dominus Deus patrum suorum ad illos per manum nunciorum suorum, de nocte consurgens, & quotidie commonens, eò quòd parceret populo & habitaculo suo. Quid enim aliud sunt Concionatores, quàm ductores, qui ducunt populum? doctores qui docent? rectores qui corrigunt? tutores qui defendunt? patres qui nutriunt? architecti qui ædificant? oratores qui persuadent? mediatores qui conciliant? Quid concionatores, nisi columbæ, quæ adferunt pacem? canes qui custodiunt ouile? pastores qui vigilant pro grege? Quid multis? sunt semen fidelium, lux mundi, sal terræ, & columnæ Ecclesiæ: quos nisi Deus nobis reliquisset, sicut Sodoma essemus, & omnes sicut Gomorrha. vt qui foris habemus infidelium barbariem, intus Hæreticorum zizania, in circuitu Christianorum, non tam re, quàm nomine, tepiditatem, & nullam deuotionem. O miseram huius seculi conditionem: sed ô benedictas prædicantium linguas nobis in remedium relictas: illæ enim inspirant

2 Para.26.

nobis vitam spiritualem, indurata emolliunt corda, cæcos illuminant intellectus, frigidas inflammant voluntates, hominesq́; ad omne opus bonum excitant.

Hæc si multis ab hinc seculis alicuius lingua præstare potuerit, potuit certè Reuerendißimi Domini Cornelij Mußi, Episcopi Bitontini, cuius eloquentiam tota dum vixit ad stuporem vsque mirabatur Italia. Illud autem hîc multis probare non est necessarium, cùm id ante me abundè fecerit D. Bernardinus Tomitanus, cuius insigne de Mußi eloquentia elogium huic epistolæ subiecimus. Ceterùm hæc eius eloquentia parum profuisset, nisi cum incredibili pietate, omnigenisq́; virtutibus, quibus erat excultus, coniuncta fuisset. His naturæ gratiæq́; dotibus ornatus ac munitus, summis Principibus & Rebuspub. percharus, tanquam nubes ad præcipuas Italiæ ciuitates volauit, & in ijs docendo dicendóque; disputando & concionando incredibiles fructus edidit; cuius doctrinam & eloquentiam ne vna quidem Italia continere potuit; sed ad Pannones etiam atque Illyricos ea dimanauit. At rarus hic & præclarus vir, sciens se communi hominũ miseriæ, legiq́; mortis subiectum, quod Spiritus sanctus dictauerat, quod mens pia excogitauerat, quod diserta lingua ad populum pronũciauerat, id calamo tandem chartaq́; excepit, & ad posteritatem transmisit, ne vel vni populo, vel vni ætati, sed toti Christianismo ad finem vsque mundi concionaretur. Ceterùm hoc vnum dolendum est, quòd etsi quædam alia Latinè scripsit & edidit, conciones tamen suas omnes vulgari

gari lingua (quam Toſcanam vocant Itali) prodire, quàm Latina maluit. Hinc factum, vt nulli præter Italos, eorúmque linguæ gnaros, inſignem hunc concionatorem vnquam audierint. In his linguis enim, quas non intelligimus, ſurdi ſumus, vt in Tuſculanis ait Cicero. Celeberrima tamen Viri huius fama, quæ totum orbem diſcurrit, id effecit, vt multi viri docti eius ſcripta videre & legere deſiderauerint: ſed nemo hactenus inuentus eſt, qui ea transferendi, & Latina faciendi prouinciam ſuſcipere voluerit. Admonitus tandem à viris grauibus & doctis Arnoldus Quentelius, bibliopola Colonienſis, vir ſinceriſsimus, & optimè de Eccleſia Catholica tot, támque præclaris in officina ſua, ſuorúmque excuſis voluminibus meritus, ſingularis meus amicus, conciones Muſsi extraordinarias Nouiomagum, in medijs bellorum motibus, ad me miſit: cupiens vt eas in Latinum verterem. Prouincia erat dura & ardua; quam quoties ingenioli mei viribus metirer, animum deſpondebam, & me oneri huic imparem iudicabam: quoties verò gratiam Dei & vtilitatem quæ ex hoc labore in Eccleſiam Catholicam dimanaret cogitarem, petitioni parendum exiſtimabam. Aggreſſus ſum tandem opus hoc, non tam meis viribus, quàm Dei fretus auxilio, aggreſſus ſum, inquam; temerè magis an vtiliter iudicent alij. Fateor quidem, Reuerendiſsime Antiſtes, ſæpius me optaſſe, quòd Authori ipſi hunc laborem ſuſcipere placuiſſet: meliùs enim eadem pronunciat, qui peperit, teſte Plinio. Fateor me ſæ-

pe etiam in ipso laboris cursu territum operis perfectionem desperasse: cui enim tanta eloquentia, tam variæ dicendi formæ, tantus verborum apparatus & copia, cui vocabula tam propria, stylus tam heroicus, tantáque in exhortandis excitandisq; lectoribus energia facilè suppetunt, nisi huic, qui in dicendi arte tota sese vita exercuit? qualem ego me nequaquam vendito. Omitto omnia Philosophiæ genera, omnes scientias & disciplinas, in quibus oporteret versatum esse eum, qui Mussum ad viuum exprimeret. Hæc enim causa est, cur tam diu desideratum hoc opus in manibus fuit, & quasi sub calamo consenuit: videns enim tantas difficultates, sæpe arbitratus sum satius esse operis progressu abstinere, quàm illud infeliciter cum nominis ignominia perficere. Altera longæ huius moræ causa est bellorum motus, & subsecutum meum exilium. In ipso enim obsidionis Nouiomagensis furore, inter ignem & ferrum, cùm vix locus ab hostium telis in vrbe tutus esset, opus hoc incepi. Capta tandem post 18 mensium obsidionem vrbe, ab hæretico Senatu vrbe exire iussus, & in Hollandiam profectus, ibidem opus inceptum continuaui. Sed cùm nec ibi securum me diu latitare posse animaduerterem, per mare Germanicum Bremam, atque inde Coloniam me contuli. Vnde post aliquot menses in has Arctoi orbis partes euocatus, inter barbaros homines, sub gelidissimis Aquilonibus opus hoc Deo duce & comite absolui. Cuius censuram Reuerendissimæ Tuæ Celsitudini, aliisque benignis lectoribus relinquo.

Quòd

Quòd si alicubi lapsus sim, aut minùs dextrè officium fecerim, veniam deprecor; varijs id perturbationibus, animiq; distractionibus adscribatur: à Tua enim Celsitudine hæc potiùs, quàm ab alio quopiam expecto. Quare & te, Illustrißime Princeps, mihi Patronum, sub cuius auspicijs hic noster Mussus in lucem prodiret, elegi. Neque hoc nostrum consilium est hodiernum, sed in ipso operis exordio conceptum. Ante multos enim annos talem studiorum amatorem, talem studiosorum Mœcenatem mihi Patronum optaui; & sæpe aliquot opuscula Ludouici Granatensis à me versa V. C. dedicare propcsui: sed terruit me semper Vestra magnificentia, cui nihil nisi aliquid singulare offerendum esse arbitrabar. Obtulit nunc mihi occasionem Mussus. Cui enim magis Episcopus, quàm Episcopo, & talis Episcopus tali Episcopo conuenit? Vt ille toti Italiæ luxit sua eloquentia, ita tu toti Germaniæ tua luces prudentia: quæ enim difficultates, quæ controuersiæ hac nostra ætate natæ sunt in Germania, quibus decidendis non interfuit Iulius; fulcrum Imperij & basis Ecclesiæ Catholicæ? Qua igitur fronte Mussum viuentem aliquando excepisses in corpore, eadem precor nunc mortuum concionantem tamen in suis libris excipe. Habeat locum in insigni illa vestra, quam instruitis, bibliotheca, Pysistrati apud Græcos, Ptolemæi apud AEgyptios, Pamphyli apud Cæsarienses non ignobiliorem: perpetuum nominis vestri monumentum. O inclyte studiorum Mœcenas, ô beata studia, quæ talem nacta sunt patronum.

O si mihi hic in laudes vestras digredi, & in virtutibus vestris enumerandis exspatiari liceret; Dicerem de intemerata illa, quam colitis, Religione, ab illa prima, quam vobis tradidit S. Kilianus, ne digitum latum discedente? ad quam conseruandam, propagandamq; omnia quæ alij Principes in aulæ magnificentia, in bellis, venationibus, alijsq; rebus consumunt inutilibus, tu in euocandis vndique præclaris ingenijs, extruendis, dotandisq; seminarijs, collegijs, scholis libenter expendis: Dicerem de vestra pietate, quæ & in priuatis actionibus conspicitur, & in administratione Ecclesiæ quotidie nouis relucet exemplis: Dicerem de tua iustitia, qua punis malos, & præmijs bonos afficis: ita vt illi te timeant, hi diligant, pax conseruetur, & omnia in ditionibus vestris ordine iustissimo administrentur: Dicerem de tua prudentia, cuius in varijs legationibus non obscura dedisti specimina: Dicerem de tua fortitudine, qua tu solus in repurganda tua Diœcesi ab hæreticorum lolio ausus fuisti, quod vix vllus Princeps in Imperio; honorem Dei & sponsæ illius Ecclesiæ Romanæ vitæ, fortunis, & sanguini constanti animo præponens: Dicerem de tua tēperantia, quæ per vtramque Germaniam adeò increbuit, vt viri Nobiles & magni nominis suos filios non alibi, quàm in Aula tua, omnis continentiæ & temperantiæ schola, cupiant educari: Dicerem & de alijs virtutibus, nec dicenti vlla deesset materia. Quæ enim de alijs Principibus nonnunquam prædicantur, non quòd tales sunt, sed quòd tales esse debeant, quomodo Xenophon

phon suum descripsit Cyrum; hæc omnia de C. V. verißmè dici possunt. Ceterùm si hoc facere vellem, decori limites transilirem, & adulationis notam non effugerem. Quare hæc alij loco & libro reseruabo, aut alteri grauiori me Scriptori relinquam. Satis mihi est, si hominibus constet, ob has, similesq́ naturæ & gratiæ, quæ in animo vestro relucent dotes, omnes certatim tuam beneuolentiam ambire, & quibus possunt modis eam sibi demereri. Hinc tot doctorum virorum dedicationes, tot epistolæ, panegyricæ potiùs quàm nuncupatoriæ, Illustrißimo Iulio inscriptæ paßim inueniuntur. adeò vt me anserem inter tot olores strepere penè pudeat. Non deest tamen priuata ratio, cur id facere me posse imò debere existimaui. Cùm enim Tua Celsitudo mihi tot, tantaq́ beneficia per Clarißimum virum, D. Godefridum Stegium, Medicum suum, amicum meum obtulerit, obseruantiæ meæ putaui, aliquam gratitudinis significationem ostendere: quæ vtinam talis esset, qualem ego optarem, quæq́ vel minima parte tantæ beneuolentiæ responderet. Accipe igitur Illustrißime, Reuendißimeq́ Princeps, exiguum hoc munusculum, eiusq́ lectione animum priuatis & publicis, secularibus & Ecclesiasticis curis defessum nonnũquam recrea, fastidientemq́ oblecta. Quòd si alij Celsitudini Tuæ authorem hunc probari intellexerint, & ipsi diligentiùs eum legent, & magnus ex illa lectione fructus in Ecclesiam (quam tu vnicè diligis, & ad cuius vtilitatem omnia referre videris) redundabit. Sed & ego, si hæc dedicatio placuerit,

cuerit, mihi gratulabor : ſin minùs, voluntatem & grati animi ſignificationem accipias oro : quòd ſi fiat, ſufficiens mihi erit totius huius laboris compenſatio. Vale Princeps inclyte, Catholicorum Epiſcoporum maximum decus & ornamentum; teq; ardentiſsimo ſtudio Catholicam fidem ſtrenuè protegentem, ac propagantem diu ſuperſtitem Deus conſeruet incolumem, atque demum immortalis gloriæ corona auctum in cæleſte Regnum excipiat. Ex noſtro Muſæo, anno reparatæ ſalutis M.D. XCIIII. poſtridie Calend. Martij.

Reuerendiſsimæ, Illuſtriſsimæq; Celſitudinis Veſtræ

humilimus clientulus

Michaël ab Iſſelt.

VITA

VITA
REVERENDISSIMI DOMINI CORNELII MVSSI, EPISCOPI BITONTINI.


PERAEPRETIVM me facturũ exiſtimaui, benigne Lector, ſi vitam Domini Muſſi, cuius hîc conciones Latinitate donatas tibi exhibemus, ipſis concionibus præmittamus: natura enim ſic comparatum eſt, vt cuius vitam ſinceram, moresq́ue integros cognoſcimus, illius ſcriptis magis afficiamur. Scripſit vitam eius Ioſephus Muſſus, illius in ſpiritualibus Vicarius: ſed cùm ea prolixior ſit, quàm pro noſtro inſtituto & opere, in compendium illam redegimus, & huic operi præfiximus.

Cornelius Muſſus patria Placentinus, patre Franciſco Maria Ceruato, ex antiqua & nobili familia Muſſorum; matre Cornelia Volpi, ex nobili genere de Landi natus eſt anno à partu Virginis 1511, menſe Aprili, & in Baptiſmo Nicolaus eſt appellatus. Mater cùm in partu periclitaretur, vouit ſe, ſi filium pareret, eum miniſterio Dei, in familia S. Franciſci oblaturam. Voti compos facta, cùm filiolus nouem eſſet annorum, naturæ conceſſit. Nicolaus memor voti materni monaſterium S. Franciſci Placentiæ ingreditur, monachum **Genus & patria.** **Fit monachus.**

indu-

induit, & in professione nomen Nicolai aui in maternum nomen commutauit, & Cornelius nominari voluit. Profecit quotidie in

Studia. Religione, litteris & virtutibus, adolescens tam nobilis ingenij, tam tenacis memoriæ, tam excultæ linguæ, vt omnibus miraculum naturę videretur. Magistro pòst vsus est Iacobo Rosa de Randazza, Franciscano, ordinario Concionatore Placentino: qui adeò ingenio Cornelij delectatus est, vt sibi filium spiritualem elegerit, secumque Carpos primùm, inde ad alia diuersa loca, ad quæ Guardianus mittebatur, circumduxerit, optimisque præceptoribus humanioribus litteris imbuendũ tradiderit, dicens; Si in arte oratoria exerceretur, fore illum aliquando singularem concionatorem. Versatus in Poësi & Rhetorica breui & ligata & soluta oratione scribere & declamare cœpit nitidissimè. Quare à Leonello Pio Carporum Principe adamatus, & familiæ filij sui, postea Cardinalis, insertus est. à quo Venetias ductus, Patri Archangelo, Cruciferorum Generali commendatus est. qui postquam illum in bonis litteris, in Dialectica, arte Oratoria, alijsque studijs examinasset, admiratus adolescentem, iussit ad populum habere concionem. Cùm pulpitum ascendisset, Veneti videntes homuncionem breuem statura, languidum, macilentum, vmbram potiùs quàm hominem, nihil egregij ab illo expectarunt: vbi autem vocem eius

audi-

audierunt, ad ſtuporem eius eruditionem & eloquentiã admirati ſunt. Confeſtim in protectionem multorum Clariſſimorum Senatorum aſſumptus, & Pataujum ad maiora ſtudia miſſus eſt. Hîc in Philoſophia vſus eſt magiſtris Barletta & Zimara, in Theologia verò Simonetta. diſputando legendoque gradum Magiſterij primò, & tandem Doctoratûs iuuenis adhuc promeritus, omniũ conſenſu in Theologorũ Collegium receptus eſt. Artis interim Oratoriꝗ ſtudium nunquam intermiſit, & in concionibus penè quotidie ſeſe exercuit. Gratus itaque Cardinali Piſano, & Cardinali Bembo, à quo multa & in Latina & in Toſcana lingua didicit, Lampridio ſe Græcis litteris inſtituendum tradidit; quibus poſtea Bononiæ & Romæ Hebraicas & Chaldaicas addidit. Pataujj & Venetijs per integras Quadrageſimas, & in celebrioribus Italiæ ciuitatibus deinde concionatus eſt. Tandem ab Illuſtriſſimo Principe Franciſco Sfortia, Duce Mediolanenſi vocatur; à quo concionator in vrbe Mediolanenſi, & profeſſor Metaphyſices in Academia Papienſi conſtituitur: cuius lectionibus Dux ita delectabatur, vt ipſe ſępe legentem audierit. Hîc Alciato familiariter vſus eſt. Mortuo Sfortia, & recrudeſcentibus bellis, relicta Patauia à Quadraginta Dominis, & ab Illuſtriſſimo Cardinale de ſancta Flora Bononiã inuitatus, & profeſſioni Metaphyſices cum liberali ſtipendio præfectus eſt.

Fit Doctor.

vbi

vbi & Epiſtolas D.Pauli diebus feſtis expoſu-
it, vt Quadrageſimali tempore abſentiam re-
ſarciret. Ciuitates enim certatim omnes eum
per Quadrageſimam concionatorem pete-
bant, & ſæpe biennio triennióve antè inuita-
bant: ne ab alijs prçuenirentur. Ductus poſt-
ea Romam ab Illuſtriſſimo Cardinale Cam-
pegio, ob controuerſiam in cauſa fidei quam
habebat cum quodam profeſſore ſuo æmu-
lo, parum Catholico, à Paulo Tertio, qui illũ
ſub Clemente VII adoleſcentem adhuc con-
cionãtem audierat, & multa præclara de Fra-
tre Cornelio paſſim prædicari audierat, beni-
gnè ſuſceptus, apud S. Laurentium in Dama-
ſo conciones habere, & Cardinali Farneſio
Pontificis Nepoti miniſtrare iuſſus eſt. Cùm
autem toto quadriennio in familia Cardina-
lis verſatus, & in Damaſo cum magna ſua lau-
de & populi vtilitate concionatus eſſet, factus
eſt Epiſcopus Bertinorenſis: in qua dignita-
te conſtitutus, Epiſtolas D. Pauli iterum Ro-
mæ explicauit. Paulus tertius viri cõcionibus,
lectionibus & diſputationibus vehementer
delectatus, à publicis moleſtijs illum ad aulam
ſuam reuocauit, vt in ſuo palatio (quod alibi
minùs decorum erat) conciones eius audiret.
Admiſſus itaque ad menſam & cubiculum
Põtificis, quotidie homiliam Latino idioma-
ate in Euangelia totius anni recitabat; qua fi-
nita thema aliquod diſputandum propone-
batur; ad quam diſputationem multi Religio-

Fit Epiſcopus Bertinorẽſis.

ſi

ſi, Prælati, Epiſcopi & Cardinales, inter alios Contarenus, Grimanus, Polus, Corteſius, Sadoletus, Chetius & Sauellius Cardinales concurrebant. Sed & Pontifex ipſe ſæpe reſpondebat, ſępe dubia mouebat. His tantis & tam honeſtis laboribus Dominus Muſſus tantam ſibi laudem, tãtamque gratiam apud Pontificem cõparauit, vt Eccleſia eius Bertinorenſis in Bitontinam ſit commutata. Paulò pòſt Concilium Tridentinũ coactũm eſt, ad quod D. Cornelius à Pontifice miſſus, Doctrinam de Iuſtificatione in ordinem redegit, defendit & determinauit, tanta cum omniũ admiratione, vt Prælati reliqui dicerent, Spiritum S. mirabili modo in illo fuiſſe operatũ. Tranſlato deinde Concilio Bononiam, & pòſt Tridentum reuocato, à Iulio Tertio, qui Paulo ſucceſſit, precibus Legatorum multis fatigato (nam vt ſibi ſemper adeſſet, maluit) iterum Tridentum mittitur, quo tempore non minorem, quàm antea laudem ſibi conciliauit. Nouis bellis in Germania recrudeſcentibus, Concilioque ſecundò prorogato, Muſſus ad Eccleſiam ſuam Bitontinam profectus, ibidem manſit; donec Iulio III, Marcello II, & Paulo IV mortuo Pius IV Põtifex crearetur: cui vt obedientiam præſtaret, eiuſque ſanctos pedes oſcularetur, iterum Romam profectus, ab eodem Pio (vt à cęteris Pontificibus) Pręlatus ſuus domeſticus & Aſſiſtẽs electus, paulò pòſt ad Ferdinandum Imperatorem cum

Fit Epiſcopus Bitontinus.

In Concilio Tridentino quid egerit.

Legatur ad Imperatorē.

dinale Altempsio Viennã mittitur: vbi concionando consulendoque eam sibi gratiam cõciliauit, vt ab Imperatore & Imperatrice pariter magnis pollicitationibus muneribusque solicitaretur, ne in Italiam rediret: sed in Aula Cæsarea permaneret. Ille verò peracta legatione Romam redijt, vbi vsque ad conclusionem Concilij Tridentini in omnibus arduis negotijs Pontifici fuit à cõsilijs, qui eius prudentia plurimùm oblectabatur. Finito Concilio, ad Ecclesiam suam reuersus est, tum vt Concilij obseruationem induceret, tum vt proprio exemplo ostenderet, quod antea coram toto mundo docuerat, & in Concilio vehementer vrserat, Prælatos debere in suis Ecclesijs residere: familiare enim erat illi; *Vbi oues, ibi Pastor, vbi Pastor ibi oues*; ibique decem annos permãsit. quo tempore multa scripsit, Ecclesiasticũ, secularemque Diœcesis statum reformauit, omniaque fecit, quæ boni sunt Episcopi munia. Omnibus ritè dispositis, iterum Romam profectus est, vt Pium V (à quo vocatus erat) salutaret; inde Placentiam pergeret, vt post quadraginta annos tandem amicorum, cognatorumque reliquias inuiseret. Placentia deinde Venetias se conferre erat animus, vt labores suos, operaque diuersa à se composita prelo committeret. Romam veniẽs Pium V mortuum inuenit, eique Gregorium XIII suffectum: à quo benignè susceptus, & magnis honoribus auctus est. Sed post

paucos

paucos dies in morbum ex catarrho natum incidit, cui febris accessit. Sentiens finem vitę adesse, animo, vultuque erat lætissimo, sæpe in hæc verba prorumpens; *Cupio dissolui & esse cum Christo.* Sæpe etiam flexis genibus in lecto rogabat; *Domine,* inquiens, *iube me venire ad te: Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me.* Tandem Sacramẽtis omnibus procuratus, cũctis qui astabant collachrymantibus, inquit; *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* eleuatisque in cælũ oculis breui suspirio beatam animã Deo reddidit, IX die Ianuarij, anno post Christũ natũ M.D.LXXIIII, AEtatis suæ LXIII nondum finito. Vir fuit in omni vita castissimus, sobrius, plus aquæ bibẽs quàm vini: amans ieiunij, cui semper orationes & eleemosynas adiungebat: liberalis in pauperes, in Religiosos, tenuioris fortunę Pręlatos, & præcipuè in homines litteris & virtutibus ornatos: patiens, modestus, bonum reddens pro malo; in meditationibus assiduus, ita vt sui sæpe obliuisceretur; in conuersatione comis, affabilis, grauis: sermo eius optimis semper præceptis & admonitionibus conditus. In studijs adeò continuus, vt cibum potumque sæpe negligeret, ne ista delectatione priuaretur. dicebat enim; Dum studeret se viuere, & cognitione Dei, conuersationeque Sãctorum, quibuscum ratiocinabatur, pasci: extra studium se mortuum esse, nec quicquam se inuenire, quo posset oblectari.

Moritur.

Studijs ſemper orationem præmittebat. Primus habitus eſt, qui antiquam concionandi formam, Patribus (quorum erat ſtudioſiſſimus) vſitatam renouauit. Scripſit Patauij adhuc iuuenis in Logicam, Rhetoricã, Primum ſententiarum Scoti, Hexaemeron. Deinde in Metaphyſicam, in Epiſtolas Pauli. Multas quoque Conciones Quadrageſimales & Extraordinarias, ſed lingua patria. Homilias inſuper varias in Euangelia, ad menſam Pauli III, & Pij IV ſummorum Pontificum recitatas, ſermone Latino. Tres libros de arte Prædicandi, quorum titulus, Concionator: ſed reliquit imperfectos. De Viſitatione, De modo viſitandi cum titulo Synodus Bitontina. Tres libros de Deo, deque diuina Hiſtoria Latinos, quos vidimus impreſſos. Scripſit etiam de Angelis, de Mũdo, de Homine: item de Peccato, Lege, Gratia, Gloria: quæ antequam in ordinem redigere, & politiùs limare potuit, ad cæleſtem patriam vocatus eſt. Reliquit præterea nobis conciones in omnes Epiſtolas & Euangelia Quadrageſimæ, in Symbolum, Decalogum, & de Dilectione Dei & proximi: quas, ſi hunc noſtrum laborem Lectori gratum viderimus, paulatim quoque translatos in lucem extrudemus.

Scripta edita & non edita.

DO-

DOCTOR BERNARDINVS TOMITANVS IN

Laudem ingenij, eruditionis & eloquentiæ R. D. Cornelij Mußi, Episcopi Bitontini.

Ex libro primo suarum Concionum.



NESCIO profectò cui ex antiquis illis Oratoribus comparari debeat Reuerendissimus Dominus Cornelius Mussus, Episcopus Bitontinus, hoc titulo ab illustrissima Farnesiorum ornatus familia: qui propter admirabilem suam doctrinam, & singularem eloquentiam dignus fuit incredibili modo à Paulo Tertio Pontifice adamari: qui præter omnes heroicas virtutes alias, vir fuit promptissimi iudicij in cognoscendis, perspiciendisq; egregijs, raris & peregrinis ingenijs. Hinc tanta est materiarum varietas in beneficiū nostræ fidei à Musso nostro tractata, & in celebrioribus Italiæ templis publicè exposita, incredibili etiam cum hominū concursu audita. Stylus præterea varius est, & in se differens: ita vt nesciam, quo cum ex antiquis illum cōparare debeam. Non enim inuenio hanc illius dicendi formam aut in vsu fuisse, aut cognitā cuiquam ex antiquis illis eloquentię Scriptoribus. Quia nec Plato, nec Aristo-

teles, nec post eos Cicero, Quinctilianus aut Hermogenes gustum aliquem veræ nostræ Religionis, aut radium vllum lucis de Filio Dei habuerūt. Tamen quantum ego magna mea cum voluptate & vtilitate illum sæpe audiendo, eiusq́; cōciones legendo comprehendere potui, existimo eum naturæ beneficio, ex hjs qui eximijs à Deo priuilegijs donati sunt, in dicēdo viua voce multos superare; omnibus (vt verum fateamur) istius professionis exemplum, & in diuinis mysterijs, naturæ secretis & Religionis præceptis ornatè, ordineq́; optimo, & infinita exemplorum copia declarandis & exponēdis Magister. Rationi hîc consentaneum esset, me dicere aliquid de studijs & progressibus, quibus per varios virtutum gradus ad præsentem peruenit dignitatem; dignitatē certè per se excellentem & bonam, sed meritis forsitan illius minorem. Sed quia nec vitas, nec historiam, nec commentarium scribo, hæc relinquo perspicuo magis & curioso Scriptori: qualis ego fortassis non sum. Neque mihi inter minima Dei dona erit, si solam eius animi virtutem, & rationem eius dicendi in Italico nostro idiomate, nunc vsitato, hac mea oratione assecutus fuero. Non enim mihi placet eorum opinio, qui solos antiquos laudantes, arbitrantur ætatem hanc nostram non mereri, vt quispiam aut calamo aut oratione laudetur: existimantes fortè, vt cùm natura in creandis hominibus omni tempore modū eundem seruet,

uet, nos quasi stupidos & Circes veneno dementatos non meminisse propriæ dignitatis, & nescire non esse creaturam in mundi lucem auxilio eiusdem naturæ productam homine præstantiorem.

Sed cùm ordo inceptæ narrationis nostrę telæ requirat, vt de ipso Domino Cornelio loquamur, dico, eum etsi præter pellem & ossa nihil habeat, quod animum eius aggrauat, tanquam is qui statura vltra mediocritatem breuis est, & præter modum macilentus; habet tamen vocem, quasi organum à Deo ad hoc officium electum, claram, suauem, facilem, & ad quodcũque vult accommodatam. Non est horrida præ grauitate, non fœminea prę tenuitate, non mollis præ lasciuia, non languida præ spiritûs debilitate, non rupta præ humorũ concursu, non extenuata propter gutturis angustiam, nec duplicata propter instrumenti vitium; sed potiùs iucunda, alta, ad nutum volubilis, perpetua, resonans. Aliæ verò partes, quæ in illo sunt, admiratione dignę sunt: memoria est profunda, & forma pronũciandi expeditissima: quarum vna applicat & imprimit res sibijpsi, considerando eas cum intellectu, & beneficio oculorum è libris eruẽdo: altera quasi pœnitens tam honesti furti reddit illud auditoribus. Gestus eius totus est Rhetoricus, mores eius sunt artificiosi, omnis denique motus eius est magnificus & oratorius. Quantum aspectus eius propter nimiam maciem pulchritudini formæ de-

trahit, tantum opinionis reddit earum rerum quæ ad illius pertinent officium. Neſcio certè (vt verum loquar) quis Titianus aut Michael Angelus penicillo, coloribusq́; in ſuperficie poſſet meliùs fingere corpora, quàm ille ſublimibus ſui ingenij ſpiritibus pingit, proponit, exhibetq́; ſpectandam ſenſibus inuiſibilis illius cæleſtis vitæ gloriam, de qua tamen per vmbras & ſimilitudines tantùm iudicamus. Non inuentus eſt vnquam ſculptor, qui meliùs nouit in marmore ſculpere figuram, quàm ille plenus affectu, ardens ſpiritu, & æſtuans ſumma charitate nouit hominum cordibus diuinam legem imprimere. Non fuit vnquam Philoſophus per contemplationes tam à ſemetipſo diuiſus, quàm ille dicendo inflammatus, imò à ſpiritu raptus diuiditur à mũdo, & à ſemetipſo non raro ſeparatur. Video dum ipſe loquitur auditores non tantùm cibi, potûs, ſeſſionis, deambulationis, ſomni (huius rei fidem facit omnium communis attentio) obliuiſci, ſed & viuaciores, vegetiores, alacrioresq́; fieri. Sentio in iſto homine feliciſſimam rerum verborumq́; electorum copiam: quorum hæc plena ſunt grauitate, illa verò ſuauitate & delectatione. Nunc latè digreditur, nunc per anguſtam ſemitã incedit. Nunc leniter inundat, nunc magis rapidè currit. Aliquando neruos habet, ſanguinem & ſpiritum: aliquando plus habet carnis, cutis & coloris. Concurrit diligentia cum facilitate, copia rerum cum

earum

earum ordine. Sæpe eſt ſententiarum prodigus, in argutijs moderatus, in facetijs iucundus, & quantum his iuuat, tantum illis delectat, & mouet apprimè. Opponit induſtriam artificio, ingenium grauitati, grauitatem delectationi, delectationem dignitati. Nunc facit vt ametur, nunc vt timeatur; nunc captat fauorem audiêtium, nunc illis lachrymas excutit. Mouet ad deſiderium, allicit ad ſpem. nonnunquam flectit ād dolorem, & metum: aliquando eleuat ad gaudium & conſolationem. Incitat ſua vehementia mirificè, & cum dulcedine gratiam conciliat. In vſu vocum ſelectiſſimarum egregiè cultus eſt; in eorum proprietate valde perſpicuus. Si res metaphoram poſcat, in metaphoris eſt feliciſſimus. In ſententijs eſt grauis, in figuris varius, in rebus excelſis ſublimis; in his quæ alicuius ponderis ſunt ſeuerus; in verborum contextu numeroſus. Quid multis? præter hæc omnia plenus eſt venuſtate, culmen modeſtiæ, ornatus luminibus, diues exemplis, frequens in comparationibus, politus in lingua, promptus in argutijs, copioſus in rationibus, gratus in motibus. Tonat voce, fulminat minis, & cum vehementia pallorem inducit hominum vultibus, cùm vitia noſtrorum reprehendit temporum. Sæpe remedium noſtris adhibet errorum vulneribus, idq; diuinæ miſericordiæ admonitionibus, & ſpei viuis lineamentis; vt eadem quoque ſanet, propinat amaras iuſtitiæ potiones, addit phle-

botomiam iræ Dei,& ignis æterni cauteriū; his artibus exſcindens noſtrorum peccatorum radices. Dicam plura? malagma imponit loco vbi eſt dolor, inciſionem facit vbi eſt fiſtula, venam aperit vbi ſanguis eſt nigrior. In laudando ſpiritus eſt totus heroicus & demonſtratiuus; in carne deprimenda totus eſt tragicus & iudicialis. Nunc vt aquila ſeſe attollit in cælum, nunc vt teſtudo ſerpit per terram. Nunc apparet tibi Gigas terribilis, nunc manſuetus puerulus. Dubium eſt an Apolline ſit amabilior, an Mercurio gratior. Oblectat Doctos, & vulgo non minùs placet. Ponderat plerunque vtile cum iucundo, dolorem cum lætitia, ſpem cum timore, cælum cum terra, res humanas cum diuinis, mundum cum Deo, carnem cum ſpiritu, bonum cum malo, ſalutem cum damnatione, præmiū virtutum cum pœna vitiorum. Simili modo metitur fidem cum operibus, gratiam cum libero arbitrio, vitam cum morte, corpus cum animo, adorationem veram cum idololatria, Eccleſiam Catholicam cum ſchiſmatica, ſanctos Doctores cum hæreticis, ſtatum denique Dei cum illo communis viperæ. Hîc iudicium contendit cum ingenio, & ingenium cum memoria. Eſt fons præceptorum, ſchola ſententiarum, ærarium diſciplinarum, Oceanus legum, rituum, conſuetudinum, & nominum propriorum, quæ in ſacris Scripturis celebrantur. In dimenſione graduum Ciuitatis Dei non cedit Ptolemęo,

lemęo, nec in medenda anima Galeno. Non Theophraſto in melle Eccleſiaſtico, nec Vitruuio in ædificando homine. Non Plutarcho in vitis electorum, nec Liuio in diuinis hiſtorijs: non denique Vegetio in inſtruenda militia Chriſtiana. Certat memoria cum commentarijs temporum, luſtrorum, ſeculorum, Olympiadum.

Sed tempus eſt, vt de illius proſa aliquid agamus. Atque vt à ſtylo incipiamus, dico illum eſſe floridum. quo in genere Iſocrates & Lyſias inter Græcos potiſſimùm excelluerunt, inter Latinos verò hiſtoricos T. Liuius & Q. Curtius. Non adeò ſe aſtringit ad maieſtatem Demoſthenis, vt ſeſe non dilatet ad M. Tullij copiam. Quo fit, vt nec in vno nec in altero caſu vnquam verba deſint, nec conceptus poſſint deſiderari. Citiùs ſtellas cæli numerabis, quàm colores eius Rhetoricos, ſententiarum lumina, exemplorum ſplendores, & artificiorum copiam comprehendes. Non eſt aliquod in arte ſecretum, quod hîc non proditur. Non optimi cuiuſque Oratoris præceptũ inuenitur, quod hîc non obſeruatur: non vlla reperitur vſpiam verborum textura, quæ meliùs, gratiorię́ ſono fluit. Epitheta ſunt propria, verba naturalia, metaphoræ ſplendidæ, comparationes appoſitæ, exempla dilucida, allegoriæ illuſtres, digreſſiones doctæ, ratiocinationes plenæ ſpiritu; denique & periodi dulces, graues, & numerorum diuites. Abundat rationibus, vt oſtendat vanam

nam

nam esse eloquentiam, quæ in sola consistit inutilium verborum copia. Diues est argumentis; quia dum Patauij studuit, in Dialectica, ceterisq; scientijs gnauiter sese exercuit. Diuersis in locis multa ponit Philosophica, quia in præcipuis Italiæ scholis magna cum laude Philosophiam docuit. Non desunt hîc exempla historica, neque suis locis flores, venustatesq; desiderantur Poëticæ. Credo equidem eum vsum omnibus figuris optimorum in arte dicendi Magistrorum: vsitatiora tamen ceteris illi sunt similia & contraria: in quibus tanta ludit cum delectatione, tantaq; docet cum grauitate, vt animos qui illum audiunt relinquat dubios, vtrũ maior in eo sit dulcedo vnius, aut vtilitas alterius. Familiaris quoque illi est Repetitio: repetit enim quædam verba suo loco & tempore, quæ sæpe cum memoria recurrentia, non tædium, sed attentionem rei repetitæ generant, & vt repetitiones Musicæ oblectant.

Posset fortassis quempiã offendere, quòd verba nunc Latina, nunc Græca, nunc etiam Hebraica cum Thoscana, seu Italica confundit, miscetq;: vel cogitare quispiam posset, id ab eo factum esse non alio fine, quàm vt eruditionem suam iactitet. Sed si talis quispiam animaduertat officium illius, qui in hac professione studet omnibus prodesse, de quot materijs, in quàm diuersis propositis, & ad quantam Auditorum varietatem illi dicendum est, quomodo ex omnibus il-

li eruendum eſt quod docet, & quomodo hęc omnia facit ſuo loco & tempore, (quod etiam à Cicerone obſeruatum videmus) ſi inquam aliquis Cornelium noſtrũ ob hoc reprehendens hæc animaduertat, reprehenſionem in admirationem conuertens, non poterit eũ vel maximè ob hoc ipſum commendare. Verba ſacræ Scripturæ in propria forma, quomodo in contextu Latino inueniuntur, allegare, ecquis tam rationis expers eſt vt audeat reprehendere? Docuit hac re verba Chriſti, Euangeliſtarum, Pauli, veteris Teſtamenti, Sanctorum Doctorum, Theologorum, Conciliorum, Decretorum Eccleſiaſticorum, quomodo omnia ſunt ſancta, pura, inuiolata, & à Spiritu ſancto dictata; ita maiorem mereri fidem, maioremq́ habere maieſtatem, ſi in propria ſua forma allegentur; quamuis poſtea officium interpretis ſit, ea explanare, & ſecundùm approbatos à ſancta Eccleſia Scriptores exponere.

Ad linguam Corneliam reuertor: quæ meo quidem iudicio talis eſt, vt ſi fortè fortuna omnes huius linguæ Scriptores intercidérent, ex huius ſolummodo ſcriptis poſſet reſtaurari. Teſtes mihi in hac re erunt (procul enim à me ſit omnis adulatio) animæ illæ ſanctæ, mundo nuper tam charæ, nunc cæli ornamenta, felicis memoriæ Magnificus D. Caſpar Contarenus, qui poſtea in Cardinalium collegium eſt cooptatus, & Reuerendiſſimus Bembus: duo lumina clariſſima

rissima, vnus Philosophiæ, alter linguarũ: qui Cornelium nostrum audientes, dicere solebant, ipsum sibi nec Philosophum videri, nec Oratorem, sed Angelum dicendo cuncta mundo persuadentem. Ceterùm de lingua satis.

Doleo, & quidem vehementer, quòd ne vnam quidem lineam eius figuræ possum ducere. taceo vt omnes eius laudes ad viuum possem exprimere: tum quia minores sunt ingenij mei vires, quàm vt huic negotio sufficiant; tum etiam, quia idipsum non ferret insignis illius modestia. Hanc itaque eum laudandi prouinciam feliciori me in hac arte Oratori relinquo: veniensq́ue ad finem huic nouo hæreticorum flagello (hoc enim me illum nunc nomine iuuat appellare) in omnibus suis concionibus propositum; dico, eum non alium fuisse, quàm vt quamplurimos homines ad Deum adduceret. Quod quidem facit non per tenebras naturæ, vt olim Philosophi; nec per vagos, erraticosq́ue labyrinthos (quomodo Thesei sine filo) veterum aut nouorum hæreticorum; vt enim illi fuere debiles, sic hi sunt perniciosi: sed per viam ab electis Dei cognitam, à melioribus legis Patribus tritam, à Spiritu sancto reuelatam, à Concilijs purgatam, ab Ecclesia vniuersali demonstratam. Hæc est illa cælestis nauicula, quæ etsi sæpe nunc ab vndis naturæ, nunc à ventis Aquilonaribus, nunc à falsarum sectarum impetu concutiatur, adeò vt nunc idolola-

triæ ſcopulis illidenda; nunc falſis opinionibus immergenda videatur: quia tamen cæleſtis virtus potentior eſt, quàm humana audacia, nunquam ſubmergetur. tam lucidus eſt Occidens, qui illam gubernat, eius rudentes confirmat, eius antennæ moderatur. tam prudens etiam eſt & ſolicitus eius Nauclerus, qui nauiculam hanc ducit; tam prompti miniſtri, qui illi obediunt. Inter quos profectò nequaquam minimus fuit in hac noſtræ ætatis tempeſtate hic noſter Cornelius; cuius incredibilem induſtriam nunquam tacere poterit Tridentum; cuius claritudinem nunquam tempus aut memorià hominum delebit, cuius excellentiam nunquam exſtinguet inuidia.



c. c. R.

SERIES CHARTARVM PRAESENTIS OPERIS.

TOMI PRIMI.

a, b, c, d. A, B, C, D, E, F, G, H, I, K, L, M, N, O, P, Q, R, S, T, V, X, Y, Z. Aa, Bb, Cc, Dd, Ee, Ff, Gg, Hh, Ii, Kk, Ll, Mm, Nn, Oo, Pp, Qq, Rr, Sſ, Tt, Vv, Xx, Yy, Zz. Aaa, Bbb, Ccc. Omnes integræ ſunt.

TOMI SECVNDI.

*, **, ***. a, b, c, d, e, f, g, h, i, k, l, m, n, o, p, q, r, ſ, t, v, x, y, z. aa, bb, cc, dd, ee, ff, gg, hh, ii, kk, ll, mm, nn, oo, pp, qq, rr, ſſ, tt, vv, xx, yy, zz. aaa, bbb, ccc, ddd, eee, fff, ggg, hhh, iii, kkk, lll, mmm, nnn. Omnes integræ ſunt, præter ***, & nnn, quarum ſingulæ dodrantem, ſeu dimidiam chartam & quartam partem, continent.

INDEX

INDEX CONCIONVM R. D. CORNELII MVSSI, QVAE PRIMO TOMO CONTINENTVR.



INDEX RERVM INSIGNIORVM, QVAE IN HOC PRIMO TOMO CONTINENTVR.

Chri-

D

Exces-

F

Fru-

Mili-

Scri-

S

T

ad

CON-

c. c. R.

CONCIO DE NATIVITATE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI:

Habita Patauij, in Ecclesia Cathedrali, Anno Dominicæ incarnationis M D XXX.

IN EVANGELIVM IOANNIS I.

IN principio erat Verbum, & cætera. *Et Verbum caro factum est.*

PROOEMIVM.

I præteritis diebus aliquot, tanquam fideles & deuoti, perpetua cum religione celebrauerimus diuturnam illam, & tanto tempore protractam Sanctorum Patrum expectationem, qui ob grauem illam, & intolerabilem naturæ humanæ miseriam, iustissimã communis peccati Adami & Euę pœnam, languebant desiderio, & singulis momẽtis alto è pectore deductis suspirijs ad sacratissimum illũ Christi Aduẽtũ anhelabant: rationi consentaneum est, vt hodie nato de ventre nouę matris Euæ Virginis Marię secũdo Adamo, qui desideratissimus noster Christus est, miserorum Saluator, captiuorum Redemptor, & mortuorũ vita, nosmetipsos in lætitia cordis, in feruore spiritûs, deuotione totius hominis vincamus, & supra vires nostras attollamus. Ecce, docta ciuitas Patauina, sancta hec filij Dei & Virginis Natiuitas cælũ & terram ad festiuam celebritatem, ad plausus, ad fidem, ad amorem inuitat. *Sonuit de cælo vox lætitiæ in terra nostra; audita est vox exultationis in tabernaculis*

iustorum, & vox salutis in tabernaculis peccatorum. Hæc est illa vox, quæ & Angelos & homines exhilarat: *Christus* scilicet *natus est omnibus, moriturus pro omnibus; Saluator omnium hominum, maximè verò fidelium.* Virgo mater, ecce in naui sumus, & nauigamus omnes nos: tu respice quæso in quantis periculis fluctuat Ecclesia; Ecclesiam dico & filij tui & tuam. Ad te oculos nostros attollimus, ô Stella maris, Monstra te esse matrem.

Sæuit mare, fremunt venti,
Fluctus surgunt turbulenti;
Tene clauum, rege nauem;
Cursum nobis det suauem
IESVS tui ventris fructus,
Ex te natus, nobis datus.

PARS PRIMA.



OVVS & inusitatus serenissimi huius diei splendor (in quo miraculo sanè maximo nobis ortus est cælestis ille Sol, cuius vultûs videndi desiderio inflammatus Sol huius firmamenti, eò quòd nimis humilis videbatur super Horizontem sese attollit: ita vt nunc tenebræ, quæ vsque huc summam luci iniuriam attulerant, incipiant rarescere, ac dissipari, & præteriter noctis incommoda resarciri) verè talis ac tantus est, Nobilissima ciuitas Patauina, vt oculi mei, & propria infirmitate sua debiles, & radiorum excellentia excæcati, cælestia hæc arcana, altissimo & ineffabili stupore atque admiratione plena, nequeant penetrare: quomodo scilicet is, qui nascitur, sit verè Deus; è qua nascitur, sit integra & incorrupta virgo; natiuitas sit sine peccato, partus sit sine dolore. quomodo cõceptio fuerit sine semine, sine homine imprægnatio, & à Spiritu sancto fœcũditas. Nihilominus tamen, cùm nobis iræ filijs, mortis æternę reis, in hoc misero mundo lege peccati ad vitam hanc laboriosam damnatis, Natiuitas Christi, qui est consolator nostri spiritûs, rector animarum nostrarũ, lumen omnium errantium,

Natiuitas Christi quàm sit admirabilis.

Epitheta Christi.

porta veræ fidei, & æternæ redemptionis fundamentum, tam ingentem atque insperatam salutem attulerit; ah quis vnquam erit tam ingratus, vt licet à diuina Maiestate sic opprimatur; vt nec animus sufficiat, nec intellectus capiat, nec verba possint explicare magnum hoc miraculum, recreatus tamen ab infinita humanitatis ipsius dulcedine, non assumat audaciã, non acuat ingenium, non vim faciat verbis suis, vt copiosa vena enarret, quàm infinitè amabilis sit dulcis & charus hic puerulus, quem illibata virginitas è ventre in lucem effudit, læta paupertas pannis inuoluit, sancta humilitas in duro præsepio reclinauit?

Animæ mihi in visceribus Christi dilectæ, non natus est puer hic, vt eum admiremur; sed vt ipse in frigidis ac torpentibus nostris pectoribus ignem amoris excitet. Ingens illa charitatis flãma, quæ in æterna diuinæ bonitatis fornace ardebat, hodie tandem erupit, forasque ardorem suum emisit, vt vos omnes inflammaret: cùm scilicet benedictus Deus gladio sese accinxit, & nostræ militiæ factus est archistrategus; vt Diabolum, qui tot iam seculis in nos tyrannidem suam exercebat, iustè, fortiterque expugnaret. Huiusmodi erant clamores iustorum in lege veteri, hæ Patriarcharum erant voces, hæc Prophetarum suspiria, hæ totius humani generis preces & orationes. *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime.* Quid quæso est accingi Deum gladio suo super femur suum, vt pugnet pro nobis; nisi omnipotens Verbum suum, omni gladio ancipiti acutius, cum carnis nostræ debilitate, qua nihil est fragilius, coniungi, & in vna eademq; diuinæ potentiæ & humanæ infirmitatis persona in arenam huius mundi descendere, spectante & Deo & Angelis Diabolum prouocare, cum eo confligere, de illo triumphare, & nos saluos facere? Gloriabatur Diabolus, Docti, quòd vniuersam naturã humanam occupârat, infecerat, damnârat; ecce nunc confusus est ipse, nunc victus est ipse. Puerulus hic humanam habet naturã nostram: non est magis homo quàm nos, anima illius eiusdem est cum nostra speciei; caro eius eiusdem est cum nostra substantiæ. Humana Christi natura fortè nobilior non est, si bona

Cur Christus natus.

ardor

Psal. 44.

Quid sit Deũ gladio accingi.

Diabolus per Natiuitatem Christi confusus.

humanit[as] Chr[isti]

tantùm naturalia spectemus, quàm cuiusuis alterius hominis: peccatum tamen non habet, corrupta non est, infecta non est. *Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.* Est libera, non est liberata; non eget liberatore, nunquam serua fuit, nunquam rea. O augustum triumphum, ô magnificum honorem, ô illustrem gloriam. Hoc, hoc est expugnare Damascum; hoc est spoliare Samariam, hoc est superbum Regem Assyriorum edomare: quæ mysticè in Prophetis referuntur. *Antequam sciat puer vocare patrem & matrem suã, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram Rege Assyriorũ.* Quid facis Diabole? quid facis? cur non fugis? Si adhuc tam paruulus te debellauit, quid faciet, quãdo in cruce extẽdet manus suas ad arma, & in modum pugnæ ad duellũ te prouocabit, vt pugnes cũ illo?

(Ioan. 14. — Quid sit expugnare Damascum, & spoliare Samariam. — Esa. 8.)

Christiani & Christianæ, *Persequetur inimicos suos, & comprehendet eos: non conuertetur donec deficiant, & non conuertetur donec deficiãt.* Non meministis in Iosue quòd Sol stetit immobilis, donec pugnã cum Gabaonitis absoluisset? Sol noster, Sol noster, qui non tãtùm vi naturæ, sed proprio arbitrio iudicioque stat & mouetur, prout ipsi placuerit, stabit, permanebitque vobiscum vsque ad consummationem seculi: vt peracto prælio, & deuictis vsque ad internecionem cunctis inimicis nostris, canentes vnanimi voce dicamus; *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum Dominum nostrum.* Vnde & postea canentes & triumphantes è terra in cælum rapiemur, vt in beatis illis cælorum sedibus securè quiescamus. *Ecce ego vobiscum sum,* ait Christus hic, *vsque ad consummationem seculi. Donec ponam inimicos vestros, scabellum pedum vestrorum.* O quàm bona nuntia, ô quàm verè Euangelium; *Hodie puer natus est nobis, hodie filius datus est nobis.* Natus est Christus sibiipsi, ab æternitate Patris: hodie natus est nobis, ab integritate Matris. Sibi natus est ante omnia tempora, nobis natus est in temporum plenitudine. Sibi natus est principium vitæ, nobis natus est finis mortis. Sibi natus est creator mundi huius magni; nobis natus est recreator mundi huius parui: quia sibi natus est Deus & pater hominũ, nobis verò natus est filius hominis, Deus & homo. *Consolamini,*

(Psal. 17. — Iosue 10. — Matth. 28. — 1 Cor. 15. — Psal. 109. — Quãdo Christus nascitur sibi, & quãdo nobis. — Esa. 40.)

mini, conſolamini popule meus. Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quia natus eſt vobis hodie Saluator mundi. Natus eſt Chriſtus hodie non ſibi, natus eſt nobis. Ideoque ſicut cùm ſibi naſceretur tam fuit magnus, vt eius immenſitatem nec cælum nec terra capere potuerit, ita dum naſcitur nobis, tam puſillus eſt, vt in anguſtis cunis ponatur, & ab vbere virgineo pendeat. O admirandam natiuitatem.

Luc. 1.

Bis natus eſt Chriſtus: non renatus, ſed datus.

Bis natus eſt Chriſtus, ſed non renatus. etenim quomodo natus erat, hodie non eſt natus, ſed datus. *Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis*, inquit Propheta: è cuius ore non eſt progreſſum verbum, quod non priùs in diuinæ ſapientiæ libra trutinatum eſt. Natus eſt nobis Verbum incarnatum, datus eſt nobis Sapientia increata. Natus eſt nobis, vt poſſet etiam mori pro nobis; datus eſt nobis, vt ſit ſemper nobiſcũ. Natus eſt nobis Matre poſterior, datus eſt nobis Patri conſubſtantialis. Natus eſt nobis miſericors & pius medicus atque Saluator; datus eſt nobis Dominus & Creator omnipotens. Quid multis? Natus eſt nobis Paruulus, & datus eſt nobis filius. Paruulus, quatenus erat homo, alioquin enim paruulus non erat: Filius, quatenus Deus, qui erat ab æterno genitus. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Domini mei, vnicus eſt filius Dei & Mariæ, quia vnica tantùm perſona Chriſti eſt: nihilominus bis genitus eſt. In prima generatione habet perſonam diuinam, non humanam: in ſecunda apprehẽdit, aſſumpſitq; naturam noſtram, non perſonam. Igitur in perſona propria Datus eſt nobis; in natura noſtra, Natus eſt nobis. O quàm eleganter diſtinguit D. Paulus vtrũque; Audite quæſo; *Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinã arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo:* hæc eſt prima huius veritatis pars. *Sed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, & habitu inuentus eſt vt homo.* hæc eſt ſecunda. Quid putatis hìc Paulum, qui Prophetarum optimus eſt interpres, dicere voluiſſe, niſi, Datus eſt nobis, qui in forma Dei erat; Natus eſt nobis, qui ſemetipſum exinaniuit?

Eſa. 9.

Pſal. 2.

Philip. 3.

At myſteriũ hoc non fert vt humana ratione ſcrutemur, aut curioſè nimis inueſtigemus. vult, vt cum reuerentia adoremus, veneremur & admiremur. vult, vt amo-

vt amore Dei, qui natus est homo pro nobis, inflammemur, quoties de illo meditamur. Est mysterium, Auditores, amoris illius plenissimum. Hoc est principium, hoc medium, hic finis illus admirabilis natiuitatis: incredibilis scilicet charitas, inæstimabilis amor, quo genus humanum complectebatur, & adhuc complectitur. Antequam Christus hodie nasceretur, dominabatur omnibus; non alio fine natus est, quàm vt seruiret. Non vides quantoperè sese humiliauit? etiam sordidos lauit Discipulorum pedes: quod sanè abiectissimũ est obsequium, quod serui præstant suis Dominis. Antea æterna fruebatur pace, & pacificè regnabat in cælo: natus hodie semper erit in miserijs & ærumnis, pro nobis semper præliabitur. Non vides illum quasi exercitu Dæmonum, Regum, Pharisæorum, Populorum, Principium, imò Discipulorum, & ipsorum cognatorum insidiantium circũdatum? Ante hunc diem plenus erat gloria: at hodie, quò nobis seruiat, tam vilis fiet atque abiectus, vt etiam Iudæi se præparent ad faciem illius conspuendam, ad appellandum eum tempestatem, barathrumque macelli, ebriosum, morionem, incantatorem, blasphemum. Adeò sese deiecit, vt impia gens accingat sese ad accusandum illum, ad ligandum, ad crucifigẽdum. O ineffabilem Christi charitatem. Tibi crucifigetur ô homo, tibi erit abiectus & contemptus, tibi enim natus est, tibi pugnat, tibi famulatur. non quia maiestatem & gloriam suam deposuit, sed reposuit. Non potuit immensitas illa cælum deserere, quamuis præ nimia charitate potuit in terram descendere. Potuit venire ad nos, sed non potuit diuelli à semetipso. Potuit humanam naturam consecrare, vilemque illius conditionem nobilitare; non potuit tamen diuinam naturam exuere, aut magnitudinem & excellentiam suam abijcere. Potuit carnem nostram assumere, sed non potuit suo spiritu priuari. Atque ita semper in se remansit altissimus, tanquam Dei filius: pro nobis tamen exinanitus, factus est minimus, tanquam Mariæ filius. Humilior factus est quàm quiuis vermiculus reptans in terra, & tamen altior & procerior est quouis Gigante, cælum qui vertice tangit. Non audistis;

Exultauit vt Gigas, à summo cælo egreßio eius? Et alio loco; *Ego sum vermis, & non homo?* O quàm magnus pumilio, & quàm paruus Gigas est Christus noster? Psal. 18. Psal. 21.

Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis. Epithetorum Christi senarium hoc est, quod Spiritus S. illi attribuit. Incipite, incipite à primo, *Admirabilis.* An non totus admirabilis videatur vobis hodie, qui cùm æternus sit, nascitur? qui cùm ipsa lux sit, tamen non lucet? qui ipsum Dei Verbum est, & tamen non loquitur? qui fons est aquæ viuæ, & tamen sitit? qui panis est Angelorũ, & tamen esurit? qui calor est mundũ vniuersum calefaciens, fouésque, & tamen friget? qui includit omnia, & tamen ipse præsepio clauditur? Ah Christiani mei. Illa æterna Dei longitudo, quantoperè in hoc Christo recèns nato est abbreuiata? qui sub angustia temporis non vltra triginta & tres annos nobiscum viuet in terris? Illa immensa amplitudo, quàm est cõtracta, vt etiam angusto tuguriolo, inter duo iumẽta claudatur? Illa inaccessibilis altitudo, quantoperè est hodie depressa, vt etiam oculis nostris in infima hac valle lachrymarũ conspiciatur? Et inscrutabilis illa profunditas quantoperè est impleta, vt etiã manibus nostris palpetur & contrectetur? O Patauium, infinita illa potentia, an non regi se passa est à Maria & Iosepho, puris hominibus? non tulit, vt institueretur, qui erat ipsa sapientia? non vt sustentaretur, qui erat virtus ipsa? Nónne eguit abundantia? pauit fiducia? contristata est lætitia? passa est salus? mortua est vita? Papę, quid quæso mirabilius, quid stupendum magis? Infirmitas huius pueruli est, quæ nos confortat; tristitia illius est, quæ nos lætificat; lachrymæ illius sunt, quæ nos consolantur; pauor illius nobis addit animum, passio illius nos saluat, mors denique illius nobis vitam restituit. *Admirabilis* igitur, *Admirabilis.*

Esa. 9.

Christus est Admirabilis.

Consiliarius. Puerulus noster cõsulit vobis hodie re & opere, nõ verbis. Stella, Præsepe, Lachrymæ, Panni, omniaque alia, quæ circa illum sunt, vobis loquũtur, vos amore inflãmant, vobis consulunt. Quot res circa Christum, qui mundo natus est hodie, conspiciuntur, totidem linguæ sunt, Christiani. Deus autem vult, vt

Christus est Consiliarius.

assuescatis eum audire, & consilijs eius sanctissimis obedire. Loquaculi, qui in plateis, in Ecclesijs, in quibusuis angulis nugādi, garriendique finem nunquam facitis, & quum sermonem aut fabulam Iliade prolixiorem cœpistis, nulli facultatem & spatium loquendi permittitis, sed omnibus perpetuum silentium vestra garrulitate imperatis; ecce Christus infans hodie non loquitur, obmutuit. Arrogantes & superbi, qui primos accubitus, & loca vbique ambitis honoratiora; quæ si negentur, indignamini; ecce Christus hodie locum nō inuenit in diuersorio; positus est in vilissimo præsepio, vili accubans asino. Delicatuli, qui nihil nisi quod molle, quod naturæ & appetitui conueniens, quod voluptate plenum est, affectatis; ecce Christus nascitur media hyeme, eaq́; asperrima, quantumuis tener esset ac delicatus. Friget focus, deest lectus, non habet mater cunabula. & cùm tenerrimæ sit complexionis, inter crepitantes tamen, rigidasq́ue stabuli abiectus iacet stipulas. Sanniones, qui omnia quantumuis sancta, quantumuis religiosa, quantumuis deuota ridetis, consulite, cōsulite lachrymas, quas hodie pro vobis in cunis Christus ꝓfudit. Et vos mulieres nimis fastuosæ, nimis pompæ & ornatui externo addictæ, quarum

Dum micat innumeris arcula Synthesibus,

tam multi pauperes atque inopes frigore ac nuditate moriuntur; ô quanto sapiētiores & mihi & alijs multis essetis, si consuleretis viles Christi panniculos, & in vestitu essetis modestiores: vnaquæque in ordine suo, & secundum suam conditionem. *Consiliarius* igitur, & meritò *Consiliarius*.

Christus Deus. *Deus.* Si cum stupore totius naturæ ex Virgine cælitus grauidata operante Patre, obumbrante Spiritu sancto, sine virili semine, annunciante tantùm Angelo natus sit homo, ita vt Deus esse nō desierit: si chori cælestes eius Natale in nubibus cecinerint, si pastores eum salutauerint, si iumenta illum adorauerint, si stella in Oriente recèns natum annunciauerit, si tanta itinera Reges emensi venerint, vt illi tributum soluerent; si timuerit eum Herodes; si benedixerit illi in Spiritu Simeon; si longæua illa vates Anna illi testimonium

monium perhibuerit; si idola per totam Ægyptum & Romæ virtute illius ceciderint; si pij consolationem percipiant; si impij contremiscant; si vberibus Matris admoueatur, & mundum vniuersum pugillo concludat; si vagiat in præsepi, & regnet in cælo; si loqui nequeat, & leges vniuerso terrarum orbi præscribat; si laceris pannis inuolutus sit, qui omnibus dominatur; si vix locum habeat in præsepio, qui Reges etiam ipsos exterminat; an non videatur vobis hic esse Deus? *Et cùm introducit primogenitum in orbem terræ, dicit; Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Hic, hic ille dies est, in quo æternus Pater introduxit filium suum in hunc mundum nostrum, & præcepit Angelis, vt adorent eum. *Ad quem enim Angelorum dixit aliquando Deus; Filius meus es tu, ego hodie genui te? Deus* igitur, *Deus*, Patauini. Heb.1.

Fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis. Nolo singulis explicandis immorari, sed sufficiat vobis, quòd in natiuitate Christi dulci canitur in aëre symphonia, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax.* O Regem pacificum, ô beatam Natiuitatem, ô beatos vos, quibus natus est. Non legistis de grano sinapis, quod seminatum etsi minimũ sit in seminibus, excrescit tamen in arborem magnam, & ramos suos per totum campum extendit? Ecce Christus, ecce Christus, ecce arbor vitę, qui totum terrarũ orbem impleuit. Hodie vix est integrum sinapis granum, quod seminatum est in terra: sed exiguo pòst tempore, hac æstate in Resurrectione, in Ascensione, in die Pentecostes in arborem tam magnã excrescet, quòd ramos suos per vniuersum mundum extendet, & virtus illius fiet vbiq; manifesta. Ex humillima mundi huius valle gloriosus super omnes cælos exaltabitur, & demisso Spiritu sancto, mox adorabitur ab omni populo, omnibusq; titulis & nominibus celebrabitur, quibus paulò antè illum appellatum audiuistis. Vocabitur *Admirabilis*, propter hãc natiuitatem; *Opus factũ est in diebus nostris, quod nemo credet cùm narrabitur. Consiliarius*, propter doctrinam. *Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ tu habes. Deus*, propter opera ad stuporem vsque admirãda, & miracula, quæ numerari non possunt. *Opera quæ ego facio, testimonium* Ioan.6. Ioan.5.

Christus grano sinapis comparatur.

 perhi-

perhibent de me. Si mihi non vultis credere, operibus credite. Fortis, propter inuictam & inuincibilem eius potentiã, quam moriens in Satanam exercuit. *Nunc princeps mũdi huius eijcietur foras. Pater futuri seculi,* propter gloriam Resurrectionis, quæ fuit omnibus nobis pignus & arrha vitæ. *Si Christus resurrexit, & nos resurgemus. Princeps pacis,* duas ob causas; primò propter triumphum Ascensionis, quia cõtra naturam terram nostram in cælum, & carnem nostram in paradisum induxit; vbi erit perpetua inter carnẽ & spiritum pax. secundò propter Aduẽtum Spiritus sancti, quando incredibili quodam miraculo, in summa vnanimitate, mitiq́ue concordia, in vna eademq; domo simul vitulus & pardus, Iudæus & Ethnicus habitabũt. *Qui posuit fines tuos pacem. Pacem his qui longè, pacem his qui propè.*

Ioan.14.
I Cor.15.
Psal.147.

Psal.84. Quid ergo? *Dominus dedit benignitatem, & terra nostra dedit fructum suum.* Terra hæc Sancta est & semper benedicta virgo Maria, quæ per benignitatem Dei cælesti impleta gratia germinauit fructum hunc tam nobilem, tantiq́ue ponderis & existimationis, vt valore suo pomo illo Adami, quod tãti nobis omnibus constitit, multis modis sit pretiosior. O terram beatam lacte & melle fluentem, terram nunquam maledictam, terram promissionis, mille modis Patribus antiquæ legis etiam cum iuramẽto promissam. Quis vnquam vidit terram tam fertilem, quæ à semetipsa, absque vllo agricolæ labore, radiorum tantùm solarium influentia, fructum protulit, qui mundum vniuersum

Psal.62. locupletauit? *Confiteantur, confiteantur tibi populi Deus, cõfiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructũ suum.* Laudate, laudate omnes populi, omnes mundi huius incolæ Dominũ: Magnificate nomen eius; Reddite gratias quantas potestis, quia terra Virgo cælesti rore fœcundata, ab immenso illo Deo culta, qui & agricola nominatur, fructum dedit suum. Optimè *suum,* quia totus illius est, ab illa sola natus. Non hîc partem habet vir. terra sola ex se germinauit admirabilem hunc fructum; verè fructum, quo solo fruimur. Nulla re frui licet, nisi Deo solo. Ecce fructus, ecce fructus Christus benedictus, & homo & Deus; *Benedictus fructus ventris tui.*

Nulla re præter Deũ frui licet.
Luc.1.

Fuit

Fuit Christus semen occultum, tam in statu naturæ, quàm in statu peccati. *Nisi Dominus reliquisset nobis semẽ, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus.* In statu legis & Prophetarum cœpit germinare; *Virgam virtutis suæ emittet Dominus ex Sion.* Erupit in florem tempore incarnationis. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Hodie, in hoc glorioso Natali dulcissimus fructus maturuit. *Filij merces fructus ventris.* O dulcissimum Christum, infinitæ virtutis semen, virgam rectitudinis & iustitiæ, florem omnis & venustatis & fragrantiæ, fructum suauitatis & saporis gratissimi. Non legisti in Psalmis; *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam?* Rectè *ventris*. Homines alij fructus sunt ventris, sed non solius ventris; sed ventris, & lumborum & renum. ventris scilicet matrum, lumborum & renum Patrum. Christus solius ventris fructus est; ventris, inquam, B. Virginis. non habent hîc locum aut lumbi aut renes viri; solus venter mulieris in hoc mysterio partem sortitur, ideoque dicitur *filius hominis*: ideo semen mulieris appellatur. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, inter semen tuum & semen illius.*

Esa.1. Psal.109. Esa.11. Psal.126. Psal.131. Gen.3.

Terra, terra dedit fructum suum. Aliæ terræ seminantur, ideoque non dant, sed reddunt fructũ suum. quod enim seminasti, cum vsura tibi restituunt. Hæc terra Prophetica, non reddidit fructũ, sed dedit. *Dedit, dedit fructum suum, non reddidit.* Non recepit semen, nec à viro, nec à Spiritu sancto, qui vicem viri impleffet. etenim non consita fructum dedit talem, cuius pretio omne quod Deo debebamus persoluimus,

Agite, agite, non licet mihi in hac solennitate prolixiùs orare, postquam Dominus Verbum suum tantoperè abbreuiauit. *Verbum abbreuiatum fecit Dominus.* honestum est vt & nos sermonem nostrum abbreuiemus. ceterùm vbi deficimus in verbis, crescamus in spiritu, & gaudium mentis nostræ conduplicemus. Gaudete & exultate omnes Christiani, quomodo gaudent messores in die messis copiosæ; aut in die victoriæ milites, cùm capta præda diuidunt spolia. Quòd si verum sit antiquum illud prouerbium;

Hier.31. Esa.9. Dies Natiuitatis Christi dies gaudij.

Dimidium facti qui bene cœpit habet.

totum

totum enim opus in exordio cõſiſtit; ecce glorioſum Chriſti Natale campos huius mundi frugibus plenos oſtendit, & regiones gẽtium exhibet albas ad meſſem, & ad veram fidem diſpoſitas. Victoria de communibus noſtris inimicis nobis in manu eſt, & ſpolia quæ amiſeramus reddit nobis Deus. Sed oportet nos reſpirare, vt hiſtoriam dilucidiùs intelligatis, & diſtinctiùs audiatis.

PARS SECVNDA.



VOD ſi alibi, quàm Patauij oraturus eſſem hodie, ab Euãgelio, quod in prima lectum eſt Miſſa, exordium ſumerem. *Exijt*, nimirum, *edictum à Cæſare Augusto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis:* vt Auditores à fide atque intelligentia Natiuitatis Chriſti temporalis, ad fidem atque intelligentiam Natiuitatis æternæ adducerem. Hoc enim modo pædagogi inſtruere hos, qui incipiunt, conſueuere. *Inuiſibilia Dei à creatura mũdi, per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur.* ait Paulus. Sed quia his Athenis dicturus ſum, vti malui conſuetudine Platonica, atque incipiendo à rebus intelligibilibus, paulatim deſcendendo ad ſenſibilia peruenire. Diligenter quæſo attendite.

Rom. I.

IN principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.] Ab his Ioannis Euangeliſtæ verbis initium ſumptura erat hiſtoria Euãgelica; ſi ordo Euangeliſtarum, qui quatuor ſunt, concinnetur, quomodo nunc & ab antiquis, & à recentioribus concinnatus eſt, vt ſit continuus curſus, & interrupta ex quatuor in vnam contracta hiſtoria. Hæc fortè nõ infeliciter vna dictione Greca Μονοτέσσαρων dicetur, aut breuiori voce Εντέσσαρων. Ne exiſtimetis igitur Doctores & Studioſi, me velle hodie multum diſputare de æternitate Dei, deque Verbi ipſius ineffabili generatione. Scio quàm varia ſint in Eccleſia officiorum genera: hic legit, ille concionatur, iſte contemplatur. Vna quidem eademque eſt materia Lectorum, Concionatorum, & Contemplantium, non tres. Scriptura ſcilicet ſacra,

&

& potissimùm Euangelium, quod scopus est, medullaque legis & Prophetarũ. Ceterùm lectiones finem habent, doctrinam fidei; ne hæresis contra veram ac genuinam fidem præualeat, aut Catholicam veritatẽ opprimat. Hinc nata est Theologia Scholastica, cuius (vt scitis) fons & origo est Beatus Augustinus. Theologia hæc ætate hac nostra nõ tantùm vtilis est, sed & fortè necessaria: vt doctrina Ecclesiastica cribretur, & exactiùs discutiatur, quò dilucidiùs ab omnibus conspiciatur. Nec vtilior aut efficacior modus est Hæresiarcharum sophismata confutandi, qui tanquam ab omni Dialecticæ vsu alieni, superbè ac frustra in sua Rhetorica gloriantur. Hinc nata est hoc nostro tempore vox illa Hæreticorum; *A Dialectica Augustini libera nos Domine.* Contẽplatores, omissa vt plurimùm fidei subtilitate, tãquam illi, qui intellectum suum in mysterijs illius captiuarũt, in hoc toto pectore incumbunt, vt se, quàm maximè possunt, ad amorẽ Dei sublleuent, orationesque suas in ecstasi aut raptu, si nõ intellectûs, saltem affectûs terminent. Concionatores mediam inter vtrumque viam deligũt, mediam dico, idque certo quodam modo, & per negationem, & per participationem: non debet enim tam profundè de fide differere Concionator, quàm Lector, neque expedit corã populo, tam sublimiter loqui de amore Dei, quàm locutus est Salomon, in illo suo Epithalamio, vel amatorio Cãtico, quod in secreto sibi ipsi cecinit. *Osculetur me osculo oris sui.* Etsi verum quidem est, aliquando Cõcionatoribus vtrũque conuenire, vt quorum est populum in fide ædificare, & amore Dei inflammare, eumque inter metum & spem hærentem in officio conseruare, in quibus summa Religionis Christianæ cõsistit: conclusio tamen subtilitatis huius præsentis mysterij, quod tanquam vnum ex primarijs capitibus nostræ altissimæ Theologiæ semper habitum est, reseruetur Scholis Sapientiæ, cùm ordinariè fiunt lectiones. Mihi verò, qui in hac Ecclesia coram tanta multitudine dicturus sum, sufficit admonuisse, quod is, quem aliæ passim Scripturæ & Filium vocãt, & Paruulum, *Paruulus natus est nobis, & Filius datus est nobis,* Filius, inquam, Dei, *Misit Deus filium suum; Sic*

Tres modi tractãdi scripturas.

Cant. 1.

Esa. 9.

Ioan. 3.

Deus dilexit mūdum, vt Filium suum vnigenitum daret. Rom. 10. *Proprio Filio suo non pepercit; Credis in Filium Dei?* is in- Ioan. 9. quam à B. Ioanne (cui negotium erat cum Hæreticis, in Scholis Philosophorum exercitatis, qui subtilitate Philosophiæ simplicitatem fidei nostræ opprimebant, stylo ab omnibus Prophetis, Apostolis & Euangelistis quodammodo differente, vt se aduersarijs accommodet, & postea suis ipsorum armis eos occidat, haud aliter, quàm si quis clauam Herculi manibus extorqueat, & ea ipsum trucidet) Verbum appellatur. *In principio erat Verbum,* & in fine Euangelij; *Verbum caro factum est.*

In hac autem Academia, tam Græca quàm Latina, ignotum non est, quid significet *Verbum.* Non est verbum Grāmaticale, quod aërem verberat, vnde & nomen habet: nomen, inquam, & Nominibus & Verbis commune. Scitis igitur quid sit? Cui bene perspectus est mundus archetypus, exactiùs quàm omnes alij norunt, quid sit *Verbum* hoc. Conceptum illum intelligo æternum æterni Dei; Rationem illam perpetuam; Sapientiam illam increatam; Intellectum illum incomprehēsibilem; Veritatē illam incommutabilem.

Quid sit Verbum apud B. Ioannem.

OMNIA per ipsum facta sunt, & quod factum est, in ipso vita erat.] Hæc interpretatus Poëta quidam Theologicus, insignem hymnum hunc Deo modulatur.

Quicquid enim per te consurgit, nouimus in te
Duxisse æternam, Rex clementißime, vitam:
Nec quicquam vitæ posset contingere metam,
Ni priùs Idea veniens transmittier alma
Iußisses. veluti nunquam vas fictile formam
Possedisse potest, figulus ni mente reuoluens
Prompserit externo uisu quo poßidet intus.

Ecce *Verbum,* ecce *Verbum*; Ratio Idealis mundi, & omnium rerum exemplaris Νοῦς, Chaldæis Chochma, Hebræis Reseith nuncupatur. Nostræ voces articulatæ, quæ ex ore nostro proferūtur, & secreti conceptus, qui in pectore nostro occulti remanent, vno eodemq; nomine Verbi denotantur. *Verbum secretum habeo ad te. Verbum Dei in ore tuo verum est.* Quis enim dubitabit interius verbum mentis illud esse, à quo exterius Psal. 44. linguæ dependet? *Eructauit cor meum Verbum bonum.*

Sic

Sic erit verbum, quod egreditur de ore meo. Meministis ne ô filij lucis; Agite, agite lætemini & exultate, quòd etiam Philosophia contra prauitatem hæreticam Cerinthi, Hebionis, Arij, Sabellij, omniumque aliorum Antechristorum perhibet testimonium (etiamsi quid dicat, nõ sat intelligat) veritati Verbi huius. *Quod hodie propter nos, & propter nostram salutẽ caro factum est, & habitauit in nobis.* Verba nostra, cõceptus nostri, scientiæ & sapientiæ nostræ duobus modis sese manifestant, voce nimirum, & scripto: non enim necesse est his nutus mutorum vt tertium adiungere; quia nutus sub vocibus comprehenduntur. Hæc porrò differentia est inter vocem & scripturam, quòd per vocem conceptus animi audiatur tantùm; cùm verò in charta exaratur, auditur, videtur, tangitur; & familiariter magis nostris versatur, teriturque manibus. Ideo, vt scitis, tam charæ nobis atque gratæ sunt amicorum nostrorum litteræ; ideo in absentia scribimus & rescribimus, quia in litteris illis amicos quasi præsentes habemus, audimus eos, fruimur eis, versamur cum eis, loquimur cũ eis; ita vt verba in papyro scripta omne genus amoris habere videantur. Omnipotens Deus iam ante multa secula hoc vnicum Verbũ suum quibusdam vocibus expresserat, multisque nutibus insinuauerat: *Factum est Verbum Domini ad Oseam: Verbum Domini in manu Aggæi: Verbum Domini ad Hieremiam.* sed nunquam illud in charta depinxerat. Ecce impræsentiarum scripsit illud in charta Virgine, in sacra carne Mariæ, idque atramento purissimi sanguinis illius, & Spiritûs sancti calamo, atque ita totum nostrum factum est *Verbum* hoc? vidimus illud, audiuimus illud, & quasi amicorum epistolas illud cõtrectauimus. *Quod vidimus*, inquit Ioannes, *quod audiuimus, quod manus nostræ contrectauerunt de Verbo vitæ.* O quàm syncerus & charus amicus est Deus? Non erat illi satis loqui nobiscũ, sed vt nos amore sui inflammaret, misit scriptam ad nos Epistolam. Verbum scilicet in carne. *Misit verbum suum, & sanauit eos*, inquit Scriptura. Æterna generatione sua erat Verbum simplicissimum, purissimum, vna persona & vna natura tantùm. Non erat Sermo: Sermo enim habet nescio quid

Esa.55.

Ose.1. Agg.1. Hier.1.

Verbum Dei scriptum in charta.

1 Ioan.1.

Psal.106.

Dei filius Verbum est, non Sermo. Dei & hominis filius Sermo, non Verbum.

quid amplius adiunctũ, quàm Verbũ: quia deriuatur à serie, & plurium verborum cõtextu. quare Grammatici dicunt, quòd Sermo est orationis consertio. Dum igitur incarnatur, & naturam nostram sibi cõiungit, meritò & Verbum & Sermo dicendus est: Verbum tanquam Deus, Sermo tanquam Deus & homo. Verbum est quatenus intelligibilis; Sermo quatenus est sensibilis. Verbum est tanquam æternus; Sermo tanquam temporalis. *Dum medium silentiũ tenerent omnia, omnipotẽs Sermo tuus Domine à regalibus sedibus tuis venit.* O Padua; Verbum nõ interrupit istud silentium, sed Sermo interrupit. Si Deus incarnatus non fuisset, semper mũdus hic miserrimus in silentio diuinarum laudum permansisset. Postquam autem incarnatũ est, omnis creatura cœpit strepere, non aliter atque si totus mundus vna lingua fuisset. cœpit in verba erumpere, laudes Dei prædicare, ad cognoscendum illum, illique gratias agendum omnes inuitare. Meritò itaq; dicere potuit Christus, se nomen Dei mundo manifestasse, quod priùs ei erat incognitũ. *Pater iuste, mundus te non cognouit. Ego manifestaui nomen tuum hominibus.* Quid dicemus de Verbo hoc?

Sap. 18.

Ioan. 17.

IN principio erat Verbum.] Non incepit Verbũ hoc in Maria: ante Mariã fuit tempus: tempus cum mundo creatum est; mũdus est vniuersum hoc ædificium, tam stupendo artificio, tamque pulchro conditum ordine. Ordo hic non est aliud, quàm rerum in vniuersa natura existentium contextus. natura ab arte diuina, ab illa intelligentia, non errante, quæ Deus ipse dicitur, directa & gubernata est. Ante Deum nihil fuit, ille fuit ante omnia, sicut erit & post omnia. Deus est vltimus, Deus est omnium primus. Finis quò omnia diriguntur; Principium à quo omnia dependent. *In principio erat verbum, in Patre erat Filius, ipse quoque principium cum principio, de principio.*

ET Verbum erat apud Deum.] Filius erat apud Patrem; *Vnigenitus qui est in sinu patris*, inquit Ioannes. An non & Iob eodem ferè modo loquendi vsus est, cùm dicit; *Apud ipsum est Sapientia, & Fortitudo: ipse habet consilium & sapientiam? Et Deus erat Verbum.* & ipse Filius erat Deus. Deus non est vna persona, sed

Iob 10.

tres

tres, Pater, Filius, & Spiritus S. Et sanè si ipsos etiam Philosophos interrogaueris, quis mundum creauerit? non aliud respondere poterunt, quàm; Omnipotens Deus. quòd si vlterius rogaueris, qua creauerit arte? velint nolint dicent, Ipsa sua Sapientia. quòd si constringas eos, vt dicant, cur creauerit? respondebũt, Pro amore suo, quia totus bonus est, & semetipsum, suamque bonitatem alijs voluit cõmunicare. Ecce Pater, ecce Filius, ecce Spiritus S. Pater, cui tribuitur potentia; Filius, cui sapientia adscribitur; & Spiritus S. cuius tessera & proprium symbolum est amor & bonitas. Pater igitur principium est & fons totius diuinitatis. Quod Patri igitur est generare, hoc menti est dicere; & quod Filio est genitum esse, id Verbo est dictum esse. Vna igitur est, eademq; in Sanctissima illa Trinitate personarum diuinarum notio, gignere & dicere, quia vna eademque (vt dixi) persona est Filius & Verbum. Pater æternus dicendo gignit, & gignendo dicit; & Filius in dicendo gignitur, & gignendo dictus est. Videte quomodo idem Filius manifestet omnia: est dicere & gignere, est dictum esse & genitum esse. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu: ego hodie genui te.* Satis est, *Mel inuenisti, comede quantum sufficit. Transeamus, transeamus* (Domini mei) *vsque ad Bethleem, & videamus hoc Verbum, quod factum est.* Non est factum simpliciter, factum est caro, & erat ante omnem carnem, & omne verbum, tam Angelorum, quàm hominum,

Cur Deus creauit mundum, & quo artificio creauit.

Psal. 2. Prou. 25. Luc. 2.

Cõfidite Auditores mei, & estote securi, cùm pollicetur Dominus, quòd ex gratia sua per Iesum Christum vos faciet filios Dei: nolite diffidere, etiam si homines sitis de terra sumpti, de carne procreati, filij Adami & peccatores insignes. Non enim pollicetur quod est impossibile. Habetis hic experimentũ, Deus est factus homo. multò difficilius est cęlum ad terram inclinari, quàm terram ad cælum eleuari: maius est Deum fieri filium mulieris, quàm virum aut mulierem fieri filium aut filiam Dei?

E peccatore iustum fieri, non est impossibile.

ET Verbum caro factum est. Et Verbum caro factum est.] Non est Verbũ hoc in carnem mutatum, quemadmodũ aër à frigore condensato mutatur in aquam;

Verbũ in carnem non est mutatũ, nec

caro in Verbum. aut aqua calore resoluta, vertitur in aërem: frigus enim alterat aërem, & calor aquã corrumpit. Hic nec alteratio Verbi Dei est, nec corruptio carnis humanæ. Nec Deus cum homine permixtus vel cõfusus est, nec homo cum Verbo, quomodo lumen cum lumine, aut vinum cum aqua. Audite miraculum. *Et Verbum caro factum est.* Quòd si guttulam aquæ medio mari instilles, quis eam in tam immenso pelago poterit vnquam denuo reperire? quis eam in æternum ab illa rursum abysso separabit? An non cum toto mari concorporabitur, licet non omnino ab infinita illa marinarum aquarũ abundantia absorbeatur? O Patauium, quid est homo si conferatur cum Deo, nisi minutissima stillantis aquæ gutta cum toto mari comparata? & tamen in hoc paruulo sic vnitus est homo Deo, vt homo remanserit homo, & caro remanserit caro, & anima remanserit anima, quemadmodum erat ante vnionem, & non confusum est illud exiguum, quod erat homo, cum illo infinito, quod est Deus. nec totũ vel omne hoc quod erat Deus, absorpsit illud nihil, quod erat homo: sed vnũ ab alio remansit separatum, quasi Deus non fuisset Deus, aut homo non fuisset homo; hoc est, mare non fuisset mare, & gutta non fuisset gutta. sed gutta mari par, & mare par guttæ fuisset. An quis vnquam simile miraculum imaginabitur?

Miraculũ in incarnatione Christi.

Simile.

Aliud mirandum.

Sed est aliud magis mirandum. Omnino separatum est in natura, vt diximus antea, id quod est homo, ab eo quod est Deus; & id quod Deus est, ab eo quod homo est: nihilominus tanta est naturarũ istarum, proprietatum, actionumque diuinarum & humanarum vnio, vt verè dicatur Paruulus iste Deus est, & Deus est iste Paruulus. Paruulus iste creauit mundũ, Paruulus iste Saluator est animarum, Paruulus iste Redemptor est hominum. Et è contrario Deus vagit in præsepio, Deus inuolutus est fascijs, Deus sugit vbera Virginis matris, & tandem Deus morietur in cruce. Deus mortuus est in cruce, Deus ab inimicis suis occisus est, Deus in monumento lapideo sepultus est. O quanta miracula.

ET Verbum caro factũ est.] Per Pusionẽ hunc omnia hæc facta sunt miracula. imò Pusio hic ista miracula

fecit;

fecit; vt simul sit Verbum & caro, Creator & creatura, Deus & homo, mors & vita: vt vna eademque persona sit redemptio & redemptus, redēptor & pretium; amor, amans, & amator. Iudex, Iustus, condemnatus; reus, liberator, liberatus.

ET Verbum caro factum est.] Tria sunt in hoc Verbo incarnato, Æternitas, Antiquitas, Nouitas. Æternitas est diuini Verbi; Antiquitas est carnis Adami; Nouitas est animæ propriæ. Diuinitas habet tres personas; Anima tres potentias; Caro quatuor elementa. Omnia hæc in sancta hac Christi incarnatione concurrūt: quę tamen vnam personam in tribus substantijs constituunt, sicut Deus vna est substantia in tribus personis. Audistis vnquam opera tam stupenda? miracula tam magna? Dubito, nec definire per me possum, an mirabilior sit Deus in æternitate sua, & in se solus, an verò in hac incarnatione Christi, Dei & hominis. id tamen scio, mirabiliorem esse vnionem Dei cum homine, per incarnationem, quàm erit altera illa, quæ in futuro expectatur seculo, hominis cum Deo, per glorificationem. Faciet quidem illa beatos, sed vnà cum Angelis; hęc verò exaltat & nobilitat super omnes Angelorum choros. Tria sunt in Verbo incarnato.

ET Verbum caro factum est. Et Verbum caro factum est.] Erat Verbum ab æterno genitum, tanquam vena sacratissima sacri Patris vteri (nō possum hîc reuerenda illa Prophetice Theologiæ præterire symbola; *Ex vtero ante Luciferum genui te*) quæ deinde in plenitudine temporis diffusa est, tanquam fons in cor & corpus Mariæ. *Fons ascendebat de terra.* Riuulos suos per vniuersum mundum emisit, quando prædicatum est inter Gentes, & ipsum Verbum vnum in plura verba multiplicatum. λογὸς in λογία, tanquam sigillū, quod ipsam formam suam varijs ceræ massis imprimit, & dicitur postea; Ecce sigilla Regiorum diplomatum. tanquam granum frumenti, quod in terra seminatum tantopere multiplicatur. *Ager est mūdus, semen est Verbum Dei. Creuit in fluuium magnum, & in aquas plurimas redundauit.* In mentes postea fidelium illatum est. *Suscipite insitū Verbū, quod potest saluare animas vestras.* Denique scriptum etiam est in magno illo Scriptura- Psal.109. Gen.1. Matth.13. Hest.7. Iaco.1.

Esa.8. Ioan.19. rum Sacrarum Volumine; *Sume tibi librum grandem & scribe in eo stylo hominis. Erat scriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè.* O Verbum, ô Verbum.

Etymologia Verbi huius Euangelici. Exod.33. Ioan.14. Vultis, vt vobis explicem vocis huius Theologicæ Verbi veram etymologiam? *Verbum*, hoc est, *Verum bonum. Ego ostendam tibi omne bonũ*, dicit Deus ad Moysen, de Verbo hoc sermonem faciens. Et ipsum hoc Verbum, *Ego*, ait, *sum via, & veritas, & vita.* Quatenus veritas, exemplar est & Idea rerum omnium; quæ icirco tantò sunt veriores, quantò magis cum hac veritate, cum hoc typo, cum hoc diuinæ mentis exemplari conueniunt. Rom.8. *Conformes fieri imagini filij sui.* Quatenus est omne bonũ, est causa finalis, quam vos Philosophi appellatis ipsum amatum: estque id quod ab omnibus desideratur. Ioan.6. *Ad quẽ ibimus? Verba vitæ æternæ tu habes.* Quatenus simul & verum est & bonum, causa est efficiens, & conseruans totius huius Vniuersitatis. Ioan.1. Heb.1. *Omnia per ipsum facta sunt.* Ecce causa efficiens. *Portans omnia Verbo virtutis suæ.* Vides conseruantem. Scitis, Domini mei, has locutiones formales attribui Deo, quòd nimirum est Author, Conseruator, Exemplar, & Finis totius naturæ. Ergo Deus erat Verbum; Verbum erat Deus.

ET Verbum caro factum est.] Deus homo factus est, vt amicos nos faceret veritatis, inimicos verò mendacij: vt faceret studiosos boni, & alienos ab omni malitia: vt faceret diuinos, & super hominem eleuaret; vt dici posset, Psal.81. Ioan.1. *Ego dixi, Dij estis, & filij Excelsi omnes. Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Videte quæso quot modis à Spiritu S. in sacris paginis hoc Incarnationis mysterium insinuatum est: Mysteriũ Incarnationis quot modis significetur in Scripturis. quanta verborum copia, quanta cum eloquentia, quanta cum gratia prędictum & significatum; non alio fine, quam vt nos desiderio quodam accensi, optaremus Deificari, non minùs, quàm ille ab æterno ardẽti flagrans desiderio, sitiuit (vt ita loquar) humanari: id est, homo fieri. Prou.9. Psal.84. Esa.55. Esa.64. Esa.45. Esa.11.7. *Sapientia ædificauit sibi domum. Veritas de terra orta est. Quomodo descendit imber de cælo. Vtinam disrumperes cælos & descenderes. Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum. Egredietur virga de radice Iesse. Ecce Alma concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel.*

Aßimilaui te, & nō cognouiſti me. Lapis abſciſſus de monte ſine manibus. Viderunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri. Facies tibi candelabrum de auro puriſsimo. Vidi portam clauſam. Videbo viſionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Dabo tibi theſauros abſconditos, & arcana ſecretorum. Inimicitias ponam inter te & mulierem; inter ſemen tuum & inter ſemen illius. Ros lucis ros tuus. Et terram Gigantum detrahes in ruinam. Veniet deſideratus cunctis gentibus. Oriens nomen eius. Surge illuminare Hieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini noſtri ſuper te orta eſt. Plantauerat Deus lignum vitæ in medio Paradiſi. Oſculetur me oſculo oris ſui.

Eſa. 45. Dan. 2. Pſal. 97. Exod. 25. Ezech. 44. Exod. 3. Eſa. 45. Gen. 3. Eſa. 26. Agg. 2. Eſa. 60. Zach. 6. Gen. 1. Cant. 1.

O Patauium, ô Patauium. Hæc cùm audis, nónne omnino tibi perſuaſum eſt Spiritum S. hîc oſtendere quantoperè ſibi curæ & cordi erat Chriſti Natiuitas, cùm delectetur tot typis, tot figuris, tot metaphoris, tam varijs dicēdi formulis in ea quaſi luxuriari? Vnū idemque eſt Veritatem de terra oriri, Sapientiam ſibi domum ædificare, Rorare cælos deſuper; diſrumpi cælos, & nubes iuſtum pluere, pluere, inquam, ſtillam tanto tempore deſideratam. Virgam germinare, & florem producere. Virginem Emanuelem parere; Aſſimilari & non cognoſci; lapidē ſine manibus à monte abſcindi; Omnem terram videre Saluatorem; Lucem & ſplendorem; terram Gigantum in ruinam detrahere; manifeſtari mundo, qui ab omnibus Gentibus erat deſideratus; lignum vitæ in medio Paradiſi plantari; Sponſum Sponſam oſculari. Vnum dico idemque ſignificant omnes iſtæ loquendi formulæ, quas omnes hodie interpretatur Eccleſia, cùm dicit; *Hodie Chriſtus natus eſt, hodie Saluator apparuit; hodie canunt Angeli, lætantur Archangeli; hodie exultant iuſti, dicentes, Gloria in excelſis.* Chriſtus eſt veritas, ros, lux, pluuia, lignum vitę, Sponſus, deſideratus cunctis gentibus; caro quam aſſumpſit, eſt domus, nubes, lapis, candelabrum aureum, theſaurus abſconditus; cum tot arcanis alijs, vt nunquā defutura ſit materia, contemplari volenti. Virgo eſt terra, mons, virga, porta clauſa, rubus ardens, qui non comburitur: quæ facta eſt, vt inimicitias foueat cum ſerpente irreconciliabiles. Diaboli ſunt Gigantes; infernus eſt regnum illo-

Epitheta Chriſti.

Epitheta Mariæ.

rum; ruina eorum mors Christi. O Verbum, ô Verbum.

ET Verbum caro factum est. Et Verbum caro factum est.] Cedite nunc quęso Doctores & Studiosi huic populo mihi charissimo, qui expectat vt audiat aliquid de Christi Natiuitate. In solenni Annunciationis festo locum habet illud Euangelium, *Et Verbum caro factum est*: hodie quia non iam ampliùs est *in vtero*, sed prodijt *ex vtero*, locum habet illud, quod sequitur:

ET vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.] Ista gloria Christi non dico nascentis, sed nati, non est vnquam antea nobis visa: videtur hodie. Incarnatio illuminauit intellectus nostros in veritatis fidei cognitione: Natiuitas hæc oportet vt demulceat affectus dulcissimo, suauissimoque diuini amoris gustu. O Natiuitatem sanctã, amabilem, admirabilem, nouam, singularem, cui similis nec fuit, nec erit vnquam. solam sine dolore, solã sine corruptione, solam quæ non violauit, sed consecrauit ventrem parturientis. Quid lętius, quid iucundius, quid optatius vniuerso mundo posset annunciari? Quando ab æterno vsq; huc tale quid auditum est? Beata Bethleem, quę quondam eras minimũ oppidulum, nunc inuidet tibi Susa, Babylon, Roma & Byzantium. eras exiguus Iudęæ vicus, nunc autem nobilitata es, & celebris toto orbe terrarum, per Filium Dei, qui cùm in se tam magnus esset, tibi tamen tam paruus apparuit. Beatissima Virgo, quæ nuper ab Angelo salutata, cæleste illud nuncium, & diuinam illã legationem audisti, quæ nuper à Spiritu S. es obumbtata, & ex pura fide grauidata; hodie tandem è sacratissimo templo tuo ipsam mundi Sanctitatẽ in lucem effudisti; Iesum scilicet Christum filium Dei, præter omnem naturam, in beneficium naturæ humanæ, integra, inuiolataque conseruata tua Virginitate. O dilectissime Fili, Fili Dei sine matre ante omnia secula; Fili Mariæ sine patre in seculorum plenitudine. Expergiscimini qui sedetis in puluere, attollite capita vestra, aperite ora vestra, & linguas vestras soluite. Peccatores, qui propter peccata vestra languetis, & contabescitis miseri, qui miserias vestras deploratis. *Quiq; terrigenæ & filij hominum audite*

Laudandus Deus in Natiuite Christi ab omnibus. Psal. 48.

audite; Laudate Dominum, ne fortè ingrati tantis beneficijs esse arguamini. cantate festiuum illud & solenne Alleluia; idque choro pleno, & voce dulcisona. Ne micam saporis, ne momentum amoris habeat oportet, imò totus infirmus est in sensu gustûs spiritualis animæ, qui hodie in spiritu suo nullam sentit dulcedinem, nullam percipit suauitatem; cùm audiat Deum factum hominem, vt homines saluos faciat, vt liberet captiuos, vt beatos reddat qui sunt miseri, vt adoptet seruos, vt det hæreditatem filijs. Quis adeò corde obduratus, quis adeò saxeus, ferreus, vel adamantinus, vt ad hæc verba non liquescat, non mollescat; *Verbum caro factum est*: Iesus Christus in Betthleem natus est? Maria mater Dei facta est? Agite nunc ad historiam D. Lucæ perueniamus, quæ tantùm luminis huic adfert festiuitati, vt maius optari non possit.

PARS TERTIA.



EXIIT edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis.] Videte quæso quàm alto principio, & quàm solenni apparatu Pater huius nostræ historiæ exordiatur: alio sanè, quàm Herodotus, aut Salustius. B. Lucam intelligo, qui sine artificio mendaciorum, sæpe ab Ethnicis Historicis tam doctè compositorum, vt vera esse videantur, simplici sua narratione intendit ostendere veritatem gloriæ huius vnigeniti Filij Dei, hodie ex B. Virgine Maria procreati. vt tandem veritatem persuasi, dicatis; Ita est; Ita est; *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Ipsi enim vidimus gloriam eius, gloriam verè Vnigeniti.*

Ceterùm in campo, Domini mei, tam spacioso Cæsaris Augusti, Romanique Imperij, quem Cæsarem Deus maiori prosecutus est fauore & beneuolentia, quàm Ninum, quàm Darium, quàm Alexãdrum, quàm omnes Monarchas præteritorum temporum, nec possum, nec debeo festinare: sed pro consolatione vestra, hinc digredi, hîc discurrere, & huic loco paulisper expedit immorari: tum quia Roma caput est

Italię nostræ, tum etiã quia est matrix Ecclesiæ sanctę Christi, & nos omnes Christiani, cuiuscunque tandem simus linguæ aut nationis, membra illius & dicimur & sumus. Nolo impræsentiarum Romanos laudare plus quàm alias nationes barbaras, refricando memoriam istis versibus Virgilianis,

Romanorum laudes.

Virgil. lib. 6. Æneid.

Excudent alij spirantia mollius æra:
Tu regere imperio populos Romane memento,
(Hæ tibi erunt artes) paciq́ue imponere morem:
Parcere subiectis, & debellare superbos.

quasi his virtutibus, hoc pacis studio, hac in imperando modestia, hac componendarum discordiarum arte, hac denique sua iustitia & æquitate totius orbis terrarum imperium, vtque Christus sub illorum Monarchia nasceretur, à Deo meruisse videantur. Nequaquam, nequaquam. alius vt videbitis mentis meæ scopus est. Verum quidem est, antiquis istis temporibus paucos quosdam homines illustres fuisse, qui sua virtute optimam huic Reipub. famam & opinionem pepererunt, ita vt omnes magnificè de illa sentirent: In actionibus enim suis florebant, & singulares quasdam virtutes, alijs nationibus non vsitatas, præ se ferebant: quæ icirco Romanæ dicebantur. Id solum dicam; *Erat illis altum & fidum pectus; curia, cuius limen ingressi, priuata abiecta, publica Charitate induebantur.* Quid vobis videtur? Exuebant omnem priuatam cupiditatem, induebant charitatem publicã, & amorem in patriam. non tam abundabant armis & equis, quàm consilio & boni communis amore. Romæ Remp. administrabant cum industria, foris regebant imperio iustissimo. vbique ostendebant animum liberum, alienum ab auaritia, salutis patriæ cupidum; non tam vires, quàm animos externarum gentium sibi subijcere studiosum. Notissima vobis exempla sunt Regulorum, Scipionum, Fabritiorum, Curtiorum, Horatiorum & similium, qui tanquam Heroës ac Semidij colebantur. Nihilominus postremis istis diebus malè audiebat Roma, propter crudele bellum inter Iulium Cæsarem & Pompeium magnum; à quo nemo subditorum erat immunis. Non vos latet illa iustissima Scipionis Nasicę querela; *Quæ felicitas nobis*

Prauus Reip. Rom. postremis temporibus status.

nobis in hac vrbe nostra esse potest, stantibus mœnibus, ruentibus moribus? Et illa Salustij; *Romam veterum laboribus auctam, fœdiorem stantem fecerunt, quàm ruentem: nam in ruina ligna & lapides ceciderũt; in statu autem non murorum, sed morũ monumenta & ornamenta corruerunt.* Facta erat Roma noua Babylon, & quasi figura illius veteris; auara, crudelis, iniusta, tenax proprij, rapax alieni; vnusquisq; studebat priuato commodo, nemo publico. Atque hinc inertia, libido, gula: deinde odia, inuidiæ, factiones & bella ciuilia. Dici non potest, quàm noxia fuerit Romæ Carthaginis euersio. qua victoria ab hostibus securior effecta, se tradidit otio, cœpit vitare ardua & laboriosa, arma non exercebat, voluptati se dedidit, virtutis nullus amor. Atque ita non paulatim, sed subitò, tanquam torrens rapidissimus, in omnia vitiorum genera præceps dilapsa est. Huc accedebat ingens Idololatriæ impietas, quæ vt in matre ipsius Babylone initium habuit, ita Romæ finem non habuisset, nisi superuenisset magna illa gratia, quam sine aliquo suo merito, imò cùm pessima quæque merebatur, donauit illi Deus, qui tanquam æternus & immutabilis huius mundi Dominus Regna mutat & imperia, prout vult: nec potest quisquã aut hominum aut Angelorum iure aliquo dicere, *Cur ita facis?*

Post tot tantasque Monarchias, quæ ab initio post Diluuium vsque huc floruerunt, placuit Domino Deo, idque iusto suo, sed arcano & inscrutabili iudicio, exiguum illud oppidulum Romã, à Romulo ædificatum ante annos septingentos, vel plures, vt voluit alij, totidemque annos post populũ Israeliticũ à Deo tanquam charissimum filiũ natum & educatum, sub hoc Cæsare, cuius mentio fit in Euangelio, totius orbis terrarum Monarchiam fieri & appellari. Quis potest Deo resistere? *Quæcunque voluit, fecit. Dixit, fiat; & factum est. Sermo Dei potestate plenus est. Subest tibi cùm volueris posse.* Eodẽ iudicio Dei occisus iam erat Pompeius, idque in bello Pharsalico: ille Pompeius, Patauini, qui paulò antè præfuerat classi quingentarũ nauiu, qua Romanis subiecit nongentas vrbes & octingentas naues; ille Pompeius, qui in Ærarium tot centena

Psal. 134. Gen. 1. Eccles 8.

Pompeij gesta & mors.

Vide Plin. li. 7. cap. 26.

tena talentorum intulit millia, qui ter triumphauit, Europa, Asia & Africa deuicta. Sed cur nō dico Pompeius ille, indignus Magni, indignus Romani nomine, qui nō tantùm ausus est Hierosolymas, ciuitatem Sanctam capere, sed & Sacrum templū, quod Barbarus ille Fortunæ filius Alexāder Macedo tanto in honore habuerat, vt descendēs equo suo ante Sacerdotis templi huius pedes prouolutus, cum adorauerit? hoc inquam templum Pompeius in equorum suorum stabulum conuertere non erubuit Erat & eodem Dei iudicio interfectus primus Cæsar, de quo scribit Virgilius;

Virgil. lib. 1. Æneid.

Iulius à magno demissum nomine Iulo.

At quare non dico ingratus ille, qui authoritate & fortitudine Pompeij euectus, cui & filiam suam vxorem dedit, vt affinitatis vinculo sibi obnoxio in ambitiosis suis actibus abuteretur, tandem tamen Pompeium ad miserrimum exitum adduxit? quare nō dico Insolens ille, qui in atrocissima tempestate magistro nauis, in qua vehebatur penè exanimato, & iam de reditu in portum cogitanti, ait; Apagesis, quid times? Cæsarem vehis, & fortunam cum eo. Qui finita expeditione, cùm illi filius natus esset ex Cleopatra, quem à se Cæsarionem appellari voluit, arrogās & fastuosus imperium Senatus Romani contempsit, scripsitque hæc tria tantùm verba; Veni, Vidi, Vici.

Arrogantia Iulij Cęsaris.

Ah animæ mihi charissimæ, in his duabus factionibus quanta incommoda sustinuit Roma, & mundus Romanus? Deus hanc gratiā & beneficium hoc huic nostro Cæsari reseruauerat, vt post tot bella & tantas ruinas ipse futurus esset, qui mundo pacem redderet, & qui esset (hyperbolico quodam loquendi modo) Monarcha totius Vniuersi: vt sub illius Imperio nasceretur Christus, verissimus vniuersalis Monarchiæ cæli, terræque Dominus & Imperator. Quis igitur arcana Dei cōsilia scrutabitur? Sufficit ad gloriam ipsius, vt ostendatur omnia esse in manu illius, omnia illius esse, & hominis nihil: vt detur manifestum exemplum, non oportere dignitatibus, Regnis aut Imperijs confidere. omnia enim à Deo dependent: postquam etiam Græci, in immēsum aliarum nationum

ruinis aucti, adeò postea diminuti sint, vt eorum Monarchia per Monarchiam Romanorum fuerit extincta, & Imperium Alexādri ab Imperio Octauiani deletum sit. Hęccíne scire exiguum est? Scitis & in natiuitate huius Cæsaris, Patri Octauio in somnijs visum esse nouum Solem, & Matrem Acciam vidisse viscera sua in cęlum ferri, diffundi, & totum mundum implere. Quare magnus ille somniorum interpres P. Nigidius Figulus nato ei filio dixit; Imperatorem genuistis, vester filius mundi erit Dominus. Quando verò cognominatus est Augustus (quod cognomen in illo primùm cœpit) etiam meminerunt historiæ, Tybrim alueum suum egressum, totam vrbem Romanā longè lateque inundasse. quod augmētum quidam interpretantes dicebāt; fore vt sub Augusto Roma augeretur, & ad Imperium perueniret. Cùm autem vicinus esset hic Cæsar morti, non legistis Solem obscuratum, & Cometas visos tinctos sanguine, & fulmē cælitus demissum statuam eius comminuisse, ac primam litteram nominis sui Cæsaris erasisse, proq; Cæsar Æsar relictum esse, quod Aramica lingua Deum significat? Diu regnauit bonus hic Cæsar, cum duobus collegis suis Antonio & Lepido, cū quibus perfecit famosum illum Triumuiratum, vobis non incognitum. Quot verò, quantasque molestias & iniurias pertulit ab vtroque Octauianus? Tandem Antonio, qui à Cleopatra & animum & vires acceperat, in Epiro magno illo & celebri nauali prælio, quod ab Actio promontorio nomen sortitū, diu Actiaca victoria dicebatur, vnà cum Cleopatra deuicto, captisque, præter exustas & depressas, trecētis nauibus, omnes legiones ad Augustum defecerunt, & ex eo tempore Romanum Imperiū solus pacificè administrauit. Morti proximus, postquam vixisset annos LXXVI, & toto illo tempore annos LVII imperasset, astantibus dixit, *Vrbem lateritiam reperi, vobis relinquo marmoream.* Voluit autē his verbis tanquam sapiens tacitè innuere, & altiori quasi sensu dicere; Vsque ad mea tempora semper fuit Roma mobilis, sæpe statum Reipub. mutauit, & de vna forma in aliam transmutauit: nunc Respublica, nunc Oligarchia, nunc Consulatus, nunc Dictatura, nunc

Somnia ante natiuitatem Augusti.

nunc Democratia, nunc denique Tyrannis fuit. Ecce nunc vobis Imperium stabiliui, erit hæc ciuitas Romana perpetuò mundi Domina. An non verum dixerit? Nec sine ratione: ipsi enim Prophetæ Romam ciuitatē Solis nominant, quia quot gentes ambit Sol, tot populis & prouincijs Imperium Romanū ab Oriente in Occidentem dominatur. Est & consideratione dignum, vt verum fateamur, etiam nunc regnare Christum, & fidem eius per totum mundum annunciari, non alio sub nomine, quàm Romano: Pontificis nimirū Romani, Ecclesiæ Romanæ; & quod amplius est; Omnes Imperatores post hunc Octauiū Cæsarem Augustum, Tiberius, Caius, Claudius, Nero, & ipsi Christiani & Catholici omnes, semper nomen & titulum Imperatoris Romani habuerunt, imò dicti sunt, dicuntur, & dicētur semper Cæsares & Augusti, quasi omnes essent vnus ille Augustus Cæsar, sicut omnes Romani Pōtifices sunt vnus ille Petrus, cui Dominus dedit claues Regni cælorum. Huc accedit quòd communis Patrum est sententia, mundū non interiturum, nisi prius defecerit, & omnino sublata fuerit aut Romani Imperij, aut saltem Romanæ Ecclesiæ obedientia: sic enim omnes ferè interpretātur locum illum Pauli, qui & de Antichristo & Vniuersali loquitur Iudicio: *Vt qui nunc tenet, teneat, donec de medio fiat.* Et illum: *Nisi veniat discessio primùm.* Non animaduertitis Christum cùm rogaretur, liceretne tributum dare Cæsari, Imperatori Romano, qui tunc erat Tiberius, postquam imaginem Cæsaris in numismate vidisset, respondisse, & quasi æternam hanc legem tulisse; *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo?* Quare vt se huic legi conformaret, cùm admoneretur tributum vt solueret, dixit Petro; *Vade solue pro me & pro te.* Sed & B. Petrus vbi quæso promissionem accepit à Christo, quòd futurus esset caput Ecclesiæ, nisi in suburbio ciuitatis, quæ à Cæsare Cæsarea dicebatur? Et B. Paulo quàm probè satisfactū est, cùm ei concessum fuit in iniustis suis accusationibus, & calumnijs, Cæsarem appellare? *Cæsarem appello, ad Cæsarem ibo.* Et; *Vbi Cæsarem appellasti, ad Cæsarem ibis.* Singulari autem modo sæpe gloriabatur se Romanum ciuem esse.

Non peribit mundus antequam defecerit obediētia Romanæ Ecclesiæ.

2 Thess. 2.

2 Thess. 2.

Matth. 22.

Matth. 17.

Act. 26.

Quam-

Quamobrem dicebat; *Hominem Romanum, indefensum, inauditum condemnastis?* Act. 26.

Noluit Christus Romanos hac etiam augere gloria, vt in Vrbe ipsa, intra ipsa mœnia nasceretur; sed satis erat nasci sub Imperio, Romanaque ditione, vt esset cliens fiduciarius, & homo Romanus. Quid vobis videtur? O Romam beatam: ô beatum Latium. Dicant gentes barbaræ, minentur Hæretici, Turcæ, Mauri superbi & insolētes, se venturos, vt olim venēre Gothi, Vandali cum suis, vt spolient, ac funditùs subuertant Vrbem hanc, vt ne Latini quidem nominis vestigium vllum supersit. Christus qui natus est hodie mundo, totus tibi, Roma, singulariter natus est, maiori curæ tu illi es, quàm omnes simul ciuitates Christianæ. Te sibi ciuitatem peculiarem elegit, in te Sedem suam collocauit; Latium & totam Italiam sibi quodam singulari modo suam Prouinciam vendicat. Qui offendit Latium, offendit Christum. Humiliare itaque semper, Roma, & precare; *Exurge Christe & iudica causam tuam*: in reliquis esto secura. Latium enim sepulchrum erit omnium aduersum te venientium.

Christus Romæ nasci noluit.

Romana vrbs Deo curæ.

Fatales Latij quicunque inuaserit agros,
In sua se posthac ire sepulchra sciat.

Exulta Patauium, exulta & lætare propter summā sororis tuæ Romæ dignitatem: honores eius honores tui sunt. Confido, imò scio, Roma, te non ægrè ferre, vrbem Antenoris, sororem vrbis Æneæ dixerim: scis enim quàm familiares magnanimi illi duo Troiani fuere socij. nec ignoras Antenorem digniorem fuisse Ænea, etsi hunc Fata ad amplificandum & propagandum magnum illud nomen Latinum destinauerint: Antenorem verò vt Euganeos tantùm cāpos, collesq; nobilitaret. Et quis dubitat, Studiosi, si Roma non fuisset Roma, nō elegisset Deus Imperio ciuitatem aliam, præter Patauinam? Roma quidem inuidit Paduę ne hæc esset prior, at Padua vicissim inuidit Romę, ne sit sola. Necessum interim est; vt Roma, velit nolit, hac gloria & hoc honore cedat Paduæ, quòd in illa sua regione destituta est omni refugio, omniq; societate: cùm Padua amicitiam & vicinitatem colat cum tot fini-

Patauinæ & Romanæ vrbis comparatio.

finitimis, ijsque nobilibus vrbibus, quarum vnaquæq; potens est Romæ opem auxiliumque suppeditare. Meminisse potestis tempore Belisarij, cùm Roma & vniuersus Ecclesiæ status insolentiæ ac libidini Gothorũ erat expositus, quàm præclaram toti Italiæ vnus Vitalianus Patauij præfectus nauauit operam. O Vitaliane, ô verè Itale. Hic est ille primus Vitalianus, Domini mei, pater protectricius vestræ S. Iustinæ. Perpendite an ne liceat vobis piè sanctéq; superbire: nam si pater Sanctæ illius filiæ non fuisset, Roma & Italia tota ferro & flamma vastata iaceret, nec quid prçter cineres & rudera superesset. Quid? quis facilè commemorabit, quantum honoris & securitatis Romę addat magnificentia Reginæ nostræ Venetæ? Et quanta est illius magnificentia, Studiosi? Sufficit hîc dixisse tantùm; Vade, vide, mirare Viator. Sed & ipsi oculi vestri conspiciunt iampridem Venetias & Patauium in vnũ corpus coaluisse, propter multitudinem ædificiorum, in ripa fluminis constructorum, quæ vnam ciuitatem cum altera cõiungũt. Celare & istud Auditores meos non possum, Roma ignosce mihi. Tu in tantã imperij molem crescere non poteras, nisi priùs Alba destrueretur, quantumuis ea tanquam mater te pepererat. Patauium nunquam ingratum quotidie macerat semetipsum, nec veretur depauperari, vt impinguetur & ditescat vrbs Veneta, quantũuis eius tantũ sit filia. Hãc, docta mea Padua, illius gloriam, hunc eius honorem arbitrare, quòd eam mundo dedit Rempublicam, quæ terra marique alas suas tam longè latéque extendit, vt dicatur, & reuera sit honor, gloria & salus Italiæ. Hæ profectò virtutes Romanæ sunt, atque inde natus est Vitaliano titulus ille, vt dicatur Bonus Romanus, tanquam Romanæ vrbis vindex, & liberator: qui titulus postea mutatus est, in Bonum Romæum, ac tandem in Borromæum, quo nomine tota etiamnum eius pósteritas nobilitatur. O te felicẽ Paduam. Istud denique nemo potest inficiari; quòd si Romæ conferantur honores, Paduæ comparantur virtutes, quæ honoribus viam sternunt: Illic percipiuntur præmia, hîc acquiruntur merita. Et quantò laudabilius est honores mereri, quàm habere? hoc enim potissimùm ab

Laus Vitaliani Patris S. Iustinæ.

Venetiarum laus.

ab alijs dependet, illud totum est nostrum. O Roma, ô Padua. Quis enim (vt verum fateamur) per virtutes suas ad dignitates promotus est, qui promotionem suam non debet huic charissimæ nutrici meæ Paduæ? huic inquam Academiæ, his porticibus, his scholis, huic aquæ, huic aëri, huic terræ, his mœnibus?

Sed reuertamur, reuertamur ad Euãgelium. *EXijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis.*] Voluit Euangelista hoc modo loquendi (*Exijt edictum*) insinuare, quemadmodum ex ore Caiphæ, nescientis quid diceret, processere postea verba hæc à Spiritu S. nõ in corde illius, sed in labijs tantùm dictata, *Expedit vobis vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat:* sic ab Augustali Maiestate Octauiani (qui tunc erat Romanus Imperator) ne per somnium quidem cogitantis de puello isto, qui Deus appellatur, per idem artificiũ Spiritus S. ad gloriam Christi & salutem nostram edictum illud Imperiale promanasse; Vt generalis totius mundi Romani descriptio institueretur. Intelligitis quid velim? Imperatoris consilium erat, vt in hac descriptione Dominium suę Monarchiæ pacificum & quietum agnosceretur: scopus verò arcani consilij Dei hic erat; vt omnis homo agnosceret, cordeque & ore profiteretur obedientiam & subiectionem isti Regi pacifico, qui veniebat, vt mundum à seruitute hominũ redimeret, & clientem fiduciariũ Dei, qualis erat in prima creatione, denuo constitueret. Sub professione seculari, quæ erat publica, latebat abscondita spiritualis, nulli nota, nisi his tantùm, quibus eam Deus reuelauerat. Sub Imperio terrestri insinuabatur Cæleste; sub Monarchia Cæsaris, Principatus Christi; qui propterea professio dicebatur, vt patet in sequentibus.

Luc. 2.

Ioan. 11.

Edictum Cæsaris quomodo seruierit Christo.

ET ibant omnes vt profiterentur, singuli in suam ciuitatem,] inquit Euangelista. Vocabulum professio fidem potiùs, & censum animi, quàm alterius rei significat. Non enim in hac descriptione imperabatur census aut collatio pro qualitate capitum, sed tantùmodo subiectionem confitebantur, & Romano Imperio fidelitatem promittebant: ideoque sine vlla differentia alicuius ordinis, conditionis, sexûs, ætatis, magni & par-

Professio qd significet.

& parui, masculi & fœminæ, senes & iuuenes, etiam hi qui in cunis iacebant infantes, omnes æqualiter, & vno eodemque modo scribebantur. Videte quantum & quale sit hoc Dei artificiũ. *Non est distinctio*, inquit Paulus; *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei.* Et quæ est hæc gloria Dei, nisi Christi? *Splendor gloriæ, & figura substantiæ eius.* Vnusquisque nascitur peccator, ideoque omnes egent Christo. Væ illi in quo Christus non dominatur, qui non profitetur se subiectum esse Christo, qui veritatem fidei in Christum nõ confitetur. Iam enim iudicatus est tanquam iniustus, tanquam læsæ Maiestatis reus, tanquam filius iræ, tanquã dignus morte, tanquam rebellis Deo. *Qui non credit, iam iudicatus est. Ira Dei manet super eum*, dicit B. Ioannes. Econtrariò, *Corde creditur ad iustitiã, ore fit confessio ad salutem. Si credideris quoniam Dominus Iesus Christus pro nobis mortuus est, & resurrexit, saluus erit.*

Rom.10. Rom.3. Heb.1. Ioan.3. Rom.10.

Christus verè Augustus.

O quàm eleganter huic loco conuenit titulus Octauij Augusti; Christus enim noster verè Augustus fuit, qui Imperij Patris pomœria infinitis parasangis latiùs extendit, quàm Octauius Romani. Ante Christum nulli genti cognitus erat Deus, præterquam soli Iudaicæ. *Notus in Iudæa Deus, & in Israel magnum nomen eius.* Per Christum verò cognitus & adoratus fuit per totum terrarum orbem, ab omni gente, & populo, & natione, tanquam verus & vniuersalis mundi Dominus. *A Solis ortu ad occasum magnum nomen eius in gentibus. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra?* Imperator hic titulo Patris patriæ meruit appellari: an non & Christus communi omnium nationum consensu hunc honorem consecutus est; vt publicè Saluator, Redemptor, & Liberator humani generis nuncupetur? Id enim Græcis est Σωτήρ, id Messias Hebræis, id Iesus Latinis. Sed vt ea adferamus, quæ maioris sunt ponderis. Quis vnquam Imperator tam diuturna gauisus est pace, quàm Augustus hic quadraginta scilicet duobus Imperij sui annis, in quibus ita extinctus & sopitus erat armorum vsus, vt homines antea bello assueti, relictis armis, sese vitę liberiori & honestissimæ agriculturę dederint, gladios in vomeres, & lanceas in falces cõuertentes?

Psal.75. Mala.1. Psal.8.

Pax sub Augusto fuit vniuersalis.

Vidiſtíſne aliquando Octauium in memoriam & ſignum huius gloriæ, in antiquis nummis toga indutũ eburneo ſedere ſolio, & ramum Oliuæ, lauri aut myrti in manu habere? atqui hæc ſymbola pacis ſunt. Ideoque iſto potiſſimùm tempore naſci voluit Chriſtus; qui quaſi reuera Rex pacificus, omne genus pacis ſecum in orbem intulit, pacem illã dico, quã non poteſt dare mundus, pacem cum Deo, pacem cum Angelis, pacem cum hominibus, pacem conſcientiæ propriæ; pacem denique animæ cum corpore, ſpiritûs cum carne, ſenſûs cum ratione. O Chriſte, Chriſte. O veriſſime Auguſte. Ideo pro ſymbolo habet arcum cæleſtẽ, qui (vt ſcitis) propriè mundo datus eſt tempore Diluuij, vt ſit pacis indicium. An togam non habeat Chriſtus? Non recordaris polymitæ magni illius Ioſephi; & verborum Ioannis in Apocalypſi; *Vidi ſimilem filio hominis veſtitum podere?* An non ſedeat quaſi pacatus & pacificus? *Dixit Dominis Domino meo, ſede à dextris meis.* Et quidem in ſolio ſedet eburneo. *Salomon fecit ſibi thronum ex ebore grandem. Ecce plus quàm Salomon hic.* Et Salomon an non idem ſit quod pax, ſiue pacificus? Inde Hieruſalem, quod pacis viſionem interpretantur. At myrtum non habet aut ramum oleagineum: Quid? ignoras Zachariam illum vidiſſe inter myrteta? *Et ipſe ſtabat inter myrteta.* An non dixerit Eſaias, in diebus eius pro vrtica myrtum orituram? *Pro vrtica orietur myrtus.* Ingreſſuro ciuitatem Regiã, an non turbæ & præcedentes & ſequentes cum ramis palmarum & olearum occurrerint? Sed & vineæ Engaddi in Oriente ſtillârunt balſamo, vt ſignificarent mundo felicitatem & abundantiam tum gratiæ tum pacis per Chriſtum adferri.

Arcus cæleſtis ſymbolũ Chriſti.

Apoc. 1.

Pſal. 109.

3 Reg. 10.

Matth. 12.

Zach. 1.

Eſa. 41.

Hæc deſcriptio prima facta eſt à Præſide Syriæ Cyrino.] Illud totius cauſæ noſtræ ſigillum eſt. Cur enim hæc deſcriptio cœpit in Syria, cuius pars eſt Iudæa, niſi vt toti mundo fiat manifeſtum, eam potiùs fieri in ſignum & teſtimonium Chriſti, quàm propter obedientiam Auguſti? Chriſtus natus eſt in Iudæa, ideoque incipit deſcribi Iudæa, Chriſti peculiaris populus. *Salus ex Iudæis eſt. Virtus Dei eſt in ſalutem omni credenti, Iudæo primùm.* Iudęa & Syria medium ſunt, & quaſi

Luc. 2.

Deſcriptio cur in Syria cœpta ſit.

Ioan. 4.

Rom. 1.

C vmbili-

Iudæa medium est terræ habitabilis.

vmbilicus totius orbis habitabilis. Vos illud scitis Cosmographi. Rationi erat itaq; consentanum, vt in Iudæa primùm homines Christianæ fidei professionē auspicarētur, ibiq́ue subditi & vasalli noui huius Domini inscriberentur. Paulò pòst enim diffundetur per omnes mundi partes, tanquam è centro ad circunferentiam. Sic enim ait Christus ad Apostolos; *Eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa & Samaria, & vsque in vltimum terræ.* O admirabilem Christum. Iudæa cæca, quare non aperuisti hîc oculos tuos? Ideo voluit Dominus, vt tu ante omnes alias nationes scriberis subiecta Cæsari, vt confitendo quòd Regem habeas incircuncisum & immundum, agnosceres regnum & sceptrum à tuo populo ablatum esse; ac proinde crederes Messiam tuum aut iam natum esse, aut fore, vt breui nasceretur. Nō veniebat hîc tibi in mentem celebris & antiqua tui Patriarchæ Iacob prophetia? *Ex ore tuo te iudico. Leuate, leuate capita vestra* Iudęi.

Actor.1.

Cur Iudæi primùm descripti.

Luc.21.

Vobis autem fidelibus id tantùm dicam; Cyrum & Cyrinū, vnum deduci ab alio, vt Christus & Christianus. Vel vt cum Poëtis loquar;

Ductum de nomine nomen.

Cyrus typus Christi.

Esa.44.

Scio autem vos non ignorare Cyrum in Prophetis typum esse Christi. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro.* Ad Cyrum igitur, ad Cyrū destinatur Cyrinus; Christo, Christo fiebat hæc generalis descriptio. Per Christum scribendi eramus in libro Dei, per Christum etiam accepimus, vt scripti simus in libro hominum: non enim est verus homo, qui nō est Christianus. Et vos Patauini, contracturi matrimonia, nónne instrumenta & codicillos Notariorū manu inter Sponsum & Sponsam conficitis? *Qui habet Sponsam, Sponsus est,* inquit S. Ioannes Baptista. *Tanquā Sponsus procedens de thalamo suo Dominus*, hodie de Christo nostro canit Ecclesia. Tantum Sacramentū, tantum matrimoniū inter Deum & hominem non debebat sine codicillis celebrari. Sed & cùm anima nostra per gratiam iustificationis, siue in Baptismo, siue in Pœnitentia Christo desponsatur, nescitis quòd digito Spiritus sancti deletur antiquum scriptum, & chirographum nostrum à Diabolo confectum, & nouæ virtutum & diuinarum gratiarū in cordibus nostris scribuntur litteræ? Quin-

Ioan.3.

Psal.18.

imo cùm Christus sponsaret sibi Ecclesiam, nónne instrumentum eius sanguine, sanguine inquam noui testamenti scriptum & conditum est?

IBant igitur singuli vt profiterentur in suam ciuitatem. Ascendit autem & Ioseph à Galilæa, de ciuitate Nazareth, in Iudæam, in ciuitatem Dauid, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante.] Verba sunt Historiæ. O superbia & arrogantia humana: quando tandem confunderis, si non confundaris hodie? quando erubèsces, si hîc non erubescas? Quid Christo negotij cum Cæsare? Christo, inquam, cui omnes Reges & Cæsares sunt pulices viui & canes mortui? Nihilominus cedit Cæsari, humiliat sese, & scribi se permittit, haud aliter, quàm si omnium hominum minimus fuisset. Neque scriptus est cum magna epithetorum & titulorum farragine, sed simpliciter; *Filius Mariæ, sponsæ Iosephi lignarij*, ortus quidem hîc in Bethleem, sed oriundus ex Nazareth Galilææ, ideoque Nazarenus. Discite, discite filij Adæ, qui tam magni estis in proprijs oculis vestris, & inflante vos superbia quasi Gigantes facti estis. *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini quasi paruulus iste, qui hodie natus est nobis, non intrabitis in Regnum cælorum.* Si ipse ostium sit, per quod intrare debemus, vt ait Euangelium, ipse autem sit tam paruulus, tam humilis, quomodo intrabitis si vos non humilietis? *Conquassabit capita in terra multorum.* Qui per ostium hoc tam humile erecta ingredi vult ceruice, illiso & læso capite repelletur. Vah, etiam vosipsos magnificare vultis homines, cùm tam paruulus pro vobis factus sit Deus? Ipse ante oculos vestros tantum sese demisit, quantum potuit; & vos ante oculos illius tantum vosipsos extollitis, quantum potestis? Ille vsque adeò exinanitus est, vt quasi nihil esse videretur, cùm potiùs sine virtute illius omnia in nihilum reciderent: vos autem in tantum superbitis, vt arbitremini vos magnum quid esse, quasi ignoretis, vos reuera nihil esse. Si hæc medicina non sit satis efficax, neque tuæ ô homo possit mederi superbiæ, nescio quæ vnquam tam erit efficax, vt id possit. Si tu potens sis, memento quòd columnæ cæli ad nutum Christi contremiscunt. Si tu sis Nobilis; ille est Rex, & filius Regis, & tam longa

Humilitas Christi.

Matth. 18.

Psal. 109.

Superbia hominis reprehenditur.

Regum ſerie ab Euangeliſtis eius Genealogia texitur. Si tu ſis ſanctus, ille eſt Sanctus Sanctorum, & nec ante eum, nec poſt eum vnquã fuit, aut erit vſque in æternum quiſpiam ſanctus, niſi per illũ ſolum. Quare itaque exemplo illius non diſcis humiliari? Sed concludere oportet, concedite mihi, vt paululum reſpirem.

QVARTA PARS.

Luc. 2.



ACTVM eſt autem, cùm eſſent ibi, impleti ſunt dies vt pareret. Et peperit filium ſuum primogenitum.] Beata plenitudo, Padua mihi dilectiſſima, quam attulit nobis dulciſſima hæc Chriſti natiuitas. Non eſt plenitudo fatalis, eſt plenitudo omne fatum ſuperans, diuinarum gratiarum culmen & abundantia. Omnes homines naſcuntur neceſſitati temporis ſubiecti. Chriſtus temporis Dominus, ipſe ſibi tempus elegit. Natiuitas Chriſti non eſt à tempore maturata, Chriſtus naſcens dedit plenitudinem & maturitatem ipſi tempori. *Impleti ſunt dies vt pareret.*

IMpleti ſunt dies vt pareret.] Appoſitè admodum dies. Ante legem namque erat nox obſcura; lex mũdo fuit inſtar Auroræ, tunc autem plena dies orta eſt, cùm Chriſtus naſcebatur. Nox fuit tempus peccati, hoc eſt ſtatus naturæ: Aurora fuit tempus præparationis ad gratiam, hoc eſt ſtatus legis: plenus hic dies tempus eſt gratiæ, & ſtatus Euangelij. Nox habebat vmbram; Aurora imaginem & figuram; Gratia corpus ſolidum Veritatis. *Gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.*

Chriſtus naſcẽdo plenitudinẽ temporis attulit.

Rom. 7.

IMpleti ſunt dies vt pareret.] Natura diuina ſe plenè, perfecteque in Chriſto cum humana participauit. *In ipſo habitat corporaliter omnis plenitudo diuinitatis.* Natura humana deinde omnem plenitudinem gratiæ accepit per Chriſtum. *Plenum gratiæ & veritatis, de cuius plenitudine nos omnes accepimus.* Sedes Angelicæ, tanto iam tempore vacuæ, accepere pignus & arrham quòd denuo replerentur à Chriſto. *Iudicabit in nationibus, implebit ruinas.* S. Ioannes Baptiſta impletus fuit Spiritu ſancto, vt eſſet dignus præcurſor huius Chriſti.

Col. 2.

Ioan. 1.

Pſal. 109.

Replebitur Spiritu sancto adhuc ex vtero matris suæ, vt præcedat ante faciem Domini, parare vias eius. Et Virgo mater nónne abundanter repleta est gratia, vt quæ erat mater Christi futura? *Aue gratia plena, Dominus tecum. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. IMpleti sunt dies vt pareret.*] Lex quomodo vnquam impleta fuisset, si Christus natus non esset? *Vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm spiritum.* Figuræ & Prophetiæ quæ quasi innumerabiles erãt, nunquid vanæ, vacuæque etiamnum essent, nisi natiuitas Christi omnes eas impleuisset, latentemque in illis veritatem & opere & verbo prodidisset? *Nolite putare quia veni soluere legem, aut Prophetas: non veni soluere, sed adimplere.* Denique vt hæc concludamus; Electorum numerus an vnquam completus fuisset, si Christus natus non esset? *Sustinete modicum donec impleatur numerus fratrum vestrorum.* O verbum graue & fœcundum. *Impleti sunt dies vt pareret.* Luc.1. Ibid. Lex nũquam impleta fuisset, si Christus natus nõ esset. Rom.8. Matth.5. Apoc.6.

IMpleti sunt dies vt pareret.] Cùm nubes post longa tonitrua prægnantes sunt, pariunt tandem imbrem & pluuiam. Omnes illæ figuræ, omniaque illa vaticinia, quæ in veteri testamento leguntur, Sol nubibus obductus, Vellus Gedeonis rore plenum, columba ramum oliuæ in arcam inferens, Tabernaculum descendens in Silo, manna è cælo decidens, semen Abrahæ, in quo omnes, tam præputiati, quàm circuncisi benedicerentur. Omnia hæc nubes erant tonantes & coruscantes. *Veniens veniet, & non tardabit. Hodie scietis, quia veniet Dominus. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.* Hæc coruscationes totũ mundum excitauerant, & huius pluuiæ desiderio inflammauerant. Vnusquisque manus in cælum supplices extendebat, nullus non clamabat & suspirabat; *Anima mea sicut terra sine aqua tibi: Aperi Domine thesaurum tuum, fontem aquæ viuæ.* Ecce pluuia, Simile. Habac.2. Habac.3. Psal.142.

IMpleti sunt dies vt pareret.] Vtilitas pluuiæ non cognoscitur, nisi tunc cùm terra aliquãdiu arida fuit, & Solis ardoribus exsiccata. Ideo noluit Dominus hanc pluuiã supercælestem demittere statim post peccatum, sed expectauit plenitudinẽ temporis; & in fine Cur Christus statim post peccatũ natus non est.

temporum omnibus iam areſcentibus demiſit. Non erat iam ampliùs aliquid in hoc mũdo viride; emarcuerant omnia. Pecatum natura ſua, lex per occaſionem omnia corruperant: erat in mundo extrema rerum omniũ deformitas. Idololatria gentes, ſuperſtitio Iudæos occupauerat. Non expediebat pluiſſe priùs; ſed nec expediebat pluere poſtea; oportebat tunc pluere. *Impleti ſunt dies vt pareret.*

ET peperit filium ſuum primogenitum.] Hæc eſt ſanctæ huius Natiuitatis cõcluſio. Queadmodum Chriſtum nemini viſus eſt dum reſurgeret, ſed multis cùm reſurrexiſſet: ita nemini viſus eſt dum naſcitur; ſed cùm natus eſſet. Sed & vos intuemini quidem plantã: quis veſtrum tamen vnquam vidit aut florem, aut fructum in ea naſci? Aut quis vnquã vidit mel, quando & quomodo apes illud conficiunt? Apis hæc eſt Maria, apis ſine aculeo, quæ tota dulcis eſt, quæ arte Spiritûs ſancti nobis hunc fauum mellis Chriſtum Ieſum benedictum confecit; Non dicitis;

Christus non videtur dum naſcitur, ſed cum natus eſt.

Sic vos, non vobis, mellificatis apes?

Maria mel illud & ſibi & nobis confecit: Chriſtum omnibus peperit. Chriſtus natus eſt omnibus, omnibus, omnibus. Natiuitas enim eius omnibus erat neceſſaria. Si omnes fuerint mortui, quomodo reuiuiſcere potuiſſent, ſi nobis vita nata nõ eſſet? Ecce vita, ecce vita; *Et vita erat lux hominum.* O lux vitalis, ô vera vita. In ſe erat vita, viuebatque Chriſtus ſemper. *Viuo ego, dicit Dominus. Apud te eſt fons vitæ. In ipſo vita erat.* Erat etiam natura ſua vita noſtra, ſicut erat & lux noſtra. *In ipſo viuimus & mouemur & ſumus.* At nec plenè nec perfectè viuificabat, illuminabátve cæcum & mortuum mundum noſtrum, priuſquam naſceretur. Radij & ſplendores nonnulli è luce hac emicabãt: riuuli quidam vitæ ab hoc vitali fonte promanabant: manebat tamen immotus in ſemetipſo almus iſte Sol; magnus ille fons vitæ extra ſemetipſum non effluebat. Vix nato Chriſto cœpit vniuerſus mundus illuminari, & perfectè viuere. Cùm Sol appropinquat horizonti noſtro, aſcendendo & calefaciendo Ver efficit, tũc omnia viuificãtur. Vix à nobis incipit recedere, & omnia vergũt ad interitum. Quid eſt hyems, niſi naturæ mortuę quoddã ſimulachrum? Exurgite exur-

Chriſtus eſt vita.

Ioan. 1.

Pſal. 35.

Act. 17.

Simile.

gite viri & fœminæ, lætamini & exultate; appropinquat enim Sol, natus est Christus. Sicut occidente Sole omnia moriuntur, sic oriente omnia reuiuiscunt. O Sol, ô Sol. Quantum dicite amabò percepit vniuersa terra gaudium, cùm mysticus ille Sol noster per se descendens, ascendit super nos, & vt amore suo nos calefaceret cinctus radijs, plenus gratia, supra horizontẽ nostrum visus est? ex Maria, inquam, Virgine, que verus horizon est inter Deum & hominem, progrediens apparuit? O felicem diem. *Antequam parturiret peperit*, inquit Propheta. hoc est, Non parturijt, sed peperit. Emisit è ventre suo puerulũ hunc nõ aliter, quàm stellæ radios suos; tanquam mõtes vapores suos, tãquam ignis calorẽ, absque vllo dolore. Quemadmodũ enim libera fuit à maledictione peccati, sic & immunis fuit ab omni partûs dolore. Indignum siquidem erat eum adferre dolorem matri, qui nascebatur vt nostros dolores tolleret. *Dolores nostros ipse tulit, & languores nostros ipse sanauit.* Mors Christi doloribus omnigenis fuit plenissima. *Videte si est dolor similis dolori meo.* Mors Christi fuit ignominiosissima. *Morte turpissima condemnemus eum.* Econtrariò Virgo peperit illum sine aliqua peccati ignominia, & absque vllo vel minimo dolore. Quia nec in Christo peccatũ Adæ, nec in Maria *Væ* illud Euæ locum vllum habuerunt.

Esa.6. Maria peperit sine dolore.

Esa.53.

Thren.1.

Sap.2.

Vellem quidem vos, Patauini mei, in hac Sãcta Natiuitate Christi Iesu ad ingens, insolitumq́ue gaudiũ spirituale inuitare atque incitare: sed neque conceptus animi, neque verba ad hæc idonea possum inuenire. Id tamen dicam, ne in initio mundi, quando Deus cælũ simul & terram, quasi sponsum & sponsam creauit, dulciores Hymenęos, blãdioraq́ue epithalamia, quàm in hoc mysterio tam magno & celebri cecinerũt Angeli, esse decantata. Nunc duo hęc extrema mũdi multò arctiùs iunguntur, quàm vnquam antea: multò fortiori amoris vinculo colligantur, quàm ab initio colligata sunt. Terra ante diem hunc nullam cælo gratiã referebat: semper intensa vt acciperet, cælũq́ue vt daret O quantum honoris augmentum ab hoc die, vsque in posterrum accedet cælo terræ beneficio? Ideo exercitus & legiones cælestes sic exultant, tripudiãt, iubi-

de gaudio

lant, & diem festum omni festiuitate festiuiorẽ agunt: vident enim res suas meliori esse loco, & lucrum esse in proximo. Ideo descendũt in terrã, vt huic inferiori mundo reuerentiã & honorẽ exhibeãt: est enim hodie terra forsan ipso cælo beatior, propter filiũ hominis, qui de cælo descendit, atq; in terris habitat. Quot insuper hominũ miriades percepêre postea, percipientq; post hoc vsq; ad consummationẽ seculi gratiã ascendendi in cælũ, quò nunquã aut vir aut fœmina ascenderat, neque in posterum ascenderet vnquã, nisi Christus iam antea ad nos descendisset? *Quid est quòd ascendit, nisi quòd primùm descendit? Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis, qui est in cælo.* Inclinatum est hodie, Patauini, cælum vsque ad terram, & denuo terra super omnes cælos est eleuata. O quanta hæc est gratia? quæ hanc vnquam lingua, aut cuius eloquentia pro sua dignitate poterit enarrare? Cedat nectar & ambrosia rori, qui in hac sacratissima nocte cælitus distillauit. Christus est ros ille præter modum pretiosus, qui inuisibiliter descendit ab hoc mystico cælo, ex vtero Mariȩ ad sterilitatem agrorum nostrorum fœcundandam, irrigandamque. *Ros lucis ros tuus, & terram Gigantum detrahes in ruinam.* Et tu Panchaia diues odorum, & vos Sabæi cum thure vestro cedite fragrantiæ, quæ hodie diffunditur per Iudæam: fragrantiæ, dico, Balsami, cuius lignum, fructus & oleum planè in suauissimos vapores resoluuntur, vt iungatur puro illi vapori virtutis Dei, quem in hac nocte omni clarissimo die venerabiliori, mons Libani. Beata Virgo Maria, mons virtutum excelsus, & sanctitate omni candidior niue, neque glebas suas aperiendo, neque integritatem ventris sui violando exhalauit. Non legistis illud de Christo dictum, *Vapor est virtus Dei?* & de Virgine matre; *Quasi Libanus non incisus vaporaui habitationem meam?*

Ephes. 4.
Ioan. 3.
Christus rori collatus.
Esa. 26.
Eccli 24.

Sed quis poterit enarrare blandisonam, nectareamque symphoniam? quis concentus musicos & festiua carmina cõmemorabit, quæ dum Mons iste vaporat, hymnidici Angelorum chori & in cælo, & in terra, & in aëre ludentes modulabantur? In cælo, vt seipsos oblectarẽt præ nimia sua lætitia; in terra, vt nobis reueren-

uerentiam exhiberēt; in aëre,loco vtrique cõmuni,vt publicam & Creatoris & Creaturæ festiuitatem concelebrarent. Galli qui sunt lucis prenuncij,lucem hāc, quæ hodie nascebatur in hoc mundo nostro præsentientes, qua festiuitate, quo plausu putatis eam annunciarunt? Non est vnquam auditus strepitus gallorum tantus,quantus in hac beata nocte: inusitato suo cantu orbem vniuersum gaudio atq; admiratione impleuerunt.Stella Dianæ, non admiror quòdhodie tam serò te mari mersisti, & mõtibus vmbras tam diuturnas permisisti, ita vt nox illa optatissima omnibus alijs anni noctibus fuerit prolixior: sed illud miror, quòd non immota vsque in æternū perstitisti, aut vnquam ad cursum tuum antiquum reuersa es: posteaquam in cælo audires tam mellifluam harmoniam, & fruebaris illo splendore tanto Angelorum; splendore cui similem tu nunquam habuisti, nec es vlla nocte, quantumuis serena, in posterum habitura.

Et tu Pater Iordane, quanto perfusus es gaudio die illo,quo caput humidū leuans alueo, vidisti riuos tuos media hyeme præter spem reflorescere, aquas tuas solito puriores, cursum tuum rapidiorem, abundātiam tuam vberiorem,saxa tua in gemmas commutata, susurrum tuum in suauissimum cantum conuersum, & odorem tuum quouis musco aut zibeto gratiorem? Quando cõspexisti Nymphas tuas choreas ducere, arbores tuas vertice nubes tangere, volucres cantātes ad lectum tuum aduolare,seseque aquis tuis immergere? herbas tuas virescere,riuos tuos omnem circumiacentem regionem inundātes fœcundare? Et Nilus, & Euphrates, & Ganges hanc tantam tibi felicitatem inuiderunt. Tu sacer mons Libane, quantopere gloriatus es proceris tuis pinis,cedris, & cyparissis,ornatior hoc die,quàm vnquam antea, vt maioribus vmbris tuis in occultiori secreto religionis & reuerentiæ Deū ipsum honorares, postquam iam descendisset Maiestas eius, in tabernaculum carnis nostræ, vt mundum hunc nostrū visitaret, saluaretque? Quò tandem poëtico more ludendo progredior? *Alienis mensibus æstas. Alienis mensibus æstas.* Fingite nihilominus in omni loco terram vestitā rosis, lilijs & violis, tanquam eam quæ se

planè euiſcerauerit, vt magno huic Domino, qui tãto cum amore veniebat, ſe viſitatum, noua cuiuſuis generis munuſcula promeret atq; offerret. Et quos non concentus nouos, ô doctiſſima ciuitas Patauina, volucres diuerſos per choros diſtributi excogitarũt, vt hãc ſolennitatem maiori cum gaudio celebrarent? Etiam piſces in ſtagno Galileæ foras ꝓgreſſi, licet muti ſemper, hodie tamen iocando, ludendoque plurima lætitiæ ſigna dederunt, dum inter ſe cõtendunt, & nullus cedit alteri. O noctem glorioſam, ô noctem felicem. Quercus exudarũt mel, fontes lacte fluxere puriſſimo. Omnes beſtię ſilueſtres ſuam exuerũt feritatem; montes omnes ſupracæleſti ſplendore coruſcabant, in vallibus dulciſſima & gratiſſima vbique Echo reſonabat: arbores vento agitatæ frondibus ſuis admirabilem plauſum reddebant, & flumina paſſim aquarum ſuarum decurſu murmur ſuauiſſimũ glorioſo huic Natali ſtrepebant. Quid amplius?

Obſcuram illam ſpelũcam, antrum illud deſertum Bethleem, exiguum illud tuguriolum tantũ hoſpitem hodie nactum, quis non crederet radijs Apollinis, gratiſſimis huius mundi coloribus depictum; vt in hac Chriſti natiuitate niteret plùs, quàm omnia Regum & Imperatorum palatia? O felices Paſtores, quibus datum fuit videre noctem illam beatam, pręſepe illud glorioſum, lucem iſtam nouam, puellum illum chariſſimum, Regem, Hominem, & Deũ: Regem omnipotentem, Hominem mortalem, Deum æternum. Quinetiam vidiſtis honores beatæ illius Matris Virginis, planè reuerendæ, quæ in tanto Angelorum exercitu, qui in hoc tugurio in ampliſſima corona conſiſtebant, ſplendidiùs fulgebat, quàm inter minores ſtellas ipſa Luna.

Apoſtrophe ad B. Virginem.

Tu ô ſanctiſſima Virgo, ô Regina cæli, ô Mater Dei, quantam lætitiam percepiſti in anima & in ſpiritu tuo, quę inſolita gaudia in mente tua ſenſiſti, quando tuis oculis chariſſima tua viſcera conſpiciebas? quando ſanctiſſimis tuis brachijs ea ſtringebas? quando dulciſſimis illis tuis labijs exoſculabaris? quando hilariter tremens magnum illum mundi Regem vberibus tuis admouebas? & quando vitarum vitæ Chri-

ſto,

sto, qui erat vita tum hominum, tum Angelorum, vitam, nutrimentũ & humorem cælestis illius succi, quo turgebant vbera, præbebas? Quid tunc in temetipsa loquebare Maria? quid dicebas? Non meditabaris, non contemplabaris, non admirabaris, non stupebas, non adorabas Deum hũc humano velo absconditum? non blandiebaris huic filiolo de carne tua nato? non huius omnium Regum Regis amore liquefacta es? Non adorabas Patrem illum, cuius tu eras & mater & filia? O gloriosa nostra Maria: ô Imperatrix mundi; ô noua cæli lux, ô sanctissima Virgo & Mater; tu pro nobis quæsumus gratias age huic dulcissimo tuo filio, huic amantissimo tuo Patri, huic tuo omnipotenti Domino, huic tuo immortali Deo, quòd dignatus est nobis dare pacem, mortem destruere, infernum debellare, peccatum delere, inter nos nasci, cum nobis conuersari, nobis prædicare, & pro nobis mortem oppetere. Euge, euge Christiani, ad quos precor magis pertinet hoc sacro & glorioso die festum agere, lætari & exultare, quàm ad nos? posteaquam Christus natus sit, vt nos redimat, vt nos liberet, vt nos iustificet, nos beatos faciat? vt, inquam, nos redimat à peccato, liberet à pœna, iustificet sua gratia, beatos faciat in sua gloria?

PEPERIT igitur filium suum primogenitum.] Tu Munde dignus non eras, cui filius hic daretur: datus est Virgini. Illa cælitus eum à Deo accepit. Tu recipis eum illa mediante, quæ tanquam Mater peperit tibi hominem Deum, & tanquam Virgo in causa hominis à Deo est exaudita. *Et peperit filium suum.* Noluit Deus te aliquid boni possidere, quod per manus Mariæ ad te non deuenerit. Si enim nihil boni habueris, nisi Christo mediante, Christum autem non habeas nisi mediante Maria; quid gloriaris te boni aliquid habere sine Maria? O beatam Virginem.

Nihil habemus boni nisi per Mariã.

ET peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit.] Adeò magnus ille thesaurus in agro fuit absconditus; adeò ingens hæc denariorum summa in sacco fuit recondita. Infinita quæ Christus secum attulit beneficia occultata sunt, quamdiu viueret: non percepta, neque intellecta fuere mundo, nisi post mortem

Christi beneficia homo non intellexit, nisi post mortem.

post mortem illius.

tem illius. Ipsum redemptionis nostrę pretium, quod cælitus in hunc mundum intulit, visum non est antea, quàm cùm saccus carnis illius laceraretur; quando moriebatur, quando crucifigebatur, quando quinque illa vulnera accepit, vnde tanta pretiosi sanguinis, quo mille mundi redimi possent, effluxit copia. O quantum auri tunc in terram effusum est? quàm magna gratiarum copia fluxit vniuerso mundo, Angelis & hominibus, viuis & defunctis, iustis & peccatoribus? In eum vsque diem semper salus nostra per Christum fuit abscondita. Atque hoc verborum istorum; *Et pannis eum inuoluit*, mysterium est. Fuit Christus mortuus nato Christo inuolutus. fuit crux inuoluta præsepio; fuit Omega inuolutum in Alpha, finis principio, salus hominis Dei incarnationi, felicitas Ecclesiæ Virginis partui.

Quid sit Christum pannis inuolui.

ET pannis eum inuoluit.] Absconditur Deus in homine, absconditum est Verbum in carne, purus spiritus in corpore, Æternitas in tempore, iustitia in peccato. *Et pannis eum inuoluit.* Sapientia inuoluta est infamiæ, abundantia paupertati, gloria ignobilitati, panis cælestis fami, fons gratiæ siti, æterna lux nubibus, & morti vera vita. *ET pannis eum inuoluit.*] Isti sunt panni, Christiane, qui thesauros nostros abscondunt, non tantùm hominibus, sed & Diabolis. Desponsatio Mariæ & Iosephi abscondit conceptionem Christi sine semine: Vagitus infantis in pręsepio abscondit partum sine dolore: Purificatio matris abscondit illibatam & semper integram virginitatem parientis: Circuncisio filij abscondit generationem eius sine peccato.

Oportet Christū vestitum non nudum prædicare.

ET pannis eum inuoluit.] Hæretice perfide, quid doces Christum nudum esse prædicandum? Quando obsecro Christus vnquam magis fuit nudus, quàm in manibus militum positus, cùm illum crucifixerunt, tanta priùs cum insolentia atque inurbanitate charis vestibus suis spoliatum? Vestitus, vestitus, non nudus oportet vt Christus prædicetur, qui in omni vita sua Maiestatem diuinitatis suæ contexit. Abscondit doctrinam in verbis, gratiam in Sacramentis, omnem altitudinem suam in humilitate nostra. Quod foris vide-

videbatur erat humanum, quod diuinum erat intus latebat abſconditum. *Omnis gloria eius ab intus, ab intus.* Pſal. 44.
Fuga Chriſti occultauit eius potentiam; Baptiſmus à S. Ioanne perceptus occultauit eius innocentiam; frequentes ad Patrem orationes infinitam eius authoritatem; perſecutiones eius magna illius merita; ignominia Crucis immenſam eius gloriam.

ET pannis eum inuoluit.] Sic ſemper vſque in hodiernum diem abſcondita eſt victoria Chriſti in patibulo, excellētia eius in humilitate, ſublimitas doctrinæ in ſimplicitate fidei. Et in Chriſtiano, Docti, occultatur fortitudo in tribulationibus, lætitia in doloribus, beatitudo in miſerijs. Non eſt felicitas maior felicitate boni Chriſtiani. ſi quis autem ſolùm intueatur & iudicet, quod forinſecus videt, an dicet, vnquam fuiſſe, aut eſſe in hoc mundo miſeriorem, infelicioremq́ue?

ET pannis eum inuoluit.] *Verè tu es Deus abſconditus.* Eſa. 45.
Popule mi, ingens huius filij fulgur toti mundo viſum eripuiſſet, & omnes homines occæcaſſet, ſi ſub obſcuritate horum pannorũ non fuiſſet tectum & abſconditum. Quis enim ferre potuiſſet huius Dei Maieſtatem, ſi faſcijs huius hominis non fuiſſet inuoluta? Ideo Virgo beata, quæ illum cōcepit nobis, & peperit nobis, amore noſtri mota immēſum eius ſplendorem texit, vt illius capaces eſſemus; illum intueri, illum poſſemus contemplari. *Et pannis eum iuoluit.*

ET reclinauit eum in præſepio.] O panni delicati, ô quauis purpura & byſſo Regum pretioſiores. O ſanctum prȩſepe, omnibus ſolijs, omnibus thronis, omnibus lectis Imperatorum huius mundi honoratius. Chriſtiani, paupertas horum pannorum noſtræ ſunt diuitiæ; Vilitas huius prȩſepis noſtra eſt gloria. Quid opulentius in mundo, quàm paupertas Chriſti? & quæ maior ſublimitas, illius humilitate? Depauperatus enim eſt, vt mundum locupletaret, humiliatus eſt, vt mundum exaltaret. Ideo factus eſt Chriſtus paruulus, ô homo, vt te magnum perfectumq́ue faciat. Voluit in his mortalibus membris conſtitutus faſcijs inuolui, vt te expediat, ſoluatq́ue mortis vinculis. Voluit in præſepio reclinari, vt tu aliquando ſedem habeas

habeas in suo tabernaculo, in Sancto Sanctorum.

NOn erat ei locus in diuersorio.] inquit Euangelista. Ideo in hoc exiguo receptaculo, quò inopes viatores diuertebantur, paruum tantūmodo locum habere voluit; vt tu tandem inuenias habitacula magnifica, & varias mansiones in cælo, vbi Angeli commorantur & habitant. Ille amore tui omni cōmoditate in terra destituitur, tibi per illum omnes deliciæ, voluptates & commoda in cælo affluent.

Apostrophe ad Christum.

Domine mi charissime, Iesu dulcissime, tua paupertas meum est patrimonium, tua infirmitas mea est sanitas; tuum præsepe meum est Regnum, tuæ lachrymę mea abluunt peccata; vagitus ille tuus puerilis diuinam clemētiam è cælo detrahit, vt mihi ignoscat & parcat. Multò plus debeo tuæ humilitati, qua pro me humiliatus es, quàm magnitudini atque excellentiæ tuę, qua mundum, & omnia quæ in eo sunt, in vsum meum condidisti.

Transeamus transeamus, animæ meæ, vsque ad Bethleem ad domum panis. Mundus hic panem non dat, sed paleas: non enim satiant mundana hęc. Christus solus est panis nostrarum animarum. *Transeamus*, transeamus igitur à mundo ad Christum, *& videamus hoc Verbum, quod in principio erat principium, & in fine caro factum est: quod fecit Dominus, vt credamus & videamus; & ostendit nobis vt diligamus & adoremus.*

In nomine Patris, & Filij, & Spiritûs S. Amen.

CON-

CONCIO DE CIRCVNCISIONE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI:

Habita Bitonti, in Ecclesia sua Cathedrali, Anno Domini M. D. LVI.

IN EVANGELIVM LVCAE II.

Postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur Puer &c.

PROOEMIVM.



VEMADMODVM summus ille Deus carnem humanam assumendo, atq; inter nos nascendo, miseræ atque miserabili naturæ nostræ ardentem amoris flammam, quæ in pijs illius misericordiæ visceribus viuebat, ostendit: sic & in hoc die (qui in Ecclesia Christiana vt auspiciũ noui anni consecratur, non ex ordinaria Solis, Lunæ comitis reuolutione; sed ex admirabili & inaudito illo nomine Solis Iesu, qui Solem & Lunam illuminat) postquam incipiat sanguinem suum pretiosum, pignus & arrham exundantis illius piscinæ, quam in Cruce preparaturus est, profundere, purgatissima quęque ingenia, & sensus exercitatissimos, cosq; animos, qui adulti & perfecti non iam amplius lacte, sed solido pascuntur cibo, in stuporem, summamq; rapit admirationem. O infinitæ pietatis Sacramentum; ó veræ fidei documentũ; ô perfectæ humilitatis exemplum.

Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos. O nos beatos, si vt humilia mem- Tit. 2.

bra

bra tam gloriosum & honoratum caput sequamur; quodque fecit ille in corpore suo secundum legis litteram, idem & nos faciamus in peccatricibus animabus nostris secundùm sensum Euangelicum. permanentes etiam *in expectatione beatæ illius spei gloriæ Dei*, cuius nos etiam erimus participes; non si circuncidamus, sed si crucifigamus carnem hanc nostrã concupiscentijs plenam, vtpote de peccato natam, in peccatis nutritam, ab antiqua sua origine plurimùm deprauatam, multumque ex praua consuetudine vitiatam; si *abnegãtes impietatem & secularia desideria, sobriè, iustè & piè viuentes in hoc seculo*, bonis nostris operibus ostendamus, quòd tam dilectum & incomparabilem amicum redamamus: amicum, inquam, illum *Qui dedit semetipsum pro nobis, vt redimeret nos ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Salutemus B. Virginem, vt eius intercessione detur nobis gratia, cuius beneficio hoc tam sublime mysterium cum fructu & vtilitate vestra explicemus. *Aue Maria.*

Tit. 2.

PRIMA PARS.

Iapygia & Daunia ea pars Italiæ dicitur, in qua Bitontũ visitur.



SI vos vnquam, nobilissimi Iapygiæ, Dauniæque populi, tanquam Græcorum creti sanguine, ad res nouas, & quæ preter communem rerum nostrarum cursum sunt, iuxta antiquã Atheniensium consuetudinem, audiendas auidi fueritis; ecce cùm præter omnẽ expectationem meam in tanta frequentia, inter has oleas Bitontinas ad audiendum me conueneritis; inuito vos ad attentè auscultãdum, vt præ gaudio postea canatis noua cantica, non modò Latina, sed & Græca. Audietis enim inaudita, rara, noua & mirabilia, quæ fecit Dominus in omnipotenti suo brachio, inuictaque sua dextera, saluans mundum tam à legis antiquæ tyrãnide, iugo hominum humeris impari, quod nemo portare poterat, quàm à seruitute Diaboli, peccatorum catena, & mortis laqueo, quibus tot iam annorum millibus genus humanum oppressum detinebatur. Sentio & doleo vehementer vocem meam

meam esse rauciorem, & spiritum meum ex diuturno, quo afflictatus sum morbo, debiliorem: qui quidem morbus propter suam in me pietatem, fecit hæc pauca verba huic meę Ecclesię submissiori voce dicere; *Sponsa sanguinum tu mihi es.* Exod.4.

Ceterùm quis ex vobis non audit heroicam illam Dauidis tubam, quæ sancto Spiritu inflata, sonitum edit ingentem, & tanquam viua circumfertur, vbique vocem suam vsque ad æthera extollens? *Cantate Domino canticum nouum: quia mirabilia fecit. Saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius.* Psal.97. Necessitas quæ legem non habet, hactenus me tacere compulit. Et cras fortassis me iterũ huic aëri tam sicco subtraham, vt me incolumem huic meę sponsæ, quamdiu potero, conseruem. In hoc die, qui initium noui anni est, ecce vt vos iuxta vestrum appetitum pascam, omnia noua, quæ altissimum hoc diuinæ pietatis (Natiuitatis dico Christi Iesu, quæ totis his tredecim diebus (quorum hic octauus est) tanta cum solennitate & pompa vbique terrarũ in Ecclesia Dei celebratur, mysterium continet, in vnum quasi fasciculum colligam. Noua est generatio, nouus partus, noua Mater, nouus filius, noua gaudia, noua cantica, nouæ nuptiæ, nouus sponsus, noua sponsa, nouus puerulus, nouũ nomen, nouus Princeps. Quid? an non & noua Respublica? nouæ leges? noua bella? nouæ victoriæ? Est & nouum testamentum, noua hæreditas, noua sacrificia, nouum templum, nouus populus, noua signa, noua munera, noui Reges, noua itinera. Insuper & nouus est annus, nouum tempus, nouus dies, omnia noua sunt. Non meministis Bitontini illius sentẽtiæ, *Ecce facio omnia noua.* Et; *Vetera transierunt, facta sunt omnia noua?* Ne vobis absurdum videatur Docti, quòd in hac Octaua die tantam admirabilium rerum nouarum, quæ circa Dominum sunt, summam coegerim. Paucis enim his diebus à Natiuitate vsque ad Epiphaniam celebrat Ecclesia omnia illa, quæ de Christo, à prima die natiuitatis, vsque ad trigesimum illius ætatis annum, quo à Ioanne baptizatus est, leguntur. Non ignoratis hoc, scio. Reliquum verò cursum trium annorum cum dimidio, mortem insuper, Resurrectionem, Ascensionem

In Circuncisiõe Domini omnia sunt noua.

Apoc.21.
2 Cor.5.

A natiuitate ad Epiphaniam Ecclesia celebrat totã Christi vitã.

onem & Pentecosten vsque ad secundum eius Aduentum distinctis diebus celebramus, vtpote magisterio admirabili per totum anni circulum in diuinis officijs diuisum.

Cantate, cantate Domino canticum nouum: quia nouum fecit Dominus super terram. Nouam scilicet generationem hominis, sine humano semine; nouum partum mulieris, sine dolore; nouam natiuitatem sine peccato; nouam Matrem quæ etiam est Virgo; nouum filium qui & homo & Deus est; noua gaudia Angelorum in aëre; noua cantica in cælo composita; nouas humanæ naturę nuptias; nouum sponsum Christum Sole formosiorem; nouam sponsam Ecclesiam non habentem aut rugam aut maculam; nouum puerum annorum duodecim in templo cum ipsis Doctoribus disputantem: Porrò non audis nouum nomen Iesu, quod est Saluator mundi? quo maius nec in cęlo, nec in terra auditum est vnquam? nónne tibi Princeps hic nouus videtur, qui venit vt moriatur pro populo? An non & noua sit Respublica ex Iudæis & gentibus, peccatoribus & iustis, hominibus & Angelis congregata? Non cernis nouas fidei charitatisq; leges? Sed & quis vnquam vidit tam noua bella, in quibus Rex arma sumit aduersus infantes, etiamdum ab vberibus matrum pendentes? Quid? quàm insolitæ, nouæque victoriæ sunt istæ Christi, qui in infantia sua fugiens in Ægyptum, omnia illius idola exterminauit? Ecce nouum testamentum, sanctum Euangelium; Noua hæreditas, Regnū cælorum; noua sacrificia ad Christum redimendum, turtures & columbæ. Non vides noua templa ex viuis lapidibus, viris & fœminis constructa? nouum populum iam recèns ad salutis statū, hoc est, ad Christianismum adductum? Ecce noua signa, sanguis in Circuncisione, aqua in Baptismo: noua munera, aurum, thus, myrrha. Quis non videt nouos Reges, Philosophos simul & Sacerdotes? quis non profectionem nouam in Camelis & Dromedarijs ab extremo Oriente in Iudæam vsque? His accedit nouū tempus communis & æternæ salutis. *Ecce tempus acceptabile, ecce dies salutis.* O annum verè nouū, qui in circulo coronat omnes annos. *Benedicis coronæ anni benigni-*

Quid significet Iesus.

2 Cor. 6.

Psal. 64.

benignitatis tuæ. Adde & diem nouum, qui nunquam occidit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi.* O quæ noua, ô quæ noua. *Cantate, cantate canticum nouum,* Christiani, *quia mirabilia fecit.* Matth.28. Psal.97.

Ex hac nouitate nata est fides nostra, quæ propterea in principio nascentis Ecclesię à mundo appellabatur doctrina noua. Quænam doctrina hæc noua? *Nouorum Dæmoniorum annunciator est: Noua quædam infers in auribus nostris.* Et quæ nouitas in oculis vestris, Viri & Fœminæ, maior est, quàm cùm videtis Solem deficere, terram tremere, stellas de cælo cadere? Hîc cernis eclipsin in Sole Deo, Sol Solis hîc deficit. vestitus est nigro amictu, vmbra scilicet terrę, oppositione Lunæ, & pallio nostræ mortalitatis. Hîc terræmotus vniuersalis sentitur: totus enim mundus mouetur, stuporeque & admiratione cõcutitur: vidit enim Deũ humanatũ (vt ita loquar) & hominem Deificatum. Videmus hîc, stellam fixam & immobilem, firmissimum illum æternitatis statum, è cælo in terram decidisse. Non legistis, *Et incuruati sunt colles ab itineribus æternitatis?* Et non auditis etiam ipsam Ecclesiam Christianã hodie tot rebus nouis obstupescere, & præ admiratione cantare; *Mirabile mysterium declaratur hodie. Innouantur naturæ, Deus homo factus est: id quod fuit permansit, & quod non erat assumpsit: non commixtionem passus, neque diuisionem.* Agite, agite, magna fides nostra est, Domini, magna sapientia, magna intelligentia; ideoque Moyses, qui illam in spiritu videbat, in laudem Christianorum dixit; *En populus sapiens & intelligens, gens magna;* Si comparemus illam beatorũ cognitioni, qui omnia perspicuè vident, ipsumq; Deum facie ad faciem; omnis nostra cognitio omneque lumen nostrum meritò vocatur cognitio & lumen fidei, propter obscuritatem: non videmus enim nisi per speculum, & in ænigmate. Si verò cõferamus cognitioni, quam habuere Iudæi sub lege, & Prophetis, quæque tota vmbra erat, & figuris inuoluta, vocatur scientia; propter certitudinem quę scitur à nobis in hac veritate & disciplina. Omnes enim figuræ iam penè adimpletæ sunt, quæ tunc futuræ expectabãtur: & sci-

Ex nouitatibus quas Christus secũ attulit, nata est fides nostra.

Act.17.

Abac.3.

Deut.4.

Omnis nostra cognitio lumen fidei dicitur.

mus res præteritas non esse contingentes, sed necessa-
rias. Denique si conferamus cum naturali cognitione
Philosophorum, quæ est effectuum per causas, vocabi-
tur sapientia & intellectus, propter dignitatem & au-
thoritatem. Hîc enim scitur omnium causarū causa,
omnium principiorum principium, omnium finium
finis, Deus in Christo, Christus in Deo: Imò Deus
Christus, & Christus Deus, sed vnus Deus solus Pater
& Filius, Mens & Verbū. quamuis tamen sola persona
Verbi est, quæ in hac gloriosissima festiuitate homo
Ioan.1. nascitur. Illud est primum principium. *In principio
erat verbū*: & vltimus finis hic est, *Verbum caro factum
est.* hoc pertinet ad sapientiam, illud ad intellectum:
illud illuminat animas cognitione, hoc oblectat il-
las dulci ac suaui amoris diuini gustu. Iccirco sapien-
Etymologia Sapientiæ. tia dicitur quasi, *Sapida scientia.* Hæc omnia simplici
cum fide credere, est pars magna Christianæ philoso-
phiæ; puro cum corde venerari, officium est veræ pie-
tatis, atque religionis: propter hæc semper infinitæ
bonitati Dei gratias agere, & iccirco ad laudem eius
semper in bonis operibus exerceri, perfectæ pietatis
cultusque diuini fastigium est. In his contra omnes
tentationes Diaboli, mundi & carnis perseuerare, est
in hac vita, *quæ militia est, super terram*, optatissima vi-
ctoria; consequi deniq; id, propter quod victoria par-
ta est, præmioque in cælis post hanc vitam præsentem
frui, id demum est à Deo promissa, & ab omnibus fide-
libus desiderata felicitas. O fides, ô fides. Non legistis:
1 Ioan.5. *Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra?*
Psal.97. *Cantate, cantate Domino canticū nouum: quia mirabilia
fecit.* Fecit res admirandas in mundi creatione. Cer-
Mirabilia facta in creatione mundi. nitisne quàm immensum est opificiū hoc? quàm pul-
chrum item & quàm cōmodum? Immensitas consistit
in rerum magnitudine & multitudine; multitudine
diuersorum & similiū, magnitudine molis & spatij.
Moles est in massa, & in pondere: spatium in longo,
lato, alto, profundo. Pulchritudo & decor consistunt
in situ, motu, specie & qualitate; situs in compositione
& ordine; ordo in loco, tempore & proprietate. Mo-
tus localis est, naturalis, animalis, & rationalis: loca-
lis fit dextrorsum, sinistrorsum, antrorsum, retrorsū,
sursum,

sursum, deorsum, aut circulariter. naturalis positus est in incremento & decremento; animalis in sensu & appetitu; rationalis in meditationibus, ratiocinationibus, consilijs, virtutumque & vitiorum exercitio. Species est forma visibilis, quæ oculis externis discernitur, sita in coloribus, figuris & corporibus. Qualitas & proprietas interior, alijs sensibus subiecta, vt dulcedo in saporibus, qui pertinẽt ad gustum; fragrantia in odoribus, qui percipiũtur naribus; lenitas corporum, quę tactus manuum obiectum est. Omnium denique creaturarũ cõmoditas, in eo collocata est, vt sint gratæ, aptæ, vtiles & necessariæ. Gratum est quod placet; aptum quod conueniens est, & moderatam habet proportionem: Vtile est, quod iuuat; necessariũ, sine quo res esse non potest. O quàm multa sunt in hoc mundo, Bitontini, vitæ nostræ necessaria; nihil verò est quod non est gratum, aptum & vtile. Agite, agite, *apparuit potentia Dei in creatione mundi*, Christiani, *sempiterna virtus eius & diuinitas*, inquit Paulus. Est autem potentia & virtus hæc quę in creaturis cernitur tanta, vt sæpe Philosophi amore illius capti, & passionibus quibusdam excæcati, creatorem penitus abnegarent. Rom. 1.

Cantate, cantate quia mirabilia fecit. At multò mirabiliora sunt quæ fecit Deus, cùm legem dedit populo Iudaico in deserto; cùm Prophetas suos misit, qui sapientiæ suæ secreta hominibus reuelarent. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei.* Non animaduertitis omnes alios scriptores, omnesque alias scientias verbis tantùm loqui, & nuda voce sese exponere? Res est significatũ, vox est signum. In sacra verò Scriptura non tantùm voces, sed & res ipsę significant: imò res potius, quàm voces. Vna enim vox plerunque rem vnam, aut duas significat: singulę verò res tot habent significationes, quot proprietates. Hinc nati sunt tot Scripturarum sensus, tam variæ expositiones: alius enim sensus est Historicus, alius Allegoricus; differt ab his Tropologicus, & ab eo quoq; Anagogicus. Historicus est inter verba significantia & res significatas, quæ in contextu dilucidè sine vllo tropo legũtur. Allegoricus est inter res gestas & mysteria ad fidem pertinentia, quæ sub illis sacramentis latitant. Tropologicus

Mirabilia quæ fecit Deus cùm legẽ daret populo

Rom. 11.

Scripturarũ quadruplex sensus.

gicus versatur circa res gestas, & illud quod per contemplationẽ intelligimus, à nobis fieri debere, estque Philosophia quædam practica. Anagogicus denique ab omnibus alijs sensibus, & per voces, & per res mentem ad Deum eleuat, super omnes voces, super omnes res, super omnem lectionem, super omnẽ intellectum & operationem. Quæ autem scientia in tanta amplitudine, in ambitu tam lato sacræ Scripturæ non subseruit? Si autem subseruiāt omnes, quęritur vocibúsne an rebus? imò & rebus & vocibus. Voces pronũciantur & significant; pronunciationi destinata est Grammatica, significationi Dialectica, vtrique Rhetorica. Cognitio rerum pendet ab intrinseca natura, à forma, & ab exteriori dispositione. Illi subseruit naturalis Philosophia: hæc si consistat in numero, eius ancilla est Arithmetica; si in proportione, Musica; si in quantitate continua, & in situ, Geometria; si verò in motu, Astrologiæ opera perficitur. *Apparuit, apparuit sapientia in lege & Prophetis. Multifariè, multisque modis olim Deus locutus est patribus in Prophetis*, inquit D. Paulus. (Heb.1.)

(Theologia symbolica quàm copiosa.) Præterea, quòd si quis ignoret, quàm copiosa magnaq; sit sacrarũ Scripturarum abyssus, vel vnā, solamque Theologiam Symbolicā intueatur: in qua vnum idemque sacrificium animæ nostræ, vitæ nostræ, & sanguinis nostri, quod de corde puro quotidie offerre debemus, nunc taurus, nunc vitulus appellatur: aliquādo verò caper, aries, vacca, bos, ouis, agnus, túrtur, columba, passer dicitur. & quod amplius est, in rebus inanimatis, quæ sacrificia cruda nuncupabantur, farina pura, oleum, acetum, vinum, incensum. Insinuabat enim Dominus (Christiani mei, vt de multis pauca referā; neque enim tempus aut locus postulat omnia commemorare) insinuabat, inquam, per taurum superbiam, per vitulum libidinem, per hircum omne peccatum, per farinam puram simplicitatem fidei, sine hæreseos fermento; per oleum quod mollificat, condit, fouetque omnia, misericordiam in pauperes, per quodque omnia opera nostra Deo reddit accepta; per acetum compunctionem cordis, per vinum gustum cælestis patriæ spiritualem.

Cantate, cātate Domino, quia mirabilia fecit. At hodie

Cantate canticū nouū: quia insigniter noua, & mirabiliter mirabilia fecit. Apparuit benignitas Saluatoris nostri Dei. Hoc respōdet eius potentiæ: *Apparuit gratia Dei omnibus hominibus erudiens nos*; illud respondet sapientiæ. Vultis simul omnia dicam? Apparuit nouissimis diebus istis & potentia, & sapientia, & benignitas Saluatoris nostri Dei. Istud mysterium non est sine creatione; ecce potentia. Nec sine eruditione; ecce sapiētia. Est sacramentum diuinę misericordiæ ad salutem publicā; ecce bonitas & benignitas. *Cantate, cantate canticum nouum.* Et sanè tot, tantæque nouitates, quæ initio anni huius noui à Deo nobis offeruntur, postulāt, Bitontini mei chari, à nobis renouationē vitę & morum; quemadmodum & Paulus hortatur dicens; *Renouamini spiritu mētis vestræ.* Non animaduertitis hoc ipsum nobis absque verbis significare sacramētum illud Circuncisionis? Præputium antiquum est, circuncisio noua: illud enim naturale est, hæc legalis. Natura verò ante legem est. Circūcidi itaque renouari est. Nónne & Aquila renouatur, cùm mutat pennas suas, & reiuuenescit? Ait enim Propheta; *Renouabitur vt Aquilæ iuuentus tua.*

Tit. 2.

Renouatio vitæ Christianis est necessaria.

Ephes. 4.

Psal. 102.

Christus itaq; hodie dum circunciditur, quid aliud agit, quàm vt clamet; Mutate, mutate vitam, Christiani. Spiritualis circuncisio est vera renouatio. Quod Paulus tam dilucidè præcipit de renouatione spiritûs, benedictus Deus in veteri testamento figuraliter, & sub tropo præcepit cùm dixit: *Circuncidimini Domino, & auferte præputia cordium vestrorum, Viri Iuda, & habitatores Hierusalem.* Omnis superfluitas appellatur præputium, & omne vitium est superfluitas; solę virtutes sunt necessariæ. Amputate, abscindite, circuncidite & resecate ab animis vestris omnia opera carnis, quæ vitiosa sunt; ideoq; superflua: *Manifesta sunt opera carnis, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, Idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, rixæ, contentiones, æmulationes, iræ, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia; quæ prædixi vobis: quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non poßidebunt.* Heu, heu, quàm male agitur nobiscum? quo versamur in periculo, qui hodię in exordio anni noui perseueramus

Hier. 4.

Gal. 5.

Quæ sint circuncidenda.

adhuc in antiquo & vitioso statu nostro, necdum seriò statuimus, prsus in cogitationibus, in studijs, in amoribus, in desiderijs, in incessu, in verbis, in conuersatione, in tota denique vita renouari? Relinquite nunc quod vetus est, vanitatem, mendacium, falsa testimonia, periuria, maledicentiam. Deserite blasphemias, inuidiam, fraudes, imposturas, insidias. Abijcite diuinationes, superstitiones, incantationes, constellationum obseruationes. Mulieres vnà cum his vitijs renunciate pompis, ornamẽtis meretricijs, parcite sumptibus, quos, vt exornetis vos cum iniuria Dei, cum honoris vestri iactura, & cum animarum vestrarum periculo, tam inutiliter profunditis. Hæc sunt præputia magna & turpia nimis. *Auferte, auferte præputia viri Iuda,* Seculares. *Et vos etiam habitatores Hierusalem,* Sacerdotes, Fratres, Religiosi. Vtinam det Deus, vt vos saltem fratres mei circuncidamini, spirituque renouemini. Non possum Apostolorum Canonibus refragari. Populus hic meus valde incircuncisus est, & in pluribus superfluus nimis. culpa vestra est, culpa vestra est, ô Sacerdotes: nisi enim seculares eadem sua vitia in vobis viderent, non ea virtutes arbitraretur. forsitan & illi ab ijs abhorrerent, si vos abhorrere viderẽt: essent sobrij, continentes, paucis contenti, honesti, bene morati, deuoti, si easdem virtutes in vobis, qui estis capita illorum, inuenirent. Ceterùm oculus Heli est cæcus, peccata populi Sacerdos non videt, quia eadem sunt & sua. Purgate, purgate ante omnia vosmetipsos, deinde purgate & populum vestrum. Ah doleo vehementissimè, quòd verè dicere possum, non tãtùm Clero meo Bitontino, sed Clero totius Regni huius (satis enim superque iampridem animaduerti, quo loco sit misera hac in regione Religio) *Quando natus es in die ortus tui, non est præcisus vmbilicus tuus.* Et alibi; *Fornicata es cum amatoribus tuis, sicut non est factum ante te, neque post te futurum est.* Et illud; *Vicisti sorores tuas, sceleratiùs agens.* Hinc vehementer metuo, ne fortè in hoc Clero locum habeat illa Christi comminatio; *Remißius erit Tyro, Sidoni & Sodomæ, quàm tibi.* Nõ enim tam gnarus est Laicus rerum spiritualium, quàm tu; ideoque grauius est peccatum tuum, quàm illius. At

Hier. 4.

Ezech. 16.

Hier. 3.

Hier. 16.

Matth. 11.

non est iam tempus inter vos distinguere. Nouus annus est omnibus, renouetur vnusquisque, vnusquisque à peccatis resiliat, vnusquisque virtuti studeat. Celebratur hodie non vni ordini, sed omnibus hominibus Circuncisio Christi; vnusquisque cor & spiritum suum circuncidat. Iudæus in vna tantùm corporis parte circunciditur, verus autem Christianus in toto corpore spiritualiter circuncidi debet. In oculis, ne quam mulierem lasciuè intueantur; in auribus, ne qua verba obscœna & inhonesta audiant, néve alterius famæ detractione oblectentur: in lingua, ne loquatur nisi quod & quando oportet; in manibus, ne quod alius est auferant, aut hominem aliquem offendant.

Quid sit circuncidi spiritualiter.

Omnibus rebus circuncisio necessaria est vt perficiantur.

Filioli mei, arbores vt fertiliores fiant, pluresque fructus adferant, in ramis superfluis circunciduntur: quantò enim magis luxuriantur in frondibus & floribus, tātò magis deficiūt in fructibus. Experimini vos in oleis vestris, quàm necessarium est vt purgentur, putenturque: quod olim Plinius scripsit, hoc ipsi nunc re comperimini. *Qui enim arat, orat; qui cædit, cogit.* Putantur & vites; imò eadem resecatio fruticibus est necessaria, vt foliorum, surculorumque superfluitas tollatur. Sed & in ijsdē vestris corporibus ipsa quid agat natura (quæ tamen nihil agit frustra) considerate: an non & illa mille modis humorum purgat superfluitates? choleram nimirum per oculos, sanguinem per nares, pituitam per os, melancholiam per nares excernendo? Quid? cûr totum corpus nostrum tam porosum est, nisi vt insensibiliter transpirando (sic enim loquuntur Medici) purgetur, & repurgetur? Nec ipsa quoque elementa sua carent à fecibus suis purgatione. Non vides fumum terræ? spumam aquæ? exhalationes aëris? resolutiones ignis? & cùm aliquod per se solum purgari non potest, iuuatur ab altero. Aqua lauat terrā? aer rarefacit, subtilioremque aquam efficit, ignisque aërem purgat. In artificiosis quoque ferrum necesse est purgetur à rubigine, aurum & argentum à scoria, frumentū à paleis, & vestes à puluere. Ad eundem modum & oportet purgare corda nostra ab omni peccato, quod est contrarium Deo; amorem quoque huius seculi, qui cum proximo, & cum nobis ipsis pugnat, amputare.

Simile.

Naturalibus.

Corporibus nostris.

Elementis.

Rebus artificiosis.

Illud est circuncidi spiritualiter, quam circuncisionem Christus hodie nobis absque vllis verbis, infans fari nescius, exemplo suo commendat. *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Ecce ego circuncidor in carne, vt vos circūcidamini in spiritu. Ego circuncidor hodie in vna parte, vt vos circuncidamini per omnia & in omnibus. Bitontini mei charissimi, istud est cātare canticum nouum, ad quod nos hodie inuitat Ecclesia. *Cantate Domino Canticum nouum.* Cātare vestrū vestra vita est. Canticū nouum vita noua; Canticum vetus, vita vetus. Nimis diu in peccatis inueterati sumus, incipiamus, incipiamus vitam nouā. *In sanctitate & iustitia corā ipso, omnibus diebus nostris.* In sanctitate cū nobis ipsis, & iustitia cum proximo, coram ipso sine hypocrisi, omnibus diebus nostris, vsque ad mortem. non enim sufficit incepisse, oportet perficere. *Qui perseuerauerit vsque in finē, hic saluus erit,* Animæ meæ. Qui bene viuit, bene cantat; qui malè viuit, cantat malè. Et quid est malè viuere, nisi à diuinæ voluntatis regula discrepare? Discite, discite itaque in hoc anno nouo cūcti bene cantare. Tres potissimùm inter nos & virorum & mulierum ordines sunt; Coniugatorum, Continentium, & Virginum. Coniugati canunt cantum grauem, Cōtinentes acutū, Virgines superacutū. Omnes, omnes inter vos cōcordate, vnum eumque suauem concentū facite. *Cantate canticum nouum.* Coniugati, possidete vasa vestra in omni honore & sanctificatione. Continentes, estote casti non minùs cogitatione, quàm corpore. Virgines, date gloriam Deo, & in Virginitate vestra nolite superbire, vel insolescere. Si vita cum statu pugnet, interruptum est canticum. Dicam vt me apertiùs intelligatis. Si simus Christiani professione, caueamus ne vita simus pagani. Si fidem habeamus Catholicam, non viuamus hæreticam. Si laudemus Deum ore, nō blasphememus eum peruersis moribus. Illud enim quid esset aliud, quam ad cantandum canticum vetus, quod nūc detestatur Deus, reuerti? Non audistis quid dicat Hebræorū populo; *Plenus sum, laboraui sustinens.* Sed illud ipsum, & quidē atrociora dicet malis Christianis. *Non est speciosa laus in ore peccatoris.*

Ioan. 13.
Quid sit cantare canticū.
Luc. 1.
Matth. 10.
Quid sit malè viuere.
Triplex status hominū.
Hier. 6.
Eccli 15.

Canta-

Cantate, cantate canticum nouum. Illud ô Clerici mei canticum cantate, toto hoc solenni tempore. O Consacerdotes mei; *Rex est omnis terræ Deus: Psallite sapienter.* Nõ cãtatis terreno Principi, Duci, vel Regi; cantatis totius mũdi Monarchę; cantatis, cãtatis Deo, qui Reges terræ cõstituit & destituit, secundùm suam voluntatem. Cantate obsecro cum iudicio, cum modo, cum mensura: cantate suauiter, facite vt voci vita, lingua cordi, verbaque operibus cõsonent. Amens ac stolidus cantus est, Sacerdotes mihi charissimi, cùm lingua Deo, & cum corde mundo cantare. Deus enim cor quàm linguam mauult. *Psallite, psallite sapienter.* Quid iuuat defatigare linguam, si mens sit otiosa? Quæ insania est nouas cõponere Motettas, & in veteribus vitijs perseuerare? *Psallite, psallite sapienter.* Non id à vobis modò requiro, vt operam detis, promptè vt intelligatis, quod psallitis; sed id mihi nunc sufficit, vt nõ stultè psallatis, ne fortè populo huic nimis dissoluto moribus, parumque religioso occasionem præbeatis murmurandi, & de vobis cõquerendi. Cùm enim vos malè viuere conspiciunt, haud aliud agere, quàm cantiones vestras, sacrificia & officia vestra irridere didicerunt. Psal.46. Sacerdotes quomodo cantare debeant.

Psallite, psallite sapienter. Quando canitis, Κύριε ἐλέησον, hoc est, Domine miserere; facite vt vos ipsi vestrûm, animarumque vestrarum (quæ heu nimis miseræ sunt & deplorandæ) misereamini, & à peccatis vestris, quæ vos in æternam mortem deducunt, resurgatis. Cùm cantatis; *Gloria in excelsis Deo,* vestrum propositum sit, omnibus modis cauere, ne vita vestra offendiculis plena, Dei gloria contaminetur, aut malis exẽplis vestris ab omni gente blasphemetur. Quum cantatis; *Sursum corda*; cantate illud vobis ipsis, attendite ne cogitationes vestræ in terra, in vineis, in oletis, in ædibus vestris versentur: attollite corda vestra, & in cælũ super omnia, quæ demens ignorãsque mundus admiratur, & in pretio habet, leuate. Epistolicam lectionem & Euangelium cùm psallitis, mementote turpe nimis esse vitam vestram à moribus Apostolicis, & à præceptis Euãgelicis discrepare, ne fortè Christus de vobis ministris suis dicat; *Populus hic labijs me* Mar.7.

hono-

honorat, cor autem eorum longè est à me; longè est à me. Et ego quidem vnus ex vobis sum, fratres mei: Quando voces nostræ in choro dissonant, nónne qui audiunt rident, nobisque illudunt? At multò peior est vitæ, quàm vocum dissonantia. Consonemus igitur, consonemus, apta sit nostra & concors symphonia: cantemus, cantemus omnes canticum vnum, canticum nouum, vitam, inquam, ducamus religiosam, bonis exemplis ornatam, sanctam & immaculatam. Cantate vos mecum, & ego cantabo vobiscum. Non ego sum Dominus vester. *Non quasi dominantes in Clero,* (ait Petrus ad Episcopos) *sed forma facti gregis ex animo.* Conseruus vester sum. *Ministri sunt, & ego,* inquit Paulus. Agite dum conserui mei, vnum habeamus Dominũ: ecce Christus Dominus noster est, faxit Deus, vt nos boni serui inueniamur. Ne respiciamus ad ea quæ præterierunt, sed ad ea quæ futura sunt contendamus. Deponamus veterem errorum, ignorantiarũ & peccatorum pellem: hæc enim ad veterem Adamum pertinẽt. Induamus vestem lucidam, claram & sanctam Christi nostri, qui est Adamus nouus, & erimus omnes cum vniuerso populo hoc beati. Oportet me hîc paululum respirare, vt Euangelium hoc de Circuncisione totum exponam; cùm & ipsum tam circuncisum sit; & propter nomen Iesu, quod est ipsa gratia, totum gratiosum.

Peior est vitæ quàm vocis dissonantia.

1 Pet. 5.

2 Cor. 11.

Euangelium de Circuncisione circuncisum est.

SECVNDA PARS.

Luc. 1.



OSTQVAM consummati sunt dies octo, vt circunciderctur puer, vocatum est nomen eius Iesus.] Verba sunt Euãgelij, quod in omnibus hodie legitur Ecclesijs. Duo sunt, auditores mei, mysteria (vt hinc exordiar) profundissima, inter se etiam natura sua longè dissimilia, etiamsi Lucas Historicus noster ea simul iungat, vt videantur inter se coalescere. Quid enim commune habet Circuncisio cum nomine Iesu? & quæ nomini Iesu cum Circuncisione societas? An non vobis ingenijs magnæ illius Græciæ calidis & acutis hęc tãquàm duo poli Arcticus & Antarcticus esse videantur? Circũcisio remediũ est huic,

cui

ic, cui salute opus est. Saluatoris (hoc enim significat nomen Iesu) est circuncidere, non circuncidi. Ceterùm audite, animosque huc vestros aduertite. Cùm Princeps quispiã inimicam ingressurus est terram, nomen suum quidem non mutat, (hoc enim existimationi eius multum detraheret) vestem verò mutat, seseque ad mores & consuetudinem exterarum gẽtium illarum componit, ne cuiquam mala suspicio oriatur, sed vt incola vel indigena illius patriæ putetur, & familiariter illi cum incolis conuersari liceat. Veniebat Christus in mũdum hũc, qui regio est, regnumque Diaboli, saltem ex obedientia; ideoque nunquam neque ab ipso Diabolo, neque à ministris eius agnosci voluit. Nomen suum alterare noluit, ne Maiestas sua vilesceret; tamen vt Diabolum commodiùs deciperet, vestem alterauit. Circuncisionem enim in se admittere, quid aliud est, quàm more peccatorũ, inter quos cõuersaretur, vestiri? Non animaduertitis illum dum circunciditur totum cruentari, contaminari, deturpari? Sed nomen Iesu hanc turpitudinem facili negocio texit; & Circũcisionis turpitudo Saluatorem abscondidit: nõ enim digna est Iesu vestis hæc: commune peccatorum indumentum est. Qui nomen audit, eum vt sanctum agnoscit. Qui Circuncisionem intuetur, reum existimat. Qui nomen considerat, vt Deum adorat; qui Circuncisionem perpendit, purum hominem esse arbitratur. Agite, agite, vtrumque coniungite, Deumque & hominem habebitis. Hæc est fides vera, sancta, catholica, Apostolica, quæ hodie in spatioso mundi huius campo plantatur; Christum scilicet & Deum esse & hominem.

Simile.

Christus quo modo vestẽ mutauit.

Hæc causa est, Bitontini mei, cur in toto Euangelij contextu ab ipso Natiuitatis momẽto, vsque ad mortem Christi, tam in persona, quàm in operibus illius semper diuina cum humanis, semper eius excellentia cum nostra vilitate misceantur. Quæ quæso Antitheses (siue naturæ opera in hoc mundo, siue sententias & verba in oratione, aut poëmate aliquo considerес) accommodatiores, venustioresque his, quæ in Christo nostro inueniuntur, possent excogitari? Pulchrum poëma est mundus hic; Ἐποίησε, ait in hoc loco

Antitheses in Christo.

Gen.1. co textus Græcus, vbi noster habet, *Creauit Deus cælum & terram.* At quantò pulchrior, quantoque ornatior est Christus noster? Considerate precor Antitheses has. Natus est ex virgine, sed genitus est ex Deo: Natiuitas eius ex Maria fuit in fine temporum, generatio verò paterna est ante omnia secula. Magnis in miserijs extra patriam suam natus, & in præsepio reclinatus est; sed mox in ipsa humilitate suæ natiuitatis, vt verus mundi Dominus adoratur. A Tyranno persecutionem passus est, sed à summis Eoi Regibus magno cũ desiderio, fauoreque ingenti quæsitus est. Fugit in Ægyptũ, sed in ipsa fuga defensus, ductusque est ab Angelis. Tẽtatus est à Diabolo, sed Diabolum vnico verbo terruit, territumque à se fugauit. Inter plebeios homines conuersatus est, interim Publicanos & meretrices ad pœnitẽtiam conuertit. Vitam vixit ciuilem & politicam, non solitariam, miracula tamen vt solus & verus Deus operatus est. Captus, ligatusque est, sed vno verbo omnes armatorum manipulos in terram prostrauit. Crucifixus & mortuus est, Solem nihilominus obscurauit, terramque ingenti motu concussit. Post mortem sepultus est, sed clauso sepulchro tertio die viuus gloriosusque surrexit, & exiens in mundum reuersus est. O res admirandas, ó stupenda mysteria. Ecce Christus noster circuncisus simul & Iesus est; circuncisus vt homo, Iesus vt Deus.

Omnia quæ de Christo leguntur, plena sunt miraculis.

Quæcunque in Euangelijs de Saluatore nostro leguntur, id habent præconij, quòd in superficie, & in externo cortice plena sunt consolatione; in interiori verò medulla scateant admiratione. Multò sine vlla cõtrouersia maiori hæc gloria digna sunt, quàm quæ de Patriarchis & Prophetis leguntur. Hæc enim etsi in mysticis suis sensibus multa profunda, diuina, figurataque contineant, forinsecus tamen (hem) quàm absurda & illorum nomine indigna passim commemorantur? Huiusmodi sunt incęstus Iudæ, stuprum Lothi, ebrietas Noë, supplantatio Iacobi, adulterium Dauidis, fornicatio Oseæ, homicidium Moysis, vitulus ab Aarone factus, ex quo tam execranda orta est idolomania. Et quis scit si fortè hoc ipsum insinuet, quod de Moyse legitur, manum eius lepra fuisse infe-

Manus leprosa Moysis quid significet.

ctam,

ctam, vultu nihilominus tam splendidè rutilante, vt in illum filij Israel intueri non potuerint? Christus verò noster author & consummator Euangelij, tantò maior Moyse, quantò excellentior est in domo patris primogenitus filius abiectissimo famulo, tam manibus quàm vultu, hoc est, tam in publico, quàm in secreto, tam extrinsecus, quàm intrinsecus totus pulcher est, totus formosus, & plenus gloria. Næuum habet nullum, macula turpitudinis aut ruga deformitatis in illo non est. Foris speciosus est inter filios hominum in doctrina, quippe in illa nihil dignum reprehensione inuenitur. Intus verò (papę) quāta pulchritudo conspicitur? Angeli & Archangeli cùm intuentur illam, obstupescunt. *Omnis gloria eius ab intus.* Anima est purissima, speculum sine macula, expressa paternæ substantiæ figura, Deus de Deo, in quem Angeli prospicere desiderant.

Pulchritudo & puritas Christi.

Psal. 44.

Liceat mihi cum venia vestra Tarentini, Brundusini, Hydruntini & Bitontini mei, hoc loco parumper digredi, & vobiscum philosophari. Perpendite quæso quàm delicatus fuerit cibus pijs illis mentibus, quibus Christum in terris inter nos mortalibus in membris conuersantem videre contigit? Cùm viderent hominem absque vllo defectu, carnem ab omni peccato immunem, agnumque immaculatum. At quantò delicatior, iucundiorque fuit cibus eorum paucorum, qui vsque ad intima penetrantes, per singularem gratiam videbant eum dimittere peccata, conuertere peccatores, beare peccatrices? Beati profectò erant oculi illi, qui viderunt hominem hunc rarum & diuinum: sed absque vlla comparatione beatiora fuerunt corda hæc munda, quæ vnigenitum illum Dei filium contemplari potuerunt, quæ cum pia & religiosa mente meditando, ruminandoque hæc inuestigabant, dulcedine quadam & admiratione incredibili absorpta.

Octauus nūc dies agitur, cùm æternum Patris Verbum amore erga nos incitatū exinaniuit semeipsum, abbreuiatum est, pauloque minus Angelis per incarnationem factum. Hodie quoque exinanitum, abbreuiatumque est in carne, multisque hominibus minus factum, idque copiosam propter sanguinis in crudeli

& vi-

& violento vulnere Circuncisionis effusionem. *Quid*
Matth.9. *tibi & iusto illi Circuncisio? Non est opus valentibus medicus.* Domine, tu peccatum non perpetrasti, octo tantùm dierum puer es. Sed nec peccatum aliunde contraxisti. Pater enim tuus diuinus est, & Mater tua virgo. diuinitas Patris & integritas Matris fidem faciunt vniuerso mundo, te ab omni peccato immunem esse. Qua itaque ratione, aut quo iure cultellus ille sæuit in sanctissima & immaculatissima carne tua, tanta cum gloriæ tuæ iniuria, tanto cum innocentiæ tuæ præiudicio, tantoque cum fidei nostræ periculo? Quid facitis Circuncisores? manus vestras retrahite. Filio Dei vnigenito, in quo Patri bene complacuit, opus non est
Gen.17. Circuncisione? Immanis illa sententia, *Masculus cuius præputij caro circuncisa non fuerit, peribit anima illa de populo meo*, locum in hoc puerulo non habet. Non potest Christus è libro Dei deleri, nec de populo suo perire. Omnes enim quicunq; in libro illo scripti sunt, per illum solum scripti sunt. Non est possibile, vt sine huius Circuncisionis charactere pater filiũ nõ cognoscat; Imò cùm ipse datus sit in remediũ peccatoribus, eum pro filio non agnoscet, si circuncisum viderit: pro inimico potiùs habebit, videns illum instar aliorum, qui in peccatis nati sunt, turpissimo hoc in carne sua notatũ cauterio. O dulcissime Iesu, pro nobis, pro nobis, & non pro temetipso circuncisus es. In corpore nostro non infrequens est vnum membrum dolere, & alterum medicinam percipere: dolet sæpe caput, & medemur stomacho: vitiati sunt oculi, & in crure fit incisio, aperiturque fistula. Ingens illud humanæ naturæ corpus totum erat putridum & languidum, infirmum totum, totum corruptum. *A planta pedis vsq; ad verticem capitis, non erat in eo sanitas: omne caput languidum, & omne cor mœrens.* necesse erat vt totũ sanaretur. Tu itaq;, ô Christe, tibimetipsi ꝓ omnibus medicatus es. Omnes vna caro, vnus sanguis, & os vnũ sumus nos. *Os de ossibus meis, caro de carne mea.* Quemadmodum Eua de costa Adami formata est, ita & ex te ædificata est Ecclesia. Tu dulcissime Iesu sustinuisti circuncisionem: Circuncisionem, inquam, pro tua Ecclesia, sponsus pro sponsa, & pro membris caput Se-

Iesus circuncisus est pro nobis, nõ pro seipso.

Esa.1.

Gen.2.

phora

phora quondam dixit Moysi; *Sponsus sanguinū tu mihi es.* At tu nunc è contrariò, ô dulcissime Iesu, meritò Ecclesiæ tuæ potes dicere; *Sponsa sanguinum tu mihi es.* pro peccatis namque illius tu sanguinem nunc tuum fundere cœpisti, vt anima eius salua fiat. *Omnis anima in sanguine est.* In tuo sanguine viuimus Domine, in tuo sanguine respiramus, in tuo sanguine ab omnibus sordibus nostris abluimur. O Christiane, ô Christiana, quid admiraris Christum pro nobis circuncidi non dedignatum esse, cùm etiam tandem pro nobis crucifigi non dedignabitur? Exod.4. Leuit.18.

Leuate & præparate mentes vestras, vt mysterium Circuncisionis rectè intelligatis. Ingens ille, & penè incurabilis morbus originalis peccati, quod à primis parentibus nostris Adamo & Eua tanquam à corrupta quadam radice descendens in omnes magnæ illius generationis humanæ plantæ radices diffusum est; omni tempore medicaminis eguit, ne æternùm perirent homines, ex quibus ruinæ Angelorum omnes restaurarentur; ne diuina ordinatio in electorum suorum numero defraudaretur, in quorum etiam vsum cælum, terra, mare & quæ in ijs sunt, erant condita. In omni tempore vna tantummodo opus erat medicina, quæ plagam tam lethalem curare potuit, sanguine scilicet Christi Saluatoris. *Per vnum Adamum mors in orbem intrauerat*, per vnum Christum oportebat vitam restitui. Non ignoratis opinor, incredibilem illã Dei bonitatem omnia arcana sua consilia mundo per sanctos Prophetas suos reuelasse. *Non faciet Deus verbum*, inquit Amos, *quod non reuelet ad seruos suos Prophetas.* Magnum itaque illud infinitæ suæ sapientiæ consilium, sub figuris & ænigmatibus nō tantùm verborum, sed & operū mūdo paulatim magis magisque detexit. Hinc nata est tot sacrificiorum institutio; quę à primis Adami filijs, vsque ad Noë, sine distinctione vel populi, vel legis, per inspirationem diuinam, paternasque traditiones vbique offerebantur; nō in frugibus, terræque fructibus tantùm, sed in agnis & pecoribus, quorum sanguis fundebatur. Sed & legimus huiusmodi sacrificia summæ Dei Maiestati placuisse, eamque (vt Scripturæ phrasis habet) illa odorasse, Circuncisio remedium contra originale peccatū. Amos 3.

Ephes.5. *In odorem suauitatis*. Non quòd istis sordidis, fœtidisque victimis delectaretur, sed præter obedientiam, de qua scriptũ est, *Melior est obedientia quàm victimæ:* etiam placebat, quòd videret his euidentibus signis omnes protestari, à doctioribus etiam, magisque pijs, licet per nebulam fortasse, & non distinctè intelligi, quòd secũdùm diuinæ Maiestatis iudicium sanctum, firmum & determinatum, sanguine sacrificij & vnius victimæ cuiuspiam morte antiquum illud & vniuersale generis humani peccatum expiaretur.

1 Reg.15.

Cùm autem fidei tempus iam magis appropinquaret, & Abraham natus esset, qui primus fuit credentium pater, & in quo populus à populo, lexque à lege distingueretur, vt dilectis suis manifestiùs dilucidiusque singularis huius & pretiosi remedij, quod sanguis & mors Christi mundo adferret, symbolum exhiberet Deus, quasi bestiarum iam sanguinem fastidiens, præcepit vt primitiæ sanguinis humani deinceps sibi offerrentur. Videte Circuncisionem, Auditores. *Non quia ex Moyse est, sed ex Patribus*, ait B. Ioãnes. O altitudo, ô profunditas secretorum Dei. Non ignoratis quanta fuerit olim nascente primùm Ecclesia inter Iudæos & Ethnicos contentio? illi enim erant circuncisi, hi verò præputium habebant; vterque tamen populus ad vnam eandemque Rempub. Christianam pertinebat. vnusquisque interim erat ambitiosus, & in suo statu gloriabatur. Iudæo persuaderi non poterat, Ethnicum sine Circuncisione posse seruari; nec Ethnicus credere potuit, Circuncisionem Euangelio iam promulgato ad salutem esse necessariam, sed baptismum Circuncisioni successisse statuebat. Quare necessum fuit Concilium indicere generale, vt in eo hæc quæstio decideretur. Sed & Paulus postea occasione huius controuersiæ cum Petro in arenam descendens, ostendit Circuncisionem post Euangelium minimè esse necessariã. Petrus enim Iudæorũ, & Paulus erat Ethnicorum Apostolus. His subsequẽtibus seculis tot Doctores Ecclesiæ, tot Patres, Latini & Græci successerunt, qui tam accuratè, tamque subtiliter hanc ἀκροβυστίαν & περιτομὴν pertractârunt. Nec breui oratione recenseri potest, quàm varijs quæstionibus id venti-

Circuncisio cur instituta.
Ioan.7.

Act.15.

ventilatum est, quas postea Magister Sententiarum, eiusque imitatores in breue compendium redegerũt. Quæritur enim; Cur Circuncisio soli Abrahæ semini data sit? ecquod remedium loco huius fœminæ & omnes Gentilitatis populi habuerint, quo à peccato originali purgarentur? Quam virtutem habuit Circuncisio aduersus peccatũ originale? An fuerit Sacramentum, sicut Baptismus noster, qui reuera iustificat, & sanctum characterem Christi animabus nostris imprimit: qui character indelebilis est: an verò solum ac nudum fuerit signum, quod non iustificauit, sed iustificatum iam esse declarabat; quemadmodũ vestis candida, qua Sacerdotes nostri infantes iam baptizatos cooperiunt? Præterea quousque Circuncisio & totius legis Mosaicæ obseruantia fuerit necessaria? Quomodo intelligendum, Circuncisionem datam, vt esset futura lex perpetua, si in populo Dei post passum Christum finem esset habitura? Qua ratione Baptismus aquæ Circuncisionem subsecutus est, & quo tempore præceptum baptismi cœpit obligare? Hinc nata denique est celebris illa de tribus diuersis temporibus doctrina, digna quæ summa cum diligentia in sacris litteris obseruetur. Primum est, in quo Circũcisio omni Iudæo fuit necessaria; omne scilicet tẽpus illud, quod insignem hunc Circuncisionis Christi diem præcessit: secundum, in quo Circuncisio fuit vana & mortua, omni populo Dei; à Circuncisione scilicet Christi, ad promulgationem vsque Euangelij: tertium, in quo non tantùm vana fuit, & mortua, sed & mortifera; post publicationem scilicet Euangelij, vsque ad consummationem seculi. Ad quod tempus pertinet, quòd Paulus tanta cum seueritate dicit; *Si circuncidamini, Christus nihil vobis proderit*. Quantumuis Ecclesia tanquam pia mater, ne laceret rete, non abominetur Indianos, tanquam à Christo alienos, eò quòd sicut baptizantur, sic & circũcidantur: non ratione legis Mosaicę, quam iam mortuam & sepultam, quinetiam & mortiferam credũt: sed propter reuerentiã & amorem erga Christum, qui cùm circuncisus sit, non propter se, sed propter nos; omnino æquum illis videtur, vt omnis homo circuncidatur, vt hoc modo pœnam

Quæstiones de Circuncisione.

Trium temporũ distinctio.

Circuncisio quando fuit necessaria, mortua, & mortifera.

Galat. 5.

Indi circunciduntur & baptizantur & cur.

& dolorem similem cum illo sustineat.

Sed heus, quò me abduxistis Auditores? quàm longè me præter omnem meam opinionem digredi fecistis, vt aliquam saltem intellectibus vestris contemplandi materiam præberem? Agite nunc tandem ad propositum nostrum reuertamur. An non conueniens esse vobis videatur, singulare illud sacrificium, & carnis Christi holocaustum, quasi communibus & generalibus nostræ carnis sacrificijs adumbrari? An non æquum fuerit mortem Christi iam antea mortificatione nostra designari, ac honorari? An non rationi erat consentaneum, vt ad gloriam illius qui totum sanguinem effunderet, idque pro omnibus hominibus, priùs quilibet homo exiguum quid sanguinis profunderet? Non debuit autem hoc tam salutari remedio tenera & puerilis infantia defraudari, vt cum lacte primam hanc & sanctam impressionem recipiens, nunquam illius obliuisceretur:

Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem
Testa diu.

Cur octaua die fiebat Circuncisio.

Non poterat ætas ista verbis instrui: non enim capax erat illorum. Factis igitur erudiri debuit. Vix itaque nati octauo die pueruli circuncidebantur, vt naturalem Adami sanguinem fundendo, quasi gratuitum Christi sanguinem libarent, & carnem Adami resecando, ad carnem Christi quasi se inclinarent, & pro omnipotenti isto remedio, quod expectabant in suis animabus, exiguum illud supplicium paterentur in suis corporibus. Intelligitis radicem Christianæ huius sapientiæ?

Indubitatum est in omnibus membris nostris indelebili quadam nota cicatricem antiqui illius peccati impressam esse. Maledicti illius serpentis venenum totum corpus nostrum occupauit; inordinata carnalis concupiscentia nullum non membrum infecit. Oportuisset totum puerum circuncidi, vt hæc concupiscentia castigaretur, quemadmodum Christus totus & in cunctis membris passus est, vt ea sanaretur. Veruntamen inficiari nemo potest, quin inter omnia membra reliqua in nullo magis concupiscentia dominetur, quàm in communi & lata generationis

nis porta, per quam & generamus & geniti sumus: cuius concupiscentia vt olim Adamum & Euam erubescere fecit, cùm Dei præceptum essent præuaricati, (vnde & folia contexuerunt, quibus femoralium loco vtebantur) sic & nunc maioribus, acutioribusque stimulis nunquam cessat nos incitare, affligere & colaphizare, adeò vt sit monimentum æternum, nobis in memoriam reuocans, quòd ex damnata illa progenie nostram traximus originem. In illo membro sedes est concupiscentiæ, ibi regnat, ibi vires suas exercet, ibi imperiosè dominatur, & tyranni in modum hominem exagitat. Alia membra quodammodo rationis obediunt imperio, vt quæ libero nostro subijciuntur arbitrio. Hîc verò cùm fornax illa Babylonica est accensa, & iam ardere incipit, cùm furor libidinis ebullit, cùm ignis hic & hoc incendium quod viridia quæque sua flamma absumit & depopulatur, crescit; tunc caro sua libertate, quæ vnicus honor hominis est, spoliata, vilis & abiecta serua, non minùs quàm caro equi & muli efficitur: adeò vt volentibus aut nolentibus nobis turpes isti motus importunè admodum nos inuadant, indomitique in nobis grassentur. Nullo freno effrenis hic equus potest coërceri. Nulla hîc iuuat aqua, vt ardens iste caminus refrigeretur. Omne sal huius mundi non potest putredinem ex hac concupiscentia omni hora scaturientem corrodere, vel assiccare, nisi aduersus hos stimulos, aduersus hunc ignem, aduersus has flammas desuper refrigerans ros diuinæ gratiæ descendat. Errat, errat qui perfectam castitatem obtinere nititur, Domine Deus, nisi tuo imbre extincta fuerit flamma libidinis.

Cõcupiscentia vbi dominetur, eiusq́; vis.

Frustra' laborat, qui sine Dei gratia se castè viuere posse arbitratur.

Vt igitur summa hæc Christi gratiæ tibi ostendatur ad castè viuendum necessitas, (castè enim viuere quodammodo in se includit iustè & piè viuere, quare S.Paulus illi primum locum attribuit, cùm dicit; *Sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc seculo.*) fuit aliqua ex parte ingens illud seminarium carnalis voluptatis, largifluus ille fons, vel (vt concinniùs dicam) aperta illa omnium corruptionum sentina in Circuncisione infantium exsiccata. Hic, hic scopus erat totius mysterij, hæc erat legislatoris & Domini nostri dioptra.

Tit.2.

Scopus mysterij Circuncisionis.

vt ſcilicet poſtea homines in ætate adulta conſpicien-
tes turpem hanc mutilationem, ſeu cæſuram, viden-
teſque ſe eum in modum circunciſos, exclamarent;
Heu mihi, heu mihi, quæ cicatrix eſt hæc? ſignū pfe-
ctò eſt magni alicuius ſupplicij, quod infans ſuſtinui.
Hoc primum elementum eſt quod me parentes mei
docuerunt. Cùm ligatus adhuc & inuolutus faſcijs in
cunis iacerem, cùm oculi mei nondum videbant, au-
res nondum audiebant, quando lingua nōdum loqui
didicerat, mihi vulnus hoc inflixerunt: vt in hac pro-
uectiori nunc ætate recordarer, agnoſceremque carnē
hanc eſſe indomitam: ideoque opus eſſe freno, quo
nimia eius licentia, rebelles eius inhoneſtique motus,
quos in memetipſo ſentio, coërceantur, ne fortè diſſo-
luti, ſuæque auctoritati relicti, animam, rationemque
per conſenſum trahant in præcipitium. Admonet me
cicatrix iſta, quòd cùm circunciderer immenſum ha-
bui dolorem, & copioſum fudi ſanguinē. Dolor quaſi
antidotum voluptati, & ſanguis tormenti ſanguini
delectationis fuit oppoſitum: vt memor pœnæ cul-
pam vitarem. Benedictus ſit dolor, quem pertuli, be-
nedictus ſanguis quem effudi. Sed, ô Domine, ſanguis

Apoſtrophe ad Chriſtum in Circunciſione.

ſanguinem inuocat. Sanguis meus non erat ſuffici-
ens, vt ex eo fieret malagma huic tanto vulneri. Ecce
quid profuderim, & tamen creſcit vulnus, oportuiſſet
me exanguem effici, ſi malum hoc tolleretur. Sanguis
filij tui ſpes mea eſt. Neceſſaria quidem eſt, Domine,
mortificatio mea aduerſus ſenſuum voluptates, & ef-
frenes carnis impetus. Mortificabor itaque, Domine,
operamque dabo, vt ſignum hoc in carne mea non ſit
otioſum: memor illius ero ſemper; ſed dico, & iterū
dico, etſi mortificatio mea ſit neceſſaria, non tamen
eſt ſufficiens ſine voluntariæ tuæ paſſionis merito.
Fac, fac me participem pretioſi ſanguinis tui effica-
ciæ, mortiſque illius virtutis: quod niſi feceris, recru-
deſcent mea vulnera, & plaga rediuiua in apoſtema
vel fiſtulam erumpet, meque in æternam mortem ad-
ducet. Video, Domine, non omnem præputij carnem
libidinoſam eſſe truncatam, ſed anterior eius pars tan-
tùm eſt circunciſa. Neque ego hoc à te precibus con-
tendo, vt fomes prorſus in me extinguatur; ita vt nul-
lam

Iam sentiat concupiscentiæ tentationem; sufficit mihi Domine, si Iebusæus mecum habitet, ne vnquam sim otiosus, sed semper habeam occasionem ad tuam gloriam, meamque salutem præliandi: ceterùm vel tantum mihi largire solummodo gratiæ, vt signatum respondeat signo: da ne concupiscentia carnis ad consensum animæ progrediatur; da vt cùm indomita hæc bestia, basiliscus ille peccati vult parturire, abortiat, fœtumque edat immaturum. *Concupiscētia cùm conceperit, parit peccatum: peccatum autem cùm consummatum fuerit generat mortem.* Tu tamen me circuncidisti, non vt moriar, sed vt viuam. O Domine à parentibus meis octauo à natalibus meis die iuxta præceptum tuum circuncisus sum, nomenque mihi impositum est. Lætor & gratias ago tibi: duarum namque rerum signum est; quia circuncisis cælestis hæreditas est præparata, quæ post septimam huius vitæ præsentis ætatem octaua demum (quæ erit resurrectionis) dilectis tuis conferetur. tu enim nosti eos nominatim tanquam in libro vitæ descriptos. Ceterùm, ô Domine, quomodo ego ad hāc felicem octauam pertingere potero, si mihi per Christū tuum non detur gratia, cuius ope huius vitæ meæ, huiusque seculi septimanā absq; crimine percurram? Ille primarius hæres tuus est, nos cohæredes tantùm. Neque circuncisi, neque præputiati absque illo possumus ad hæreditatem hanc peruenire. Si tu mihi signum donaueris, quo testatum facis me de numero hæredum esse, dona & per Christum gratiam, vt hæreditatis etiam aliquando habeam possessionem. Et si scriptus sim in libro vitæ (ipse est qui dicit, *In capite libri scriptū est de me*) tribue mihi vt sim membrum illius, qui vita mea est. Impositum quidem mihi nomen est, sed non facit beatum nomen hoc; faciet autem nomen Christi tui. Effunde nomen Iesu super me, & circuncidetur cor meum: venę concupiscentiæ, quæ singulis horis scaturiunt, resecabuntur, & saluus ero. Lapideo, vel è petra confecto cultello circuncisus sum, Domine; *Petra autem erat Christus.* Christo, Christo mille modis hoc signo solo destinatus sum: Christi sum, Christi sum. *Respice, respice & tu in faciem Christi tui, & miserere mei.* Ne respicias

Iacob. 1.

Psal. 39.

1. Cor. 10.

Psal. 83.

ſpicias me filium iræ, ſed reſpice illum plenum gratia, & propter illius merita dimitte mea crimina.

Illud, illud eſt, Bitontum, myſterium; hæc eſt ratio, hoc illud eſt ſecretum ſanctæ Circūciſionis, Abrahę ſemini collatæ. Conſiderate hîc immenſam diuinæ ſapientiæ abyſſum, ſummam diuinæ iuſtitiæ rationem, & magnum diuinæ bonitatis pelagus. Ab initio orbis conditi homini modum viuendi præſcripſit, conſtituit illi terminos & fines, quos tranſilire nō debebat; legem (vt ſcitis) ſuam; *De omni ligno Paradiſi comede: de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas.* Ecce præceptum leue, & copioſa diuinæ clementiæ menſura. Terminos illos ſuperbus tranſilijt, modum quem debuit nō obſeruauit, fines quos Deus conſtituerat tranſgreſſus eſt, reluctatus eſt Domino, dorſumq́ue illi obuertit. O ingratum. Hanc ob præuaricationem vſque adeò indignatus eſt Dominus, cui omne quod præter modum eſt ſemper diſplicuit, (ipſe enim omnia in numero, pondere & menſura creauit) vt vix in diebus Abrahæ, amici ſui non vulgaris, placari cœperit, ſeminiq́ue illius reconciliari. Nouum modum ſtatuit, vt nimia illa inſolentia certis limitibus conſtringeretur; nouam promulgauit legem, ſed non tam leuem quàm prior fuerat. Illa namque cautela tantùm fuerat, hæc erat futura remedium & medicina. Per illam prohibebatur ne homo creatura eſſet inordinata: per hanc id agebatur, vt reſtitueretur quod per inſolentiam amiſſum erat. Illic verba tantummodo erant placida, hîc gladius denunciatur, & ſanguis funditur. Illic ſermo eſt de arbore, cuius fructuum eſus homini prohibetur; hîc agitur de propria pelle, quæ præſcinditur, & abſque vlla miſericordia amputatur. Nec tantùm pellis hæc recta linea ſecabatur, ſed circuncidebatur, hoc eſt, in circulum ſecabatur: quia peccatum Adæ & Euæ perpetuo quaſi circulo propagabatur, à perſona in naturam, & à natura in perſonam, quæ propagatio finem non fuiſſet habitura, quamdiu homo naſceretur ab homine, etiamſi perſona generās in ſeipſa mūda fuiſſet & perpurgata.

Gen. 2.

Præcepti de pomo prohibito & de circunciſione collatio.

Et iſte itaque medicinæ modus Adamo noſtro auſterior viſus eſt, ideo cùm audiſſet Chriſtum per communem

Homo à circuncisione orat exonerari.

munem hanc viam transire; hoc est, vbi intellexisset Christum in carne natū, virum de fœmina nobis per omnia (peccata excipio) similem, cœpit ingemiscere, cælumque clamoribus fatigare; *Iesu fili Dei, miserere mei.* Ecce omnia sanguis. *Sanguis sanguinem tetigit;* *libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ.* Ecquis

Osee 4.
Psal.50.

iste clamor, ista lamentatio? inquit filius Dei: quis ille qui plangit, qui misericordiam implorat, qui ope indiget mea? Responderunt Angeli; Est miser & infelix ille, quem Pater tuus ob antiquam eius rebellionem tam seuerè puniuit. Quid faceret hic, cuius natura est bonitas? qui nihil nouit nisi ignoscere? qui non alium in finem natus erat, quàm vt miserum hunc & semen illius liberaret? Præter omnem rationem erat, eum absolutè ab hac lege Circuncisionis liberare. Suscepit in se vulnus, haud secus, quàm communes hominum filij: atque ita liberatur Adam pœna Christi. O modum verè super omnem modum. Puto vos meminisse illius Principis, qui cùm filio suo, iustitia id exigente, duos oculos erueret, ne is cæcus esset, vnum sibi & vnū filio iussit erui. Quàm celebris est in omnibus historijs Principis huius pietas & iustitia? Celebrate, celebrate itaque & vos Christum nostrum, nunquā linguæ vestræ satientur, calami vestri fatigentur, laudes illius cantando, prædicando vel scribendo. Si omnes Patres nostri circuncisi sint, & nos etiam Circuncisionis legi fuissemus obnoxij: at nūc circuncisus est ille, & nos euasimus. Cantate, cātate omnes. Patres nostri veterem annū habuerunt, duro legis iugo subiecti: nobis nouus annus illuxit, in quo ea facta est nobis gratia, quòd à tā crudeli pœna sumus liberati. Gratia, gratia Christiani. Eramus condemnati ex iustitia, sumus absoluti ex misericordia. *Mirabilia fecit, mirabilia fecit.* Faciet quoque mirabiliora, cùm morietur pro nobis in Cruce, & maximè admiranda, cùm in die Iudicij dicet; *Venite, venite benedicti, percipite paratum vobis regnum.* Quemadmodum iam nos circuncidit à peccato, sic nos in illa die circuncidet ab omni miseria. *Et mors non erit vltrà, neque luctus, neque clamor; quæ prima transierunt;* & *dicet qui sedet in throno: Ecce noua facio omnia.*

Matth.25.
Apoc.21.

Cantate, cantate, festum diem agite, cùm propter hoc quod faciet; tum etiam propter hoc quod fecit. etsi iam nos nondum glorificauit, attamen redemit: etsi nondum redemerit corpus, animam tamen redemit. O chare Iesu, ô dulcis Iesu. *In Christo Iesu neque Circuncisio valet aliquid, neque præputium. sed noua creatura.* Ecce noua creatura; *Fides quæ per charitatem operatur.* Fides, fides; Charitas, charitas. Hæc est sexcentis & quidem pluribus Mosaicæ legis præceptis, omnibus etiam legis naturæ, & Philosophię moralis, œconomicæ & politicæ gentibus tantoperè laudatæ, præscriptionibus efficacior. *Plenitudo legis est dilectio. In his duobus mandatis pendet lex & Prophetæ; Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima, & ex tota fortitudine tua; & diliges proximum tuū sicut teipsum.* Quidquid in institutionibus & circuncisorū & præputiatorum continetur, amor in Deum & proximum, cum fide in Christum in se includit. *Mandatum nouum do vobis. Facite vobis cor nouum, & spiritum nouum. Vetera nouis superuenientibus proijcietis.* Papę, quàm graui iugo sumus exonerati, Christiani, à Circuncisione exempti? Non meministis verborū Petri; *Hoc iugum super ceruices nostras impositum neque nos, neque Patres nostri portare potuimus?* Obliti estis verborum Pauli; *Testificor omni circuncidenti se, quia debitor est vniuersæ legis faciēdæ?* Et quis perpetuò legem tam durā & intolerabilem obseruare potuisset? *Ergo quod impoßibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati, vt iustificatio legis impleretur in nobis; qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm spiritum.* Euge euge destructa est Circuncisio, caput legis primarium. Euersum est veteris ædificij fundamentum. Omnia simul renouabuntur, estote bono animo & confidite. Exurget Euangelium, lex noua, iugum dulce & suaue, iugū amoris & charitatis. Non auditis amplissimum illum Iesum Christum clamantem; *Tollite iugum meum super vos, & inuenietis requiem animabus vestris?* Deficiunt mihi vires, quiescendum hîc est paululum.

[Margin notes: 1 Cor. 7. — Gal. 5. — Rom. 13. — Matth. 22. — Ioan. 13. — Ezech. 18. — Leuit. 26. — Act. 15. — Gal. 5. — Rom. 8. — Matth. 11.]

TERTIA PARS.



OCATVM *est nomen eius Iesus, quod vocatū est ab Angelo, priusquam in vtero cōciperetur.*] Ne miremini, Auditores, cùm (certò enim certitudine fidei scire non possumus, quo mense mundus creatus sit) Hebræi annum auspicētur ab Æquinoctio vernali, Athenienses à Solstitio ęstiuali; alij à Vergiliarum stellarum ortu; Ne inquā miremini, si sancta Ecclesia non ignorans, magnoperè se nomine Iesu, cui se inclinant cęli, assurgit terra, tremit infernus, nobilitatam, ne ingrata esse videatur, Calendis Ianuarijs, in quibus nomen Iesu primò publicatum est, hunc honorem tribuat, vt has caput anni noui constituat. In publicis, forensibusque instrumentis multi quidem annum ab incarnatione, alij à Natiuitate incipiunt. Vos in tota hac Iapygia ab Æquinoctio autumnali exordimini, quēadmodū & totus ferè Oriens, cui October inter omnes menses primus numeratur. Communiter nihilominus in toto Imperio Christi Ianuarius inter menses, & hic dies inter dies anni primus habetur; neq; aliam ob causam, quàm propter nomen hoc Iesu: nomen super omnia nomina & cognomina, quæ à mortalibus possunt nominari. Quare non ex abrupto vel improuiso fuit publicatum, sed summa cum religione à Virgine Matre occultatum, ab eo tempore, quo Angelus Gabriel tanquam legatus simul & procurator æterni Patris de cælo in terram descendit, vt desponsaret illam inter æternas lauros, hoc est in beata illa domo Lauretana, dicens; *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum.* Quemadmodum & pòst ad Iosephum ait; *Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum.*

Quando à diuersis nationibus annus incipiatur.

Luc.1.

Matth.1.

Ceterùm quis nóstrū dubitabit, quin in nocte illa sacratissima, qua natus est puer hic, totoque octiduo vsque huc Angeli per choros diuisi cantauerint pulcherrimum canticum hoc, sanctique pastores modos frangendo succinuerint? quis inquam dubitabit, in reuerendo illo antro, in caua illa spelunca Bethleemitica

tica Echo millies resonasse, dulceque nomen illud Iesu reddidisse? Et quæ musica dignior est Angelis hoc nomine Iesu? Interim festa ista omnia fuere priuata. Hic primus Ianuarij dies ante omnes solennis est & publicus, in quo præsentes erant tot Iudæi, cognati, amici, vt secundùm consuetudinem viderent circuncidi puerulum, nomenque imponi audirent. Omnes hi summè illud amabile nomen Iesu audierũt. O desideratum diem, ô calendas optatas, ô mensem sacratissimum. Quis scit, Docti, an non benedictus Deus Numæ Pompilio, authori & Principi Romanæ religionis, hanc mentem inspirauerit, vt annum ab hoc mense Ianuario auspicaretur, qui quidem mensis Romanis eo tempore omnino erat incognitus? Non ignoratis enim Romulum Albanorũ ritus secutum, decimestri spatio annum metitũ esse. Habebat enim tunc annus quatuor mẽses plenos, Martium, Maium, Quinctilem & Octobrem, quorum singuli triginta & vnum dies complectebantur; & sex qui caui dicebantur, dierum tantummodo triginta, Aprilem, Iunium, Sextilem, Septembrem, Nouembrem & Decembrem. Heu, vt quid tam prolixus fui in duabus partibus præcedentibus? Non iam licet hîc tam copiosè philosophari, ad gloriã charissimi nominis huius Iesu, quàm pietas suadet, optatque animus. Dicam tamen quantum licet, vos diligenter auscultate.

Annus olim decẽ tantùm menses habuit.

Ianuarius vnde nomen habeat.

Nomen illud Ianuarij à Iano deriuatur; fuit enim mensis hic à Numa Pompilio primùm consecratus. Et quis fuit Ianus hic? certè si antiquas Chaldæorum historias sequi velimus, Ianus idem est, quem Noëmum vocant sacræ litteræ. Ianus, inquam, Noëmus est, magnus ille Pater, qui tot seculis Pyrrhæ & Ogygis diluuium antecessit, qui primus mortalium generalem illum cataclysmum vidit, qui totum terrarum orbem inundauit: qui summus Dei amicus solus cum sua familia saluus remansit, humani generis reliquíæ semenque posteritatis futurus. O verè bifrons Iane, qui vno vultu ætatem anteactam, altero subsecuturã; huius initium, illius finem intuebaris. Hic est ille Pater, qui primus modum vini cõficiendi adinuenit, vnde & Ianus fortasse dictus est, cùm Iain Chaldæis

vinum

vinum appelletur. Hos imitati Græci, exigua cum differentia οἶνον, & Latini vna addita littera vinum dixerunt. Agite, agite Christiani, ecce Noë, ecce Christus verus Noë, hoc est requies, qui solus potest miseris animabus nostris in peccatis suis quãtumuis lassis & defatigatis requiẽ conferre. verus Ianus, qui bifrons intuetur anteriora, tanquam author Euangelij, & posteriora tanquam finis legis. An non & illi mysteriũ vini pulcherrimè conuenit? Ante Christum non erat vinum in mundo. O quàm appositè dicebat pia Mater in nuptijs; *Vinum non habent*. omnia erant aqua, omnia erant insipida sine Christo, tam Lex, quàm Philosophia, quàm Prophetæ, quàm Poëtæ: & Moyses & Lycurgus, Iudęa & Gentilitas. Omnes optabant paululum vini, parũ dulcedinis, parum veræ lætitiæ. *Et vinum lætificat cor hominis. Vinum non habent, Vinum non habẽt* sine Christo. Mox vt is mũdo apparuit, aqua versa est in vinum. Omne quod erat insipidũ, factum est sapidum per Christũ, imò amaritudo omnis cum Christo in dulcedinem conuersa est. Nescis lignum illud amarum aquas Marath edulcorasse? Res planè admirabilis est, Christiani: Christus noster totus amarus factus est in ligno crucis, inter tot tormenta fel insuper & acetum bibens. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus*. Nihilominus tam amarus, tot doloribus plenus, si illum spiritualibus mentis tuæ faucibus masticaueris, mediterisque, omne melle fiet tibi dulcior. O sacrum mensem Ianuarium. Æquissimum est profectò tibi honorem illum tribui, vt initium nobis sis anni noui, cum tuo illo vino nouo, cum tua illa lętitia noua nominis Iesu, quod pijs animis (vt sanctus ille Pater dicit) mel est in ore, melos in aure, iubilus in corde. Et hæc dies prima an non meritò niueo signanda lapillo est? Domini mei, quo vnquam seculo inter tot præcedentium annorũ millia nomen illud tantoperę desideratum palàm & vbique auditum est? Non meministis ardentiũ illorum votorum; *Vtinam disrumperes cælos, & descenderes, vt notum fieret nomen tuum?* Ecce, ecce sine ruptura cælorum, & sine aëris diuisione Verbum Dei, cui omnia se inclinant, sola infinita sua virtute & Maiestate personaliter in ædes nostras descen-

Christus verus Ianus seu Noë.

Ioan. 2.

Psal. 103.

Exod. 15.

Cant. 2.

Bernardus.

Esa. 64.

descendit, nomenque suum omnibus notum fecit, eoque totum terrarum orbem exhilarauit.

Septimus dies solennis erat Iudæis, Christianis verò octauus

VOcatum est nomen eius Iesus.] O quàm aptè omnia respondent mysterio. Dies hic, siue Calendæ Ianuarij octauus est à 25 Decembris, quo die Christus nascebatur. Septimus dies (vt scitis) solennis erat apud Hebræos. Christianis verò hodie solennis fit dies octauus, propter hanc sanctæ natiuitatis Octauam; in qua cum nomine Dei antiquo, sed nouo facto, datum est exordium anno Euangelij, antiqui quidem, imò æterni, sed nunc demum nouè promulgati in dierum plenitudine. Videtísne absolutum circulum? Periodus dierum absoluitur in septimo, si addas diem vnum, veniasq; ad octauũ, in circulo reuerteris ad primum. Ideo Christus non surrexit die Sabbathi, qui erat septimus, sed Dominico die, qui & primus erat, & octauus.

Octonarius numerus in nomine Iesu.

Sed & nomen hoc tãta gloria & Maiestate plenum (vobiscum loquor Græci, qui litteris Gręcis notarum loco inter numerandũ vti consueuistis) an non compositum sit è sex litteris, vt sunt Ι Iota, Η Ita, duplex ΣΣ Sigma, Ο Omicron & Υ Ypsilon, quæ in vnum subductę tria faciunt octonaria? vnum ex vnitatibus, alterum ex denarijs, tertium ex centenariis 888? Iota namque valet X. Ita VIII. Sigma CC. duplex Sigma CCCC. Omicrõ LXX. Ypsilon CCCC. Quos omnes numeros si in vnũ collegeris, Octo, octuaginta & octingenta, hoc est DCCC LXXXVIII inuenies. Octaua hæc, Auditores, quæ hodie celebratur & apud Christianos incipit, numerus est Resurrectionis. Iesus enim est, qui nos resuscitat, facitque ad vitam immortalem & æternam resurgere. Æternitas illa prima dies est, ex ea namque dies omnes omniaque tempora oriuntur. Æternitas illa octaua est, omnis enim temporum decursus in æternitatis illius stabilitate absorbetur: haud aliter quàm fluctus maris ad littus infringuntur. Ecquis verò nos ad hanc Æternitatem adducit, Moyses an Iesus? Et quis populum Israëliticum in terram promissionis induxit, Moyses an Iesus? *Vocatum est nomen eius Iesus.*

VOcatum est nomen eius Iesus.] Et quam ob causam

Circuncisionem octauo die factam arbitramini? *Consummati sunt dies octo vt circūcideretur Puer. Octauo die circuncidetur infantulus.* Certè vt significetur Iesum eum esse, qui octaua ætate resurgentium omnes veros Hebræos, qui per mare huius seculi è regno Ægypti cum victoria transierunt, ab omni miseria, omni culpa, omniq́ue pœna circuncidet. Non recordamini alterum illud mysterium? In longa illa diuturni temporis annorum scilicet XL peregrinatione Circuncisio inter Israëlitas prorsus cessauit; & Iosue postea, cùm populū in terrā promissionis induxisset, omnes denuo circūcidit. O Bitontum, pręcepit Moyses Circuncisionem, sicuti & totam legem præcepit; sed gratia, gratia est quę implet. *Lex per Moysen data est, gratia per Iesum Christum facta est.*

Leuit.12.
Iosue 5.
Rom.7.

VOcatum est nomen eius Iesus; Vocatum est nomen eius Iesus.] Quid prodest Moyses sine Iesu? ad quid conducit lex sine gratia? *Per legem cognitio peccati, per gratiam iustificatio peccatoris. Lex subintrauit, vt abundaret delictum. Apparuit gratia, vt liberemur à peccato: vbi abundauit delictum, superadundauit & gratia. Ex operibus legis non iustificatur omnis caro.* Nequaquā, nequaquam. *Si ex lege iustitia, ergo gratis Christus mortuus est.* O gratia, ô gratia. O Iesu, ô Iesu.

Rom.3.
Rom.5.
Gal.2.
Lex non prodest sine gratia.

VOcatum est nomen eius Iesus.] Hic est ille vester Σωτὴρ, ô Gręci; hic vester Saluator est, Latini. *Ego sum, ego sum, & absque me non est Saluator. Vana salus hominis,* ait Propheta. Ad Deum, ad Deum necesse est confugiamus, si salutem quæramus. *Domini est salus. Vocabis nomen eius Iesum,* ait Angelus ad Iosephum. *Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Salus populi ego sum. Virtus est in salutem. Viderūt oculi mei salutare tuum. Salutem ex inimicis nostris: recōciliati salui erimus.* O Iesu, ô Iesu. Iccirco in lingua Romana, quę semper tanto in honore habita est, tres vltimę litteræ, in quibus casus, per quos declinatur nomen Iesus, desinunt, simul iunctæ efficiunt proprium nomen Dei. *Ego sum qui sum.* Non animaduertitis? Iesus, Iesu, Iesum. S.V.M. Videtísne has litteras efficere S V M? quod proprium nomen Dei est? *Ego sum qui sum. Antequam Abraham fieret ego sum. Nisi credideritis quia ego sum*

Esa.43.
A Deo petenda salus.
Psal.59.
Psal.3.
Matth.1.
Rom.5.
Luc.2.
Luc.1.
Mysteriū nominis Iesu apud Latinos.
Exod.3.

Ioan.8. *ſum. Quum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoſcetis quia ego ſum.* Illud, illud ſignificat ſanctiſſimum nomen Ieſu. Stulti & Græci & Romani, qui exiſtimabãt nil magnificẽtius dici potuiſſe de ſummo illo numine, quàm ζεύσ, Iupiter, quaſi iuuans pater. An itaque ſummum quod præſtare poteſt Deus beneficium eſt, quod iuuat? O ingrati. An vos non creauerit? an non viuificauerit? an non moueat? Agnouit idipſum Poëta qui ait;

Act.17. *In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus.* Illud ſanè longè aliud eſt quàm iuuare. Iuuatur qui eſt, non iuuatur qui non eſt. Deus verò facit vt omnia ſint, quę priùs non erant. Ideo nec iuuat tantùm, & nomen illud Dei, niſi partem eius diuinitatis exprimit. Iupiter iuuans pater.

VOcatum eſt nomen eius Ieſus; Vocatum eſt nomen eius Ieſus.] Ecquod illud nomen eſſe putatis? eſt nomẽ proprium linguæ ſanctæ, nomen quatuor litterarum, ſed interpoſita littera שׁ Schin, quæ in medio conſtituta efficit, vt nomen illud tetragrammaton ineffabile antea, nunc effari, ſeu pronunciare poſſimus.

1 Ioan.4. *Deum nemo vidit vnquam,* ait S. Ioannes. *Vnigenitus qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit.* Ecce Schin: ecce Schin. Caro quę vobis Gręcis Σὰρξ dicitur, vnde & Σάρκωσις, quod ſanctum Incarnationis myſterium deſignat, deriuatur, intrinſeca (inquam) illa coniunctio carnis, ad Verbum, in vnitate perſonæ medium eſt, per quod Deum cognoſcimus, quem antea nemo vnquam carnalibus oculis viderat.

Coniunctio carnis ad Verbum, facit vt Deum cognoſcamus.

Exod.33. *Non videbit me homo & viuet,* ait Deus ad Moyſen. Et poſtea; *Poſteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris.* Niſi Filius Dei incarnatus eſſet, nũquam Deus à mundo cognitus fuiſſet. Poſtquam autem incarnatus eſt, ecce, ecce Propheta;

Eſa.52. *Et vidit omnis caro ſalutare Dei. Et vidit omnis caro ſalutare Dei.* Quòd ſi inter litteras י Iod & ה He ab vna parte, & inter ו Vau & ה He ab altera parte, שׁ Schin litteram non interponas, nunquam iſta quatuor elementa in vnum coaleſcent nomen, quod aliquam habebit dignam Deo ſignificationem. Arguit hoc imaginatio ſimilitudinis characterum duorum הה He, qui ſunt apud Hebræos quaſi duo

Nomen Dei apud Hebræos.

ππ Pi apud Græcos, & parua differentia inter י Iod & ו Vau (in hoc enim differunt tantùm, quòd vnum alio est paulò maius) quæ duæ litteræ pro duobus ι Iod Græcis possunt accipi.) Ecquid hinc conflabis? Non aliud sanè quàm Ippi, ιππι, quod neque apud Græcos neq; apud Latinos quicquā significat; quemadmodum nec barbara illa & prodigiosa Deorum nomina, Armagil, Barbelon, Leusibora, quæ Hæretici quondam in Africa tanto cum artificio cōfinxerunt, non alio fine, quàm vt populum, qui non admiratur nisi quod non intelligit, & peregrinis vocibus maiorem credit inesse Religionis Maiestatem, seducerent. Intelligitis hæc Christiani? Solet interim ferè apud Hebræos quatuor istarum litterarum cōnexio יהוה Iehoua pronūciari, vnde nomen Iouis deriuatum existimo: quod quàm parum habeat reuerentiæ, Maiestatisque, ipsi facilè animaduertitis.

Agite, agite, *VOcatum est nomen eius Iesus; Vocatum est nomen eius Iesus.*] Nescio profectò cur Rhetores nostri in Germania non audeant dicere, *Saluator*; sed vbique ferè pro Saluatore Seruatorem transferant: quasi non sit prçclarius saluare, quàm seruare, aut conseruare. An non & Latinis in vsu sint voces, *Salue, Saluare, Salus?* & herba illa tam salubris, quam Saluiam vocant, cur Saluiam dici putatis, an quia seruat, conseruat, præseruat? aut potiùs quia infirmum verè liberat, & à morte saluat? Interrogate Medicos, quotum est notus ille in schola Salernitanta versus; (Reprehēduntur Grāmatici in Germania, qui Seruatorem pro Saluatore dicent.)

Cur moritur homo, cui saluia crescit in horto?

Consulite Plinium Latini; *Saluiam,* inquit, *vocant mentæ similem, canam, odoratam: partus emortuos ea apposita extrahit.* (Plin. lib. 22. cap. 25.) Vsurpate, vsurpate antiquam Ecclesiæ vocem, *Iesu Saluator mundi, qui saluasti Petrum in mari, miserere nobis.* Non legistis quàm grauiter reprehēsus fuit ille Grammatista, cui cùm vox *grabbatum* in Euangelio dura, minusque elegans videretur, illius loco in Ecclesia palàm *Cubile* recitauit? *Saluatorem expectamus* (filioli mei) *Dominum nostrū Iesum Christum.* (Philip. 3.) Et ipsa incircuncisa gentilitas sicut Fortunam & Virtutem inter Deas referebat, sic etiam Salutem pro

Dea venerabatur. *Ipsa si cupiat Salus saluare prorsus non potest hanc familiam.* Non est Deus alius, nec alia Dea, præter Iesum Christum: ipse est salus nostra; ipse est Saluator noster.

VOcatum est nomen eius Iesus.] Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. O Iesu, ô Iesu, salua res est Domine, posteaquam dignatus sis incarnari, vt saluares nos, efficiasque vt te Saluatorem nostrũ & agnoscamus & profiteamur. Tu solus es qui nos in securitatis portum adduxisti, qui nos ab omni periculo liberasti. *Sicut pluuia in vellus descendisti, vt saluum faceres genus humanum: Te laudamus Deus noster; te laudamus Deus noster.* Tu es verus ille Saluator noster, qui saluasti nos, tanquam doctor doctrina tua sanctissima, tanquam medicus Sacramentis tuis sacratissimis, tanquam Capitaneus prælio tuo felicissimo. O Iesu, ô Iesu, Iesu Sirach, fidelis Doctor, Iesu Iosedech summe Sacerdos, Iesu Naue inexpugnabilis antesignane. Tu nos saluasti à pondere legis, à potestate Dæmonis, à captiuitate inferni, à malignitate peccati. Istæ erant quatuor miseriæ nostræ, Christiani; hęc quatuor erãt pericula, in quibus omnes magno nostro malo versabamur, timebamusque quotidie peiora. sed ne ea nobis euenirent, tu, ô Iesu, nouum hoc nomen tibi assumpsisti, nomen plenum gloria, nomen Saluatoris mũdi. Nomen illud tibi Domine multò maiori merito debebatur, quàm ei, qui typus quondam fuerat Iosephus, quando Ægyptum in immensa illa fame saluârat.

Reprehendit eos qui nomine Christiani sunt, non re.

Heu Christiani mei, cõtinere me diutius non possum, deplorandũ, dicendumque mihi tandẽ semel est, quòd inter nos, dico inter nos qui Catholici dici potius, quàm esse volumus, tot, tamq; insensi sunt Christi persecutores, qui mutatis signis ad inimicos transfugerunt, qui relicto illius stipendio, ab eo desciuerunt. Non quidem ore & verbis, sed operibus, vitaque sua scelerata, & Diabolicis moribus. Hos tu Christianos appellabis? *Ipse saluum faciet populum suum; populum suum*, Bitontum. Ponderanda sunt verba hæc. Has pestes mundi, hæc inutilia terræ pondera, imò fungos emortuos, qui etiam aërem inficiunt. Hos blasphe-

Matth. 2.

mato-

matores Dei, crudeles in pauperes, auaros, qui diuitijs nunquam satiantur: qui sacrificio Missæ nunquam, nisi ex vsu intersunt: Hos qui in tota Quadragesima vix semel ieiunant, qui nullas dant eleemosynas, nisi vanam fortassis gloriolam captantes, qui odio implacabili fratres suos persequuntur: Hos qui nihil aliud agunt, quàm litigant, causas defendunt iniustas, peierant, salsa perhibent testimonia, opprimunt monasteria, monachis sunt iniurij, vexant infelices viduas: Hos, qui operariorum suorum mercedem detinent, qui quàm iniustissimè possunt fœnerantur, qui mille modis miseram plebeculam deuorant, qui per fas & nefas suos thesauros augent, qui de futura vita non sunt soliciti, sed in eo toti sunt, vt quàm blandulè possunt, hoc suum curent corpusculum: Hos, qui Religionem contemnunt, præterquam vbi ipsis vtilis est, & cōmoda; qui nullo timore Dei tanguntur, qui Sanctos non reuerentur, qui lædunt libertatem, immunitatem, dignitatem & potestatem Ecclesiasticam: Hos qui inter Laicum & Sacerdotem nullum discrimen agnoscunt, qui matrimonium inter Christianos negant esse Sacramentum, qui concubinas suas alunt, & vt Reginas vestiunt, qui proprias vxores & filios affligunt: Hos, qui nomen Sacerdotis gerunt, & vitam viuunt secularem, qui præterquam quòd Clerici sunt omnino sunt profanissimi, verè Sacerdotes siluestres, toti siluescentes, & in omnibus rebus suis dissoluti: Hos qui viuunt vt Ethnici, & paulò pòst moriuntur vt hæretici; Hos inquam tu populū Iesu Christi appellabis? Apagite, apagite hinc filij Diaboli. *Inimicos meos, & qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite coram me*, inquit Christus, non legistis? Euge, euge, *Ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum*, & à pœnis debitis pro peccatis. quę pœnæ quoque peccata nominantur. Luc. 19.

Ceterùm dies hic plenus est noua fiducia; nemo, Fratres mei, desperet, omnibus enim natus est Christus: nemo extollatur, nemo superbiat, omnibus enim Christus est necessarius: sine Christo saluatur nemo, per Christum quilibet saluari potest. Esto quocunque

in statu velis, mediante Christo via tibi ad salutem
Rom.3. præparatur. *Non est distinctio, non est distinctio, omnes*
1 Tim.3. *peccauerunt. Et Christus Iesus venit in mundum, peccato-*
Luc.19. *res saluos facere.* Omnes perierunt, & *Christus Iesus ve-*
nit quærere, & saluum facere, quod perierat. Omnes te-
nebantur sub lege mortis, & Christus Iesus *venit, vt*
Ioan.10. *vitam habeant, & abundantiùs habeant.* O Christe, ô
Christe. O Iesu, ô Iesu. O Saluator, ô Saluator, ô sa-
lus, ô vita.

Finem facio, Auditores, déstituit me vox. Sol properat ad Aquarium lætare Bitontum, messis tua perierat, si siccitas hæc terram diutius fatigasset. At nunc exulta, quia Christus Sol noster ingressus est Aquarium, hodie cœpit aquam suæ gratię in hunc mundum
Psal.142. nostrũ infundere. *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Deplue Domine, deplue: effunde magnam Vrnam tuam, & aqua salutaris tuæ gratiæ glebas aridæ sterilisq́; terræ nostræ madefaciat. Dulcis Iesu, pro me hodie sanguinẽ hunc fudisti, pro me vulneratus, pro me occisus es. Abluat, abluat sanguis ille maculas meas, plagæ istæ feriant animam meam, mors illa sit vita mea. O benigne dulcisque Puerule, ex isto lacte quod hodie suxisti ab vberibus Matris tuæ, & ex illo sanguine qui hodie de corpusculo tuo fluxit, fac mihi potionem medicam, quæ animam meam aduersus concupiscentiam carnis frigiditate lactis refrigeret, & amore Dei in spiritu caliditate sanguinis calefaciat, vt tandem fiat candida & rubicunda, quo digna sit a-
Cant.5. more tuo, similisq́; fiat tibi, de quo canitur; *Dilectus meus candidus & rubicundus, cuius vocatum est nomen Iesus.* Abite in pace, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

CON-

CONCIO DE EPIPHANIA DOMINI:

Habita Papiæ, in Ecclesia Cathedrali, ipso die quo Magorum adoratio celebratur, Anno M. D, XXXVI.

Præsente Ducissa Mediolanensi.

IN EVANGELIVM

CVM *natus esset Iesus in Bethleem Iudæ in diebus Herodis Regis &c.* Matth. 2.

PROOEMIVM.

SI gloria Christi nostri adhuc fasciis inuoluti, duris stipulis fœnoque tecti, & ab vberibus adhuc matris dependentis, tredecim tantũmodo diebus nati talis ac tanta sit, vt ab extremis Eoi partibus duce stella, qua nunquam visa est maior aut rutilantior, hodie cum admiratione omniũ seculorum præteritorum, præsentium aut futurorũ, sanctos Magos, summos Reges, summosque Philosophos ad adorandum puerulum, eique secundùm Persarum consuetudinem aurum, thus & myrrham offerẽdum traxerit: æquissimum profectò est, vt & nos in testimonium veri amoris, fidelis obsequij, & obedientiæ perpetuæ tam excellenti Filio, antea Deo quàm homini, antea sancto quàm nato, antea Regi quàm adorato, pulchriùs in anima sua sancta splendenti quàm mille soles, corda nostra in holocaustũ offeramus, sacrifi-

cium omni tẽpore illius oculis gratissimum. Ne nos deterreat vilitas loci, paupertas panniculorum, & humilitas aulæ gloriæ maiestatisq; magni huius Regis, Etsi enim in forma serui, in operibus & passione mortalitatis nostræ agnoscatur veritas humanæ carnis; in hac nihilominus sancta adoratione, in stellæ huius apparitione, in timore Tyranni, in commotione vniuersæ vrbis Hierosolymitanę, suprema diuinę naturę Maiestas cum virtute quadam manifestatur. *Venite adoremus & procidamus ante Dominum, qui fecit nos.* Hoc est exemplum quod imitari debemus: hoc est debitum, quod ille à nobis expectat. Tu Regalis ciuitas Papia, tot potentissimorum Regum quondam domicilium, gloriosam hanc Regum festiuitatem cum iucunditate celebrato: Regum, inquam, qui tanta cum velocitate, reuerentia & humilitate venerunt, vt sese subijcerent vnico omnium Regnorum Monarchæ, illique tributum penderent. Sed & in conspectu serenissimæ Christiernæ longissima serie Regum, Reginarumque filiæ, & nũc Illustrissimi nostri Francisci secundi Ducis Mediolanensis sponsæ, iucundior, lętior que sit hæc sancta Apparitio, quàm fuit vnquã antea. *Venit enim lumen tuũ, & gloria Domini super te orta est.* Salutemus Beatam Virginem. *Aue Maria.*

Psal. 94.

Esa. 60.

PRIMA PARS.



SI infinita magni illius Dei Maiestas in prima mũdi antiquitate, ante Monarchias, Indictiones, Olympiades, Iubilęa, in primo principio, cùm ex nihilo creasset omnia (sapientia profectò soli fidei nota, rationi incognita, humilibus per gratiam reuelata, superbis iusto Dei iudicio occultata) ad laudem & gloriam infinitę suę Maiestatis, & ad publicã hominum, Angelorumq; recreationem, magnũ illud diei septimę festum celebrauerit; volueritque illud per omnia ætatum, seculorumque curricula fore perpetuum, vt in sanctissimo viuentes otio, vacantesq; ab omnibus profanis cogitationibus, solennem pompam tot, tantorum

torumque donorum, quę ex secreto suo thesauro producta, larga manu in omnes creaturas, post æternos annos, post infinita seculorum secula, in quibus solus ipse in semetipso erat, effuderat, alta mente contemplarentur: Rationi consentaneum est, ô Illustrissima Domina, & vos Reuerendissimi Domini, qui in hac Auditorum corona sedetis, vt postquam idem Deus paucos ante dies omnia Natiuitate Filij sui recreasset exhilarassetque, cælum & terram inaudito illo nomine gratia pleno Iesu, nomine super omne nomen, in quo consistit omnis noster honor, omnis nostra laus, tituli omnes, omnisque dignitas & gloria Christianitatis; nomine quod initium est & finis omnis existimationis & authoritatis, quam habet humana species cum Deo, super omnes Angelorum ordines; rationi, inquam, consentaneum est, vt summa illa Maiestas iam tãdem Iudeæ limitibus egrediatur, ad alias etiam se nationes extendat, alijs Regnis & prouincijs innotescat. Non enim solis Iudæis natus est. Inuitat igitur hodie omnes gentes, solennem festiuitatem hodie instituit, panegyrin hodie maximam celebrat, ad quam ab extremis finibus Orientis Reges, Philosophi & Sacerdotes concurrunt, vt videant, contemplentur & adorent Christum æternaliter, non factum, non creatum; factorem, creatorem & authorẽ omnium quæ videntur & non videntur: sed vltimis diebus istis secundum carnem factum & creatum in sacratissimo ventre B. Mariæ Virginis, & extra ventrem eiusdem. Non est humana festiuitas hæc, Domini mei, quemadmodum nec dies Dominicus: Deus enim ipse author & institutor vtriusque est. Dominicum diem instituit in lætitiam creati mundi, quem Platonici certo quodam modo nominant Fiilium Dei; Epiphaniam in lętitiam nati Christi, quem Deus ipse filium suum nominat; *Dominus dixit ad me; Filius meus es tu: ego hodie genui te.* Dominicus dies manifestat magnitudinem Dei per mundi huius fabricam; Epiphania reuelat magnitudinem Christi per gloriosam illius Natiuitatem.

Cur Christus terminos Iudæę transgrediatur.

Comparatio diei Dominici & Epiphaniæ.

Psal. 2.

Quàm spatiosum hîc campum habetis, Auditores, contemplandi diem hunc, piè celebrandi, & vos ipsos

Omnia quæ in mūdo sunt spiritualiter in Christo inueniri.

in gemino hoc theatro Christo & mundo oblectandi? Mundus cōplectitur omnia, Christus sustētat omnia. In mundo sunt elementa, in Christo sunt Sacramēta. Mundus est fundamentum & basis naturæ, Christus est organum viuum & coniunctum diuinæ gratiæ. Mundus hic vix vmbra est magni Dei, Christus est ipsa diuinitatis substantia. Vultis videre cælum & terrā in Christo, haud secus quàm in mundo videtis? ecce Verbum & caro. Vultis immēsas aquas tam quæ supra, quàm quæ infra firmamentū sunt, cernere? ecce tot gratiæ vnionis personæ incarnatę & capitis Ecclesiæ. Vultis aërem & ignem conspicere? ecce Spiritus S. quo erat plenus. Aër vitalis & ignis diuinus. Vultis duos polos vobis ostendi? ecce vita sine aliqua mēda, & sine aliquo errore doctrina: in his duobus totus Christianitatis circulus voluitur. Solem, Lunamque in Christo quæritis? ecce sapiētia diuina & humana; viatoris & comprehēsoris. & quæ stellæ tanta fulgent cum claritate, quanta nitent Christi nostri vulnera? Quis Oriens formosior fuit eius Natiuitate? Quę meridies serenior & purior toto vitæ illius curriculo? Quis Aquilo ferior, asperiorque illius ęrumnis & supplicijs? & quis Occidens tenebrosior & obscurior est illius morte? Quis denique arcus cælestis pulchrior esse potest adaperti lateris Christi vulnere, optato pacis inter Deum & hominem symbolo? Qui fulgura & coruscationes continuas in hoc mundo nostro spectare desiderat, intueatur sanctos mores, singularia opera & stupenda miracula, quæ in medio profundissimæ noctis, in tenebrosissima gentium infidelitate, ad illuminationem hominū operatus est. Quid auri, gemmarumque fodinas quæritis? ecce parabolæ sanctæ profundis plenæ sensibus. Ecquis Oceanus tam immensus, quàm misericordia Christi, quæ non fluit & refluit, sed absq; vlla intermissione copiosas aquas suas in peccatores & peccatrices effundit? Ecquę plantæ fructiferæ succrescunt vspiam, quæ mysticis membris Christi possunt æquiparari? Quis enim ignorat quod Sanctus ille dicit; *Ego sicut oliua fructifera in domo Dei*? Vultis vt vobis ostendam iumenta? ecce homines actiui: *Vt iumentum factus sum apud te.* Vultis

Psal. 51.

Psal. 72.

tis aues; ecce contemplatiui, qui dicunt; *Quasi columbæ meditantes gemimus*. Reptilia an desiderentur? ecce pusilli, imperfecti, incipientes, qui dicunt; *Ego sum vermis & non homo*. O qualis mũdus, qualis mundus est Christus noster? mundus est supra mundum, vltra mundum, extra mundum, ante mũdum, & post mundum. Supra mundum per authoritatem, vltra mundum per Maiestatem, extra mundum per immensitatem, ante & post mundum per æternitatem. Theologi animaduertite quæso quantas diuitias symbolica tantùm Theologia (non enim ego dignus sum, qui secretum conclaue mysticę ingrediar) de Christo nostro suppeditat; quantam ostendit sublimitatẽ, quantam profunditatẽ? Iccirco Ecclesia sancta, cui omnis dies in Christo & per Christum festus est, nunquam officium aliquod peragit in quo non gaudet renouare dulcissimam illam memoriam tanti honoris, tantę salutis, tot beneficiorũ, quæ à Christo percepit. Quẽadmodum singulis septimanis dies Dominicus inuitat populum Christianum ad celebrandum bonitatem Dei, eiq́ue gratias agendum, qui de nihilo creauit omnia in vsum tantummodo nostrum; vt etiam aliquid recreationis spiritualis recipiat, qua postea nonnihil refocillatus, magisq́ue dispositus ad labores reuertatur corporales: ita pietate mota Ecclesia, propter incredibiles molestias, quas hæc vita mundana plena negotijs, litibus & molestijs, secum adfert, vt semel in anno populũ plenè quiescere, diéque festũ cum iucunditate celebrare faciat; hoc die, qui decimus tertius est à sanctissima illius Natiuitate, summa illa gaudia Natiuitatis Christi celebratæ & annunciatæ per mundũ vniuersum, tanta cum pompa Cæli, terræ, stellarum, Camelorum, Regum, auri, thuris, & myrrhæ, in memoriam voluit reuocare. O verè festum omnium festorum, ô dies meritò Pascha, hoc est transitus, dicendus. *Est enim Phase (id est transitus) Domini*. Ecce Christus à Iudæis transit ad Ethnicos; à Iudæis incredulis ad Ethnicos fideles. Similiter & Christianus transit à fide imperfecta in pastoribus nata, ad fidem magnã, Regibusq́ue dignam.

Hæc sunt testimonia tua dulcissime Domine, quæ indu-

Esa. 59.
Psal. 21.
Christus est verus mundus.
Epiphariam cur celebrat Ecclesia.
Exod. 12.
Apostrophe ad Christũ.

indubitatam fidem rerum tuarum faciũt; Antequam factus es vir ætate matura, temet manifestas in templo vt legis interpres, in Synagoga vt Dominus Sabbathi, in foro vt amicus veritatis, in montibus vt orationis Magister, in conuiuijs vt conuersationis institutor: Antequam in Ægyptum fugiens debellasti idola, & antequam te reuertente moritur Herodes: Antequam præsentatus in templo Simeonis vlnis stringeris, habitansque in Nazareth Sanctus appellaris: Antequam ad Baptismum procedens in ripa Iordanis sanctus Ioannes Baptista præ reuerẽtia territus, nõ ausus est pedes tuos discalceare: Antequam Spiritus sanctus in caput tuum descendit, Pater tuus voce cælitus demissa tibi applausit: Antequam manibus tuis benedictis leprosos mundasti, omnipotenti verbo tuo febres extinxisti, sancta saliua tua cæcos illuminasti, & minitabundo nutu tuo tempestates maris sedasti: Antequam ad prædicationem tuam auarus Zachæus dimidium bonorum suorum dedit pauperibus; Publicanus factus est Euãgelista; Peccatrix sancta; Chananæa & Samaritana impletæ sunt Spiritu sancto. Antequam sol in morte tua obscuraretur, velum scinderetur, petræ rumperentur, sepulchra mortuorum aperirentur, mortui resurgerent, vt ingrata Iudæa terrore cõcuteretur, eò quòd tam enorme delictum committerent, authorem vitæ turpissima morte interficientes: Antequam dico hæc testimonia conspiciuntur, præcedunt ea, quorum in hac solennitate fit mentio. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.*

Testimonia Maiestatis & excellentiæ Christi.

Psal. 92.

In Christo sunt omnia.

Christo, Domini mei, destinata est lex, Sacerdotium, Sacramenta, vnctio, dignitas Regia, testamentũ, Prophetiæ, templũ, Leuitæ, vasa sacra, sacrificia: Christo assignantur ceremoniæ, iudicia, ordines, ritus, gratiæ, iustitiæ, Euangelium, fides, spes, charitas: Christi sunt prædestinatio, vocatio, iustificatio, glorificatio, vita, mors, Angeli, Diaboli, cælum, terra, aër, aqua, mundus, infernus. Omnia, omnia ordinata sunt ad gloriam Christi. Omnia tua sunt, omnia tua sunt, Christiane. Christus enim tuus factus est. *Omnia vestra sunt, omnia vestra sunt, vos autem Christi; Christus autem Dei. Si proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus*

1 Cor. 3.

Rom. 8.

tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis bona donauit? Lætemur & exultemus omnes, qui hactenus in puluere sedimus. Laudemus Deū, gratias agamus Virgini, quia peperit nobis Iesum Christum, filium Dei. Si ille sit Iesus, hoc est, Saluator; vtique *Saluum faciet populum suum à peccatis eorū.* Si ille sit Christus, hoc est, vnctus oleo sancto, *Computrescere faciet iugum à facie olei.* Si ipse sit filius Dei, qui est omnipotēs; *dabit potestatem filios Dei fieri.* Non venit Iesus absque salute, Non venit Christus sine vnctione, non venit filius Dei sine gloria. Iesus est ipsa salus, Christus vnctus & vnctio, Filius Dei est vera gloria. Iesus iustificat, quis est qui condemnet? Christus sanat, quis est qui percutiat? Filius Dei exaltat, quis est qui deprimat? Respirate, respirate infelices animæ, animæ perditæ: Natus est Iesus; *Qui venit quærere & saluum facere, quod perierat.* Exultate infirmi; *Natus est Christus, qui sanat contritos corde. Vnctione misericordiæ suæ.* Lætamini miseri, ecce natus est filius Dei; *Vt filij Dei nominemur, & simus:*

Matth.1. Esa.10. Ioan.1. Luc.19. Psal.146. 1 Ioan.3.

Non me contineo, volens nolens in incredulam Synagogam inuehor. Lætare nobilis Anna; æmula tua Phenenna, quę vsque huc tot peperit soboles, quot gramina vestiunt terram, & superbiens tibi tuam exprobrare ausa est sterilitatem, hodie à suo marito, tanquam adultera repudiata est; & tu ex mera Dei gratia ad eius confusionem fœcundaris. Dilata tentoria tua, amplientur ædes tuæ, ab Oriente namque vsque ad Occidētem, & à mari ad mare terra electo semine tuo implebitur. Filius qui hodie nascitur, tibi nascitur, Gentilitas. Nasci debebat Synagogæ, sed illa per incredulitatem suam se eo reddidit indignam. Illius casus tua est resurrectio; illius peccatum tua est gratia; eius diminutio tua est plenitudo; eius damnatio tua salus est. *Lætare, lætare sterilis quæ non paris, erumpe & clama quæ nō parturis: quia multi filij desertæ magis, quàm eius quæ habet virum.* O quot fratres adoptabit ęternus Pater per hunc filium? *Vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Quàm ineffabile erit gaudium tuum ô Gentilitas, quando in corde tuo admiratione pleno dices; Quis mihi tot donauit filios? Quomodo in tantam

Gratulatur Ecclesiæ ob fœcunditatē suam. 1.Reg.1. Christus gentilitati, non Synagogæ natus. Gal.4. Rom.8.

Esa.49. multitudinem excreuit semen meum? *Ego sterilis, & non pariens, transmigrata & captiua: & istos quis enutri-*
Esa.60. *uit? ego destituta & sola: & isti vbi erant? Surge, surge,*
Epiphania *illuminare Hierusalem.* Hæc sunt solennia luminum,
festum luminis. luminum cælestium non terrestrium, luminum viuentium non mortuorum, stellarum nō lampyridum aut cicindelarum. Illuminamini, illuminami omnes Christiani; renunciate præteritis & antiquis erroribus. obumbrate veteres ignorantiæ tenebras, aspicite sursum, non quæ deorsum sunt. *Venit lumen tuum, lumen tuum; & gloria Domini super te orta est.* Ad Deum, ad Deum contendite, Domini mei. Heu quæ amentia

Stultitia hominis quæ & quanta. nostra est, quæ amentia, quæ amentia, qui cùm vix nati deberemus confestim facies animarum nostrarum ad summum illum Solem, ad Deum, à quo illuminamur quotidie, imò singulis momētis, attollere, eumq; intueri: cùm nihil nobis antiquius, nihil charius esse debeat, quàm amor, quàm reuerentia, quàm honor, quàm cultus Religionis, rerum sacrarum, Dei & Sanctorum; nos econtrariò postposito cultu diuino, contempta Religione, conculcata pietate, tota vita nostra

Contra irreligiosos & Deo ingratos. mundanis, caducis & lubricis huius seculi rebus occupamur, oculos mentis nunquam in cælos eleuātes, de vita æterna ne quidem cogitantes, salutis animarum nostrarum diligenter immemores, & studiosè soliciti, quo pacto honorem illius, qui nos creauit & plasmauit, qui nos conseruat & liberat, imminuamus, imò contaminemus? Domini mei, magnus ille Tityrus apud Poëtam nostrum, qui præstantissimis suis poëmatibus dubiam fecit palmam, quæ Homero tribui solebat, eleganter & piè loquitur Melibœo;

Eclog.1. *O Melibœe, Deus nobis hæc otia fecit.*
Namque erit ille mihi semper Deus, illius aram
Sæpe tener nostris ab ouilibus imbuet agnus.

Si Ethnicus vpilio inter oues educatus, pro exiguo quod illi donârat Deus illius tutelaris otio, ne esset ingratus, diuinos honores frequentauerit, altaria eius donis onerauerit, vota fecerit, agnosq; teneros & immaculatos obtulerit; quid nobis faciendum est, qui
Act.17. omnia nostra, quòd *sumus, quòd viuimus, quòd sentimus, quod mouemur* Deo debemus (vt alius quidam Poëta

cecinit?

cecinit? Ah quam vnquam excuſationẽ proferemus, quo minùs illum reuereamur, illi noſmetipſos offeramus, illum purè colamus? Arua ſuis agricolis reddunt ſemina cum fœnore: Videtis quãta copia, quantaque liberalitate arbores veſtræ fructus ſuos vobis proferunt; Oues ſimiliter & capræ cognoſcunt dominum ſuum, qui cùm vocat eas ſpontè veniunt ad mulctra, vberaque præbent manibus illius emulgẽda. Canes qui fideles ſunt non deſiſtunt ſequi veſtigia dominorum ſuorum, latrando, mordendoque defendunt eos, eorumque ædes à nocturnis furibus: intrepidi in arma hoſtium irruunt, vt vitam dominorum mortis ſuæ periculo tueantur. Exigua hæc ſunt? addam aliud quod magis mirandum eſt. Aquila, volucis natura ſua rapaciſſima, vt gratiam referret virgini, à qua erat educata, (incredibile videretur quod narro, niſi duę ciuitates Græciæ Seſton & Abydon huius rei fidem facerent) poſtquam adoleuiſſet, quotidie prædatum venatumque volitans, optimam partem nutrici aggerebat. Virgine tandem mortua, & in accenſum rogum patrio more coniecta, aquila ſeſe in eũdem rogum iniecit, & ſimul conflagrauit, vt caro ſua carnibus charæ nutricis ſuæ miſceretur. O Chriſtiani, ô Chriſtiani; homo animal ſanctũ, (ſic enim & ab Ethnicis appellatur) animal vnum inter omnia reliqua rationis capax, animal natura ſua immortale & diuinum, cui omnia ſeruiunt, cui poſt mortem etiam cæli patebũt, vt æterna illic cum Deo felicitate fruatur; hoc inquã animal, hic homo, immemor tot tantorumque beneficiorum, quæ Deus in illum pluit, non dabit operam, vt ei gratias agat, eum cognoſcat, eum reuereatur? Et quæ propria eſt hominis excellentia? nonne Religio? Quemadmodũ itaque ſolus homo habet religionem, ita non eſt homo, niſi externo vultu, qui irreligioſus eſt, vel impius in Deum; aut qui Deum ignorat, aut negligenter coram illo ambulat. Anima rationalis eſt forma hominis, ſecundùm Philoſophos; honor eſt forma hominis iuxta Nobilium opinionem; non enim inter Nobiles (vt ſcitis) recẽſetur, qui honorem amiſit: Secundùm Deum non eſt homo, qui non habet Religionẽ. Canis mortuus eſt, canis mortuus eſt.

Cõtra ingratos erga Deum locus inſignis.

Similia.

Mirandum de Aquila.

Plin.lib.10. cap.5.

Homo animal ſanctũ.

Homo ſine religione nõ eſt homo.

Foris

Apoc.22. *Foris canes; Videte canes; Nolite sanctum dare canibus.*
Philip.3. Ad Deum, ad Deum, Christiani, ad Religionẽ, ad cul-
Matth.7. tum diuinũ. Et quæ iustitiã tribuens vnicuique quod suũ est inter homines esse potest, nisi ante omnia detur Deo, quod illi debetur? Quem honorẽ, quam reuerentiam parentibus deferent filij, si tam turpiter negetur honor Deo, omnium nostrum primario parenti? Quam obedientiam Principes expectabunt à suis subditis, si non obediant Principi omnium Principũ, & omnium Regum Regi, Deo super omnia benedicto? Quæ amicitia coletur inter homines, si tam parui fiat amicitia cum Deo, à quo solo omnis nostra salus depẽdet? Denique quem in virtutibus progressum faciemus, si nõ ante omnia in vera Religione omnium virtutum origine fundemur?

Discite iustitiam moniti, & non temnere diuos.

Religio quàm necessaria. Illa est primũ mobile, quod secum rapit omnes sphęras inferiores. Ista est primus annulus magnæ illius catenæ aureę, qui cùm rumpitur, omnia dissoluuntur. Hæc est anima mundi, à qua vita nostra primò nascitur. Hæc est circulus, qui omnia bona nostra complectitur, Religio scilicet, quæ si non regnet in ciuitate, frustra feruntur leges, frustra leguntur magistratus, vana sunt iudicia: corruunt, cõfundunturque omnia, si Deus aut negligatur, aut postponatur.

Hoc nostro infelici seculo, nulla de re frequentior sermo est inter Christianos quàm de fide; operum verò nulla est mentio: haud secus quàm si non essent ad salutem necessaria. Cùm igitur tam frequens sit hac ætate vox illa *Fides*, & tãtus falsorum concionatorũ, qui simplices seducunt, sit numerus: quęro quid sit fides, aut quæ vocabuli huius sit etymologia? Nõ ignoratis Docti Ethnicorum sententiam, qui dicunt; *Dicta est fides, ab eo, quod fiat quod dicitur; ab eo quòd fiat id quod dicitur.* Facite, facite igitur Christiani, quod dicitis, si fideles haberi velitis. Ideo Religio Christiana vocatur Fides, quia fieri debet, quod dicitur. Fides ciuiliter loquendo pactum est inter eos qui simul contrahunt. Meministis illius; *Dictorum factorumque conuentio?* Ciceronis vestri verba sunt, quem hîc non minùs fortasse, quàm Bononiæ vel Paduæ studiosa iuuen-

Etymologia fidei. & quid sit fides.

tus

tus profitetur. Deus conuenit nobiscum, & nos cum Deo, idque Christo mediante. Deus fidem seruat in ijs quæ promisit, cur non & nos seruemus in his quæ promisimus? *Estote, estote factores verbi*, inquit Iacobus: quasi diceret, Promisistis in baptismo vos mundo & Diabolo abrenunciaturos; abrenunciate: Singulis annis promittitis Sacerdoti vicario Dei, quòd à peccatis vos abstinebitis, quòd concubinas eijcietis, quòd bona alterius restituetis, quòd mores in melius commutabitis, quòd sanctiorem & puriorem vitam viuetis, quàm vixistis hactenus? Soluite fidem, facitè quod promisistis. Alioquin fides vestra vana est. *Qui perspexerit in lege perfectæ libertatis, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.* Ecce lex, ecce lex perfectæ libertatis Euãgelium Christi; Religio Christiana verè lex libertatis est, sed nõ licentiæ: est enim lex spiritûs, non carnis. Hæretici faciunt eam legem licentiæ, dilatant enim viam sensuum coram populo, tollunt Quadragesimam, Aduentum, feriam Sextam, Sabbathum, Missam, Cõfessionem, abstinentiam, capitisque clericalis reuerentiam: iccirco tantus ad illos vulgi est confluxus. Christus noster nos quidem liberos efficit, at non licẽtiosos. *Nunquid Christus peccati minister est? Absit, absit.* Viam quidem quæ ducit ad cælum faciliorem reddidit, at laborẽ bene viuẽdi non omnino sustulit. Non audistis eum nos inuitantem ad tollendum iugum, ad portandũ onus? *Tollite iugum meum super vos. Portate Deum in corpore vestro.* Mutauit laborem, nõ abstulit. Accidit iugum, non soluit: ô quàm leue iugum, ô quàm suaue onus. Exonerat nos peccatis, & onerat gratia; exonerat nos mundo, & onerat nos Deo. An non magna libertas vobis esse videatur, Deo seruire? in eius gratia viuere? ab omni peccato immunem esse? Seruire Deo regnare est. *Vbi spiritus Domini, ibi libertas.* Et quæ maior libertas, quàm naturalem libertatem arbitrij nostri gratia Dei stabiliri? eandemque gratiam vsque ad finem conseruatam gloria coronari? O quæ lex, quæ lex ista Christi est! Ideo peculiari vocabulo Religio vocatur: *Religio munda & immaculata apud Deum patrem hæc est, hæc hæc Christiana, Christiana.* Lex timorem secum adfert,

Iacob.1.

Iacob.1.

Lex veræ libertatis quæ sit.

Christus facit liberos, sed nõ licentiosos.

Gal.2.

Matth.11.

1 Cor.6.

Seruire Deo regnare est.

2 Cor.3.

Lex Christi vocatur Religio.

Iacob.1.

fert, Religio hæc libertatem: ideoq́ue nihil eſt amabilius, nihil charius. Sunt hæc quaſi duo calcaria, quibus equus noſter ad currendum in ſtadio incitatur; amor ſcilicet præmij, & timor ſupplicij; præmij æternæ vitæ, & ſupplicij pœnarum infernalium.

Lex Iudaica immunda: Religio Chriſtiana mūda.

O mundam & immaculatam Religionem. Lex Iudaica quid nūc aliud quàm ſuperſtitio eſt? repudium enim & vſura ſcitis quantum verę detrahat ſanctitati. Præter alios eius errores, nimis etiam manifeſtū eſt, eam adhuc Meſſiam, deſideratum illum Saluatorem expectare. Aliæ Sectæ quid aliud ſunt in oculis Dei & hominum, quàm meræ ſordes, cloacæ, & omnes immūditiei ſentinæ? Sola lex Chriſtiana, ſola, ſola Religio vera tota munda eſt, tota ſancta, tota immaculata. Natura ab initio nos Deo colligauit, Adamus ſoluit. Chriſtus religauit. Iſtud myſteriū legis eſt; iſtud myſterium Religionis Euangelicæ. ſoluit nos à mundo, vt arctiùs religet nos, cogatq́ue maiori cura ſeruire Deo. Hoc ipſum Paulus admonet dicens; (Rom.6.) *Liberati à peccato, ſerui autem facti Dei.* Et vos Iuriſcōſulti, quorum vnus ſequitur Vlpianum, alter Papinianum, quorum vterque amore omni, omniq́ue honore dignus eſt, nónne dicitis; *Ideo legum ſerui ſumus, vt liberi eſſe valeamus?* Quid multis? Lex Chriſti, vt Euangelium auditur & creditur: vt fides debet fieri & dici; vt Religio debet ſanctificari; vt libertas debet amari; vt lex debet ſub æternæ maledictionis pœna obſeruari. (Heb.10.) *Irritam quis faciens legem Moyſi, ſub duobus aut tribus teſtibus moritur; quantò magis qui filium Dei conculcauerit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, quo ſanctificatus eſt?* (Christus legislator eſt.) An Chriſtus non ſit legislator? (Iob 36.) *Excelſus, & non eſt ei ſimilis in legislatoribus.* (Pſal.9.) *Conſtitue Domine legislatorem ſuper eos.* Non auditis Dauidem etiam poſt legem orantem; (Pſal.118.) *Legem pone mihi Domine, viam mandatorum tuorum?* Euge euge Domine, omnes ſerui ſumus, quia omnes liberi ſumus. Chriſtus ſolus liber eſt, nos liberati.

Sancta Magorum deuotio, Papia, hodie celebratur, qui cùm vix indicium Natiuitatis Chriſti haberent, relicta patria ſua, longiſſimum iter ingreſſi ſunt, donec venirent in Iudæam, non alio fine, quàm vt ſe ſer-

uos



uos Christi facerent, Christum adorarent, Christo crederent, Christo obedirent. *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum?*] *& nos Iudæi sumus, non in manifesto, sed in abscondito. Nos circuncisi sumus, circuncisi non litera, sed spiritu: circuncisi non carne, sed corde; circuncisione cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo.* In posterum, Papienses mei, *Adorabunt eum omnes Reges, omnes gentes seruient ei.* Nunc impletum est oraculum Balaam de stella in Natiuitate Christi exoritura. *Orietur stella ex Iacob.* Impletum est illud de Regum oblatione; *Reges Tharsis & insulæ munera offerent.* Et particulatiter de auro eorum; *Veniet, & dabitur ei de auro Arabiæ.* Similiter & de thure Sabæorum. *Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes.* An non & illud impletum est, quod tam exactè prædictum erat, venturos eos in Dromedarijs & Camelis; *Inundatio Camelorũ operiet te; Dromedarij Madian & Epha?* Quid? an non impletum sit & illud; *Coram eo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent? Et ipse erit expectatio omnium gentium? Adorabunt eum omnes Reges, omnes gentes seruient ei?* Quid ergo nos faciemus, Auditores & Auditrices? Intremus & nos ad celebritatem hanc, puerulum hunc deuotè adoremus, offeramus cum sanctis Magis aurum purum fidei, thus purum deuotionis, puramque myrrham castitatis incorruptę carnis: vt omnis hæreditas illius etiam sit & nostra. *Hic est hæres. Si filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Quiescamus hîc aliquantulum, spiritumque refocillemus, vt alacriores simus, vos ad audiendum, ego ad historiam Euangelicam dilucidiùs explicandum.

Matth.2. Rom.2. Psal.71. Num.24. Psal.71. Scripturæ de Epiphania impletæ. Esa.60. Esa.60. Psal.71. Gen.49. Psal.71. Matth.21. Rom.8.

SECVNDA PARS.



CVM natus esset Iesus in Bethlehem Iudæ, in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam, dicentes; Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.] Initium est Euangelij. Quàm sublime initium est illud, Illustrissima Domina Christierna? quàm breue? quàm plenum mysterijs? quàm dilucidum?

Matth.2.

dum? quàm illustre in verbis, rebus & ordine? vt manifestetur, vt celebretur, vt toti mundo innotescat ingens Christi nostri gloria: Christi dico nostri paulò antè nati, hominisque facti. Etenim gloria Christi, vt æterni Dei, Beato Ioãni reseruatur. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Quare tandem concludens subijcit; *Et vidimus gloriam eius gloriam quasi Vnigeniti à Patre.* Marcus & Lucas in medio duorum præcedentium Euangelistarum constituti, Marcus Matthæo vicinior, & Lucas Ioanni, describunt gloriam, vnus Regni: Rex enim præstat omnibus hominibus; alter Sacerdotij: Sacerdos enim omnibus, etiam Regibus sublimior est, tanquam Deo quàm hominibus vicinior, imò diuinus quodammodo homo est. Matthæus itaque, cui inter alios vultus semper venerandos attribuitur à Propheta Ezechiele facies humana, hic incipit mysteriũ Epiphaniæ, vt omnibus Gentibus ostendat huius hominis Maiestatem, in quo mysterio paulatim conspicietis illum esse Regem, & Sacerdotem, & Deum. Ideoque illi offerri aurum, thus, & myrrham. Aurum tãquam tributum quod Regi penditur; Myrrha tanquam suffimentum vt Sacerdoti mortificato, in signum deuotionis; & tanquam vero Deo thus, cuius vsus est in sacrificijs. Et quæ est facies hominis, nisi illa, quæ à Magis est adorata? quæ etiam sub se & in se faciem Dei occultabat. *ET procidentes adorauerunt eum.*] O facies verè gloriosa, & vt de Assuero legitur, plena gratia, tota amabilis, tota admirabilis. *Videbis faciem eius in iubilo*, inquit Iob. Ista est facies totius generis humani. Non ignoratis, Papienses, Maiestatem hominis in facie relucere. *Ab occursu faciei cognoscitur homo. Vultus indicat de homine.* Quem enim alium splendorem, quem alium habent decorem homines præter Christum? Aufer Christum ab hominibus, & quis audebit in conspectum Dei prodire? Videtisne matrem Ecclesiam conspicientem turpitudinem facierũ nostrarum animarum, metuentemque ne Deus illas videns paulò antè quàm lotæ sint detestetur, obnixè, iugiterque precari; *Respice in faciem Christi tui?* Ne respicias in nos, ne respicias in nos. Respice in Christum, respice in

Ioan. 1.

Christus est Rex, Sacerdos, & Deus.

Matth. 2.

Facies Christi est gloriosa.

Iob 33.

In facie resplendet Maiestas hominis.

Eccli 19.

Psal. 83.

in Christū; intuere faciē eius, non habētem maculā &
rugā, sed per omnia formosam. *Speciosus forma præ fili-* Psal.44.
js hominū. Quid? an ipse Deus aliam habeat faciē præ-
ter Christum? *Splendor gloriæ & figura substantiæ eius,* Heb.1.
inquit S. Paulus. *Ignis à facie eius exarsit,* inquit Pro- Psal.17.
pheta Regius. Quis est ignis iste, nisi Spiritus sanctus,
qui totus est amor, totus ignis, de facie Patris, hoc est
de Christo procedens? *Quem ego mittam vobis à Patre.* Ioan.14.
His flammis succensi Apostoli, qui priùs erant carbo-
nes mortui & extincti, primò ipsi ardere cœperunt, &
postea totum mundum inflammârunt. *Carbones suc-* Psal.17.
censi sunt ab eo. O admirandam faciem; *Quærite faciem* Psal.104.
eius semper, quærite faciem eius semper. Et quid Propheta
voluit, cùm iterum, iterumque precatur; *Ostende faci-* Psal.79.
em tuam, & salui erimus? Cur faciem tuā abscondis? Auer- Iob 13.
tente te faciem tuam turbabuntur? Ne proijcias me à facie Psal.103.
tua? Quare auertis faciem tuam? Et alibi sese exponit Psal.50.
Spiritus sanctus, cùm ait; *Non auertas faciem Christi tui.* Psal.43.
O Christe, ô Christe. *A facie Domini mota est terra, à* Psal.131.
facie Dei Iacob. Hæc est facies quæ tot fecit miracula. Psal.113.
Christus, Christus qui cælum, terrā & mare commo-
uit. Non animaduertitis hanc faciem Deum ipsum (si
sic loqui liceat) deuicisse, eumque generi humano pla-
catum per modum iustitiæ reddidisse? *Si contra Deum* Gen.32.
fortis fuisti, quantò magis contra homines præualebis? O
Iacob, ô Iacob; ô Christe, ô Christe. *Omnis populus de-* 3.Reg.10.
siderabat faciem videre Salomonis. Et ecce plus quàm Sa- Matth.12.
lomon hic. Facies eius sicut sol lucet. Non legistis in Eu- Apoc.1.
angelio; *Et facta est facies eius sicut sol: vestimenta au-* Matth.17.
tem eius facta sunt alba sicut nix? O quàm bene dixit ipse,
cùm adhuc videretur in speculo, & ipse erat speculū;
Ego flos campi, & lilium conuallium? Illius campi, hu- Cant.2.
manæ scilicet speciei ego flos sum, ego pulchritudo,
ego gloria sum: & harum conuallium, huius vilita-
tis, humilitatisque terræ, & filiorum terrestrium, hoc
est, omnium hominum ego sum lilium. Lilium (vt
scitis) flos est omnium florum. Vnde & Metropolis
Persiæ ob incredibilem pulchritudinem suam voca-
batur Lilium: Susa enim eorum lingua lilium signi-
ficat: quemadmodum & in Italia nostra Ciuitas illa,
quę toto terrarū orbe ob singularem pulchritudinē su-

Florentia vnde habeat nomen. am celebris est, Florētia dicitur, à Flore vel Dea Flora.

Sed agite, ad Epiphaniam redeamus. Veniat vobis in mentem Antiochus Epiphanes, & Ptolemæus Epiphanes. Cognomen illud Græcum apud Latinos Illustrem, clarum, hominem nobilem, vbique notum, celebrem significat; cui contrarium est, homo obscurus, homo ignobilis, homo nouus, homo vt fungus è terra natus. Quinetiam cùm necesse sit, vt videtis, nos hodie de cælo, & de stellis differere; scitis Astronomos nostros in tractatu suo de Sphæra (à quo disciplinam suam exordiuntur, vt inuitent studiosos ad cælestium rerum cōtemplationem, ostendantque illis in exiguo globo infinita magnæ huius mundi circunferentiæ spatia) diuidere Sphæram in duas partes, quarum vna est sub, altera verò super centro. Quæ sub centro est, quia terra corpus opacum est, occultam nominant. Et rectè: nobis enim non est conspicua, etsi ab Antipodibus (qui profectò in rerum natura sunt, si verum sit mundum esse sphæricum) videatur. Quæ super centro est, hanc manifestam nuncupant, vtunturque Græcis vocabulis inter se cōtrarijs Κρυπτὸς & Ἐπιφανὴς, quę à κρύπτοις & ἐπιφανία deriuātur. O quàm iusta itaque ratione historia hæc de stella & Magis Epiphania Christi appellatur? quia & Christus hodie hoc epitheto Ἐπιφανὴς nobilitatus est. Erat in semetipso illustris, & illustrissimus, quia oriūdus erat ex illustrissima Regum & Sacerdotum prosapia: quæ duæ familiæ in initio huius Euangelij commiscentur. *Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abrahā.* At multò illustrior factus est ex ineffabili illo Incarnationis modo. *Cùm esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.* Si verum fateri velimus Christiani, non potest vnquam maior & excellentior gloria humano generi nostro affulgere, quàm quòd homo nostræ naturæ, nostræ conditionis, passibilis, mortalis, verè conceptus est absque virili semine, sola virtute & operatione Spiritûs sancti. Iccirco non sine Emphasi sanctus Euangelista hæc verba expressit; *Christi autem generatio sic erat. Sic erat,* quasi diceret; alia quàm aliorum hominum generatio notanda & signanda. Communis

Epiphanes illustris.

Simile.

Historia dè Magis cur Epiphania dicatur.

Matth. 1.

Ibid.

Matth. 1.

nis generatio ſemper ſit eodẽ modo, incipiens à primo Adami filio, vſque ad vltimum hominẽ, qui naſcetur in mundo; Cõmunis enim naturæ totius curſus eſt, quòd generatur & generabitur homo ex viro ſimul & fœmina. Chriſtus verò tãquam homo, cui nemo nobilitate par, Illuſtris, Επιφανὴς, Illuſtriſſimus Επιφανέστατος, generatus eſt ſine ope humana, ideoq́ue totus mundus, nulli obnoxius peccato, nomen Nobilis per quandam meretur excellentiam: non enim nobilitatus eſt per inſertionem, adoptionem, aut per priuilegium, quomodo nos, qui vt ciues, vt opifices, hoc eſt filij Adami diuerſis modis nobilitamur in mundo, & per ſanctum Baptiſma apud Deum. Ille autem natura ſua nobilis eſt, ipſa nobilitas Επιφανὴς, Επιφανία. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo.* Psal.18. Quæ maior eſſe poteſt nobilitas, quis ſplendor, quæ gloria illuſtrior? *Nobilis in portis vir eius, cùm ſederit cum Senatoribus terræ,* inquit Salomon. Prou.31. Ceterùm, vt verum fateamur, quid mundo vſque in hunc diem de hac illuſtriſſima Chriſti gloria, de tali & tanta eius nobilitate, de incredibili, inenarrabili & ineffabili eius excellentia innotuerat? **Hodie nobilitas Chriſti eſt manifeſtata.** Auditi erant Angeli ipſa nocte Natiuitatis, canentes, at non ab alijs, quàm à ſolis paſtoribus. Sancta illa paſtoralis ruſticitas venerat è paſcuis in oppidulum Bethleem, vt videret ingens miraculum, Angelorum vocibus in aëre ad hoc inuitata. At vbi leguntur paſtores, vel pauca ſecum attuliſſe ſarmenta, quibus incenſis puer calefieret? vbi paleas & fœnum pro duobus animalibus, boue & aſino, qui halitu ſuo puerilia membra fouebant? vbi denique paucas quaſdam iuniperi baccas, quibus crematis ſtabulum ſuffiri potuiſſet? Hodie, hodie eſt Epiphania, Illuſtratio & manifeſtatio Chriſti. *Cæli enarrant gloriam Dei.* Psal.18. Et ab his cælis materialibus inuitati cęli myſtici, hoc eſt, Apoſtoli, linguis ſuis tanquam tonitruis, fulminibuſque famam Euãgelij Chriſti per vniuerſum mundum intonârunt, vt adimpleretur aliud oraculum: *Non ſunt loquelæ neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Ibid. Quæ verò cæleſtium mo-

tuum musica vnquam ab auribus philosophicis audita est, vel audiri poterit, tãtum quemlibet hominem, & præ admiratione, & præ voluptate extra se rapiens, quantum hæc musica, quam mysticæ cælorum rotæ Apostoli, Apostolicique viri omnes Christi mysteria tractantes, in piorum animis excitârunt. Qui tanta cum Religionis nostræ gloria, & prædicando, & scribendo circumacti sunt, haud segniùs, quàm cælum ipsum circumuoluitur; vt vitam tribuerent animabus, quemadmodum cæli motus corporibus, in hoc mundo inferiori. Nec vsquam natio est in hoc mundo tam fera, vel barbara, quæ si nomen Dei audierit, non etiam nomen Christi Epiphanis intellexerit.

Allegoria historiæ de Magis.

Ab Epiphania itaque hodierna in Bethleem nata est, illa Epiphania generalis in toto terrarum orbe. Ista stella quæ Magos deduxit, figura fuit & typus fidei, quæ populos omnes deduceret. Cæli isti, quorum stella hæc fuit quasi lingua, significabant Apostolos, qui vera & propria lingua sua prædicando, & Regibus & populis, vt adorent Christum, essent persuasuri. Magi ipsi, qui erant Ethnici, & qui Christum plùs quàm omnes Iudæi honorârunt, manifestè insinuabant Ecclesiam Christi, per vocationem Ethnicorum infinitis modis ampliùs, quàm per Synagogam circuncisorum augmentandam. Quamobrem non plebeij homines, sed summi Principes & Reges fuerunt: nec ex Samaria, vel Galilæa, sed itinere longissimo ex Oriente in Iudæam venerunt; vt hoc officium Religionis exequerentur. Non enim homines priuati vel communes, sed Reges & Imperatores, Philippi, Constantini, Theodosij, Martiani, Valẽtiniani & Iustiniani fuerunt, qui fidem Christi defenderunt, & promouerunt. Nec faciles ijdem fuerũt in credendo, sed longissima disputationum, Conciliorumque inquisitione veritatem edocti, Christum pro vero & viuo Deo adorârunt. O Christe, ô Christe. Quid? an & illud carere mysterio credatis, quòd Magi venerunt Hierosolymas, vt de nouo Rege nato informarentur, & testimonia Doctorum illius gentis de loco natiuitatis audirent, quibus rebus instructi, læti deinde & securi pergerent in Bethleem, Christumque adorarent?

Significare voluit Spiritus sanctus, Iudæam & ignorantem & inuitam libris legis & Prophetarum suorum veritatem fidei Christianæ testari, ipsamque fidem approbare: adeò vt si tota fides nostra intercidisset, posset nihilominus per vniuersum mundum iisdem Hebræorum libris, quos tanta cura & diligentia seruat Synagoga, restaurari & resuscitari. Gratulare tibi Iudæe, & gratias age Deo, quòd Bibliothecarius noster factus es; ob hoc enim te Deus in hoc mūdo tolerat. Nisi enim tuis scriptis Christianę Religioni commodares, nō vescereris hac aura, nō fruereris hac luce, non viueres in hac terra. Domina mea, roga Ducem nostrum, vt zelum suum aduersus Iudæos tēperet. Et si magnus ille Carolus ob pręgnantissimas causas eos Regno expulerit Neapolitano, toleret eos nihilominus Sua Excellentia in Ducatu Mediolanensi; in manibus enim Iudæorum forsitan, quàm in nostris, libri sacri magis sunt authētici; & proinde efficaciora sunt aduersus incredulitatē illorum testimonia. O quàm solidè cōfirmant veritatem inimicorum testimonia? Cur Deus ferat Iudæos in mundo.

Sed quid causæ fuit, cur Magi per aliam viam reuersi sunt in suas regiones? Vt significetur, tibi, postquam Christum per fidem cognoueris & adoraueris, antiquam legem diutius non esse necessariam. O misera Iudæa, qui lambis saxum, & ne guttam quidem aquæ hauris: toto die spicas Mosaicas teris, & granū inde non exprimis, quo ieiuna pascatur anima. Quid ad te si turbetur Herodes, metuens ne Regno pellatur, in quo audit alium natum successorem? Cur tu misera demensque turbaris? nescis hunc magnum Regem venire tibi? *Ecce Rex tuus venit tibi. Rex tuus, Rex tuus; Venit tibi, venit tibi.* Non contra te. *Tibi, tibi,* ad tuam salutem, ad tuum beneficium, O quàm felix esset Mediolanensium status, si Ducem semper haberet (vt nūc habet) suo procreatum sanguine, suo loquentem idiomate, in sua natum regione? Exultaretis vos omnes, Domini mei, & vos omnes populi, nam familiariter cum Duce tali agere liceret, essetis auditi & exauditi. *Nemo vnquam carnē suā odio habuit.* At cur ingrata, cæca & perfida turbatur Hierosolyma, postquàm audiuit Magorum aduentum? & in tantum versa est

Cur Magi per aliam viam reuersi sunt in suam regionem?

Hierosolyma turbatur quid mysticè significet.

Matth. 21.

Ephes. 5.

furorem, vt Christo mille struxerit insidias, quærens eum vt interficeret? quia cùm inciperet nasci Euangelium, fundari Ecclesia, triumphus Crucis & gloriosum nomen Crucifixi propagari, iam tum turbarentur Principes Synagogæ, Pharisæi & Scribæ, milleque seditiones concitarent, sed & integras nationes incitarent, vt mille modis lapidando, in exilium profligando & occidendo Christianam Religionem exterminarent; de Regno denique in Regnum persequerentur, quicunque nomen Iesu inuocarēt. An non hoc erat Christum occidere? Christum persequi? Christum exterminare? Scitis dictum illud; *Saule, Saule quid me persequeris? Me, me.* Diuina verò prouidentia illusus est Herodes, cùm Iosephus admoneretur ab Angelo, vt fugiens in Ægyptum saluaret puerum, qui totum saluaret mundum. Ad eundem modum, eadem postea prouidentia decepta est Iudæa, cùm Apostoli, iuxta consilium Spiritûs sancti, qui eam nunc vt meretricem aspernatus erat, excutientes puluerem à pedibus suis, ad gentes præputiatas conuersi sunt, impudentique Synagogæ libellum dederunt repudij, palàm dicentes; *Vobis quidem primùm oportebat prædicare verbum Dei: sed quoniam repulistis illud, & indignos vos fecistis æterna vita; ecce conuertimur ad gentes.*

Act. 9.

Act. 13.

Christus ex Ægypto in Iudæam reuersus quid allegoricè.

O Docti, ô Docti audite. Reuersus est postea Christus in Iudæam, tantoque habuit eam in honore, vt duodecim annos natus in medio Doctorum sederit, cumque Magistris Synagogæ disputauerit; qui (vt Euangelium insinuat) ab aureo admirabilis illius pueri ore pendebant: erant enim verba illius gratiæ sapientiæque plena. Signum, signum hoc fuit, quòd vbi Christus Ægyptum, gentes immundas, idololatras & impias saluauerit, rediturus est ad suum populum, venturusque vt carnem & sanguinem suum visitet: *Et tūc omnis Israël saluus fiet.* O quādo erit ille dies? erit illa solēnitas maxima, erit optimi ominis Epiphania: Epiphania generalis, imò generalissima, in qua nō per splendorem stellæ, non per lumen fidei, sed reuelata facie, absque ænigmatibus, absq; speculo, beneficio lucis, quæ est ipse Christus, lumen de lumine, Sol de Sole (non enim tunc opus erit aut fide, aut Scriptura, aut

Rom. 11.

dispu-

disputationibus) perspicuè cognoscetur ab omnibus, tam Iudæis quàm Ethnicis, non alium esse Deum, nisi Christum Dominum. *Omnia ossa mea dicent, Domine quis similis tibi? Tu es Deus, & non est alius præter te. Non est similis tui in Dijs: Magnus & excelsus super omnes Deos.* Audistísne aliquãdo, vos Studiosi, dum Poëtas Græcos legistis, nomen illud Iouis Panomphæi? Christus est verus ille Panomphæus, in cuius laudem côcinent omnes linguæ, omnes gentes vnanimi concentu psallent, Græcum illud, πᾶσα ὀμφὴ, πᾶσα φήμη. Omnis vox, omnis fama eleuabitur ad Christum hûc quàm magnificentissimè prædicandum, mille panegyrici in laudem eius decantabuntur. Nihil quod ad honorem & ad gloriã Illustris alicuius viri pertinet, omittetur. De antiquitate illius dicetur; *Ante solem permanet nomen eius. In principio erat verbũ, per quod fecit & secula.* De Patre dicetur; *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu: ego hodie genui te. Ipse inuocabit me, Pater meus es tu. Ego & Pater vnum sumus.* De Matre; *Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel. Antequam conuenirent Maria & Ioseph, inuenta est in vtero habens de Spiritu S. Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me?* De diuitijs illius; *Omnia dedit ei Pater in manus. Gloria & diuitiæ in domo eius. Diues in omnes qui inuocant nomen eius.* De sapientia; *In ipso sunt omnes thesauri diuinæ sapientiæ reconditi. Ecce plus quàm Salomon hîc. Mirabantur super prudentia & responsis eius.* De eloquentia; *Diffusa est gratia in labijs tuis. Nunquam sic locutus est homo. Nónne cor nostrum ardens erat in nobis, dũ loqueretur in via, & interpretaretur scripturas?* De illius fortutudine; *Vicit Leo de tribu Iuda. Exiuit vincens vt vinceret. Princeps huius mundi eijcietur foras.* De gratia; *plenum gratiæ & veritatis. Gratia per Iesum Christum facta est. Iustificati gratia ipsius.* De pulchritudine; *Speciosus forma præ filijs hominum. Ecce tu pulcher es dilecte mi. In quem desiderant Angeli prospicere.* De bonitate; *Ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus exorauit, sortitus animam bonam. Et cùm essem magis bonus, veni ad corpus incoînquinatũ. Bonus pastor dat animã suã pro ouibus suis.* O Christe, ô Christe. Quid dicetur de sanctitate vitæ? de conuersatione? de moribus? de fideli-

Psal. 34. Iudith 9. Psal. 85. Psal. 112.

Honores & gloriæ Christi.

Psal. 71. Ioan. 1. Heb. 1. Psal. 2. Psal. 88. Esa. 7. Matth. 1. Luc. 1. Ioan. 13. Psal. 111. Rom. 10. Col. 2. Matth. 12. Luc. 2. Psal. 44. Ioan. 7. Luc. 24. Apoc. 5. Ioan. 12. Ioan. 1. Psal. 44. Cant. 1. 1 Pet. 1. Esa. 53. Sap. 8. Ioan. 10.

Luc.4. fidelitate? de fama illius? *Scio quòd sis sanctus Dei. Qui*
1 Pet.2. *peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Erat*
Ioan 12. *quotidie docens in templo, & in Synagogis. Totus mundus*
Matth.21. *post eum abit. Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galilææ.*
Mar.7. *Bene omnia fecit, surdos audire, mutos loqui. Hic est qui*
Act.10. *constitutus est Iudex viuorũ & mortuorum. Huic omnes*
Prophetæ testimonium perhibent, remißionem peccatorum
accipere omnes qui credunt in eum. O Christe, ô Christe.

Cur Epiphania instituta. Epiphania præsentis diei publicum festũ est à Deo institutum, vt mundus omnis lętetur. Natus est enim Christus Saluator illius. Hęc Epiphania vsque ad consummationem seculi, tantùm ad gloriam Christi, & in confusionem mũdi celebrabitur; mundi, inquam, illius maligni, qui toties in sacris paginis, & potissimùm in Euangelio summa ignominia notatur, tanquam Christo inimicus, quem mundus ab ipsis incunabulis crudelissimè persecutus est.
Ioan.15. *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo essetis, mundus quod suum est diligeret.*
Ioan.7. *Ego testimonium perhibeo de mundo, quia opera eius mala sunt.* O Munde, ô Munde; ô Herodes, ô Iudæa.

A loco & à Principe arguũtur Iudęi. *IN Bethleem Iudæ in diebus Herodis Regis,*] ait Euangeliũ. Locus accusat te gens scelerata, & tempus te Princeps Diabolice cõdemnat. Bethleem est in Iudæa, & propriè in tribu Iudæ, tribu Regali, tribu Dauidica, de qua Messias nasci debebat. Herodes erat prophanus, incircuncisus, homo Idumæus: cui, vt duræ ceruicis populũ diuexaret, Regnum Iudęorum erat collatum à Romanis, quibus à tempore Magni Pompeij tota terra sancta seruiebat, facta illis iã tributaria. Quam ingens erit tibi ignominia Iudęa, quàm intolerabilis illa tua Herodes confusio in hac sancta Epiphania Domini?

Cur Matthæus non faciat mentionem Augusti. Ne admiremini, Viri docti, quòd Matthæus nullam facit mentionem Augusti, sed solius Herodis. Sanctus Lucas qui de Christo, vt de sacrificio & Sacerdote, qui totum mundum saluaret, tractaturus erat, debuit Augustum nominare, qui tunc temporis toti mundo imperabat. Matthæi proprius scopus est, probare, quòd Christus erat Messias Hebræorũ: ideoque Regem tantùm Hebræorum posuit. *IN diebus Herodis Regis.*] Quòd si vos arcanum huius periodi, aut sal-

tem

tem huius membri; *CVm natus esset Iesus in Bethleem Iudæ in diebus Herodis Regis,*] intelligeretis; fateremini profectò, Mathematicam in his verbis latere demonstrationem, qua arguitur; Christum verum esse Messiam Hebræorum. Sit vobis quasi primum principium, antiquissimum illud oraculum Patriarchæ Iacob: *Non auferetur sceptrum de Iuda, neque Dux de fæmore eius, donec veniat qui mittēdus est.* id est, *Messias*: ita exponit Targum Chaldæorum. Assumite postea propositionem hanc; *CVm natus esset Iesus in Bethleem Iudæ, Rex erat Herodes,*] non de fœmore Iudæ, incircuncisus & immundus. Infertur hinc resultās conclusio; *Ergo Iesus erat Messias, qui venturus erat*; Salus Iudæorum, expectatio gentium, Deus & Iudæorum & gentium. Sed Iudæa cæca est, & profundo somno obruta. Hirundo, turtur, ciconia & grus præsentiunt tempus suum, at populus hic demens & insensatus, non tantùm non potuit præsentiscere, sed ne quidem cùm iam re ipsa adesset, salutis suæ tēpus nouit agnoscere. *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: Populus autem meus non me cognouit, & Israël non me intellexit.* Agite, agite Christiani, efficiamini vos illorū exemplo cautiores. Illuminemini, illuminemini; surgite, surgite, ite & Christū cum sanctissimis istis Regibus quærite. Heu nisi Christus animas vestras suo splendore, quemadmodum sol colores sua luce illustret, nunquam digni eritis, vt ad hæc magna Epiphaniæ solēnia ingrediamini. Non audis Beatum Iob; *Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint velut mūdißimæ manus meæ: tamen sordibus intinges me, & abominabuntur me vestimenta mea. Neque enim viro qui similis mei est, respondebo: nec qui mecum in iudicio ex æquo poßit audiri?* Nolite, nolite Domini mei diem illum expectare. Dum viuitis, dum viuitis, vosmetipsos humiliate, vt cognoscatis quales & quanti estis. Cùm virtutes vestras examinaueritis, iamq; vos mille gradibus honorum, gratiæ & gloriæ, tam in hoc, quam in futuro mundo dignos existimaueritis, pergite, & sincero, puroque oculo virtutes Christi inspicite, & in hoc speculo, longè diuersus ab illo priori vultus vester apparebit. Quod si priùs vos formosos iudicaueritis,

Syllogismus demonstratiuus.

Gen. 49.

Esa. 1.

Iob 9.

Dum homo viuit, debet semetipsum agnoscere.

ritis, nunc vosmetipsi execrabimini, abhorrebitis à vobisipsis; non feretis vos ipsos, tam longè alieni videbimini ab illa imagine, ab illo exemplari, cui necesse est vt conformes sitis, si saluari volueritis. *Conformes fieri imaginis filij eius*; Non legistis? Videmini vobis Gigantes, & estis Pumiliones? Sapientia vestra sapientiæ Christi collata, erit stultitia. eloquētia vestra, infantia; diuitiæ vestræ, miseria; liberalitas vestra, quæstus quidam seu sordida negotiatio; vrbanitas vestra, rusticitas; grauitas vestra, crudelitas; zelus vester, impatiētia; sanctitas vestra, vera hypocrisis; iustitia vestra, vindicta; charitas vestra, perpetua adulatio; humilitas vestra, pusillanimitas; magnanimitas deniq; vestra, si cum magnanimitate Christi cōparetur, an non infinita erit superbia, fastusque intolerabilis? O quàm indoctam doctrinā vestram; quàm sine studio studium; quàm impias esse litteras vestras dicetis? Videbitis ipsi omnem amicitiam vestrā esse infectam, omnem castitatem vestram temeratam, eleemosynas vestras plenas esse vana gloria, conscientias vestras omnino erroneas; scrupulos vestros mera esse scandala; iudicia vestra planè peruersa; animas denique vestras totas à Dæmonibus obsessas. Solus Christus, solus Christus veras habet virtutes. Væ igitur, & iterum væ his, ad quos splendor luminis illius non diffunditur, vt reddat eos illustriores.

Rom. 8.

VBi est, vbi est qui natus est Rex Iudæorum?] Vbi est ille Sol, qui illuminat has meas tenebras? vbi est ille arcus cælestis, qui coloret hæc nostra nubila?

Zelus Magorum quærentiū Christū.

VBi, vbi est qui natus est Rex Iudæorū?] Sic, sic inquirentes, Illustrissima Domina, discurrebant sancti illi Magi. Vbi est Rex ille nouus, qui renouet nostrā antiquitatem, nobisque dominetur? Vbi est Rex ille Iudæorum, qui nos sanctificabit? Vbi est ille homo, qui nostri miserebitur? Vbi est ille Sacerdos, qui semetipsum hostiam pro nobis offeret? Vbi est ille Deus, qui pro nobis est incarnatus, qui venit vt nobiscum viuat, & pro nobis moriatur?

VBi, vbi est qui natus est Rex Iudæorum?] Papienses mei, & ego nunc quæro vbi spiritualiter hodie natus est Christus in hac ciuitate tam nobili, tamque illustri? Vbi

Vbi enim natus est, si nō in cordibus vestris natus sit? Quæ ciuitas hac inre Papiæ potest comparari? Heu, heu quæro in foro, in curia, in plateis, in priuatis ædibus, in hac schola, in aula, & in ipsis templis: *Vbi est, vbi est qui natus est Rex Iudæorū?* Et vultis vt vobis verum dicam? Inuenio quidem quòd per fidem vestram informem illū concepistis, qua in fide gloriantur nunc omnes: at quòd verè natus est, non inuenio. Nondum natus est, nondum natus est Christus in cordibus vestris. Nondum ex vtero in lucem eduxistis. Non, non. Necessaria sunt opera, necessaria sunt opera. Heu quæ obstetrix, quis Ecclesiastes vos adiuuabit, vt Christum pariatis? Sanctissime Paule, commendo tibi has fœminas parturientes, ne in partu moriantur, néve abortiant. Tua enim vox est; *Filioli mei, quos iterum in Domino parturio, donec formetur Christus in vobis.* Opitulare, opitulare ciuitati huic, quæ nominis tui refert medietatem. Doce illam necesse esse, foras vt prodeat Sol iste, si dies illucescet. Nascatur in vobis, nascatur & ex vobis Christus, per fidem & per opera bona, ne post hac quæramus; *Vbi est? vbi est?* sed vbique dicamus, *Hìc est; Hìc est.*

Quomodo Christus in nobis nascatur.

Gal. 4.

Paulus Pauia in tribus litteris prioribus conueniunt.

O Rerum venerande sator, veneranda potestas,
Chara Dei soboles nascere magne Puer:
Nascere magne Puer promissum Numen ab alto,
Nascere, tu nostræ causa salutis eris.
Vos illum pennata cohors, gens ætheris alti
Excipite, & sacro concelebrate choro.
Vos illum humanæ diuerso à cardine gentes
Accipite, & plantis oscula mille date.

Quiescite paululum: mox vos cum Dei benedictione dimittam.

PARS TERTIA.



ECCE *Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam, dicentes; Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?*] Non merebatur profectò miranda hæc historia aliud exordium, præterquam aduerbium, *Ecce*, quod Græcis est ἰδοὺ, & Hebræis הִנֵּה Quod Euangelista antea dixerat,

rat, *Cùm natus esset Iesus in Bethleem Iudæ in diebus Herodis Regis*, præludium potiùs est, quàm pars facti; vereque epilogus est historiæ de Christi Natiuitate. Sed epilogus talis, & tam profundus, vt licet historia de Natiuitate Saluatoris tam sit insignis, sublimis & plena mysterijs, quemadmodum videre licet in S. Luca, cui reseruatum erat à Spiritu sancto, eam ex professo & minutatim describere; Matthæus nihilominus eam tam paucis verbis, quasi integram complecti potuerit, dicendo tantùm; *Cùm natus esset Iesus in Bethleem Iudæ, in diebus Herodis Regis.* Quòd si quis diligenter excutiat hæc verba, ingenioseque in ijs meditetur, inueniet in illis omnia, quæ & Lucas & Ioannes simul de Christo scripserũt. Tria namque verba hæc insinuant; Personam Christi nati, locum & tempus, vbi & quando natus est. Nomen Iesu, an non includat Verbum, & Verbum quidem incarnatum? Natiuitas an non includat generationem? generatio an non præsupponat Matrem Virginem? Bethleem an non insinuet professionem, ad quam faciendam Maria & Ioseph ex Nazareth profecti sunt? Professio an non ostendat edictum Octauiani Augusti de mundo Romano describendo, quæ descriptio mysterium fuit huius Natiuitatis, per quam electi in libro vitæ describerentur? Sed & tempus Herodis Regis, an non indicet finem septuaginta Hebdomadarum, & proinde plenitudinem temporis gratiæ, simulque iumentorum præsepe ab Abacuc prædictum, & apud Lucam re ipsa expressum? Sufficit; agite historiam ipsam auspicemur.

Principium huius Euãgelij esse summam totius historiæ natiuitatis Christi hominis & Dei.

ECce Magi ab Oriente venerunt.] Ecquis vestrum, Auditores, ignorat aduerbium illud *Ecce* cõmuniter vsurpari ad rem aliquam præsentem demonstrandam, esseq; instar illius digiti, quem indicẽ appellamus, rem quasi oculis subijcientem? Quare S. Baptista digitum & verba coniungens, Christum ad fluenta Iordanis ostendit, dicens; *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Et in alijs Scripturæ locis; *Ecce locus vbi posuerunt eum. Ecce Sunamitis illa. Ecce homo; Ecce Rex vester.* Neque in sacris litteris res parui momenti, quæq; communes sunt hoc modo demonstrãtur, sed arduæ, nouæ,

Aduerbiũ ecce rem magni momẽti designat.

Ioan. 1.
Matth. 28.
4 Reg. 4.
Ioan. 19.

nouæ, repentinæ, insperatæ, non expectatæ. *Ecce Virgo cōcipiet. Ecce concipies in vtero. Ecce noua facio omnia. Ecce euangelizo vobis gaudium magnum. Ecce somniator venit. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei. Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.* Scitis, inquam, hunc esse vsum vocis illius *Ecce* iuxta Latinæ linguæ proprietatem, bonorumque Authorum obseruationem. Esa.7. Luc.1. Apoc.21. Gen.37. Sap.5. Matth.28.

Ecce autem gemini à Tenedo tranquilla per alta,
Horresco referens, immensis orbibus angues.

ait Virgilius; quæ verba pondus habent, & cum admiratione proferuntur. Sed & alibi idem Poëta.

Ecce trahebatur passis Priameia virgo
Crinibus.

An non aduentus Magorum in Iudæam, adeoque in ipsam Metropolim Hierusalem, vt adorēt Christum vix tredecim dies natum, videatur res esse maxima, rarissima, & omni humanæ rationi insperatissima? digna proinde hac demonstrationis & admirationis nota, quę & legentem & audientem reddit attentum. *Ecce, ecce Magi.*

Ecce Magi. Papę: quid, Domini mei charissimi, omni omnium scientiarum lumine ornatissimi, quid inquam Mago cum Iudæo? Zoroastri cum Moyse? Astrologiæ cum Theologia? Superstitioni cum Religione? Quid orgijs cum mysterijs? sacrilegijs cum sacrificijs? insomnijs cum visionibus? augurijs cum Prophetijs? incantationibus hominum cum lege Dei? maleficijs Dæmonum cum Euangelio Christi? præstigijs & fallacijs quæ sensibus nostris illudunt, cum veris miraculis, quæ omnium rerum creatarum substantiam immutant? Dicam tamen cùm ad Doctos mihi sermo sit. *Quæ conuentio lucis ad tenebras? Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? Quid sancto cum cane?* An ignoremus artium Magicarum vanitatem? Ad quid Dauidem allusisse putas, cùm dixit; *Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius: & non respexit ad vanitates & insanias falsas?* Insaniæ profectò & vanitates, quarum vsus non est alius, quàm vt apparere faciant ea, quæ non sunt, & fascinare oculos, qui quod non est vident. Iccirco in duodecim legum Romana- 2 Cor.6. Psal.39.

rum tabulis, summa cum seueritate artes Magicæ vetantur & condemnantur, additis etiam pœnis, quæ exercentibus eas constituuntur. Sufficiat vobis Domini mei, vt Magorum infamiam intelligatis, vnus Apuleius; qui apud iudices Christianos accusatus prolixam illam contra omnes Magos habuit orationem, existimans se non posse excusari, nisi alienum se ab omni magia, magicisque artibus ostenderet. Memẽtote Virgilij, qui Didonẽ sic loquentẽ introducit,

Testor chara Deos, & te germana, tuumque
Dulce caput, magicas inuitam accingier artes.

Magia vnde habeat originem.

An non sufficiat vobis odiosum illud apud Prophetas nomẽ Gog & Magog, vnde sine dubio Magia primam suam trahit originem? Quare & D. Hieronymus postea dixit, Gog figuram fuisse Hæresiarcharũ, & Magog aliorum communium hæreticorum. Gog enim Tectum, & Magog de tecto significat. Neq; vos puto immemores illius Esaiæ; *Quid tibi factum est nũc, quia ascendisti is omnes in tecta vana? Tecta*, verè, non *pauimenta*, propter altitudinem & sublimitatem, quam spirant Magi: in omnibus suis sermonibus vanis, iactant semper se super ipsos cælos per professionem suam ferri, omnes occultas naturæ virtutes scire; sed falsò: promittunt enim plurima, præstant nulla: permittente namque Deo ipsarum creaturarum virtutes ipsis non seruiunt, quia ad iniuriam Creatoris abutuntur.

Esa. 41.

Natura Magorum.

Gens inuisa Deis, maculandi callida cæli,
Quos genuit natura mali, qui syderamundi
Iuraque fixarum norunt peruertere rerum.

Et vt vera dicam, Apollonius Tyanęus antiquitus, & Simon Magus cum altero illo Elyma, qui tantum facessebat negotij Paulo in conuersione Procõsulis Sergij Pauli, à quo fortè Apostolus nomen Pauli consecutus est, quomodo Scipio à deuicta Africa dictus est Africanus, quanta pollicebantur, & quid præstiterũt, ipsi cum promissionibus suis in fumos euanuerunt. Verè igitur vanitas Magia. Exitus enim acta probat. nec longè exempla petãtur. Magi Pharaonis in Ægypto, quando miraculis faciendis cum ipso Deo vellet certare, quoties à Moyse victi sunt? & in signo ter-

Act. 13.

tio, vt ait Scriptura, planè defecerunt. Quare tandem serpens Moysis, in quem virga illius erat conuersa, omnes illorum serpentes naturales deuorauit, adeò vt confusi fuerint, licet non facti sint meliores. Quòd si vana fuerit Magia Ægyptiorum, cui omnes historiæ palmam tribuunt, quid de aliarū nationum dicemus, quæ Ægyptum matrem & matricem omnium disciplinarū agnouerunt, tanquam regionem, in qua propter suam fertilitatem primi illi Chaldæi habitarūt; vt Abraham primus Astrologiæ magister, sine qua nullam habuissent vnquam authoritatem artes Magicę; quæ ante aduentum Christi per totum terrarum orbem sic floruerunt, vt ipsa Christi & Apostolorum miracula artes magicæ dicerentur; vnde nata est vox illa, *Dæmonium habet, in Beelzebub principe Dæmoniorum eijcit Dæmonia.* Et inter plurimas ꝑsecutiones, quibus exagitata est primitiua Ecclesia, nulla sine dubio maior fuit illa Magorum. Volens enim Diabolus obseruari suum cultum, suamque religionem, necesse erat vt omnes vires suas in Christo destructore Idolorum & Dæmonum eijciendo intenderet. Excitauit itaque suos Sacerdotes, suos Principes, suos Magos, qui coniurantes, conspirantesque persequebantur omnes, qui nomen Christi inuocabant.

Exod.7.

Abrahā Magister Astrologiæ.

Luc.11.

Prima persecutio in Ecclesia est Magorum.

Magia non vna tantùm scientia est, non ars simplex, vel vna, vt scitis Studiosi. Nunquam tantam in mundo obtinuisset authoritatem, si vna tantùm fuisset professio. Videtis igitur quàm amplum nomen illius est, omnes artes diuinatorias in se continens; vt sunt Pyromantia, Necromātia, Geomātia, Aeromantia, Hydromantia, Cheiromantia. Magi enim Dęmonibus (qui semper Dei fuerunt æmulatores, haud secus quàm hominum Simiæ) familiares, clàm inflati spiritu superbiæ, quam Princeps Diabolorum visceribus hominum insculpsit tunc, cùm protoplastis diceret; *Eritis sicut Dij, scientes bonum & malum*; hi, inquam, Magi id omni studio agebant, vt persuaderent hominibus, se plurima scire, & potissimùm res futuras, quæ ingenij humani vires transcendunt, & ad intellectum diuinū propriè pertinent. Hinc diuinabāt per ignem, per aërem, per terram, per aquam, per lineas manuum

Magia nō est vna, sed varias sub se species complectitur.

Genes.3.

humanarum, per ipſam deniq; vultûs Phyſiognomiam. Non legiſtis aliquando eos hominum cadauera è ſepulchris eruiſſe, ea certis ſuis verſibus diabolicis incantaſſe, atque ex oſſibus eorum vaticinatos eſſe? Magnum certè vanitatis magicæ argumentum eſt, quod dicit Plinius ille, non minùs fœcundus in rebus naturalibus deſcribendis, quàm ipſa natura in generandis, huc eos demētiæ prouectos, vt etiam ex oſſibus, viſceribusq́ue talpæ animalculi ad perpetuas tenebras condemnati, vtpote cæci, & ſub terra perpetuò degentis, didicerint non ipſi tantùm diuinare, ſed & diſcipulos ſuos ſine vllo alio labore diuinatores efficere. Illud propriè pertinet ad γοητείαν, quod vocabulum vna dictione Latina exprimi non poteſt: ſignificat autem artem maleficam, fallacem, & præſtigiatricem. Huic vicina eſt Pharmacia vox Græca, ſed Latina iam facta: eſtq́ue ars ea, quæ philtris alijsq́ue potionibus mira & in viris & in fœminis operatur.

Ex talpæ viſceribus diuinare.

Goëtia.

Pharmacia.

Magia vnde originem habeat.

Vt autem de initio artis magicæ dicamus; certum eſt eam è medicina exordium ſumpſiſſe: per cognitionem enim occultarū virtutum, quæ herbis, radicibus, gemmis & animalibus inſunt, vnà cum Sympathia & Antipathia eorum promittens deſideratiſſimam cunctisq́ue chariſſimam ſanitatem, & quod amplius eſt, vltra periculū naturæ viuendi diuturnitatem, cœpit à ſummis Principibus atq; Regibus coli & amari: idq́ue vel eò amplius, quia hæc profeſſio cōſiſtere non potuit ſine maximo naturalis Philoſophiæ ſtudio, cunctis nobilioribus animis tam iucundo. Admiſit etiam in ſuam ſocietatem Aſtrologiam, iudiciariam illam dico & particularem, cuius plus quàm aliarum omnium ſcientiarum vulgus ſolet eſſe auidius, tanquam omnium rerum mirabilium importunè curioſum, ſemperq́ue deſiderās ſcire, quid futurū eſt de me, de te, de iſto vel illo: credentes in illis rotis cæleſtibus ſcriptū eſſe, quid de nobis agetur, aut quid nobis eueniet: nolentes autem credere vnumquēque hominem ſue quodammodo fortunæ fabrum eſſe. Nemo poteſt eſſe Aſtrologus ſine Mathematica, ideoq́ue Magi ſemper circa triangulos, quadrangulos, hexagonos, cubos, domos cæleſtes, ſigna, colores, lineas, horizontes, aſpectus,

Phyſica neceſſaria, magis Aſtrologia.

Matheſis.

ctus,ascendentia & descendentia occupabantur; quæ omnia vulgus admiratur, infinitamque ingenijs nobilioribus adferunt voluptatem. Denique vt suæ professioni maiorem fidem conciliarent, & cuiusuis conditionis, sexusque homines in sui admirationem pertraherent, summam simulabant religionem. Vngebant corpora sua, induebantur lineis vestibus, atque ita singulare quid præ ceteris hominibus ostentabant. Rarò loquebantur, parum comedebant, carnes immolaturi ignem ex myrto & lauro construebant, oleoque, lacte & melle aspergebant: tamaricis ramos in manibus tenentes, facieque ad Orientem versa, verba quędã magica, quæ vulgus non intelligebat, secum mussitãtes recitabãt. Abstinebant à fœminis, integras noctes insomnes ducebant, à plurimis cibis abhorrebant, tanquam immũdis & popularibus. Huiusmodi technis atque artibus Magi paulatim magni, imò maximi facti sunt, Domini populorũ, & Reges Regum existimati. Omnes homines illis crediderunt, omnes illis obtemperarũt. Quid? non meministis Pythagoram diuinos sibi honores arrogasse? Audistis aliquando & de Deo Socratis. Non venit vobis in mentem dictum Apostoli; *In Religione Angelorum?* Quæ potentia potentię Angelorum, siue bonorum, siue malorum conferetur? Virtute itaque illorum ea operabantur Magi, quæ præ nimia admiratione homines quasi dementabant. Nihil hîc dicam de veneficijs Circes, nihil de actis Calypsus: Prætereo artes illas de quibus Virgilius; *mugire videqis*

Religio Magorum.

Col. 2.

Sub pedibus terram, & descendere montibus ornos:
Atque satas aliò vidi traducere messes.

Redeat saltem vobis in mẽtem Columba Architę Tarentini, tam artificiosè facta, vt instar veræ, viuęq; columbæ volaret. Caput quoque Alberti magni, ex metallo conflatum, quod loquebatur; similesque statuæ Boëthij, qui in his carceribus vestris, Papiẽses, mortuus est: facinus profectò quod Longobardorũ Regum gloriam non parum obscurauit; & ex his vim magicarum artiũ facili negotio considerabitis: quanquam multi Magiæ quatuor species cõstituant, Naturalem, Mathematicam, Veneficam, & Ceremonialem: quæ

Species Magiæ quatuor.

propriè est illa Goëtia à Gog sic appellata, vnde & à Magog Magi; qui nonnunquã Magusæi appellantur: Reuera tamen Magia has omnes artes simul comprehendit. Quamuis omnino credendum est, Albertum Magnum & Boëthium operâ sua per virtutem bonorum Angelorum administrasse, idque ad cõfusionem illorum Magorum Diabolicorum, qui in profanis historijs tot, tantaque mirabilia fecisse leguntur, vt miracula quibus Religio Christiana fundata est obscurare videantur. hæc enim communis omnium Sapientum in cęco illo seculo erat professio, priusquam Deus veram lucem suam mitteret in hunc mundũ, ad illuminationem gẽtium; id est, ante hodiernam Epiphaniæ diem. In Græcia huiusmodi sapientes vocabantur Philosophi, in India Brachmani, in Æthiopia Gymnosophistæ, in Frãcia Druidę, in Chaldæa Magi. Et quia artes istæ primò in Chaldæa inuentæ atque inde in Ægyptum traductæ sunt, quæ deinde eas ceteris populis tradidit, mirandum non est, si vocabulũ Magiæ & Magicarum artium in vsu remanserit.

Albertus Magnus & Boëthius non fuere Magi.

Magorũ nomina in diuersis regionibus.

ECce Magi, ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam, dicentes; Vbi est qui natus est Rex Iudæorum?] Parum ad Christi nati gloriam conferebat, quòd Angeli illa in nocte Natiuitatis, quæ mille diebus erat clarior, in aëre tripudiantes & canentes, summa solennia celebrârant, quodque Pastores sancta illa & rustica sua simplicitate charos greges deserentes venerant, vt puerum in illo reuerendo præsepi salutarent; quòd denique abiecta illa iumenta quasi Dominum suum cognoscentia humano penè obsequio suo ostenderunt, se nescio quam eius diuinitatem præsentiscere. Gaudium illud Angelorũ ad cælos pertinebat; Pastorum verò & iumentorum ad terram. Sed quia Christus Dominus est totius tristegæ, hoc est, trium mundorum, cælestis, terrestris, & infernalis; ecce etiam Magi, qui cum inferno commercium habent, homines potestate immundorum spirituum miraculosi, diuini, incantatores, præstigiatores, sortilegi, fatarij, veniunt vt Christum adorent, & venerẽtur. O Christe, ô Christe, quàm sunt hæc illustria? Admiramini hęc Christiani? Quid itaque dicetis, quando videbitis

Maiora sunt quæ hodie facta sunt, quã quæ in nocte Natiuitatis.

ipſos Dæmones ante pedes illius procidere, tremere, & contremiſcere ad nutum eius, atque ad imperium illius ab obſeſſis corporibus fugere? imò cùm denique ipſum Infernum ſpoliabit, à morte ad vitam reuocans ſecumque ducens tot animas & tot corpora, quæ in infimo hoc & tenebroſo mundo tot annorum millibus captiua detenta fuerant.

Vis maior, vis maior, Domini Doctores & Studioſi, fuit illa, quæ mouit illum Magorum Principem Balaam, vt relictis ædibus ſuis Iſraëliticæ gentis tabernacula viſum proficiſceretur, eiſque inuitus benediceret. *Et vis maior eſt iſta*, quæ traxit Magos è Perſia in Iudæam, vt paruulum hunc adorarent. Quis enim paucis verbis amplitudinem & magnificentiam Perſiæ poſſet explicare? Non ignoratis maximum illum Cyrum primum fuiſſe Regem Perſiæ, annoſque triginta regnaſſe, de quo ſuam illam inſignem conſcripſit Pędian Xenophon. Illi ſucceſſiſſe Cambyſen eius filium; Cambyſi Artabanum. Mortuo Artabano, rerum ſumma potitus eſt Artaxerxes primus; poſt quē Sogdianus, quem ſecutus eſt Darius Nothus. Huic in imperio ſucceſſit Artaxerxes cognomento Mnemon, atque illi alter Artaxerxes dictus Ochus. Is filium habuit nomine Arſen, qui poſt patrem regnauit, genuitque Darium vltimum, quem Alexander deuicit ac ſuperauit, à quo vltimo Rege patre Darij Perſæ poſtea dicti ſunt Arſacidæ. Rex enim ille Regno iniurius, vnà cum gloria nomen amiſit, & ſacræ Scripturæ illum non immeritò Arietem, ſicuti & Alexandrum Hircum nuncupârunt. Omnes illi Reges præcedentes tanta cum magnificentia, poteſtate & gloria etiam in Media & Babylonia imperârunt, vt ſolus Perſarum Rex ob ſummam excellentiam & prærogatiuam propriè Rex diceretur: quemadmodū & nunc inter Chriſtianos Rex Franciæ, Regis appellationem ante alios omnes meretur. Iudæi poſtea ab omnibus his populis ſpernebantur, potiſſimùm cùm facti eſſent Romanis tributarij. adeò vt etiam honor Dei ipſorum, qui antea toto mundo celebris factus ab omnibus metuebatur, propter ſtupenda miracula in defenſione exigui huius populi exhibita, eniluerit. Quid igitur (vt tan-

Quid Magos traxit an inuiſendū Chriſtum.

Perſię amplitudo & magnificentia.

dem hanc materiam concludam) quid, inquam, magnos illos Principes permouere potuit, cur longum hoc & molestum iter ingrederentur, nisi Deus ipse, qui voluit hanc gratiam exhibere Persis, vt eos ad fidem vocaret veram; & Iudæos confundere, vt viderentur Magis, hominibus Diabolicis, imò ipsis Diabolis peiores?

In Oriente orta mors, in Oriente primò ostensa salus.

ECce Magi, ecce Magi ab Oriente venerunt.] In Oriente mundus initium sumpsit. Orientalis mundi plaga primùm ab hominibus est habitata. Ecce & ab Oriente incipit mundi Creator pro Domino, pro Magistro, pro Saluatore & Redemptore mundi agnosci. Vbi initium habuit idololatria, si non in Oriente? & primum illud peccatum, vbi commissum? an non in Oriente? Magia vbi primùm inuenta? certè in Oriente, idque ab Incubis & Succubis. Agite, & ab Oriente cœpit beatus ille rumor per vniuersum orbem diuulgari, quòd natus est verus Deus, cui cultus Latriæ debetur; qui antiquum humani generis peccatum expiabit, & qui cum vera Religione curiositatem, vanitatemque Magicam destruet, atque libros Magicos paulatim exuret.

Christus est Oriens. Zach. 6.

Ab Oriente, ab Oriente venerunt. O si intelligeres hæc Papia? Ecce Oriens, ecce Oriens. *Ecce vir, ecce vir, Oriens nomen eius, subter eum orietur lux.* Christus, Christus est mysticus Oriens, à quo moti sunt Magi, & vnde venerunt: Christus eos mouit, Christus eos traxit, Christus eos inuitauit, Christus eos recepit. Quæ enim stella, vel fixa, vel errans, vel cometa, vel cincinnata, ardens, clara, rutilans, alba vel fusca Magos trahere potuisset, vt tanta cum Religione & Fide ad Iudaicā venirent superstitionem, (sic enim cultus Mosaicus à gentibus dicebatur, & ipse Moyses inter Magos plerunque numerabatur) nisi Christus eos non minùs illuminasset intus, quàm stella ista foris; atque non segniùs cor illorum contrectasset, ad amplectendum spiritualem Iudaismum, qui in fide, spe & charitate consistit, quàm stella pedes incitabat, vt ad circuncisorum regionem properarent? O Christe, ô Christe: tu eras stella vera, quæ non videbaris, & illuminabas illos vt te viderent. Stella hæc symbolum

lum tuum erat, quemadmodum columna ignis & rubus ille ardens in Exodo. Vna ſtella monſtrabat alteram, Domina mihi colendiſſima, quemadmodum & hic Sol ſenſibile ſimulachrum eſt, ſummi illius Solis inſenſibilis.

Vidimus ſtellam eius.] Omnes ſtellæ illius ſunt. Fecit Solem, Lunam & ſtellas: at hæc ſtella ſignum illius eſt, & Chriſtus ipſe ſignatum. Quis ſcit ſi fortè in ſtellę illius globo apparuerit quoddā veſtigium Chriſti in cunis iacentis: Quid? an non & ipſe fateatur ſe ſtellam eſſe, cùm dicit; *Ego ſum genus & radix Dauid, ſtella ſplendida & matutina?* Genus Dauid, quatenus homo; Radix Dauid, quatenus Deus; ſtella ſplendida & matutina, quatenus homo ſimul & Deus eſt. O vos miſeros Aſtrologos, qui toties oculos veſtros in cælum attollitis, & communes ſtellas contemplamini, cùm interim digni non eſtis intueri claram illam & incredibili plenam lumine ſtellam; hoc eſt, Chriſtum noſtrum. Aſpicite ſaltem ſtellam Mariam: Mariam dico matrem eius, quæ in cæleſtibus veſtris conſtellationibus ſeu configurationibus in ſigno Zodiaco, niſi nos fallat Albumaſar, Ethnicus non Chriſtianus, pro ſigno Virginis tot ſtellas oſtentat, vt ſimul compoſitæ faciant puellam habentem in brachio filium, qui duas in manibus ſpicas gerit. A Magis, à Magis antiquum illud dogma profectum eſt, quòd hîc in Bethleem videretur hæc Virgo, cum hoc puerulo Ieſu, duas ſpicas in manibus habente, hoc eſt, naturas duas, diuinam & humanam; vt paſceret nos intus & foris, tanquam verus panis cæleſtis, factus panis hominum: ideoque naſcitur in Bethleem, quod domum panis interpretantur. Ite, ite & dicite nunc, in libris profanis non fieri mentionem noſtri Ieſu, noſtrorum myſteriorum, noſtrarum hiſtoriarum. Sed & Macrobius an non faciat mentionem puerorū Hebræorum, qui ab Herode interfecti ſunt? vbi inter alia ad ignominiam Herodis, & noſtram gloriam refert, in tanta puerorum cæde etiam vnum ex filijs Herodis cæſum, vnde natum eſt illud prouerbium; *Malo porcus Herodis eſſe quàm filius?* Et Plinius ad Traianum ſcribens, an non fidem, vitam & profeſſionem Chriſtiano-

Apoc.22.

Signum Virginis in Zodiaco.

 ſtiano-

ſtianorum ad ſydera vſque laudibus extollit? Phlegon quoque Trallianus, an non deſcripſerit admirandam illam Solis Eclipſin, quæ viſa eſt in Iudæa, quo tempore Chriſtus mortuus eſt? Marcus Aurelius an non meminerit magni Chriſtianorum beneficij, in ſumma illa ſitis Germanicæ neceſſitate? Quis veſtrum ignorat Tiberium in ſuo Larario inter alios Deos Chriſtum etiam habere voluiſſe? Porphyrius inſuper nonne memoriæ prodidit, Deam Hecaten tam præclara de anima Chriſti prædicaſſe? Et quis ſcit ſi Galenus fortè commotus ſit relicta Roma in Syriam proficiſci, non alio fine, quàm vt inquireret, veráne eſſent miracula, quæ Romæ de Chriſto commemorabantur? *Ecce Magi, ecce Magi.* Sed quid de Sibyllis dicam, quæ res tam arduas, tamque glorioſas de Chriſto cecinerunt, incipientes ab ouo (vt ſic loquar) nullum præteriêre myſterium, quod non tantùm adumbrarunt, ſed expreſſerunt, & viuis verborum coloribus depinxerunt, quidquid acturus eſſet Ieſus, Puer, Homo, Viuus, Mortuus, Crucifixus, Reſuſcitatus? Legite Lactantium, Iuſtinum Philoſophum & Martyrem, Arnobium, Clementem Alexandrinum, Euſebium, Hieronymum, & celeberrimum illum Patrem, qui libros de Ciuitate Dei compoſuit; & inuenietis Sibyllina de myſterijs fidei noſtræ carmina. Ah Papia, vicinus ille tuus Virgilius, quot Sibyllæ Cumanæ verſus mutuauit, ſuisque ſcriptis intertexuit, qui potiùs de Chriſto noſtro, quàm de Auguſto vel Ænea ſuo ſunt intelligendi?

Vide Zonarã Annal. 2. in M. Aurelio.

Iam noua progenies cælo demittitur alto,
Attulit & nobis aliquando optantibus ætas
Auxilium, aduentumque Dei; cùm fœmina primùm
Virginis os habitumque gerens (mirabile dictu)
Nec generis noſtri puerum, nec ſanguinis edit.

Lætor vnà cum Celſitudine veſtra, ô magna Chriſtierna, quæ amore Chriſti tui (cuius tanta cum laude pulchrum illud nomen, Regno Daniæ hereditarium, refers) inflammata, indefeſſis vt audio manibus verſas librum illum verè aureum, doctæ illius fœminæ Probæ Falconiæ, quæ Centones in omnem Scripturam, hoc eſt noui veterisque Teſtamenti textum

ex ver-

ex versibus Virgilij compilauit. O quàm sublimes sunt versus isti, ô Ducissa, quos de mysterio Magorum, & de stella hodierna cecinit? quàm probè contexuit? quàm apposité ad rem protulit? Interrogate, si placeat, illud B. Hieronymum, cuius tanta laus est tam apud Poëtas quàm Oratores,

Stella facem ducens magna cum luce refulsit: Proba Falconia.
Agnouere Deum Proceres, cunctique repentè
Muneribus cumulant, & sanctum sydus adorant.
Tunc veri manifesta fides, clarumque paternæ
Nomen virtutis, & Christi agnoscere vultum
Flagrant, & quæ dent diuini signa decoris.

Ecce Magi, ecce Magi. Hæ sunt primitiæ omnium gentium, quæ cum authoritate sapientiæ, dignitatisque suæ nomen Christi propagârunt; *A Solis ortu vsque ad occasum.* Psal. 112. An non magnum videatur secretum Magicum illud Ægyptiorum, cuius meminit Horus Apollo Ægyptius, de duabus lineis rectis vna alteri perpendiculari? quæ apud illos spem futuræ vitæ significabant? Quid enim figura hæc aliud, quàm Crux? Et quis Crucem hanc infamem quōdam apud omnes gentes, & adhuc apud Iudæos supplicium nobilitauit, nisi Christus; Sed & Pent' Alpha Antigoni, ipsi in cælo monstratum, cum his quinque elementis ΥΓΕΙΑ, SALVS, an non sit mysterium Magicum, quod tam in corpore, quàm in anima, hoc est, tam in figura, quàm in verbis Christum significat, qui in Cruce pendens cum quinque vulneribus suis mundo salutem attulit? Denique vt nihil vos celem; Plato Philosophus, Diuinus magis quàm humanus, cur tāto in pretio habuit Græcum illud elementum χ Chi, quod Latinis est X, nisi quia figuram Crucis refert, nosque ad Crucifixum adducit? quinetiam & caput primáve littera est huius vocabuli χαῖρε, quod gaudium & salutem designat; quia χριστὸς Christus, Saluator noster est: Crux verò gaudium, felicitas, & omne bonū nostrum. O Christe, ô Christe. Quantoperè vobis, ô Magi, Christianismus deuinctus est? in ore nostro viuetis semper, & erit nomen vestrum apud nos immortale. *Ecce Magi, ecce Magi.* Ab his tribus Magis in omnes alios, & ab his in omnes gentes cuiuscunque

Mysteria Ethnicorum de † Cruce.

Pent' Alpha Antigoni. Υ ΓΕΙ Α

professionis cœpit fama de Christo nostro diffundi ac diuulgari.

O quàm profundo sensu dictum est à Matthæo; *PEr aliam viam reuersi sunt in regionem suam.*] Non iam ampliùs per Magiam, non iam ampliùs per Magiam, sed per simplicitatem fidei tres illæ, an plures nescio, sed certè vt minimum tres (non enim duali, sed plurali numero vtitur hic contextus Græcus) animæ benedictæ ad cælestem Patriam reuersæ sunt. *Genus Deorum sumus*, ait magnus ille apud Græcos Poëta. ideoque patria nostra non est terra hæc. Ad cælũ, Domini mei, ad cælum omnes per Christum tendimus. Illud profectò miraculum est, & quidem artis Magicæ, ex terra esse, & in cælum ire. At non illius Magiæ, cuius antea memini: non illius, sed *per aliam viam*. *Per aliam viam.* Alia hæc Magia est, alia est Magia. Magia scilicet Christi, qui etiam incãtat homines. Non legistis; *Et venefici incantantis sapienter? Incantantis sapienter?* O quàm beatus est, qui à Christo incantatur? Quid? an non & ipsos incãtatores & Magos ipsos hìc Christus incantauerit? Quid enim in rebus externis hìc magnum, quid illustre, quid regium viderunt?

Act.17.

Psal.57.

Apostrophe ad Magos nihil Regij in Christo vidẽtes, tamen eũ vt Regem adorantes.

Magi Sancti, ad vos mea est oratio, vobiscum sermonem conferre iubet. Vbi est hìc ciuitas, vbi palatium, vbi aula, vbi pompa, vbi familia, vbi apparatus Rege dignus? vbi est ætas apta regnandi? vbi sceptrũ, purpura, arma, exercitus? Vbi sunt equites, pedites, duces, vexilliferi, legati, ministri, senatores, cõsiliarij, parentes, fratres, cognati, consobrini, amici, socij, confœderati, tributarij? Vbi sunt veredarij, qui noua quæ alijs in Regnis geruntur adferunt? vbi sunt collybistę & nummularij qui stipendia numerent? vbi dona regia, vbi regales fasciæ, aureæ cunæ, gemmæ, nobilis virginum comitatus, Reginæ pedissequæ? vbi Gynęceum, vbi deliciæ in quibus Regum filij nutriuntur? Non erat in hac spelunca, Domini Papienses, quod carnalibus oculis videri poterat, nisi paupertas, ærumnæ, vilitas & humilitas. Nihilominus Sancti isti Heroës, quasi à Christo incantati, existimabant se videre muros Babylonicos, Pyramides Ægypti, hortos & piscinas Salomonis, fontes lacte & melle scaturientes.

entes. Omnes lapides videbantur illis sapphiri, iaspides & adamantes: puluis, arena aurea, fumus splēdor; panni fasciæque laceræ, purpura & byssus; Puerulus in cunis Rex visus est illis in throno, vagitus pueriles tubarum strepitus cùm edicta Regia proclamātur omnibus metuendi. Quis scit an & exercitus equitum viderint in aëre, quomodo quondam vidit Eliseus? Stupefacti, attoniti & præ admiratione extra se rapti, non iam in hoc mundo, sed in cælo se esse arbitrabantur. O salutaris incantatio! Videntes itaque hunc Deum immortalem sub velo humano absconditum, & in brachijs Virginis, quam solam cælo dignam iudicabant, hærētem, mente credendo, sperādo, amandoque, & corpore genua flectendo, seseque in terram prosternendo, atque ea quæ Persis erant chariora, pretiosioraque, offerendo illum adorârunt.

INuenerunt puerum cum matre eius,] ait Euāgelium. Ecce signum Virginis, cuius antea mentionem fecimus. *ET procidentes adorauerunt eum, & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera aurum, thus, & myrrham.*] O quàm sublimi sensu, & quàm paucis verbis Christianus noster Presbyter Iuuencus hæc dona, eorumque mysteria descripsit, cùm inquit;

> *Aurum, thus, myrrham, Regi, hominique, Deoque*
> *Dona ferunt.* Iuuencus.

Non me hîc continere possum, Astrologi, quò minùs ad vos orationem conuertam, & dicam; O vos miseri, qui fatum in stellis constituitis, dicitisque etiam hanc stellam fatum Christi fuisse: non videtis Christum potiùs dominum stellæ, stellamque ab illo pendere, non illum à stella? mouetur enim ad eius imperium, & ad eius imperium quiescit: ad eius nutum lucet, atque ad eius nutum obscuratur & absconditur, iterumque se Magis videndam præbet. *Vt staret supra vbi erat puer? Vt staret supra vbi erat puer?*] Properabat stella ad Christum, non Christus ad stellam. Quando peruenit vsque Bethleem, quieuit, stetit, officio suo defuncta est. euanuit & resoluta est, quomodo columba, in qua apparuit Spiritus sanctus, & ignis in linguis, & in rubo ardēti disparuit. O stella, ô stella; O incantatio, ô incantatio.

Christus Dominus stellæ, non stella Christi.

Vene-

Venerunt Magi tertio decimo die post natū Christum, qui numerus transcendit duodecim signa Zodiaci, & duodecim Deos gentilium. Non recordaris, Alciate eruditorum hominum nostri seculi gloria, non recordaris, inquam, illud distichon:

Iuno, Vesta, Minerua, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Iouis, Neptunus, Vulcanus, Apollo?

Incantauit eos Christus, incantauit eos Christus, ne obseruarent hunc duodecimum numerum, sed potiùs decimum tertium, qui Christi est & Apostolorum eius. O beatissimi Magi.

Herodes decipere volens deceptus est.

Vah Herodes, cur non & tu ab hoc summo sapiente, imò ab ipsa Patris æterni sapientia, ab illo omnis scientiæ authore Christo Iesu benedicto incantari voluisti?

Quò periture ruis, maioraque viribus audes?
Cede Deo toto proiectus corpore terra.

Post duos saltem annos peractis Romæ negotijs tuis, vbi in mentem tibi venit illusum te à Magis, cur te infelix non humiliasti? Magi non illusere tibi, si tu hypocrita promittens te cum illis iturum in Bethleem Christum adoratum, responsum forsitan ab illis tuleris; *Ibimus, redibimus non, adorabimus.* Tu qui Magicū ænigma non intellexisti, à temetipso meritò & à cæca tua prudentia deceptus es, expectansque illos frustra confundebaris. O Domina Ducissa, huic Christo, eiusque incantationibus nemo potest resistere. Qui non sinit se incantari ad salutem, incantatur ad damnationem. Scitis quid contigit Herodi, quid filijs illius, quid Herodi Antipæ, quid Herodi Agrippæ: hic a tem erat Ascalonita.

Cedamus itaque, cedamus Christo huic, locum illi demus, oremus & permittamus vt operetur in nobis quod vult: alioquin tandem si non in nobis, saltē de nobis faciet quod non volens vult. Dico non volēs; ille namque ex natura sua nunquam vult damnare quenquam. Non audistis quantopere doleat, cùm damnare compellitur? *Heu consolabor de hostibus meis?* Et tamen condemnat, ne illius violetur iustitia.

Age, age sacerrime Senatus, apposite in his solennijs tantæ reuerentiæ, tantæque Religionis per hanc nostram

nostram Lombardiam, per totum Ducatûs Mediolanensis districtum: cuius dicere potestis, & verissimum est, vos frenum in manibus habere, idque ob fiduciam quam de vobis concepit Dux vester, videte quis status quæ conditio vrbis vestræ sit: viri & fœminæ non alijs rebus student, quàm profanis celebritatibus, conuiuijs, crapulæ, ludis, iocis, laruis, choreis, comœdijs & negotiationibus. Non celebrant Epiphaniam, vt festum diuinum, sed vt mundanum, carnale, lasciuũ; vtque vno verbo dicam, vt Diabolicum. Quot superstitiones, quot incantationes, quot idololatriæ, quot res Magicæ fiunt hoc die; & quot hac nocte præterita facta sunt? O Domini mei colẽdissimi, Hæc videmus & ferimus? Ascendente Sole, crescentibus diebus, augente calore, robur & incrementũ malitię sumit hæc nostra patria? Nimis tamen verum est, nec idipsum ignorant hæc nostra studia: omnem hominẽ ad mundanas voluptates, ad carnis libidinem, ad vanitatem, ad iram æstate quàm hyeme procliuiorẽ esse. Hyeme natura corporis nostri est quasi mortua, ęstate reuiuiscit. & heu quanto cum animarũ nostrarũ damno reuiuiscit? Culpa nostra est, Domini Doctores & Studiosi; qui quasi malè fermentati, & in origine nostra deprauati optimo iucundissimoque anni tempore ad iniuriam Creatoris abutimur. Sed ecce ecõtrariò Dominus noster vt quàm maximè nos à peccatis præseruet, suaque nos gratia confirmet, spiritualia nobis pręparauit antidota, idque in solennijs suis, vt sunt meditationes & contemplationes infinitorum beneficiorum, quæ in nos contulit infinita illius bonitas, cùm creando nos de nihilo, tum etiam redimendo nos incomparabili sanguinis sui pretio.

Reprehendit mores Ticinensium.

Æstate homo quàm hyeme ad vitia procliuior.

Per aliam viam, Papienses. Magi *reuersi sunt in regionem suam.*] vt testatur Euãgelium. Huc vsque per viam huius seculi ambulastis. O viam malam & periculosam, ô viam ducentem in manus Herodis, in manus Dæmonũ. Mutate, mutate viam Christiani, si ad patriam edire sit animus, si ad cælum peruenire cupiatis. Per viam Christi, per viã Christi, quæ omnino contraria est viæ huius mundi, necesse est vt eatis. In foribus sunt Bacchanalia. Festum hoc inuentio est diabolica.

Per aliam viam in patriã redeundum.

lica. Fugite, fugite Papienses mei, hunc animarum vestrarum Tyrannum. Subsequetur tempus Quadragesimale, In hoc via Christi est; abstinentia, sobrietas, oratio, eleemosyna, prædicatio verbi Dei, peregrinationes religionis ergò, indulgētiæ, ignoscere delictum inimicis, peccata commissą confiteri, satisfacere Deo quantum possibile est humanæ fragilitati. O quanta cum diligentia Sancta mater Ecclesia in omnibus suis officijs nititur, vt spiritum viuificet, carnem mortificet, cæli desiderium in vobis excitet, in huius terræ odium vos adducat; futuram vitam ante oculos vestros statuat, ne de præsenti ampliùs sitis soliciti, sed tanquam amore Dei absorpti, huius seculi miserias, fraudes & imposturas vel tandem agnoscatis.

Quod satis est dixi, Domini mei, & hora transijt: domum cum benedictione discedite, & orate Deum omnes pro felicitate huius vestræ Principis, & potissimùm pro Duce vestro Francisco Secundo, Principe profectò summæ prudentiæ, atque synceritatis; vt tota profitetur Italia, quæ tantopere desudauit, vt eum suo honori, dignitati & statui restitueret. Deus eum conseruet, eiusque Excellentiæ cum chara Coniuge Domina vestra; in hoc mundo omnem gratiam, & & in futuro æternam largiatur gloriam.

Tu verò venerande puer pia vota benignus
Suscipe, & è cunis ore micante faue.

In nomine Patris, & Filij, &
Spiritus S. Amen.

CON-

CONCIO DE PVERITIA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI:

Habita Placentiæ, in Ecclesia Cathedrali, Dominica infra octauas Epiphaniæ, Anno M.D. XLI. die Ianuarij IX.

IN EVANGELIVM DIEI EIVSDEM.

CVM factus esset Iesus annorum duodecim. &c. Luc. 2.

PROOEMIVM.



VEMADMODVM in Natiuitate Saluatoris cum tanta lætitia, tantoque gaudio à choris Angelicis annunciata est gloria Deo in cælis, & mũdo pax in terris; ita vt omnes animi pij cantârint; *Benedictus qui venit in nomine Domini*; Et sicut octauo die in tenera adhuc carne sua Christus sustinens asperitatem cultelli, per immaculatam suam circuncisionem sustulit in spiritu carnis nostræ præputia; nomenque sacrum & salutare Iesu, nomen honorandum Angelis, adorãdum hominibus, & metuendum Dæmonibus accepit: factus deinde puer dierum tredecim, auditum est quomodo mirabiliter, dulciter tamen, traxit sanctos Magos, gentium primitias, vt adferrent ei tributũ, aurum, thus, & myrrham, vt nos illi iugiter vota nostra offerremus; pœnitentiam scilicet, eiusque opera; corda quoque nostra in

sacra-

sacrificium gratum & holocaustum suaue: sic & hodie puer adhuc, duodecim annos natus, etsi natura antiquus dierum, & ęternitate ante omnia sit secula, tanquam magister omnis scientiæ, fons omnis sapientię, Verbum æterni Patris, ars & sapientia increata, sedens in medio Doctorum, tanquam Sol in medio mundi, cum Maiestate verè Deo digna interrogabat sapientissimos Iudęæ, & obstupuerunt: respondit ad illorum interrogata, & obmutuerunt. *STupebant omnes qui eum audiebant super prudentia & responsis eius.*] Gratiosum profectò spectaculum, ô Placentini, ad videndũ oculis, sed iucundissimum memoriale ad consolandas omnium credentium animas. Nostri itaque muneris est, vt postquam sanctum Domini Natale cum Angelis celebrauerimus, Circuncisionem illius cum parentibus honorauerimus, in fascijs illum cum Magis adorauerimus, hodie quoque, tanquam non ingrati, aut saltem non indigni discipuli, attentè audiamus paruulum hunc, sed magnũ Doctorem, docentem legem, declarantem figuras, detegentem vmbras, & Prophetas interpretantem. Beati erimus, si hoc fecerimus. *Docebit nos vias suas. Ambulabimus in semitis eius. Et faciet pacem in diebus nostris.* Salutemus B. Virginem *Aue Maria.*

PARS PRIMA.

SPECTACVLVM hodiernæ diei plenum gratia, plenũque lætitia, propter solennem pompam quam Ecclesia exhibet de Christo nostro, in omniũ nostrum consolationem introducens illum annos natum duodecim, cum tanta laude, tantaque gratia inter Magistros Synagogæ disputantem, honorem & gloriam omnium festorum præcedentium conduplicat. Pretiosa gemma, etsi annulus cui est illigata ex auro purissimo sit, quantumuis est parua, tamen auri pulchritudinem splendore suo mirum in modum auget: omnes autem quæ circa Christum & in Christo res sunt, vt gratiæ, virtutesque, sicut colores in arcu cælesti, sic simul colligatæ sunt, vna alteram iuuat, vna alteram hono-

Simile.

Omnia quæ in Christo & de Christo sunt, in vnũ colligata sũt.

honorat, vna alteri perhibet testimonium: miracula Christi condecorant eius doctrinam; doctrina vitam; vita mortem. Et hæc pueritia cohonestat eius infantiam. Non enim in posterum admirabimini infantiam Christi Dei, postquam audieritis tam præclara, tamq; magnifica de pueritia Christi hominis. Sed cur persisto in illius infantia, & non vlteriùs ad eius procedo natalia? Omnes præteriti dies in celebranda noua & gloriosa Christi Natiuitate effluxerunt: primò enim ex ventre B. Mariæ Virginis natus est secundùm carnem; deinde ex ore Iosephi natus est secũdùm nomẽ, in appellatione Iesu; tertiò in die Epiphaniæ natus est secundùm fidem, stella Magorũ duce creditus & adoratus à gentibus. Hodie, hodie ostenditur quòd dignus est titulo & officio Regio, vt qui futurus erat magister Religionis, hominesque saluaret, & quod plus est, eum non hominem solùm, sed & Deum esse demonstratur.

Christus quot modis natus.

Quòd si verum sit (vt certè est) quod sapientissimus ille Salomon ait; *Gloria patris est filius sapiens*, magna profectò est gloria tua, ô Pater æterne, qui talem, tantumque filium genuisti? meritò dicere potuisti? *Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui, ipsum audite.* Age, Placentia, Ciuitas illustrissima, ipsa vides, neque excusatione mihi opus est, quòd non poteris à me expectare orationem aliquo modo sapientissimo hoc filio Dei dignam; tamen quia voluisti, & me ratione patriæ, quæ mihi plus quàm paterna est, conuicisti, quòd hodie militiç Quadragesimalis stipendium mereri inciperem, ecce secundùm consuetudinem Studiosorum, & bonis litteris operam dantium, qui etsi parum sciant, scire tamen multa desiderant, atque ideo semper curiosi admirantur, inquirunt, proponunt, interrogant: & ego ignorans quid dicam, docebo vos admirari, interrogare, quærere? Quis est puer hic præ omnibus mirabilis, imò miraculum ipsum, qui implet omnes gaudio & amore; sed postea quoque infinito stupore & incredibili admiratione? Discipulus nunquam, Magister semper; ætate annorũ duodecim, sapientia plus quàm centum; qui adeò nuper venit in mundum, & tam doctus est in lege Domini, tam tener

Prou. 15.

Matt. 3. 17.

 annis,

tener annis, & tam maturus sensibus; tam exigua corporis statura, tam magnus mente & animo? Qui licet nunquam litteras didicit, disputando tamen totũ mundum rapit in admirationem, omnesque reddit attonitos: ita vt etiam Iudæorum sapientissimi, doctissimique Synagogæ Rabbini, non habeant quod respondeant. *Quid est hoc? Quis est hic? Quis est hic?* Est hic maior Dauide, maior Salomone, maior Helia, maior quoque Egidio, Benedicto, Nicolao, Placido, Antonio. Quàm felices illi parẽtes sunt, qui talem à Deo filium obtinuerunt: feliciores profectò Abrahamo, & Sara; Isaaco & Rebecca; Iacobo & Rachele; beatiores parentibus Ioannis Baptistæ, Samuelis, Ambrosij, Bernardi, & Bernardini. O bene natos Doctores Hierosolymitanos, quibus cõtigit oculis super omnẽ sensum, super omnem naturam, & contra omnem Philosophiam videre tantam humani intellectûs perfectionem, absque vlla disciplina acquisitam? Tabula hæc nunquam fuit nuda, nunquam expers picturæ. Creata est sicut Sol in pleno suo lumine, sicut arbores folijs & fructibus onustæ, sicut cælum Empyreũ plenum Archangelis & Angelis. O rarum filium, ô miraculosum filium, ô vnicum filium, Placentini. *Quæstiones sunt æquales numero his, quæcunque verè scimus.* Proposui quęstiones, si quis Doctor vel Magister esset, sine dubio responderet: & si ego nouem annos meos ad numerum Musarum & Encyclopædiæ in studio meo Patauino absoluissem, plura dicere possem: aliquid tamen ad consolationem vestram dicturus sum.

Exod. 16. Matth. 21.

Hic est filius Antiqui dierum, imò filius hic natura sua est ipse Antiquus dierum: puer quidem ætate, sed senex æternitate; nouus nobis, vt nostrã innouet antiquitatem, æternus in seipso non habens principium vel finem; imò & sibi simul & nobis æternus pariter & nouus. Qui licet in semetipso nunquam sit puer, nouus tamen semper est, nec tantùm nouus, sed ipsa totius naturæ innouatio: permanens enim in semetipso semper vniformis, in circulo sempiterno mutat & renouat omnia tempora, & cum tẽporibus omnia quæ in mundo sunt. O Æternitatem, ô Nouitatem. Inde Filiolus hic nouus est, vnde & æternus est. Diuina

Essentia Christi.

uina enim æternitas, quæ neque naſcitur, neque moritur, non incipit vnquam, nec vnquam deſinit. Terminum non habet vnde proueniat, aut quò vadat: illa inquam æternitas eſt ipſa antiquiſſima nouitas, & nouiſſima ſempiternæ Chriſti noſtri naturæ antiquitas. *Qui eſt, qui erat, qui venturus eſt. Alpha & Omega; Principium ſine principio, & finis ſine fine. Primus & nouiſſimus, ſenex & iuuenis. Nec genitus, nec interiturus vnquam.* Non audiſtis quid dixerit de illo Poëta quidam Theologicus; Apoc.1.

Tibi inconſumpta iuuentus,
Tu puer æternus?

Rectè quidem puer, Domini mei; totus purus, totus ſimplex, alienus ab omni compoſitione, qui nec componit, nec compoſitus eſt ex re aliqua, ab omnibus rebus tam diuiſus in toto, quàm in toto & per totum indiuiſus à ſemetipſo. Vnus, Vnitas, radix vnitatis, qui ne punctum quidem in ſe habet diuerſitatis. *Puer* puriſſimus, puritas ipſa, in quo nec totum eſt, nec pars; nec forma eſt, nec materia, nec ſubſtantia eſt & accidens; nec genus & differentia; nec actus & potentia; nec eſſe & eſſentia. Christus alienus ab omni compoſitione.

Puer; non poterit quiſpiam imaginari puritatem talem, qualis eſt puritas diuini numinis. *Purum, purũ.* Non eſt impurus per ſe, nec impurus factus eſt vel à ſemetipſo, vel ab altero. nec vmbram quidem habet imperfectionis, imò ſummam habet perfectionem: & tamen non habet aliud, quàm quod eſt, imò nihil habet: ſed eſt omnia; nec aliud in ipſo eſt habere, quàm haberi vel habitum eſſe; nec qui habet aliud ab eo, quod habet. *Puer*, puritas omnis puritatis, ſeparatus ab omni re mortali & terrena, à corpore, à loco, à tempore, à motu, à ſono, à coloribus, à saporibus, ab odoribus. O Puer, ô Puer; ô Deus, ô Deus. non eſt locus qui te capiat, non eſt tempus quod te metiatur, non eſt motus qui te alteret, non eſt ventus qui te diſpergat. Tu non es forma corporis alterationibus ſubiecti; non es candor Solis aut Lunæ; non es dulcedo mellis, non ſuauitas odorum, non harmonia vocum: atque iccirco te apprehendimus ſine motu, te tangimus abſque corpore, te retinemus ſine loco, te vide-

mus sine oculis; te audimus absque auribus; te gustamus absque palato; te absque naribus odoramur. Quando videris abesse longiùs, tunc te maximè, perfectissimeque videmus; tunc te non videmus, cùm adesse & ob oculos nostros versari crederis. Domini mei, adolescentes studiosi, qui huc Ticino propter vacationes à prælectionibus confluxistis, memini me quondam Patauij litteris operam dantem à Præceptoribus meis Zimara Philosopho, & Simoneta Theologo, qui pares sibi non habebant, (erant enim duo lumina istarum Athenarum, imò totius Italiæ, vt etiam ipsi vos nō ignoratis) audiuisse (quod pars erit nostræ disputationis hodiernæ) eum qui exactè intelligit verbum illud Philosophicum; Deum esse actum purum, puram formam, puram essentiam; hoc est, eum esse qui facit omnia, & non est factus; qui limitat omnia, & non est limitatus; qui finit omnia, & non est finitus; qui distinguit omnia, & non est distinctus; qui format omnia, & non est ab aliqua forma formatus; qui, inquam, hoc intelligit, illum dicebant summum intelligere mysterium, quo pulchrius aut grauius auditum est nunquam. Sed & ego assero eundem etiam propriè intelligere sanctum mysterium illius vocis, *Puer*, cùm ad Deum refertur. Non ignorauit hoc Varro, Romanæ linguæ parens, qui de ætate hominis differens, diuidit illam in quinque partes, dicitque vocabulum *Puer* idem esse quod Purus; sicut *Iuuenis, iuuans*, & *Senex sine sensibus*. Quòd si vellē nunc interpretari has quatuor litteras P. V. E. R. agnosceretis profectò, Lucam non potuisse Epitheton nomini Christo conuenientius inuenire. Præterea, nónne & ipse Æternus Pater hoc eodem titulo in Scripturis illum compellat, dicens; *Puer meus electus, quem elegi; dilectus meus, in quo bene placuit animæ meæ.* Sic illum nuncupat Esaias; *Antequam sciat Puer vocare patrem & matrē, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram Rege Aßyriorum.* Sic eum quoque Salomon appellat; *Puer eram ingeniosus, sortitus sumanimam bonam; & veni ad corpus inquinatum.*

Deus est actus purus, & quomodo hoc intelligatur.

Quid significet vocula Puer.

Esa.42.

Esa.8.

Sap.8.

O Puer, puer, perennis vita, æterna requies, panis viuus, esurientium refectio, pastor verus, errantes reuocans,

Ætas puerilis Christi.

Vir Puer Ad Concin[illegible] 145

uocans, Patris Verbum æternùm regnans. Hæc infantia, Auditores, quam hodie celebrat Ecclesia, non ad illam diuinæ formæ puritatem, sed ad humanæ carnis sinceritatem & sanctitatem; non ad gloriam quæ beatificat Angelos, sed ad gratiam quæ saluat homines; hoc est, non ad illam æternam generationem, secundùm quam Deus genitus est à Deo, & lumen à lumine, sed ad temporalem natiuitatem, secundùm quam homo similis nobis (peccatum excipio) natus est à Virgine, à nobis referenda est. Audistis enim cani in Bethleem; *Puer natus est nobis, filius datus est nobis*. Æterna illa puritas tota est mirabilis. Noua hæc pueritia tota est amabilis. Et quæ ætas gratiosior est hominibus ætate puerili? Quod enim cor tam barbarum, quod non domat pueritia? quæ feritas tanta, quam non mitigat? quæ crudelitas tam effera, quam non placat? Omnis elatus animus se inclinat, omnis duritia cedit, omnis rigor mollificatur, omnis superbia humiliatur ad solum nostrorum puerorum conspectum: quinimo pueri non tantùm à Patribus & Matribus, sed & à Principibus & Tyrannis impetrant, quod volunt: idque solius amoris violētia: tam sunt plerunque omnibus chari, gratiosi, iucundi, amabiles. Non est istud opus artis, est virtus naturæ: mouentur ipsa viscera, vim pati videntur, nec possunt gratiæ puerili resistere. Resistimus armis, furori, imperio, minis, ornatis orationibus & amicorum & cognatorum: infantibus verò resistere nō possumus. Vis quædam est, cogens nos illis gratificari, necesse est honorem hunc isti ętati tam amabili deferamus, vt quidquid petit obtineat. Rationi erat itaque consentaneum, Domini mei, vt veniens noster Iesus, quò se in totius mundi gratiam insinuaret, omnesque homines in amorem sui pertraheret, ante omnia in hac puerili ætate appareret. Nolebat timeri, volebat amari. Ecce itaque illum Puerum totum amabilem, totum gratiosum, imò totum amorem, totum gratiam. O dulcissime Iesu, generosa summi Patris proles, sublimis Virginei ventris fructus, omnium ciuium cælestium vnica merces & lætitia, copiosissime omnium gratiarum fons. *De cuius plenitudine nos omnes accepimus*.

quò sit referenda.

Esa.9.

Ætas puerilis gratiosa est & amabilis.

Cur Christus puerili ætate venire voluit

Ioan.1.

O si te posses, ô homo, vel paululum eleuare ad contemplandum quàm profundè descendit & humiliatus est summus ille Pater, amore formosi huius filioli correptus, qui diuinam naturam exinaniuit, vt exaltaret in Christo quãtum posset humanam. Et quemadmodum priùs erat omnino indignatus, iraque in nos accensus, ita nunc econtrariò videns formosum hunc & gratiosum infantem, indignatio illius in clementiam, & ira in amorem planè cõuertitur. Si quoq; considerare posses, qualis & quanta lætitia orta est in corde Mariæ, quando peperit illum; quanto amore exarsit, quantoque incendio; quod refrigerium sensit, quam consolationem percepit: Si tibi concederetur vel minimam particulam iubili, quod erat inter pastores, audire, & videre summam diligentiam in vigilijs Angelorum, contemplari quomodo omnia media illa nocte tacuerunt, tum vt Angelicis istis symphonijs essent intenta, tum etiam ne dulcis pueruli huius somnum interrumperent; Si tibi daretur cum magna illa Regina iam grauida filio, qui totum mundum pugillo includit, montana ascendere, sanctam Elizabetham visitare, videre quanta cum charitate Vidua & Virgo se mutuò amplexantur, quàm amicis & venerabilibus verbis se inuicem salutant, quàm nobili actu, & quàm inaudita ciuilitate officiosus ille Ioannes Baptista mouetur, vt honorem exhibeat suo Saluatori, tanquam paranymphus agnoscens Sponsum, tanquam amicus amicum salutans, tanquam tubicen Iudicem, tanquam præcursor Regem, tanquam vox verbum præsentiscens. O si videre posses hunc puerum in octo dierum ætate crudele illud Circuncisionis signaculum in tenera carne sua suscipere, vt antiqui peccati cicatricem sanaret, quod cauterium summo cum dolore impressum est illi, qui tamen immunis erat ab omni peccato, vnde magna sanguinis copia effluxit, in remedium & nostræ salutis balneum. Si adire posses sanctum illud præsepium in Bethleem, & videre istic primò stellam illam, quæ ad præsentiam tam magni Solis statim obscurata est, cùm paulò antè solem firmamenti suo splendore longè superaret; deinde & summos Reges cernere, qui præter volunta-

luntatem Herodis humili ac venerãdo cultu hunc puerum adorârũt, eique vt Deo & homini aurum, thus, myrrham obtulerunt. Si tibi licuisset templum Hierosolymitanum accedere, & videre hunc Iesum, qui in hoc tantùm natus erat, vt nos omnes redimeret, in tantum sese humiliare, vt ipsum quoque necessum sit redimi, & matrem eius (qua post Deum nihil fuit purius) ante Sacerdotem, tanquam necessariò purificandam præsentari. Si his omnibus, inquam, interfuisses, hæc omnia vidisses & audiuisses, ô quàm incredibili amore fuisses erga hunc puerum inflammatus? quomodo tuijpsius planè fuisses oblitus? quo zelo cum sanctissimo illo Simeone & prophetissa Anna, hominibus ætate prouectis, iustis, Spiritu sancto plenis, huic infanti occurrisses; fortassis & ausus fuisses eum in vlnas tuas excipere, fortassis amor superasset iudicium, fortassis desiderium vicisset pudorem, & lætitia timorem omnem expulisset. Quis scit si non & tu cum illo repuerascere incepisses, & ante illum, tanquam alter Dauid ante arcam saltando, intus forisque tripudiasses, cantans; *Tenui eum,* Cant.3.
nec dimittam. Nunc dimittis seruum tuum Domine. Non Luc.1.
dimittam, nisi priùs benedixeris mihi. Gen.32.

Sed quòd si illum postea media nocte in Ægyptum abduci vidisses, idque tanta cum molestia propter Tyranni persecutionem, certus sum, quòd oculi tui ex pietate in tam formosum & dulcem puerulum in fontes lachrymarum conuersi fuissent: scio quòd illum sine te comite non dimisisses, illum cum Iosepho & Maria secutus fuisses, socius illius peregrinationis fuisses, & vitam te inuenturum putasses, si illam morti exponere debuisses, vt iuuares eum in suis necessitatibus. Quæ tamen vicissim lætitia spiritum tuum absorbuisset, anima mea chara, si illum ex Ægypto reuersum conspexisses, in ciuitate Nazareth tam honestè conuersari, semper lętum, semper iucundum, sed semper grauem, semper reuerendum, sine rumore, sine ira, sine superbia, omnium virtutum erat exemplar, omnis bonæ conuersationis norma. Canos reuerebatur capillos, Sacerdotibus erat humilis, Dominis officiosus, Iosepho & Mariæ Matri obe-

diens, consanguineis familiaris, vicinis amabilis, nemini adulabatur, nulli erat iniucundus, omnibus affabilis, omnibus benignus, omnibus gratiosus.

O Puer, ô puer. Et quo amore incensus fuisses, si hodie spectasses illum, & tanta cum Maiestate, tantaque cum gratia sine fastu, sine superbia tam doctè, tam dulciter, tam familiariter, tam modestè disputantem audiuisses? religiosè ante omnia sacrosanctum nomen Dei inuocantem, sine cuius inuocatione, nec os suum aperire, nec pedem mouere, nec oculos in cęlum attollere consueuit, & honoris significationem tantorum Doctorum, à quibus totius populi aures pendebant, coronæ exhibentem: si audisses denique tanta cum benignitate proponentem, & tanta cum attentione ad sublimes suas interrogationes, responsiones expectantem cum iactura quasi proprij honoris. quamuis illius maxima humiliatio, honor potiùs & gloria eius dicenda sit maxima. O amabilis, ô amabilissime puer Iesu Christe.

Luc. 2. Ceterùm hæc eius infantia, Domini mei, nō minùs fuit, admirabilis quàm amabilis. *Erant Maria & Ioseph mirantes super ijs quæ dicebantur de puero*, inquit Lucas. Si Maria & Ioseph admirati sint super ijs, quæ de puero dicebantur, quis quæso non mirabitur? At quæ & qualia dicebantur? Dicebatur, mundum hactenus plenum fuisse belli motibus, turbis & seditionibus; humanum sanguinem vbique & in Oriente & in Occidente in quauis Monarchia copiosissimè effusum, tempore verò Natiuitatis huius pueri, omnia bella sopita esse; mundum tam pacificum & quietum extitisse, vt fieri potuerit generalis omnium populorum & nationum sub Imperio Romano descriptio. quod factum antea nunquam fuerat; nec futurum erat postea. Erat igitur illud magnum argumentum, fore mirabilem hunc puerum: qui cùm veniret, vt esset Dominus & Patronus totius vniuersi, diuina prouidentia voluit, vt omnia inueniret tranquilla & pacata, saltem in sua infantia. Dicebatur, Angelos nocte ea qua puer hic nascebatur auditos esse in aëre, canentes, pacemque publicam omnibus hominibus in terra, & gloriam Deo in cælis annunciantes: vt toti mundo signi-

Quæ passim de puero Iesu dicebātur.

significarent, quòd puer hic diuinum cultum renouaret, & humanam naturam, cui Deus ob antiquũ protoplastorum peccatum succensebat, reconciliaret. Dicebatur, nunquam auditum Philosophos, aut Reges, aut Sacerdotes Ethnicos deuotione commotos venisse in Iudæam, vt visitarent sanctam ciuitatem Hierosolymorum; omnes enim Ethnici Religionem Mosaicam meram æstimabant superstitionem: tamen nato hoc puero venerunt Magi ex Persia, Philosophi, Reges, & Sacerdotes, vt venerarentur & adorarent illum; intraueruntque vrbem Hierosolymitanam, deuotione moti erga hanc vrbem, cui ob splendorem natiuitatis tanti pueri honorem summum deberi arbitrabantur. Tot, tamque illustres erant in hac vrbe nati quondam Reges, sed nunquam simile visum erat miraculum: nunquam tam præclari tamque magni nominis viri, ex tam longinquis regionibus venerãt, nisi hoc tempore, in quo etiam Hierosolyma paulò antè à Pompeio capta, & Romanis subdita, minoris erat apud incircuncisas gentes existimationis. Illud itaque arguebat, hunc puerum non esse hominem ceteris similem; honores enim isti non humani erant, sed diuini. Sed & præter Reges ipsos, quot filioli erant nati ex parentibus sanctissimis, & non ita pridem ante sex circiter menses magnus ille summi Sacerdotis Zachariæ filius, qui ob ingens in muto patre miraculum dictus est Ioannes, id est *Gratia*, eratque iam publica fama, cum in vtero matris sanctificatũ: tamen cùm secundùm legem præsentaretur in templo, non est auditum, aut Simeonem, aut alium quempiam de illo tam honorifica & gloriosa locutum esse, quàm de hoc puero Iesu dicebantur. Quod certissimum erat argumentum, eum Ioanne, omnibusque Sanctis tantò esse maiorem, quantò maior est omni gratia, ipse gratiarum author & Dominus. Dicebatur, celebrem illam viduam Annam Prophetissam, nunquam homini tale testimonium perhibuisse, quale perhibuit huic puero, de quo manifestè absque vllo ænigmate dicebat, eum fore Redemptorem Israëlis. Dicebatur quòd Herodes, cùm esset in pacifica Iudeæ possessione, tanquam Rex, cum tãto impetu & furore puerum

hunc vix natum ad necem non quæreret, neque propter huius vnius mortem tam crudelem tot innocentium, imò proprij filii sui stragem ederet, nisi certus esset, tum per oracula, tum per Scripturas edoctus, puero huic tanquam Messię & filio Dauidis, ab omnibus gentibus tam diu expectato & desiderato, Regnum Hierosolymitanum iustissima ratione deberi. quare tanquam is qui sibi metuebat, vt imperium retineret, omni violato iure, omniq; explosa ratione, in omnes masculos, qui Christi erant coętanei, sęuijt, vt in tanto trucidatorum numero puer Iesus ipsius manibus elabi non posset. An non maximum fuit miraculum Dei, quòd pauperes illi parentes Maria & Ioseph, quibus vix suppetebant fasciæ, quibus puerum inuoluerent, insidias tanti Regis subterfugere, proficiscentesque intempesta nocte in Ægyptum charum hunc filiolum seruare potuerunt? Omnia namque puero huic fauere videbantur, vt viueret, viuendoque præclara ista opera, quæ Cæli de illo pollicebantur, efficeret.

Luc. 2. Papę, quàm multa alia de puero dicebantur? *Erant Maria & Ioseph mirantes super ijs quæ dicebantur de Puero.* Vultis vobis dicam quæ de puero dicebantur? Dicebatur, Ægyptum esse emporium impietatis, à qua tanquam à centro omnis idololatria in omnem mundi circunferentiam erat diffusa: cùm autem puer hic eò venisset, corruerunt omnia idola; quod manifestum erat præsagium, pueri huius doctrina omnes falsas de Diis Religiones fore extirpandas, & vnum solum & verum Deum adorandum. Dicebatur, quòd nunquam visus erat puer formosior, & quòd appositè admodum conceptus erat in Nazareth, id est, flore: erat enim flos omnium quos mũdus in lucem effudit filiorum: admirandum quoque esse, parentes tam inopes genuisse prolem tam venustam, in cuius facie Regia, vel Imperatoria Maiestas relucebat, quodq; multò erat pulchrior in anima, quàm in corpore: adeò vt nunquam visa fuerit conuersatio tam nobilis, vita tam honesta, aut ciuilitas tam iucunda. Dicebatur tempus nunc aduenisse à Prophetis prædictum, & determinatum, in quo Redemptor Israëlis mundo mani-

Ægyptus emporium impietatis ante Christum.

Nazareth florem significat.

Pulchritudo Iesu.

manifestari debebat: iam enim dignitatem Regiam in Iudaiſmo defeciſſe, & quod plus erat, vnctionem quoque Sacerdotalem ceſſare: ſummum enim Sacerdotium à Romanis impetrabatur: neq; dignitas hæc ampliùs erat perpetua, ſed annua: hūc igitur Ieſum ſine dubio eſſe, in quem omniū ætatum præcedentium Patres oculos ſuos coniecerāt, tanquam in eum, qui & ſummus Rex & ſummus pariter Sacerdos futurus eſſet. Dicebatur, quòd non ſine myſterio nomen hoc Ieſu, quod eſt Saluator, obtinuiſſet: venire namque illum vt ſaluet mundum, ideóque paulò antè natum magno Sacerdoti Zachariæ, homini ſeni, mirandum illū & rarum filium, de quo pater in ſpiritu vaticinatus dixerat; quòd naſceretur vt annūciaret hunc puerū mūdo, haud aliter quàm ſtella Dianę proximū annūciat Solem: quodq́ue Ioannes adhuc vtero matris ſuę Elizabethæ incluſus quandam honoris ac reuerentiæ ſignificationem illi exhibuerat, qua demonſtrabat, ſe iam auſpicari officium Præcurſoris, iam cominus patri & matri annuncians, magni huius orbis terrarum Domini aduentum, quem alij Prophetę non niſi eminus intuebantur. Dicebatur, quòd ideo natus erat in Bethleē, loco vbi Meſſias naſceretur; Dicebatur quòd Maria mater eius nata erat ex patre & matre ſterili. Dicebatur, nunquam fœminam viſam huic ſimilem, quæ potiùs erat diuina, quàm humana. Dicebatur, quòd toto illo tempore, quo miniſtrauerat, ſeruieratque Deo in templo, omnibus alijs puellis haud aliter quàm Sol ſtellis præluxerat. Quid dicam ampliùs? Dicebatur de puero, quidquid dici poterat. Videbantur omnes & ſinguli magnitudinem huius pueri præſagire; vnuſquiſque interrogabat, vnuſquiſq; reſpondebat. Omnis terra fama huius filij erat plena, non in ſecreto tantùm inter Magnates hęc muſſitabātur, ſed in foro, in plateis, in portis, de alia re nulla, quàm de hac paſſim homines loquebantur: tanquam de ea, quę ad omnes pariter attinebat. Vox illa quæ vnde dimanauerit neſcitur, apud Græcos ὄσσα dicitur, iam in ore omnium volitabat, eratq́ue publicum & vniuerſale prouerbium. Meritò igitur *erant Maria & Ioſeph mirantes ſuper ijs quæ dicebantur de Puero.* An non hæc

Indicia nati Christi.

omnia

omnia quę diximus admiratione digna sint? Anna & Ioachim steriles generant Mariam matrem Domini; Zacharias mutus per miraculum loquitur; Ioannes plenus Spiritu S. exultat in vtero matris; in Bethlecem oppidulo Iudæ nascitur Iesus; totus terrarum orbis sub Romanis in pace conquiescit; Angeli familiares fiunt hominibus; Virgo concipit & parit; Sacerdotes vtriusque sexûs vnum idemq́ue vaticinantur; Infans imbecillis Regem terret potentem; confundit totam Ægyptum, omniaq́ue illius idola euertit; Persiam in Iudæam vocat; tam paucorum annorum puer tam doctè disputat, & sapiētissimos Synagogæ in stuporem conuertit. Quis vnquam audiuit talia? Optimè dictum est à Propheta, eum appellandum *admirabilem. Vocabitur nomen eius Admirabilis.* O Admirabilis, ô Admirabilis, imò ipsum miraculum.

Esa. 9.

Ceterùm relictis alijs, hodiernum tantùm mysterium tractare est animus, & de tam docta pueritia, de disputatione tā honorabili, de miraculo super omnia miracula verba facere proposui. *In Christo Iesu sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi,* inquit Apostolus. Iudica nunc tu Grāmatice, iudica tu Rhetorice, iudica tu Dialectice: vos tres alloquor, vos enim didicistis artem congruè & incongruè, verè & falsè, ornatè & inornatè loquendi. iudicate, inquam, inter vos, qua cum gratia locutus est is, qui habebat omnes thesauros diuinæ sapientiæ in se absconditos, in hoc præsertim die, cum doctissimis disputans Rabbinis, & sacræ legis Magistris? Quis enarrare posset, quàm articulatè verba singula protulit, quomodo syllabas formauit, dictiones distinxit, orationem terminauit? quibus pedibus, quibus accentibus, quibus analogijs, etymologijs, tropis & figuris vsus est? quam inuentionem, dispositionem, elocutionem, memoriam & pronunciationem: quę argumenta, exempla, inductiones, assumptiones, cōclusiones, syllogismos, locos communes & proprios vsurpauit is, qui videbatur (vt verè erat) non tantùm homo, sed simul & Deus? *Sapientia hominum non est mecum. Ego sapientia ex ore altißimi prodij. Christum Iesum virtutem Deiq́ue sapientiam.* O sapientiā, ô infinitam sciētiam. Omnis enim

Col. 2.

De arte loquēdi quorū est iudicare.

Prou. 30.
Eccli 24.
1 Cor. 1.

enim homo obstupescebat, vnusquisque extra semetipsum rapiebatur, omnes & singuli præ admiratione quasi desipiebant, & dicebant; *Vidimus hodie mirabilia.* Luc.5.
Opus factum est in diebus nostris, quod nemo credet cùm Abac.1.
narrabitur. Vnde huic hæc omnia? & quæ est sapientia quæ Ioan.7.
data est illi? Quomodo hic litteras scit, cùm non didicerit? Matth.13.
Nónne hic est fabri filius & Mariæ? Ecce plus quàm Salo- Luc.11.
mon hîc. Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galileæ. O Matth.21.
Iesu, ô Iesu.

Maria amissum filium quærit.

Rationi consentaneum est, Domini mei, Mariam Virginem, postquam filium perdidisset, eum denuo quęsiuisse. Videbat enim se tali, tanto, tam amabili & mirabili priuatam filiolo. O si cui nostrum videre licuisset, in quanta versabatur angustia Mater Iesu, quo dolore, qua spiritûs afflictione agitabatur, quomodo palpitabat cor, quàm alto è pectore suspiria ducebat, quàm miserè plangebat, quàm inquietas noctes duxit, quàm longi dies fuerũt illi, in quibus filio suo carere debuit? Non potuit in ædibus permanere; oberrabat quærens vbique, tanquã desiderij & amoris impatiẽs. Quærebat illum inter vicinos, inter consanguineos, inter domesticos. *Num quem diligit anima mea vidistis?* Cant.2.
Num quem diligit anima mea vidistis? Neminem in plateis habuit obuium, cui non dixit; *Si tu sustulisti* Ioan.20.
eum, dicito mihi, & ego eum tollam? Non eum proprio appellabat nomine, arbitrabatur enim omnes intelligere, etiam absque nomine, quem quærebat: existimabat filium suum omnibus esse cognitum, & neminem suũ latere dolorem. Non vidistis illum? non est in ædibus vestris? Amor mi, spes mea, vita mea, vbi latitas? quis te mihi eripuit? O quàm grauiter semetipsam increpauit, quàm sæpe sese incusauit, quòd tantum thesaurum non maiori diligentia custodiuisset? Negligentia mea est, socordia mea est, quòd te fili mi non accuratiùs obseruaui, & custodiui. Meritò te perdidi, fili charissime, quia te digna non eram. Iosephe mi, sponse mi chare, non hęc tua culpa est, non peccasti tu, affligere tu te desine; mea est culpa, mea erit & pœnitentia. In dolore viuam semper. Nemo me in posterum cõsolabitur. deliqui enim in propriam carnem, in propriũ sanguinem, in meipsam, in animam

Insignis lamẽtatio Mariæ quęrentis Iesum.

meam,

meam, & in Deum meum peccaui. Quis ſcit qui valeat, & quomodo tractetur filius meus? Nemo illum præter me cognoſcit. Miſeram me, infelicem me. O Deus ignoſce mihi, O Deus remitte mihi tam graue delictum. Tu mihi ex ſingulari gratia hunc dediſti filium, tu illũ denuo ob culpam meam abſtuliſti. Redde, redde illum mihi, pro immenſa tua miſericordia. Non delinquam in poſterum, Domine. ſolicitè magis quàm pupillas oculorum meorum poſthac cuſtodiam. Fili mi dilecte, vbi nunc es? quis te hoſpitio excepit? quis tibi inſeruit? quis te induit? quis te exuit? quid bibis? quid comedis? An propter exiguũ meum in te amorem, & inconſideratam negligentiã meam indignatus in cælum redieris fili mi? Occidit te forſan Herodes, qui vix nato tibi inſidias ſtruebat tam crudeles. O Domine mi, aut me occide, aut ad me reuertere. Monſtra mihi aut inſpira vbi es, vbi degis, quid agis, vt non tantùm veniam, fili mi, ſed & te inueniam. Nunquam à latere meo diſceſſiſti ex ea hora, qua te genui; nunquam ſine te comedi, nunquam ſine te bibi. Perpende tecum quàm dura & amara ſit mihi vita hæc, quam ſine te nũc duco, cùm non ignores quòd tu ſolus es ſpes mea, gaudium meum, vita mea, & omne bonum, omniſque mea felicitas. Non poſſum viuere ſine te, imò non poſſum nec volo eſſe ſine te. *Indica, indica mihi, vbi paſcas, vbi cubes, vbi ſis, vt te poſſim inuenire.* Cant. 1.

Ieſus ℘ peccatum amittitur à quolibet.

Ah Chriſtiani; quid cauſę eſt, cur non ſimilis animos noſtros ſubeat dolor, cur non æqualis afflictio corda noſtra torqueat, quotieſcunque Chriſtum propter peccata noſtra perdimus, ita vt iam non ſit ampliùs ſicut antea nobiſcum per gratiam? Magnus ille Ruben, primogenitus Patriarchæ Iacob filius, poſteaquam vidit paruulum Ioſephum non vt conſueuerat præſentem, ſcidit præ nimio dolore veſtimenta ſua, conſolationem nullam admiſit. Oberrabat plangens & eiulans, ſiluaſque & campos ſuſpirijs impleuit, dicens; *Puer non comparet, & ego quò ibo? Puer non comparet, & ego quò ibo?* Beati eritis, Placentini, ſi vel mica eiuſcemodi doloris animos veſtros occupauerit, eo ſcilicet tempore quo dulciſſimũ fraterculum veſtrum Geneſ. 37.

Ieſum

Iesum benedictũ amisistis. Hic est Puer propter quem non vestimenta, sed corda scindenda sunt; propter quem, si non denuo inueniatur, lamentãdum est semper, & dicendum; Puer mi, quò abijsti? cur à me recessisti, ô dulcis Iesu. Vbi, vbi te denuo inueniã: quis te mihi reddet, mi chare Iesu? Tu es via, tu es veritas, tu es vita, quò vadam sine via, nisi in præcipitium? quò vadam sine veritate, nisi in errores? quò vadam sine vita, nisi in mortem? Quiescamus hic paululum, deinde Euangelium ab exordio auspicemur. Estote attenti, succinctus ero, ne tempus desit vestris disputationibus.

PARS SECVNDA.



VM factus esset Iesus annorũ duodecim ascendentibus Maria & Ioseph Hierosolymam, secundùm consuetudinem diei festi, consummatisque diebus cùm redirent, remansit puer Iesus in Hierusalem, & non cognouerũt parentes eius.] Quàm altum hoc principium est, Placentini, quàm latus spatiandi campus, quàm diues vena ex qua tantum licet, quãtum lubet, auri argentique eruere. Iesus Christus inter homines Angelus, ab raras & heroicas, quæ in illo relucebant virtutes, & inter Angelos homo, propter mortalem quam assumpserat carnem, hodierna die annos natus duodecim, quę etas in omnibus ferè hominibus esse consueuit ætas vel annus discretionis, eò quòd tunc iudicare, discernere & ratione vti incipiant, liber & solutus in publico loco maximum dedit sui experimentum, & sublime iecit Christianę eruditionis fundamentum. Salomon duodecim annorum puer sapientissimum illud, quod ęternùm celebrabitur de duabus meretricibus, propter filium adhuc viuum litigantibus, tulit iudicium. *Ecce plus quàm Salomon hìc.* Sine verbis namque, opere singulari omnibus hic nobis qui filij mortis sumus salutiferum dat consilium, vt perpetuò viuamus. Beati erimus, si illud sequamur. Et quale consilium? Audite; *Qui amat Patrem & matrem, plus quàm me, non est me dignus.* Quare magnus ille Pater, cui nomen Sacrum

Luc. 2.

Iudicium Salomonis factũ ętate eius duodecimo.

Luc. 11.

Matth. 10.

Hieronymus crum est, pulcherrima, viuaque verba illa, digna profectò illo, qui tanto tempore iuxta sanctum huius pueri præsepe habitaret, quondã protulit; *Licet paruulus ex collo pendeat nepos; licet sparso crine & scißis vestibus vbera, quibus te nutrierat mater ostendat; licet in limine pater iaceat: per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem, siccis ad vexillũ crucis oculis euola. solum pietatis genus est in hac re esse crudelem.* O pręclara sententia, digna quę opere exprimatur. Fratres mei, coętanei mei, multos enim hîc video, qui fuere mei cõdiscipuli, vbi agitur de diuitijs, de honoribus, de vita, opes quotquot habetis expenditis, honoris iacturã facitis, propriam vitã omni periculo exponitis, vt ijs opitulemini, qui vos genuerũt: nihil vobis graue est propter amorem, quo illos complectimini; nullus labor molestus, nullum damnum graue; omne periculum contemnitis, imò ipsa mors vobis dulcis est, tantùm vt parentibus satisfaciatis: amor & honor patrum ac matrum vestrorum vincunt omnia. Huc inclinat lex naturalis, inuitat humana, cogit diuina. Quid enim est pater & mater, nisi viua Dei imago? Nihil magis Dei maiestatem repræsentat, quàm pater. Deus enim est pater omnium, potissimùm verò hominum: hoc enim nomine & Poëtæ illum appellarunt; *Pater hominumque Deûmque.* Date mihi patrem, & ecce paruus Deus, terrenus Deus; quemadmodum è contrario Deus pater est cælestis, pater communis, pater magnus & immortalis. O infelicem filium, qui non honorat patrem & matrem: non meretur ille charum nomen filij. Non enim animũ habet ingenuum, liberũ, bene moratam: sed seruilem, indignum, ingratũ & sceleratum. imò est indignitas ipsa, ingratitudo ipsa, & ipsum summũ mundi scelus. Radium à Sole separa, & non erit amplius radius: riuũ à fonte seca, & non erit iam riuus; ramum ab arbore diuelle, & non erit iam amplius ramus. Filius ille qui non est patri coniunctus amore & deuotione, quomodo potest esse, nisi nomine tenus filius? Ceterùm postquam eò deuentum est, vt pater & mater cum Deo conferri debeant, necessariumque sit, vt vel huic vel illi adhęreamus, hunc aut illum deseramus, tunc vera pietas est, patrem & matrem negligere,

Quantum pátri & matri debeamus.

Pater & mater imago Dei est.

Filius qui nõ amat parentes, non meretur nomen filij.

gligere, & nos totos Deo mancipare. Lugeant atque lamententur cùm in publico, tum in priuato; doleāt quantū possunt; plangat pater, laceret capillos mater, ambo in terram prostrati flexis te genibus adiurent, improperēt tibi in te collata beneficia, victū, amictū, eruditionem, exantlatos pro te labores, expensas factas; commemorent suam senectutem, suam paupertatem, suam miseriam, honorem sibi debitum; accusent te ingratitudinis, appellent te impium, perfidum, inhumanū: oportet te hîc esse crudelem, oculos claudere, aures obturare, cor indurare, & eos quasi non audire, eos non videre, obsurdescere debes & occæcari, non vacillare; sed constāter in bono proposito perseuerare, atque in cœpta via Deo seruiendi strenuè proficere. Omnia Deo cedant, Christiani, necesse est, & quicunque te ab illo auertere molitur, hic inimicus tibi sit infensissimus: hunc fuge non lentè, sed ocyssimè: accelera gradum, curre, vola & clama; *Eripe me de inimicis meis Deus meus, & ab ijs qui oderunt me: quoniam confortati sunt super me.*

Vt seruiamus Deo, parētes sunt negligendi.

Psal. 17.

Scitis Auditores, quid sit seruire Deo? Deo seruire est Deum amare. Qui non amat illum, non seruit illi: qui non seruit, non amat. Qui strenuus est in illius amore, fidelis est in illius seruitio. Qui parum amat, minùs bene seruit; qui multum amat, seruit meliùs. Qui perfectus est in amore Dei, hic & perfectus est in illius seruitio. Sunt quidem propriè, si ordinem intueamur, serui Dei Religiosi, personæ Ecclesiasticæ, Monachi, Anachoretæ. In omni tamen statu seruire Deo potestis; quia in omni statu potestis illum amare. Deus magnus Dominus est, non est contentus paucis famulis, seruiri vult ab omnibus. Ideo & modum inuenit cōmunem, latum, spatiosum, patentem omnibus, quo seruiri vult & potest ab omnibus. Si volueritis, Placentini, omnes huius Domini potestis esse aulici & palatini. Diligite illum, & in aulicorū illius album referemini. Qui nummos, agros, vineas, siluas, armenta, vestes, cimelia, filios, patrem & matrem habet; habet autem hæc omnia, vel aliquid horum contra amorem Dei, relinquat necesse est, vt amor Dei locum inueniat: imò vita ipsa, si viuere non

Quid sit seruire Deo.

liceat sine iactura dulcis huius amoris, morti obiicienda est. Obseruârunt hoc olim Petrus, Paulus & Apostoli omnes. Hos imitati sunt omnes Christi Martyres, qui non tantùm sua, sed & seipsos in omnibus & per omnia propter amorem Dei contempserunt & abnegârũt. An non & Christus hoc ipsum primus, si non pro semetipso, saltem propter nos fecerit? Vitam suam conseruare, & amorem Dei nobiscum tueri simul non potuit. Quid itaque fecit? Mori voluit pro nobis, vt nos vitam illius amplectentes diuinum amorem recuperaremus. O quàm bonus seruus Dei est Christus noster. Non fuit ista tua serui-

Psal.93. tus necessaria, mi Domine, *Dominus liberè egit.* Tu

Ephes.4. nunquam captus fuisti; sed *Captiuam duxisti captiuitatem.* Non fuisti emptus aut venundatus vt seruires; *Dona dedit hominibus.* Sed quæ fuit hæc seruitus? fuit seruitus amoris. *Holocaustum & pro peccato non postulasti; tunc dixi; Ecce venio, ecce venio, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui.* O nobilem seruitutem, ô seruitutem liberrimam, ô seruitutem generosam.

Seruitus Christi non fuit necessitas.

Psal.39.

ET inuenerunt eum in templo.] Beatus qui ab ipsa pueritia se Deo dedicat, animum scilicet ad deuotionem & rerum de Christo cõtemplationem. Nomen enim Dei (vt scitis Docti) à voce contemplationis deducitur. quod namq; Græcis est θεὸς, Latinis est Deus; & θεωρία contemplatio. Deus est vita animæ, contemplatio nos Deo coniungit. Sine contemplatione vita non potest haberi: si non contemplemini, non viuetis. Qui non contemplatur, non viuit; tantum quis viuit, quantum contemplatur. *Et inuenerunt illum in templo.* Hæc est scala qua ad contemplationem ascendimus. Sensus sentit, sentire parit imaginationem, ab imaginatione procedit cogitatio, à cogitatione nascitur meditatio, meditando acuitur ingenium, & incipit discurrere, discurrendo rerum inuenit rationem, ratio illuminat intellectum, intellectus vt prolem suam parit veritatis intelligẽtiam, mens in alta illa intelligentia omnia propiùs inspiciendo commoratur, perque amorem & charitatẽ sese oblectat, & hoc modo contemplatur. Scitis nunc quid sit contemplatio?

Scala & gradus, quibus ad cõtemplationem ascẽditur.

Et

Et inuenerunt eum in templo. Beata contemplatio. Sed oportet omnia verba Euangelij discutere.

ET inuenerunt eum in templo, sedentem in medio Doctorum, audientem & interrogantem.] *sedentem.* Primò sedebat; hoc est, quietus erat, sedatus & totus liber ab omnibus illis affectibus, qui à Græcis meritò morbi & perturbationes animi appellantur. Deinde, *In medio Doctorum*, tanquã verum mediũ omnis sapiẽtiæ, vnde omnis sapientia deriuatur, haud aliter quàm omnes lineæ ab vno centro deducuntur. *Omnis sapientia ab illo est, & cum illo fuit semper, & est ante omne æuum,* inquit Scriptura. Centrum nihil recipit à circulo, nec mare à fluminibus: Christus nunquam didicit aliquid ab hominibus; sed omnes didicerunt à Christo. Ideo sedet in medio, vt aquæ illius in omnes effluant, vt doctrinam suam omnibus cõmunicet, sapientiam suam omnibus impertiatur. Diuus Ioannes vocat illum Verbum. *In principio erat Verbum.* Paulus vocat illum sapiẽtiam, *Christum Iesum Dei virtutem, Deique sapientiam.* Vna est eademque res Verbum & sapiẽtia; sapientia namque est verbum cordis, & verbum est sapientia oris. *Eructauit cor meum verbum bonum. Ego sapientia ex ore altissimi prodij.* Verbum illuminat, & sapientia illuminat. Non potest verbum illuminare sine sapientia, nec sapientia sine verbo. Quomodo autem & verbum & sapientia illuminat, nisi quia vtrumque lux est? Ecce Christus qui est lux vera: Sapientia est lux, Deus est lux, & cùm Deus illuminat, per lucem illuminat, nec per aliam lucẽ, quàm per suam, hoc est, per semetipsum. Per lucem suam, non quam habet, sed quæ ipse est. Est lux Deus, est lux Verbũ, est lux sapientia; quia Verbum est sapientia, sapientia est Deus, & Deus est lux. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Omnis itaque homo qui illuminatus est aliqua luce, aliqua sapientia, aliquo verbo, aliqua sciẽtia vel eloquentia, omne illud lumen quantumcunque est accepit à Christo, perfecta sapientia, perfecto Verbo, perfecta luce. Participatio diuersa est, minor & maior, participatum est vnum & idem; plenum & perfectum lumen, plena & perfecta sapientia, plenus & perfectus Deus. Currite,

Eccli 1.
Ioan. 1.
1 Cor. 1.
Psal. 44.
Eccli 24.
Deus est lux.
Ioan. 1.

accelerate omnes, vt ab isto lumine lumen accipiatis.
Quid vetat apposito lumen de lumine sumi?
Mille licet sumant, deperit inde nihil.
Quid curiosè quæris an anima Christi, quæ coniuncta cum carne & Verbo vnum constituit Christum, in vna persona, in duabus naturis, diuina & humana; in tribus essentijs, diuinitate, anima & carne sine separatione distinctis, sine confusione coniunctis: quid inquam curiosè quæris an hæc anima Christi habuerit scientiam æqualem illi, quam habet persona Verbi? creatura namque non poterit vnquam æqualis esse suo Creatori. Verbum est Creator, anima Christi verè est creatura. ideoque aut minùs sapuit, ne esset æqualis; aut si tantundem, non est creata. Quid? tu ne vis soluere corrigia calceamentorum Christi, quæ Ioannes Baptista soluere non est ausus? Nolite, nolite ô mortales ineffabilis huius Sacramenti Incarnationis vnitatem diuidere; nolite fictis comparationibus vestris inter animam & Verbum vllam constituere separationem. Deus hæc coniunxit, vt quid vos separatis? Tantum non potest creatura Creatori adæquari, vt ne cum illo queat comparari. Anima verò Christi, etsi sit creatura, vnitate tamen personali vnita est Creatori. Mirandum igitur non est, si omne id quod Deus habet ex natura, anima Christi habeat per gratiam huius vnionis. Quid sibi vult; Deus habet ex natura: non aliud quàm habet ab æterno, habet à seipso, habet semper. Quid sibi vult; Anima Christi habet per gratiam? Non habet ab æterno, non habet à se, non habet semper; quia non fuit semper: fuit enim creata; non est itaque creatura Creatori æqualis. Nequaquam. Per plenitudinem namque gratiæ non amisit propriam & naturalem conditionem: accepit quod non habebat, non tamen desijt esse, quod erat priùs. Erat creatura, mansit creatura. Plenitudinem diuinæ sapiētiæ accepit; non est tamen ex seipsa plena sapiētia, non est ipsa æternitas, non est ipsa immēsitas, non est ipsa omnipotētia. Scitis quid dicam? Animæ Christi non potuit deesse aliquid sapiētię illius, quæ est in Verbo: quia nihil defuit illi diuinitatis ipsius Verbi. *In quo habitat corporaliter*

Creatura nō poteſt æqualis eſſe Creatori.

Col. 2.

omnis

omnis plenitudo diuinitatis. Non audis Paulum? Quid quæris tantum aut quantum, cùm audias totum & omne? *Omnis plenitudo diuinitatis, omnis plenitudo diuinitatis. Sapientiæ eius non est numerus, non est numerus.* Verbum est sapientia ex natura, quia Deus est ex natura. Anima Christi non est sapientia ex natura, quia non est Deus ex natura. Non est Deus ex semetipso homo ille, qui hanc habet animam, factus est Deus: & quia factus est Deus, ideo est Deus; & omnis diuinitas, quia non habet partem, nec tantum, nec quantum, habitat in hoc Christo tota, omnis, quanta est & plena diuinitas. Hoc est mysterium quòd Christus sedit in medio Doctorum. Psal. 146.

Ceterùm quid mysterij latet in his verbis; *AVdientem illos & interrogantem?*] Certè qui vellet definire disputatorem, non posset aut breuiùs aut meliùs id agere, quàm si dicat; *Audiens & interrogans.* Et disputare in rei veritate, non est aliud, quàm Audire & interrogare. Arguere namque est interrogare, & ratione relationis interrogare includit in se respondere. Considerate quæso, quàm pulchro inter se ordine duo isti actus logici connexi sunt. Prius est audire, deinde interrogare. Disputans enim vel opponens quantũuis ingeniosus & argutus sit, non potest ad propositum argumentari, nisi priùs audiat intentionem defendentis, siue in Cathedra sedentis. neque defendens sufficienter potest respondere opponenti, nisi priùs audiat, & bene intelligat argumentũ illius; materiam quoque & formam argumenti. Oro igitur vos omnes, quotquot adestis, vt si vtilitatem & voluptatem ex hac nostra disputatione percipere volueritis, strepitum non faciatis: vt & propositiones & responsiones commodè intelligantur. Nemo misereatur mei, etiamsi viginti tantùm vt videtis annorum sim adolescens. nam si ab Heroibus istis, quos hîc ad pugnam præparatos astare video, argumentorum copia & subtilitate vincar, dicam, & sine rubore dicam; De tali victore gloriatur victus. Et sanè verum est, quod magnus ille Picus Mirandula dicit, in alijs pugnis & contentionibus nunc vincimus, nunc succumbimus: in disputationibus verò litterarijs etiam suc-

Definitio disputatoris.

Discere est lucrari seu vincere.

succumbendo vincimus: semper enim aliquid addiscimus; addiscere verò vincere est: omnis namque in doctrina progressus in lucro deputandus est.

Hæretici respondent antequam audiant.

Ecce itaque Christus noster in medio Doctorum audiebat illos, & interrogabat. Hoc certè exemplum nostri temporis hæreticis sufficere debebat, quòd scilicet Dominus noster differēs cum magnis istis Doctoribus, non confestim se pro Magistro venditauit. Auribus, non confestim se pro Magistro venditauit. Audijt priùs illos, deinde interrogauit. Quare autē veræ sapientię Magister in hac puerili sua duodecim annorum ætate magnum hoc suæ sapientiæ mundo dedit experimentum, qui postea annorum octodecim spatio, hoc est, vsque ad tricesimum ætatis annum latere, & non dico quantum ad personam, sed quantum ad doctrinam & vitam omnibus esse incognitus, nec prædicando nec docēdo sese hominibus voluerit manifestare? O singularem humilitatem. Hinc inter contemplatiuos nata est altissima illa meditatio: Quæ & qualis toto illo tempore fuerit illius vita? quid fecerit? vbi fuerit? quomodo vixerit? Et illud, quod etiam nunc animos vestros exagitare video: Quomodo verisimile sit illum tanto tempore fuisse otiosum, ita vt non fecerit aliquid scriptu dignum, siue in libris Euangelicis, siue saltem in viuis voluminibus, quæ de manu in manus traduntur? Et quia credibile non est, lucem non splenduisse, & Solem non illuminasse; quid sibi vult tantum silentium, vt historiæ tam longi temporis vitæ non meminerint? Profundæ & piæ cogitationes istæ sunt deuotarum mentium, quæ tanquam altera Cecilia semper in secreto pectoris sui Euangelium Christi circumferunt, & in omnibus actionibus suis Christum familiarem & domesticum sibi habere delectantur, quæ nunquam aliquid cogitare possunt, quod oblectat, quàm actiones Christi raras & singulares: vt quando concionatur turbis, quando obambulat cum discipulis, quando adhortatur peccatores ad pœnitentiam, quando manducat cum amicis, quando flexis genibus orat, quando sanat infirmos, quando nudis pedibus asperam & petrosam terram calcat, quando sedet summam ostendēs Maiestatem, quando in sistit

Cur Christus à 12 ad 30 annum voluerit esse incognitus.

pedibus

pedibus, omnes incredibili sua pulchritudine in amorem sui rapiēs. At non est fortassis minùs pia, minusque sublimis alia illa meditatio, de qua dicturus sum. Credere Christū (quamuis tot annis nil dignū commemoratione de illo scriptum legatur) nil facientem res magnificas & memorabiles fecisse. Nihil enim in illo fuit, quod mysteriū & quidem maximum, iustissimamque causam non habuit. Quemadmodum igitur cum summa virtute loquebatur & operabatur, cùm tempore prædestinato & præfixo viam virtutis docebat; ita non minori cum pietate infinito suo merito tacebat, quiescebat, &, quamdiu placuit, officiū suum differebat: opportunum tempus expectabat. Interea quid homines de se loquebantur, ne flocci quidem faciebat. Erat omnium magistrorum Magister, sciebat quid erat necessarium, quid vtile, quid conueniens. Quis ergo scit si fortè arte quadam admirabili & verè diuina tanto tempore voluerit latere, incognitus esse, abiectus, vilis, inutilis & insipiēs haberi? Meo quidem iudicio, nihil est magis arduum & difficile, quam in semetipso se continere; latere quantum quis potest, vereque & sine vlla simulatione nolle à quoquam cognosci, quantumuis magnus & excellens sit: sed in corde & animo gaudere, quotiescunque contemnitur ab his quibus videtur. Quamdiu ad hunc terminum nondum deuenisti, certus esto, quòd nondum aliquid singulare præstiteris. Hæc tua abiectio summus erit honor, pondusque tuo addet nomini; qui illam non amat, vanus est, leuis est, pluma folijsq; mobilior est, imò ipsa vanitas est, & ipsum coram Deo nihil est. Audistis reor quid Paulus huiusmodi homini dixerit; *Qui se existimat aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit.* Gal.6.
Et Christus; *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite; Serui inutiles sumus.* Luc.17.
Ah Placentini, quis vestrum est, qui in hac iuuenili viginti aut viginti quinque annorum ætate, si eruditus sit, si diues, si potens, si fortis, non cupit dotum suarum aliquod exhibere specimen, & sic mundo innotescere? siue id faciat celebriores Academias Italiæ visitando, vt disputando, discendo docēdoque fiat celebris: siue nobiliores totius Europæ aulas adeundo, vt magis splendeat: siue de-

nique in potentissimis totius mundi exercitibus militando, vt cum laude pugnet? Christus noster econtrariò tam longo tempore delituit, nullũ suæ Maiestatis ostendens indicium, vt virtutem humilitatis ab illo disceremus. Ioseph qui pater Christi putabatur, erat faber, & Christus noster faber esse voluit. fabrificabatur domum illam, in qua Deus habitare desiderat, fabricabatur fundamentum ædificij spiritualis, fabricabatur nostræ militiæ gladium. O admirabilem gladium, ô gladium singularem. In Prophetis scriptum est; *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.* Et quis erat hic gladius, nisi humilitas? Non vsus est Christus alio gladio cùm Diabolum debellaret, quàm humilitate: quia & Adamus non alio fuit occisus gladio, quàm superbia. Quãdo quæso & vbi legisti Christum gladio suæ Maiestatis vsum esse? Non consideras etiam tempore passionis, quando hoc gladio magis egebat, quàm vnquam antea, Prophetam Patrem incusare, & dicere; *Auertisti adiutorium gladij eius, & non es auxiliatus ei in bello?* Tunc itaque gladio suo accinctus est, cùm se mundo obtulit, in publicum ad prædicandum, & miracula faciẽda prodijt: tunc euaginauit, & memorabilem illum ictum dedit, cùm moriens Diabolum ligauit, & infernum deuicit. quo vnico ictu omnino debellatum fuit. Tanto itaque tempore incognitus hæc omnia operatus est. Paulatim itaque abiectior factus, vsque adeò tandem hominibus euiluit, vt etiam postea cùm ardua magnaque operaretur, quæ æterna digna erant memoria, ea aut non crederentur esse vera, aut calumnijs fuerint impetita. Vicini illudentes contemnebant illum, quia tot iam annis humilem & vilem illius conuersationem obseruârant, nihilque dignum laude agentem viderant: dicebant igitur; *Vnde huic hæc omnia? Nónne hic est filius fabri? Quæ est virtus quæ data est illi,* & quę sunt signa quæ per manus eius efficiuntur?

Christus faber fuit.

Psal. 44.

Psal. 88.

QuãdoChristus gladium strinxit.

Matth. 13.

Non videtis, Auditores, Christum etiã postquam ad ætatem peruenisset adultiorem triginta annos natum hanc summã seruare voluisse humilitatem, adeò vt etiam baptizari voluerit manibus Ioannis, cùm tamen ipse esset qui Ioannem, qui patrem, qui auos

eius,

eius, qui omnes quotquot vnquam fuere sancti antea sanctificauerat? Post baptismum verò cœpit se mundo ostentare; cœpit publicè docere, cœpit vbique miracula facere; vt hominum voluntates ad se alliceret atque inuitaret. Incepit paulatim docere, primò lectos aliquot discipulos, qui illum sequebantur; & toto deinde anno vsque ad miraculum in nuptijs factum Apostoli officium sibi non arrogauit, vt publicè concionaretur, & quod plus est, rarò concionabatur, nisi post captum Ioanem Baptistam, vt primum honorem deferret Præcursori, haud aliter, quàm si ille fuisset primarius Dei legatus, ipse autem nūcius pòst missus, vt Ioāne vel morte, vel alio modo sublato, prædicandi munus suppleret. Publicum verò, vnde & ipse & opera ipsius agnoscerentur, signum quando fecit? Accedebat cum alijs Iudæorum Synagogas, non ascendebat cathedram ad docendum, nec pulpitum ad concionandum; sed sine aliquo honore inter plebeios stans librum aperuit, erigensque se cœpit legere capitulum Esaiæ, simplicis functus lectoris officio: deinde tanquam interpres placido atque humili vultu dixit? *Hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris.* Omnium igitur in Synagoga oculi erant in illum intenti. efficaciam doctrinæ, venustatem vultûs, inenarrabilem humilitatem quæ in vultu, in verbis, in actibus & gestibus illius relucebant, omnes mirabantur. O humilime, ô amabilissime Iesu. Erat formosissimus; *Speciosus forma præ filijs hominū.* Erat eloquentissimus; *Diffusa est gratia in labijs tuis.* nihilominus tam erat humilis, vt diceret; *Discite à me* (hoc vnum) *quia mitis sum & humilis corde.* Quid? intuere quæso, & considera, Placentia, finem huius Euangelij, & docebit te summam Præceptoris] ac Domini nostri humilitatē. Quamuis enim exigua cum reuerentia matrem alloqui, & exiguam illius curam habuisse videatur, cùm inquit, *NEsciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse?*] tandē tamen sese materno affectui accommodauit. Non perstitit obduratus in sua sententia, cessit matri, cessit patri, descendit cum illis de templo, & relicta Hierosolyma reuersus est in Nazareth. *ET erat subditus illis.*]

Christus pedetentim ad miracula facienda accessit.

Quādo Christus cœpit docere.

Luc. 4.

Psal. 44.

Matth. 11.

ET erat subditus illis.] Quid quæritis ampliùs? Obediens erat Mariæ, obediens erat Iosepho. reuerebatur illos, obtemperabat illis, seruiebat illis. O si cui nostrum videre contigisset, quanta sæpe fuit inter matrem & filium amoris contentio? Mater mea, tu mihi mater es, & mihi seruies? Fili mi, tu es Deus meus, & tu mihi famulari dignaris? Ego à te Mater hanc carnem assumpsi; an non æquum sit, vt eadem maternæ dignitati seruiat? Ego à te Domine, & animam hanc, & corpus hoc accepi; cum anima te adoro, cum corpore oportet vt tibi seruiam. Cedat nomen filij; puluis enim & cinis ego sum; tu verò Deus meus es. Veni ego vt seruiam peccatoribus, & non seruiam tibi Mater, quæ semper sancta fuisti? Omnis sanctitas à te est, mi Deus, tu solus sanctus es, ego, nisi tua me protexisset gratia, inter omnes creaturas peccatrix fuissem maxima. Sine mater vt faciam officium pij filij, ne quis me filialis reuerentiæ limites transilire criminetur. Sine Domine, ne vilis ancilla tua terminos modestiæ, quæ tibi tam chara est & grata, transgrediatur. Meum est mater ministrare, non ministrari, quamdiu in hoc mortali viuo corpore. Ministra Verbo tuo, mi fili, quod vitam toti mundo largitur. Meum est ministrare tibi, in his quæ ad vitam hanc tibi sunt necessaria, posteaquam filius meus esse non sis dedignatus. O pietatem filialem, ô maternam charitatem; O Virginis modestiam, ô Dei humilitatem. In huiusmodi contentionibus, ô animæ deuotæ, credo Christum non rarò Matri dixisse, quod postea dixit Ioanni Baptistæ in ripa Iordani, cùm inter se contenderent, vter baptizare, & vter baptizari ab alio debeat. *Sic decet nos implere omnem iustitiam*. Ecce, ecce conclusio. *ET erat subditus illis.*]

Contentio amoris inter filium & matrem.

Matth.3.

Erat humilitati Virginis adscribendū, Christiani, quòd sibi à Deo passa sit ministrari, vt obediret, atque in hac suprema virtute cederet, primosq; illi honores deferret. Virtuti Saluatoris tribuendum est, quòd matri ministrabat, vt honoraret illam, nobisque exemplum daret hoc imitandum. Hoc modo & mater seruiebat filio, & filius matri. Ciuilis hospes est Christus noster: Erat in ædibus Marthæ, ministrat illa, & seruit

ſerit proprijs manibus: ſed & ipſe quoque ad miniſtrandum ex humanitate ſeſe parat. Non legiſtis; *Ego in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat, non ſicut qui recumbit?* An non miniſtrauerit, qui cinctus lintheo nō dedignatus eſt aquam in peluim infundere, & ſordidos ſuorum diſcipulorū pedes lauare? O Martha, ô Martha. *Martha, Martha ſolicita es, & turbaris erga plurima.* Non videtis Chriſti noſtri incredibilem ſolicitudinē? *Ieſus autem perrexit in montem, & iterum diluculo venit in templum.* Non audiſtis illius turbationem; *Ieſus autem infremuit ſpiritu, & turbauit ſemetipſum? Nunc anima mea turbata eſt?* Non venit Chriſtus, Auditores, vt ſederet; venit vt ſtaret: non venit vt gauderet, venit vt pateretur; non venit vt delicijs afflueret, venit vt moleſtijs exagitaretur; non venit vt quieſceret, venit vt laboraret, vt pugnaret, vt moreretur, vt toti mundo fabula fieret atque ſpectaculum. Ecce labores; *Laboraui clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ.* Ecce dolores; *Cœpit pauere & tædere.* Ecce ſudor; *Factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* Ecce laſſitudo; *Ieſus autē fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſuper puteum.* Ecce tribulationes; *Baptiſmo habeo baptizari, & coarctor donec perficiatur.* Ecce lamentationes; *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, ſed contradicentem mihi.* Ecce dolores corporales; *O vos omnes qui tranſitis per viam; attendite, & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus?* Ecce triſtitia animi; *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Ecce mors; *Factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.* O Martha, ô Martha. Chriſtus profectò ſecundùm carnem potiùs eſt Liæ filius, quàm Rachelis; Marthæ familiarior, quàm Mariæ.

Luc.22. Ioan.13. Luc.10. Ioan.8. Ioan.11. Ioan.12. Pſal.68. Mar.14. Luc.22. Ioan.4. Luc.12. Eſa.65. Thren.1. Mar.14. Philip.2.

Antequam verò finem huic orationi meæ imponam, fortaſſis à me expectatis, Auditores, vt quæſtiones aliquot, ſeu theſes inter Chriſtum & Doctores diſputatas in medium proferam, propoſitiones quoq; & reſponſiones, hiſque contraria argumenta & concluſiones commemorem. Dicite vos mihi primùm, & ego deinceps dicam vobis: Erat diſputatio: extra diſputationem hanc nihil eſt proferendum, nihil hîc comminiſcendum. Audietis quidem hodie in ſchola

vestra quasdam hac de re opiniones, hìc autem non est locus de ijs quicquam dicendi, cùm Euangelium materiæ disputatæ nullam faciat mentionē. Opiniones enim (vt scitis) nil habent commune cum Euangelio. Interim dubitandum non est, quin colloquia hæc non fuerint de rebus exiguis, non de asini vmbra, aut Poetarum fabulis, non de ludis Olympiacis, aut de nodo Herculis: non de filijs Niobes, non de Idæis Platonicis, non de infinitis mundis Democriti. Non agebatur inter illos de folijs Sibyllæ, de Tripode Phœbi, de litteris Hyacinthi, de Chao Anaxagoræ; de prima Aristotelis materia. Non de Græcorum Hecatombe, aut de Riphæis montibus; non de Erymantho flumine, non de monstris cęlestibus, aut de via lactea; non de Lunæ macula, aut Solis Eclipsi. Non disputabant de terræ ambitu, aut maris magnitudine; non de qualitate aëris, nec de ventorum numero & viribus; non de diuersitate rerum naturalium, non de industria Apum, non de natura temporis. Neutiquam, Neutiquam. Non loquebantur nisi de rebus sublimibus, arduis, sanctis, diuinis, omnem humanum intellectum transcendentibus; & quæ sine sacrarum Scripturarum adminiculo non possunt intelligi. Credo tamen, Auditores, quòd Christus, vt infinitæ suæ sapientiæ potiorem partem celaret, non proposuit quæstiones tam sublimes, quàm in progressu ætatis adultus iam legitur proposuisse, vt sunt de Sāctissima Trinitate, de Incarnatioue Verbi, de diuinitate Messiæ. Quin etiam existimo (si mihi loqui liceat, vbi tacuit ipse Euangelista) quòd Christus tanquam optimus disputator, author non minùs Logices, quàm omnis Philosophiæ, omnisque veræ Sapientiæ, non obiecit Doctoribus illis nouam materiam, alienam ab illorum proposito; hoc enim Sophisticum est: sed quòd illorum materiam continuauit, idque cum omni sinceritate, & quòd ad modū illius disputationis, quam habuit postea cum duobus Discipulis euntibus in Emaus, sese paulatim insinuauit, eorumque tam admirabili arte disputationem ingressus est, vt totum auditorium obstupuerit.

Cogitate nūc ipsi vos, & cū animis vestris perpendite,

dite, qua de re Magiſtri legis diſſeruerint; illo præſertim tẽpore, quo in omni loco (vt diximus) de Chriſto hoc ſermo erat, iamque in omniũ ore ferebatur, illum fore Meſſiam, qui venerat vt omnes gentes ſaluaret. Perſuadere mihi non poſſum, quòd aliam materiam ventilauerint, ſubducentes rationem temporis huius aduentûs. Quibus palatum non erat malè affectum, quique liberè & ſimpliciter Scripturas & traditiones citabant, facilè intellexerunt abſolutum nunc eſſe numerum dierum, quibus liberator illorum expectabatur. Hic allegabat ſceptrum Dauidicum à Iuda ablatum, authoritatemque iudicandi deſijſſe, iuxta oraculum; *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & Dux de femore eius, donec veniat Meßias.* Ille proferebat vaticinium Aggæi, quod paulò poſt templi euerſionem affirmabat, afflictæ Synagogæ venturum conſolatorem, qui denuo ædificaret templum ſpirituale, multò glorioſius nobiliusque templo illo Salomonis materiali, aduerſus quod nec Chaldæi, imò nec ipſi Dæmones præualerent. Tandem vnanimiter concluſerunt, numerandas eſſe ſeptuaginta ſeptimanas annorũ, quas Gabriel Archangelus Danieli Prophetæ prædixerat, in quarũ fine manifeſtiſſimè tempus optatiſſimi huius aduentus erat deſtinatum. Ceterùm maxima erat varietas in ſeptimanis iſtis numerandis, tam in initio & progreſſu, quàm in fine. Veriſimile eſt, Chriſtum hîc omnes eorũ opiniones ſumma cum patientia audiuiſſe: poſtea verò vt dubium ſolueret, mentem illis reſeraret, nubilaque animi ſerenaret, cœpit cum dulcedine ſe digna eos interrogare, vt hoc modo ſuauiùs eos ad veritatis intelligentiam paulatim induceret.

Colloquium Doctorũ in templo quale eſſe debuerit.

Gen. 49.

Agg. 2.

O dulciſſime Domine, cur mihi conceſſum nõ eſt huic diſputationi intereſſe, nectareã illam eloquentiam audire, ſublimes & arcanos ſenſus percipere, vultuque tuo omni gratia & venuſtate pleno perfrui? Sed & vos, Placentini mei, exiſtimatiſne quòd Ieſus, qui foris hîc loquebatur, non etiam intus mentibus illorum fidem ſanctæ ſuæ huius doctrinæ inſtillauerit? quòd non auribus cordium illorum inſuſurrauerit; Ego ille ſum, ego ſum, quem mũdus expectat? Et quis ſcit an non abeunte Chriſto Doctores iſti inter ſe dixerint,

Luc.24. xerint, quod pòst discipuli in Emaus dicebant; *Nónne cor nostrum erat ardens in nobis, quando loquebatur nobis in templo & interpretabatur scripturas?* Saltem id persuadere mihi non possum, quòd non in summam suspicionem venerint, Iesum esse Messiam Patribus promissum.

Agite nunc vos, quibus certo certius constat, idque per lumen fidei, verum hunc, viuumque Deum esse, quid facietis, cur non omnes simul vos in illius amorem ruitis? Nolo te celare Patria, quid cogitem. Euangelista dicit, quòd Christus primò audiebat, deinde interrogabat. *Audientem, & interrogantem.* Non exprimit autem quid interrogauerit. Scitis, Christiani, quid hoc sibi velit? Christus tot querelas habet aduersum nos instituẽdas, tot habet nos interrogãda, quando rationem à nobis exigit, vt melius sit tacere, quàm pauca dicere. Dicite mihi amabò Christiani, qua in re illi obtemperamus? qua in re illum imitamur? qua in re fidem illi adhibemus? qua non re illum offendimus? quando illum ad iracundiam non prouocamus? In omnibus igitur his habet quod nos interroget, cuius nos accuset, in quo nos iudicet, ob quod nos condemnet. Heu, heu quò ibimus? quid faciemus? quid dicemus? quomodo nos defendemus? Non animaduertitis Euangelistam ne verbum quidem referre eorum, quę ad illius interrogationes Doctores isti respõderunt? Non potest quidquam responderi, non potest quidquam responderi ad iustissimas Christi querelas. Non auditis quid Iob dicat; *Verè scio quòd ita sit, quòd non iustificetur homo cõparatus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille.* Et paulò pòst; *Quantus sum ego, vt respondeam illi, & loquar verbis meis cum eo? Qui etiam si habuero quippiam iustum, non respondebo, sed meum iudicem deprecabor. Nam si iustificare me voluero, os meum condemnabit me.* Verissimè dicitur, non possumus ad querelas eius respondere quicquam. Omnes sumus rei, omnes sumus inexcusabiles. Ipsa nos nostra conscientia accusat, iudicat, condemnat. Nunquámne igitur ad sententiam Christi respondere poterimus? poterimus vtique, tũc scilicet, quando illius respondemus amori. *Sed quis est hic,*

Non possumus respondere Christo.

Iob 9.

Eccli 31.

hic, & laudabimus eum? Quæramus inter nos, quis sit qui Christo nostro in charitate, qui in humilitate, qui in castitate, qui in sanctitate, qui in paupertate respondeat? Dicamus in genere, nemo præceptis illius respondet, nisi verbis tantummodo. Dicimus omnes, quod olim dixerũt Israëlitæ; *Quæcunque locutus est Dominus faciemus, faciemus.* Operibus non est qui respondet. *Non est qui faciat bonum, non est qui faciat bonum.* Hoc est quod ipse alibi conqueritur, dicens; *Multa habeo de vobis loqui & iudicare.* O quàm multa filioli & fratres mei? Meministis illorum trium verborũ, quæ olim Parisiensis ille Doctor mortuus iam protulit; Accusatus sum, Iudicatus sum, Condemnatus sum? Sonent hæc sine intermissione in auribus nostris, & ad sonitum illorũ expauescamus, horroreque & tremore concutiamur: non enim Puer hic Iesus hodie tam est amabilis & placabilis, vt postea vir factus, & à Patre accepta iudicandi omnes gentes potestate, non possit etiam esse magis formidabilis. Si fecerimus hæc, securi ac tuti erimus, nec ira Dei in nos sæuiet, sed gratia illius nos proteget.

Exod.24. Psal.13. Ioan.8.

Quod nobis concedat ille ipse, qui viuit & regnat in secula seculorum. Amen.

CON-

CONCIO DE PVRIFICATIONE B. MARIÆ VIRGINIS:

Habita Iaderæ, quæ nunc Zara dicitur, in primaria Ecclesia Beato Simeoni sacra; Anno à partu Virginis M.D. LVIII.

IN EVANGELIVM DE EODEM FESTO.

Luc.2. *POstquam impleti sunt dies Purgationis.*

PROOEMIVM.



VEMADMODVM vnigenitus summi Patris filius in hoc sacro & solenni festo, dum Virgo purificatur, in substãtia mortalis nostræ carnis in templo terrestris Hierusalem est præsentatus: sic Deus vult, ô Illustris ciuitas, animas nostras ab omni peccatorum sorde emaculatas, purasque, vbi dies ille aduenerit, sibi in cælesti Hierusalem præsentari. Senex ille tanto cum honore & reuerentia puerum in vlnas suas excepit, & antiquus ille dierum, nos cum infinita gloria tunc est excepturus. Diuina infantia robur & fortitudinem addidit infirmæ illi vetulæ, & æterna illa Diuinitas renouabit nos vt aquilam, & vt Phœnicem nos faciet æternos. At profunda sunt hæc mysteria, quæ vt dilucidè explicentur, opem auxiliumque postulant supernaturale. Ecce itaque ad B. Virginem confugio, adiuuate me & vos Angelica illam salutatione interpellantes, & dicentes; *Aue Maria.*

PARS

PARS PRIMA.



SI ab infinita illa Dei bonitate mihi in hoc lætiſſimo ſereniſſimoque die tanta, vt ſpero, & ſpiritûs & corporis virtus concedatur, quantam pro vnius horæ ſpatio optarem mihi homini nouo, in alienam patriam, in hos fines Liburnię, atque adeò in ipſam Dalmatiam per naufragium appulſo, & nunc demum poſt tantam iacturam in hanc magnificam Iaderæ ciuitatem, Regni huius caput, paruas Venetias, cum tanta amoris ſignificatione, tantiſque honoribus excepto, vt dubitem an Sol ille noſter cæleſtis, illa Apoſtoli Pauli lingua maiori cum beneuolentia in Tyro excepta ſit, in quo tamen adimpletum eſt illud; *Filiæ Tyri in muneribus*. diſtracto inſuper longa & inquieta nauigatione, immenſiſque pelagi periculis, & horum littorum Archipiratarũ inſidijs, præter familiarem mihi debilis huius ſpiritus mei languorem, quem vultus hic meus, quem aſpicitis, teſtatur: ſi inquam mihi ſic conſtituto, robur & gratia à Deo concedatur, ſperarem certè, honoratiſſimi Domini mei, poſteaquam me cum tam dulci puri, ſynceriq́ue amoris, hominibus Chriſtianis verè digni, violentia, præter omnem voluntatem meam excelſam magnæ huius Eccleſiæ cathedram aſcendere compuliſtis, vt hanc meam linguam publicè audiretis; quæ tamen in frequenti hoc populo, quem ad audiendum me huc confluxiſſe video, fortè impolita, barbaraq́ue à multis cenſebitur; ſperarem dico (vt enim vobis placeam animus eſt) ſermonem quem hodie ad vos habiturus ſum, parem fore communi veſtræ expectationi, parem voluptati, quam ſentire video Illuſtrem Prælatum veſtrum Dominum de Nona: qui relicta primùm Roma, deinde Venetijs, nunc vobiſcum habitat, tanquam is qui paterno vos amore complectitur; parem quoque ſummis veſtris in me meritis, & meis in vos debitis: at non parem magno quod hodie celebratur myſterio: quamuis fortaſſe non omnino indignum hac pompa, his ſolennijs, hac ſupplicatione, quibus cum & prę-

Senſus prolixę huius periodi eſt: si mihi peregrino, diſtracto & debili à Deo daretur gratia, ſperarem me vobis omnibus ſatiſfacturũ: niſi fortè præſentis diei myſterio impar mea eſſet oratio.

Pſal. 44.

ſentationem Chriſti filij Dei, & Purificationem Virginis Matris Mariæ in templo Hieroſolymitano ſolenniter concelebramus.

Sit interim vt velit, Auditores; Ariſtippus clariſſimus Socraticæ ſectæ Philoſophus, cùm poſt naufragium in littus Rhodi eiectus eſſet, obambulans vidit figuras quaſdam Mathematicas, circulos, triangulos, formasque quadratas in puluere deſcriptas: Conuerſus deinde ad ſocios, ſereno vultu, placidoque animo dixit; Speremus, bonoque ſimus animo, eſt enim hîc hominum habitatio. Et ego videns hîc tot virtutum indicia, tot bonitatis, Chriſtianitatis & Religionis veſtigia, Eccleſias ornatas, Sacerdotes honeſtè veſtitos, altaria thure fumantia, reliquias Sanctorum argenteis, aureisque thecis incluſas, officia diuina quæ interdiu noctuque canuntur, Eccleſiaſticam muſicam, quam qui audit corde liqueſcit; quid ego tot Dominis & amicis meis, qui diſcedentes ab inſula Diomedea, voluerunt me per liquidum hoc elementum comitari, ne ſi ſolus eſſem, nec haberem circa quæ cogitationes verſarentur, ad incendium, quo nunc flagrat mundus, totus conuerſus, in melancholiam inciderem; quid inquam his aliud dicam, quàm Gaudete, non ſumus in terra exotica, vel barbara; inter amicos ſumus, inter Chriſtianos, inter ciues non tantùm Iaderenſes, ſed mundanos. Hîc dominatur humanitas, hîc Chriſtiana charitas. iccirco loquimur hîc confidentiùs. Non enim loquor cum his Dominis tanquam Ethnicus cum Ethnicis, neque tanquam Philoſophus cum Philoſophis, ſed quomodo Chriſtianus cum Chriſtianis, & cum Catholicis Catholicus. Non ignoratis tamen, quotquot hîc adeſtis, Principes Synagogæ Antiochenæ, cùm Paulum tanta cum aſſiduitate ad concionandum vrgerent, nil aliud dixiſſe, quàm; *Si quis eſt tibi ſermo exhortationis, hunc profer ad populum.* Vnde & ipſe poſtea in Eccleſia diſtinguens munus docendi, à munere exhortandi, inquit; *Qui docet in docendo, qui exhortatur in exhortando.* Non eſt neceſſe, vt quis vos doceat, neque fides Catholica quæ ſit; cùm in ea nati ſitis, & tot iam annis vixeritis; neque qualia ſint opera, quæ fo-

Ariſtippus naufragus vnde hominũ habitationẽ agnouit.

Act. 13.

Rom. 12.

uent fidem, nutriuntque: quotidie namque ab ordinarijs vestris concionatoribus, & à Sanctissimo Pastore vestro, Domino Archiepiscopo, qui nunc paucos habet in Ecclesia sibi pares, illudipsum cum laude illorum, vestro verò fructu, gloria Dei, & totius regionis ædificatione auditis. Quid igitur in ciuitate tali nouum, quid rarum, quid aut de doctrina, aut de vita Christiana dici potest vel singulare, vel inauditum? Operam igitur dabo, vt vos simpliciter exhorter, postpositisque omnino duobus orandi generibus, Dogmatico & Critico, quorum hoc vitam moresque hominum reprehendit, illud doctrinam Christianam tradit, potissimùm hîc in tertio genere parænetico, quod familiare est, magisque huic loco acommodatum, versabor.

Tria genera dicendi: Dogmaticũ, Criticum, & Pȧræneticum.

O te felicem (vt hinc initium sumat hæc mea concio) Iaderam, quæ in hoc solenni festo, omnium aliarum Christianarũ vrbium partem habes maximam: tu enim, etsi nec carnem habeas, nec sanguinem, nec ossa Christi, alio modo quàm in Eucharistia, quomodo & nos omnes habemus, carnem tamen habes, neruos & ossa sanctissimi senis illius Simeonis, qui magna pars huius festi fuit, & qui perpetuò cunctis in Ecclesijs, vbi Christi nomen inuocatur, prædicabitur. O benedicte Senex, qui post Mariam matrem, & sponsum eius Iosephum, solus à Deo dignus habitus es, qui Vnigenitum eius filium tangeres, contrectares, & in vlnas exciperes, idque totius humani generis nomine, pro quo natus est, cui vixit, cui mortuus est, cui resurrexit, & cui in cælum ascendit. Non ego te, Iadera, tua cupio defraudare gloria, sed vt eam magis intelligas volo. Quale putas fuit mysterium hoc Simeonis? Non fuit vulgare, non fuit commune: fuit altissimũ, fuit singularissimum, fuit æterna admiratione deuotioneque dignum. Testor vos, vt diligentissimè attendatis. Cùm Angelus Gabriel legatione fungeretur ad Mariam, vt Incarnationem filij Dei nunciaret, atque illa ad secundum Angeli verbum consentiret, dicens; *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum:* confestim æternum illud Verbum in illo arcano ventris Mariæ thalamo carnem sibi nostram de-

Corpus Simeonis seruatur Iaderę.

Mysteriũ Simeonis.

Luc. 1.

sponſauit. *Et erant duo in carne vna.* erant autem nuptiæ illæ ſecretæ, gaudia noſtra mundo erant occulta, de his myſterijs magnum erat ſilentium per vniuerſum terrarum orbem. *Dum medium ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter perageret, omnipotens ſermo tuus Domine à regalibus ſedibus venit.* Ecce poſt nouem menſes nocte ex improuisò iucunda in aëre auditur harmonia. *Ecce ſponſus, venit exite obuiàm ei. Ecce ſponſus venit, exite obuiàm ei.* Angelici erant exercitus, qui in aëre modulabantur, tamque feſtiuo ſtrepitu diuina hæc ſolennia peragebant. nouas enim annunciabant, quas intellexerant, nuptias. ſentiebat hoc gaudium ſponſa noſtra natura, quæ in paſtoribus exibat obuiàm ſponſo: Vndique lætitia, vndique iubilatio: cuncta gaudio perſtrepebant: cantabatur, & pleno choro recantabatur pulcherrimum illud canticum; *Verbum caro factum eſt; Verbum caro factum eſt; & habitauit in nobis.* At non fuit illud feſtum omnibus hominibus manifeſtum. Pendebat Chriſtus à ſolius Mariæ vberibus, in ſolius Ioſephi brachijs portabatur, nec vir nec mulier præter hos duos tantis conſolationibus fruebatur. Prodijt quidem in publicum octauo die, ſed non vt ſponſus cum celebritate exceptus eſt, imò circuncidebatur, & ſanguinem ſuū fudit; *Sponſus ſanguinum tu mihi es,* clamabat mœrore plena ſponſa. Myſteria hæc non gaudij, ſed mortis ſunt, ô mi chariſſime ſponſe. Ecce vt mitigarentur dolores materni, pueriliaque lamenta ſedarentur, Reges ab Oriente venerunt, qui tantos theſauros attulerunt. Sponſa fuſi ſanguinis oblita eſt, non iam ampliùs ob oculos verſabatur circuncisio, ſed ſolum cogitabat matrimonium, tantò cum humani generis honore initum; erat enim iam ipſi Deo iam quaſi ſanguine coniunctiſſima. O magnum myſterium. Poſt ſolenne Magorum feſtum alij viginti ſeptem dies tranſierunt, numerus cubicus ter nouenarius, qui prioribus tredecim diebus additi, efficiunt quadraginta, qui à Chriſti iam natiuitate effluxerunt. Hodiernus itaque dies quadrageſimus eſt. O diem ſacratiſſimum. Ecce mater Ieſu, & Mater noſtra Maria, cum immenſa lætitia, comitantibus illam ami-

Sap. 18.
Matth. 25.
Ioan. 1.
Exod. 4.

amicis & cognatis, in templum, in locum publicum Chriſtum portauit; vt ibi exhibeatur humano generi, cui erat à Patre donatus. Cùm autem ad fores templi perueniſſet, vidit ſanctiſſimus ille Senex, grauis annis, ſenſu maturior, quod tanto tempore, tam ardenti deſiderio expectauerat, & dixit: *Defecit in ſalutare tuum anima mea: ſed in verbum tuum ſuperſperaui. Quando conſolaberis me? Quando conſolaberis me?* Benedictus ille Senex, plenus S. Spiritu, iuuenili curſu (ignitum enim deſiderium, ſanctus amor, & ardens videndi hunc puerum cupiditas corroborabant illum) ad templum properauit, vt in vlnas ſuas Chriſtum exciperet. Quid putatis hîc Mariam dixiſſe, cùm filium ſuum Seni obtulit? *Ecce puer natus eſt nobis; Ecce filius datus eſt nobis.* Non eſt natus mihi ſoli, non eſt datus mihi ſoli. Natus eſt nobis omnibus, datus eſt nobis omnibus. *Nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo ſunt.* Sic Simeon nomine totius mundi, quaſi humani generis procurator conſtitutus, expanſis brachijs in totius populi conſpectu munus, quod Virgo ex parte Dei offerebat, accepit, tanquam æternam & irreuocabilem inter viuos donationē. Quid hic Senex in perſona omnium hominum, qui ſunt, erunt & fuerunt, dixit: in quæ verba prorupit: *Suſcepimus Domine miſericordiam tuam in medio templi tui. Magnus Dominus & laudabilis nimis, paruulus filius & amabilis nimis. O Domine ſaluum me fac, ô Domine bene proſperare. Benedictus qui venit in nomine Domini. NVnc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundùm verbum tuum in pace: Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.*] O omnium myſteriorum myſterium. ô omnium celebritatum ſumma celebritas.

Pſal.118. Eſa.9. Matth.5. Pſal.47. Pſal.117. Luc.1.

O dilecta dies albo numeranda lapillo;
O iucunda dies alacri digniſsima plauſu;
O veneranda dies cunctis prælata diebus.

Donationes (vt ſcitis Auditores) fiunt inter donatorem, & eum cui donatur; hoc eſt, inter eum qui dat, & eum qui accipit. Donet qui donat, & non accipiat cui donatur, non poteſt fieri donationis inſtrumentum. Deus donauit Chriſtū, & cum Chriſto omnia.

Rom.8. Sic enim ait Paulus; *Quomodo non cum illo omnia etiam bona donauit?* Ceterùm si non fuisset qui accepisset, nulla fuisset hæc donatio. Deus non donat dona sua respuentibus. Iccirco toties ait: *Quid vis tibi vt faciam?* Simeon, Simeon, Diuus Iaderensium tutelaris donationem Dei, Christum scilicet accepit, idque nomine totius nostri generis. O Simeon, Simeon, quantum totus tibi debet mundus, tantum omnes nos Christiani debemus tibi Iadera; quæ tam incomparabilem in manibus habes thesaurum, quem omnes tibi inuident Italiæ, ne dicā totius Europæ ciuitates. Italia namque flos Europæ est, sicut Europa flos est totius orbis terrarum; digna profectò quæ etsi non magnitudine, saltem virtute & fortitudine cum tota Asia & Africa simul comparetur. Deus te, tuaque fecundet, Iadera, te conseruet, te custodiat. Ædificor sanè in te, in fide tua, in deuotione tua, in diligentia tua, qua cum raras istas reliquias vnà cum ceteris conseruas ac tueris. Nunc video verum esse, quod dici solet; Sclauum significare virum honoratum, seu dignum gloria. Seruate & defendite nomen hoc vniuersi Sclaui, nomen rarum, epitheton laudabile: quod maiores vestri suis virtutibus sibi suisque posteris promeruerunt. nisi enim promeruissent, liuidus hic & malignus mundus vltro illis non dedisset. Quòd si ex singulari fauore semel illis hoc nomen permisisset, subsequens nihilominus inuidia denuo sustulisset. Ad vos igitur, Nobiles præsertim Iaderenses, mea vertitur oratio: oro & exhortor vos zelo, feruoreque quo possum maximo, vt quemadmodum estis diligentissimi in sanctissimo hoc corpore custodiendo, ita sitis & studiosissimi ad imitandam animam illam, quæ tanto tempore, tam magno cum fructu, Iudaicæque Synagogæ exemplo, in hoc corpore tanquam in Spiritûs sancti templo inhabitauit. quocirca vbique & ab omnibus Simeon iustus appellabatur. Non enim hoc epitheton in solo reperitur Euangelio: Tota Synagogæ Academia, quæ præcisè in illo terminatur, (fuit enim Simeon omnium bonorum, omniumque in Iudaismo ante Christi aduentum piorum vltimus) singulari & excellenti illum appellatione Iustum, id est, Sadoc nomi-

Sclauorũ nomen nobile.

nominabat. Filius fuit Hillel, vt ſcitis, & in libris Talmudicis mille inueniūtur eius apophthegmata, ſapientesq́ue ſententiæ, de quibus Hebræi, non minùs, quàm Græci de verſibus ſuis Sibyllinis, & Latini de Ennij ſcriptis, gloriantur. Neque idipſum mirãdum eſt: quemadmodum enim poſt illum fuere pauci boni & docti Iudæi, qui ſacras Scripturas ſincerè intellexerunt, easq́ue non deprauårūt, vt veritatem de Christo aut occultarent, aut opprimerent: ſic ante illum fuere multi, quorum ille legitimus hæres atque ſucceſſor remanſerat, nō minùs (vt exemplo vtar cognito) quàm Plato veræ Philoſophiæ, quæ per manus Pythagoræ, Pherecidis, Philolai & Socratis ipſi erat tradita, quæ & poſtea ab Ariſtotele, vt toti conſtat mundo, miſerè & in immenſum Religionis detrimentum eſt deprauata.

Pater Simeonis quis fuerit.

Ducentis quinquaginta circiter annis ante Christum Septuaginta doctiſſimi & religioſiſſimi vixerūt Interpretes, inter quos vnus fuit Ieſus, auus Ieſu Sirach, cui liber Eccleſiaſticus tribuitur, qui etſi in Canone Hebræorum non inueniatur, in noſtro tamen reperitur, & ab Hebræis quoque legitur, nec paruæ eſt apud Rabbinos authoritatis: qui vocãt hunc librum, רדשק, hoc eſt, Parabolas. Pòſt centum circiter annis ante Natalem Chriſti floruit Iudæus quidam magni nominis, & nobiliſſimus Peripateticæ ſectæ Philoſophus, dictus Ariſtobulus, qui incitante illum Ptolemæo, non illo Philadelpho, qui Septuaginta Interpretes euocauerat, ſed Philometore, in Pentateuchum Moyſis commentatus eſt: quibus in commentarijs multa, eaq́ue pulcherrima ſcripſit de Chriſto noſtro in hunc mundum vẽturo. Secutus eſt illum Rabbi quidam Simeon, filius Iohai; & hunc tantæ exiſtimationis Rabbi Heccados, hoc eſt, Magiſter noſter Sanctus, qui vbi de aduentu Meſſiæ agit, tam apertè de Chriſto noſtro, deq́ue iis quæ in Euangelijs leguntur, ſcribit, vt videatur narrare non res aut præteritas aut præſentes, nequaquam verò futuras; quemadmodum & Eſaias facit, qui propterea Euangeliſta potiùs à multis, quàm Propheta dicitur. Hos omnes ſubſecutus eſt Rabbi Nehemias, quadraginta circiter duobus

Septuaginta Interpretes 250. annis ante Chriſtum fuerunt.

Ariſtobulus.

Docti & pij qui paulò ante Chriſtum fuere.

Rabbi Simeon.

Rabbi Heccados.

Rabbi Nehemias.

In hac ait se tãtùm 50 annis distare ab ortu Christi. Genebrar. in Chronolog. Ionathas Ben Vzi. Hillel. Targum Iudaicum quis conscripsit.

annis ante Christi natiuitatem. Scripsit is filio suo Heccani epistolam quandam elegantissimam, multisque mysterijs refertissimam, in qua promittit filio magnum illud gaudium, visurum scilicet illum suo tempore Messiam natum. Eadem ætate, vel paulò pòst vixit magnus ille Ionathas Ben Vziel, hoc est, filius Vzielis, condiscipulus huius nostri Simeonis, qui postea cognomen Iusti obtinuit. Horum Magister erat Pater eiusdem Simeonis, dictus Hillel. Targum Chaldaicum, hoc est, translatio veteris testamenti ex lingua Hebraica in Chaldaicam, quæ familiarior erat & facilior, illius Ionathæ opera prodijt. Interpretatio hæc extat adhuc, extabitque semper, & tantæ fuit hactenus authoritatis, vt facilè idipsum nemo possit eloqui.

Videtis igitur qualis & quantus fuit hic Simeon, qui in vltima sua senectute (quod nulli alteri, quantumuis pio, quantumuis docto & sancto fuit concessum) ex singulari gratia, & summo Dei fauore Christum in vlnis suis excipere meruit. Iccirco plenus consolatione ad alteram illam vitam properabat, vt Patribus annunciaret natam esse lucem mundi, quæ illos è tenebris istis educeret. *Lux orta est iusto,* Domini, *Christus natus est Simeoni, & rectis corde lætitia, & Patribus spes æternæ vitæ.* O Simeon, Simeon. Considerate, considerate mecum Iaderenses, gloriosum hoc spectaculū oculis nostris obiectum, & sacrosanctum illud mysterium, quod hodierno die in auribus nostris resonat: spectaculum luminis nati de lumine luminum, quod illuminat omnem hominem, quod lucet in tenebris, quod ne immenso splendore suo visûs nostri imbecillitatem offendat, in face absconditur, & vix paucos æternæ lucis suæ radios foras emittit. Non videtis lumen in cera? ignem in candela? Solem in nebula? Verbum in carne? Deum in homine?

Psal. 96.

Mysterium porrò hîc est spiritualis purificationis animarum nostrarum, quæ propter infinita peccata plenæ mille æternis maculis, factæ plus quàm leprosæ, immundæ, & in conspectu Dei abominabiles, necessariò purgari debuerūt, non aliter quàm corpus

pus à noxijs humoribus, vt reddatur sanum; ferrum à rubigine, vt in eo commodè laboretur; pannus ab illuuie, vt color inducatur; domus à sordibus, vt sit munda; aër à nebulis, vt lucem vndequaque diffundat. O Iadera.

IMpleti sunt dies purgationis Mariæ secundùm legem Moysis,] dicit huius solennitatis Euangelium. Quid tibi Virgo cum lege Moysis, quæ non nisi communibus fœminis erat constituta? Qua in re tibi, ô Maria, opus erat purificatione, quæ semper fueras purissima? mater illius qui purificat omnes homines impuros, in cuius comparatione omnis, quantumuis magna puritas, ipsissima est impuritas? nec in conceptione, nec in partu maculari potuisti, ô Maria. Auxit tuam puritatem & sanctificationem clarissimus ille æterni Verbi fons, qui viscera tua benedicta suo contactu consecrauit, & vsque in hodiernum diem *patet* (vt ait Propheta) *in ablutionem peccatoris & menstruatæ.* At tu vitæ nostræ Magistra, licet non ignorares tuas prærogatiuas, voluisti tamen secundùm consuetudinem legis Mosaycæ purificari; vt nos omnes disceremus à te, quomodo secundùm sanctum Euangelium filij tui quoque purificari debeamus. Iccirco obtulisti Columbas & Turtures; Columbas simplices & absque felle; Turtures corpore castissimos, qui amisso compare soli semper sedent: vt nos in symbolum harum victimarū, & meditādo tanquam columbæ, & gemendo quasi turtures corpus castum & cor mundum offeramus Deo, in eius nos amorem insinuemus, eumque precemur, vt sanctum illum ignem cælitus demittat: ignem, inquam, illum qui sacro suo incendio omnes nostras sordes potest consumere.

Mariæ lex purificationis non erat cōstitura.

Zach. 13.

Domini mei, Maria (vt verum fateamur) non est purificata, sed mysterium purificationis honorauit; impleuit quod erat legale, ostendit quod erat spirituale. Sed si Christus sit circuncisus, & postea baptizatus, à peccatis tamen immunis, quid mirū si Matrem eius dicamus purificatam, licet ab omni sorde alienam? Deus vult, Auditores, omnes nos in tot & tantis peccatis nostris tam esse humules, quàm Christus & Maria, in tot & tantis suis fuere virtutibus. *Expurgate,*

Maria nō est purificata, sed mysteriū purificationis honorauit.

1 Cor. 5. *gate, expurgate vetus fermentum*, inquit Paulus ad hoc respiciens exemplum, *vt sitis noua conspersio. Emundate* Iaco. 4. *manus, purificate corda duplices animę*, ait B. Iacobus. Prou. 25. *Aufer rubiginẽ de argento, & egredietur vas purissimum*, dicit Salomon. Magnus hic mundus primò aquis vniuersalis dilui purgatus est, secundò igne purgabitur. Psal. 96. *Ignis ante ipsum praecedet.* Paruus hic mundus homo noster, nos ipsi, primò purificamur aqua Baptismi: postquam autem semel sumus baptizati, iam aqua non ampliùs est necessaria; opus est igne, opus est igne, opus est amore, opus est amore. Iste ignis est. Iccirco videtis hodie in omnibus templis tantam cereorum ardentium multitudinem, vt discatis instare iam tempus Quadragesimale, tempus spiritualis purificationis, in quo accendi vos oportet, & amore diuino inflammari. Quam enim causam subesse existimatis, Domini mei, ob quam in hoc solenni die, tanta cum pompa, in facie totius Ecclesiæ à Sacerdotibus vobis candela in manum tradatur, nisi vt mox postquam acceperitis, vobis in mentem veniat Sanctus ille Senex Simeon, qui cum tanto amore dulcissimo illo in vlnis excepto puerulo, tantoperè exultauit, cum maximo triumpho ostendens illum Iudæis & Gentibus, tanquam lumen in cera, tanquam ceram illuminatam, tanquam Deum incarnatum, tanquam hominem deificatũ. Lumen est Deus, cera est homo, Christus vtrumque est; est homo & Deus: est lumen & cera; est lumen ad illuminandum, est cera ad patiendum; est lumẽ vt maneat semper & non extinguatur, est cera vt deficiat, & in mortem, vt nos omnes, resoluatur.

Post aquã baptismi necesse est sequatur ignis amoris.

Cur hodie cerei gerantur à Christianis.

Apostrophe ad Simeonẽ.

O Simeon Simeon, etiam tu lucerna eras ardens, quemadmodum & Ioãnes Baptista, qui testimonium perhibuit huic lumini. Nam & tu plenus Spiritu sancto hunc in finem in templum venisti, vt Christum exciperes, de lumine hoc testificareris, fore illud in salutem totius mundi, lumenq; ad reuelationem gentium, & gloriam tui populi prædicares. O benedicte Senex, etiam tu portabas lumen hoc in manibus tuis, ipse à Christo illuminatus, non tantùm in intrinsecis animi penetralibus; sed & in omnibus tuis sesibus, qui

qui in densissimis Iudaicæ infidelitatis tenebris videbas infinitas lampades, ab admirabili hoc lumine Christo accensas, & in gentilitate coruscantes. Lætare & exulta sanctissime Senex, vide nunc oculis tuis, quod hactenus præuidisti mente. Tenebræ nunc toto mundo pulsæ sunt, primitiæ Gentium, Reges ab Oriente in splendore huius luminis ambulant. Omnis terra plena est huius lucis gloria, quæ antea in sinu tuo abscondita, frigidam senectutem tuam fouebat & calefaciebat. O dulce diuini amoris fomentum, ô dulcis & suauis amor, qui animas nostras tam efficaciter refocillas. Dulcis es amor, etiam cùm affligis; totus suauis es, etiamsi nonnunquam cruciare videaris. Ignis hic, animæ Christo deuotæ, etsi in sinu abscondatur, non tamen comburit vestimenta, imò extinguit alium illum ignem, qui in corde latitans vestes vrit, & vestitum consumit. animam inquam & corpus deuorat. Loquor autem de igne illo mortifero, qui est amor mundi, amor carnis, amor suiipsius; *Deus noster ignis consumens est, consumens hunc ignem consumentem. Nos non consumit, sed cōsummat*: animam refouet, demulcet menten, spiritum recreat, & reparat pereuntem. Quis vnquam vidit ignem talem? Non ignorabat Simeon ignis huius virtutē, ideoque gaudens portabat in sinu, atque hoc lumine venerandum senileque pectus suum calefaciebat & recreabat. O quantò iucundiùs hic ignis calefecit senem hunc nostrum Simeonem, quàm adolescentula illa Abisag senem fouit olim Dauidem? nisi fortè vnū idemque fuerit ista iuuencula, & hic ignis; illa sapientia, & hic amor. Amplexus namque sapientiæ non tantùm calefaciunt frigidos, sed senes etiam efficiunt iuniores, & mortuos viuificant. Deut. 4. 3 Reg. 1.

Iaderenses mei, ecce candela accensa in manu cani Simeonis, accendite & vos candelas vestras. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardētes in manibus vestris. Accedite, accedite ad eum, & illuminamini.* Nemo illuminatur sine lumine. Ecce lumen, Lumen de lumine. Deus est lumen, & Pater luminum: Christus est lumen natus de lumine; Sol de Sole, Deus de Deo. *Accedite, accedite ad eum, & illuminamini.* Hoc modo Luc. 12. Psal. 33.

non

non solùm candelas aut lampades ardentes portabitis, sed ipsi eritis candelæ, ipsi lampades, ipsi lucernæ. lucebitis & intus, & foris; intus vobis, foris proximis.

Luc.12. *Sint, sint lucernæ ardentes in manibus vestris*: sint in corde, sint in ore, sint in manibus. Lucerna in corde est fides; lucerna in ore sunt honesta, & quæ ædificant proximum, verba; lucerna in manu sunt opera bona. O quàm necessarium nobis est hoc lumen, hæc lucerna, hic ignis, vt purgemur, illuminemur, exornemur.

Surgite, surgite Christiani, & hunc Christum amplectimini. Ecclesia offert illum auribus vestris, indutum verbis, quando concionatur; Gratia offert illum cordibus vestris, nudum, purumque spiritum, cùm inspirat: sed Maria Virgo offert illum oculis vestris, carne vestitum, cùm hodie in templo præsentem exhibet. Ecclesia enim vult vt credamus, gratia vt contemplemur, & adoremus: sed Maria vult, vt illum videamus. *Et videbit omnis caro salutare Dei. Viderunt oculi mei salutare tuum. Videte quia non est alius Deus præter me.* Quapropter etsi incarnatio celebretur in Nazareth, etsi nascatur Christus in Bethleem, præsentatio tamen non fit nisi in Metropoli Iudeæ, in templo: nec in angulo, sed in medio templi, vt omnis homo videat inæstimabile donatiuum, quod Deus mundo cõtulit. Non animaduertitis Ecclesiam hodie officium de Natiuitate Christi terminare? Sacrificium vespertinum audietis hodie concludi læta voce, *Alleluia.* Quinimo ad maiorem lætitiam geminabitur: canetur enim; *Benedicamus Domino, Alleluia, Alleluia.* & respõdebitur; *Deo gratias, Alleluia, Alleluia.* Sed & crastino die, qui erit Dominica Septuagesimæ, sentietis in quibus doloribus & miseriis versabitur Ecclesia septem continuis septimanis; hoc est, vsque ad Dominicam quartam Quadragesimę: antiquas illas miserias, in quibus misera mater Synagoga tanto tempore detinebatur, crudelemque totius generis humani captiuitatem sub Diabolo, in quam per peccatum Adami inciderat, commemorans. Venit itaque Christus de cælo in terram, vt omnes exhilararet, caneretque lætum illud iubilum; *Alleluia, Alleluia.* O

Maria nobis offert Christum videndum.

Luc.3.
Luc.2.
Deut.32.

Quãdo in Ecclesia cessat Alleluia.

iucun-

iucundū *Alleluia*: & quod verius *Alleluia*, quàm Christus noster, qui tanto iubilo Simeonem nostrum impleuit, vt postquā vidisset illum, mori desiderauerit, tanquam is qui voti compos factus, maiorem consolationem non optaret? *NVnc dimittis seruum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum.*] Quid sibi vult *Alleluia*, nisi laudare Deum? & per quem offerimus Deo laudes, nisi per Christum? per Christum gratiam percipimus. *Gratia per Iesum Christum facta est.* Per Christum laudes Deo offerimus. *Per ipsum offeramus hostiam laudis semper Deo. Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Quis denique aufert peccata præter Christum? *Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi.* O Iadera, audi me. Vox hæc tantæ authoritatis, tantæque maiestatis *Alleluia*, vox est sacrosancta, plena reuerendis mysterijs, quæ iccirco nunquam in aliud translata est idioma, siue Græcum, siue Latinum. Sed nec in linguam vestram Dalmaticam, quæ se per totum ferè extendit Orientem. Nos enim comuniter & absolutè dicimus; *Laudare Deum.* Quando porrò vidistis vnquam Ecclesiam à diuinis cessare laudibus? Nonne vox illius est; *Septies in die laudem dixi tibi?* Et; *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam?* Sed & tota hac Septuagesima, in qua omnes suspiramus ad dulcissimū canticum illud Alleluia; quod in penetralibus cordium nostrorum clausum solo viuit desiderio, cessantibus cum illo Organis, vocibusque & instrumētis musicis, toto, inquam, hoc tempore, an non in singulis horis laudemus Dominum? Cras à matutino officio incipientes, non laudamus illum, qui omnia de nihilo creauit: qui formosam hanc & iucundam lucem, cælum & terram exhilarantem condidit: qui firmamentum hoc in medio aquarum inferiorum & superiorum suspendit? ad cuius imperium terra herbas, plantas & arbores germinat? qui in capite magni huius mundi duos istos pulcherrimos oculos Lunam & Solem constituit? qui aërem auibus, & aquam piscibus impleuit? qui de terra & aqua simul, quæ materia propriè humus dicitur, bestias creauit, & tandem hominem omnium rerum Dominum formauit? O quæ laudes,

Quid significet Alleluia.

Ioan. 1.

Heb. 13.

Eccli 15.

Ioan. 1.

Psal. 118.

Psal. 50.

laudes, ô quæ laudes? Et tamen à nullo, nisi fortè ex errore auditur vox *Alleluia*. O *Alleluia*, ô *alleluia*. Quid ergo Alleluia? Auscultate precor, Domini mei. Audistis vnquam applausum, strepitum, clamores, congratulationes & iubila victorum in exercitu, cùm victis hostibus triumphant? captam ciuitatem ingrediuntur? omnia depopulantur, & prædam inter se diuidunt? cùm aër clamore rumpitur, nec quid dicatur commodè potest intelligi? tantùm vbique videntur signa lætitiæ, quæ in vultu relucent, omniaque inusitato gaudio implent: vnde voces nascuntur inarticulatæ, quæ etiam vix scribi possunt? Illud est, *Alleluia*, illud est, *Alleluia*. hæc est laus Dei magna, singularis, sine mensura; quia per Christum nostrum vicimus Diabolum cōmunem generis nostri inimicum, spoliauimus infernum, mundum subegimus, omniaque obediētiæ fidei nostræ subiecimus. Illud est inquam, *Alleluia*, *Alleluia*. Non potest alia voce, nec alia lingua exprimi infinitum hoc gaudium, quo perfunditur Ecclesia, quoties dicit *Alleluia*, *Alleluia*. Non legistis; *Sicut lætantur in messe, & sicut exultant victores capta præda, cùm diuidūt spolia?* Non audistis Deum Patrem filium suum Christum appellare suam gloriā, suum psalterium, suam citharam? hoc est, instrumenta sua musica, vocem suam, melodiam suam, sonum suum, in quo & per quem inusitato quodam modo canuntur admiranda eius opera? *Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara.* Ecce nostrum *Alleluia*, Psalterium Dei, gloria Dei, cithara Dei, est lætitia Ecclesiæ Christianæ. Quicquid in laudem Dei prædicatur, sine hac musica, sine hoc psalterio, sine hac cithara, sine hoc Alleluia, sine hoc Christo (vos hoc intelligitis Iudæi, qui hîc vestro malo habitatis) heu quàm frigidum est & insipidum? Omnis gustus de Deo in solo Christo est. Non est consolatio, non est intelligentia, non est amor nisi per Christum. Appositè igitur ipse suis inquit Apostolis; *Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Multi Reges & Prophetæ voluerunt videre, quæ vos videtis, & audire quæ vos auditis, & non viderunt neque audierunt. Alleluia, Alleluia.* Nescitis quantoperè gauisus est pater Abraham, eò quòd viderit illum tantùm

Esa.9.

Deus Pater Christum vocat instrumētum suum musicum.

Psal.56.

Luc.10.

tantùm in ſpe & figura? *Abraham pater veſter exultauit, vt videret diem meum: vidit, & gauiſus eſt.* Ioan. 8.

Alleluia, Alleluia. Æquum omnino eſt, vt ſolennis hodie præ lætitia fiat proceſſio. cras enim Eccleſia reuertetur à fine mũdi, in quo apparuit hoc noſtrum de Chriſto & Maria gaudium, ad principium, in quo vixit, regnauitque noſtra per Adamum & Euam lamentatio. Non tunc ampliùs canetur *Alleluia*, ſed dicetur; *Ablatus eſt Sponſus*; ieiunemus, peregrinemur à Domino, lugeamus. *Circumdederunt me dolores mortis*, deploremus. Ceterùm quæ cauſa eſt cur hæc ſolennia tam ſint celebria, & proceſſio hæc tam clara & honorata, vt etiam Reges eam, & ſummi ſua condecorent præſentia Pontifices, niſi quia imago eſt illius proceſſionis, quam fecit Maria & Chriſtus ad templum eundo, Simeonque & Anna in templo illis occurrendo? Hi duo abeunt, illi veniunt, occurrunt ſibi & conueniunt; gyrant & regyrant, omneſque tandem vnde venerant, illuc reuertũtur. Et quæ vnquam proceſſio pulchriùs Cælum illuſtrauit & terram exornauit? Ieſus, Maria, Simeon, Anna. Ieſus eſt Deus & homo, Maria eſt Virgo & mater, Simeon eſt Sacerdos & ſanctus; Anna eſt vidua & prophetiſſa. Fuere & aliæ tres proceſſiones, vna in die Palmarum, cùm triumphans tanquam Rex Iſraël Hieroſolymas ingreſſus eſt, eique tanta multitudo hominum cum palmis & oliuarum ramis occurrit. Secunda, quando mulieres Hieroſolymitanæ, cum tot alijs pijs animabus, Chriſtum vſque ad locum ſupplicij deduxerunt. Tertia, quãdo in cælum aſcendit, omneſque fideles illum vſque in mõtem Olíueti comitati ſunt, vt hanc illius gloriam conſpicerent. Expectamus denique proceſſionem illam, malis adeò formidandam, & bonis ſummoperè optandam, quando veniet cum tot Angelorũ exercitibus, ſedebitque in nubibus, in hoc aëre cum Maieſtate, & reddet vnicuique laboris vitæ ſuæ mercedem. Tunc cantabitur perpetuũ *Alleluia*; erit enim & populo Dei perpetuus Sabbatiſmus. Satis dixi: defeſſus ſum, & vos quoque forſitan defatigaui. Quieſcite mecum parumper, & quæ reſtant breuibus verbis abſoluemus.

Matth. 9.

Pſal. 17.

Quot proceſſiones Chriſti obſeruentur.

SECVN-

SECVNDA PARS.



ATIONI profectò consentaneum esset, Domini mei, vt huius vnius horæ oratio vobis sufficeret; eaque contenti meritò esse deberetis: sed & ego, si quam vitæ meæ rationem haberem, terminum hunc transilire non deberem. Quia tamen alacritatem vestram video, nouitatemque huius Italici idiomatis Sanctæ huic plebi præter modum placere animaduerto; (dicitis enim vt mihi quidē videtur inter vos, Dies nimis breuis est, & concio nimis erit succincta: citiùs quàm volebamus finietur) ecce laxētur habenæ, expandantur vela, feratur in altum oratio, continuetur in vesperem. Magnificentia enim processionis, quæ (ad consolationem vestram dico) cùm propter splendidum pompæ apparatum, tum etiam propter frequentiam & deuotionem simul, quam vidi primò in nobilibus, postea in populo, tam summæ, quàm infimæ conditionis, non potest mihi non maximè placere; hæc, inquam, processionis magnificentia fecit, vt nimis serò in hanc arenam descenderim, tardiusque ad orationem hanc nostrā venerim. Quin etiam iustum est, posteaquam casu quodam venerim ad hoc festū, quod potiùs vestrum est, quàm alicuius alterius nationis, vt in omnibus & per omnia vobis satisfaciam, non minùs, imò magis fortasse quàm si dedita opera, & consultò ad vos venissem. Sunt enim influxus & gratiæ, quas inopinatò cælitus accipio, quibus ingratus esse nec volo, nec debeo.

Vita humana est instar ferri: si cudatur, cōsumitur; si non cudatur vel tractetur, rubigine obducitur. Ferrum sumus, ferrum sumus omnes nos: argentū enim & aurum sunt Angeli, & Beatorum animæ. Expedit mihi, vt in obsequio vestro, consolationeque populi benemeriti consumar, quàm vt cum ingratitudine in otio mens rubiginetur. Vos laudo, vobis gratias ago, quòd hoc onus meis humeris imposuistis. Quòd si vobis per omnia non satisfecero, mementote nec lyram, nec testudinem, cùm multis mensibus pulsatæ

non

non sunt, tam gratam reddere modulationem quàm alioquin consueuerunt. Sufficit mihi, vos vidisse, & quasi manibus palpasse, me vobis gratificari voluisse: postquam idipsum tam impensè à me flagitaueritis. Nolo mihi quis ethnicum illud obijciat; *Fata volentem ducunt, nolentem trahunt.*

Agite nunc; tria sunt (vt hinc exordiar) primaria Christi festa, Natiuitas, Epiphania, & hodierna Præsentatio, in qua audistis hodie sub solẽni Sacro, quanta cum lętitia Ecclesia sancta in persona Simeonis nostri, qui etiam tunc typum Ecclesiæ gerebat, in cornu altaris cantauit versum illum Dauidicum, *Suscepimus Deus misericordiã tuam in medio templi tui.* Non ignoratis Dauidem Regem & Prophetam, Patrem & filiũ, dominum & seruum Christi, tanquam sancti Spiritûs Phonascum poeticè, profundè tamen hęc tria festa insinuâsse, singulisque suum thema assignasse, ordinem quem habent inter se, & quo ab Ecclesia celebrantur, obseruando. Locus est in illo cantico, quod Hebræis adeò est solenne, vt ex antiquissimo Patrum ritu illud in festo Paschatis, postquam agnum Paschalem comedissent, psallere consueuerint. Nec desunt apud nostros summæ authoritatis viri, qui in locum illum Euangelij post Cœnam dominicam; *Et hymno dicto, exierunt in montem*, cõmentantes, scribunt, Christum hoc ipsum canticum, pulcherrimum hunc hymnum cum Apostolis suis cecinisse, dum iret Hierosolymas, vbi post paucas horas instar agni erat immolandus, vbi & nouum Pascha in ligno Crucis celebraret. Hymnus hic sex continet Psalmos: primus est; *Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini.* Vltimus verò; *Laudate Dominum omnes gentes, collaudate eum omnes populi.* Omnia cantica hæc, si verum fateri velimus, profundissima de Christo nostro continent mysteria. Sufficiet præter duo hæc, quæ per se facilia sunt, satisque cuiuis legenti indicant, qualia & quanta sunt; secundum & penultimum diligenter examinasse. Initium illius est; *In exitu Israël de Ægypto, domus Iacob de populo barbaro*: cui cantico D. Hieronymus titulum dedit; *Alleluia.* Quid meditamini? Penultimum incipit; *Confitemini Domino quoniam bonus*, quo-

Tria sunt pręcipua Christi festa.

Psal. 47.

Matth. 26.

Psal. 112.
Psal. 116.
Author hîc ordinẽ Psalmorum 116. & 117. inuertere videtur.

Psal. 113.

Psal. 117.

quoniam in seculum misericordia eius. In hoc præter laudes Paschales; *Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea*; præter eximiam quoque magnificentiam Christi in reconciliatione Iudæorum atque Ethnicorũ; *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli*: tres etiam versus sunt, quibus tria prędicta festa significantur. *Osanna, benedictus qui venit in nomine Domini. Deus Dominus, & illuxit nobis. Constituite diem solennem in condensis* (vel in frequentationibus) *vsq; ad cornu altaris.* Primus versus verissimè pertinet ad gloriosam Christi Natiuitatem: hoc est, ad Aduentum illũ tot seculis à Patribus desideratum. Neque dubium est, quin pueri Hebræorum ad hunc Aduentum potiùs alluserint, cùm Christo in die Palmarum tanto cum honore vrbem ingredienti hunc versum cantarent, quàm ad aduentum illius in ciuitatem. Secundus versus; *Deus Dominus, & illuxit nobis*, propriè spectat diem luminũ, diem stellæ, festum Epiphaniæ, quę est quasi altera natiuitas: in illa namque prima natiuitate natus est Christus, in hac secunda ipsa Christianitas. Et verè tunc nata est, principalis enim res in qua religio Christiana consistit est fides, quæ illo die in Magis, credentium primitijs, fuit initiata. deinde Baptismus, qui eodem die, licet non eodem anno, fuit consecratus, cùm Christus in Iordano lauaretur: tertiò sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, quod eodem quoque tempore mirabili modo fuit adumbratum, Christo in nuptijs aquam in vinum mutante; ex quo certissimum colligitur argumentum, Christum in sacramentali conuiuio Ecclesiæ, panem in suam carnem, & vinum in suum sanguinem mutaturum: quo in mysterio Ethnici dementantur, & Hæretici insaniunt. Sed prolixior sum, quàm velim. Agite ad tertium versiculũ veniamus: *Constituite diem solennem in condensis vsque ad cornu altaris.* Versus hic etsi non ineptè applicari queat Palmarum festo, in quo processio celebratur cum frondibus & ramis arborum, cumque floribus; iustissima tamen ratione de hodierno quoq; die dicitur: in quo per vniuersum terrarum orbem, vbi nomen Christi inuocatur, cernimus, quanta cum frequentia conden-

Quãdo fides nata est.

Psal. 117.

Ceremoniae de festis

ſantur populi, vt procedant ad cornu altaris, vt excipiant Chriſtum in vlnis ſuis per ſymbolum luminis; quod à Sacerdotibus accipiunt, quomodo cum Maria in vera carne ſua recepit à Simeone, qui eum nomine totius generis humani, vt intellexiſtis, priùs exceperat. Iadera chara, conqueritur alius quidam Propheta, dicens; *Viæ filiæ Sion lugent, eò quòd non eſt qui veniat ad ſolennitatem.* Non hâbet hîc locum iſta querela. Videtis quomodo omnes currunt & concurrunt, *Iuuenes & virgines, ſenes cum iunioribus.* Chriſtus factus lux omnium, vita omnium, miſericordia omnium, ſaluator omniũ: omnes hodie ſuo amore inebriauit. Verum quidem eſt, in illo primo feſto omnes fuiſſe ſanctos, omnes iuſtos, imò perfectos. Non huic interfuit peccator. Sed quis noſtrum eſt, qui licet peccator ſit, ſanctus tamen per Chriſtum eſſe nolit? In Chriſto enim miſericordiam in noſtris miſerijs inueniemus: antiqua enim & perpetua vox eſt; *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui.* Suſcepit hanc miſericordiam etiam Dauid, pater Chriſti ſecundùm carnem: ſuſcepit eam Simeon, ſuſcipimus & omnes nos, ſuſcipient denique vſque ad conſummationem ſeculi omnes, quotquot ad ęternam vitam ſunt prçordinati. Ideo tã ſublimi ſenſu dixit Spiritus ſanctus; *In medio templi tui.* Chriſtus in medio templi eſt, in medio mundi, in medio temporum. Omnibus expoſitus eſt, & his qui fuerunt, & his qui ſunt, & his qui futura naſcentur ætate. *Ieſus Chriſtus Heri, Hodie, & in Secula.* Non eſt acceptor perſonarum Chriſtus; *Non eſt apud eum maſculus & fœmina, Græcus aut Barbarus; Iudæus aut Gẽtilis*: in omnibus & per omnia idem Chriſtus. Currite, currite omnes populi ad fontem hunc, qui vndequaque diffundit gratiam, diffundit pacẽ, diffundit miſericordiã. Domine mi, dulcis Ieſu, emitte aquas tuas, bibant omnes qui ſitiunt: ſemper tibi fons tuus erit ſaluus, fontem dico inexhauſtum, quem tu ſolus bibis, & non eſt vir aut fœmina, qui tecum poteſt partem habere in illa plenitudine gratiæ, quę omnem menſuram ſuperat. Heu Iadera mea, omnes plateæ exundant, in omni loco reperiuntur vaſa plena aqua viua, & vel pauci, vel nulli ſunt qui

Thren.1. Pſal.148. Pſal.47. Miſericordia Dei omnibus eſt cõmunis. Chriſtus in medio tẽpli quid ſignificet. Heb.13. Col.3.

volunt bibere. Miſericordia eſt præparata, vltro ſe-
ipſam offert omnibus, inuitat miſeros, & tamen non
eſt qui ſuas agnoſcit miſerias, qui miſericordiam ex-
optat, ſed omnes tanquam cæci in æternam ruunt
Ioan.3. damnationem. *Lux venit in mundum, & dilexerunt*
Ioan.1. *homines magis tenebras quàm lucem. Lux in tenebris lu-*
cet, & tenebræ eam non comprehenderunt. O peccatores,
ô peccatrices. *Medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis.*
Luc.17. Meminiſtíſne quid Chriſtus dixerit; *Regnum Dei in-*
1 Cor.6. *tra vos eſt? Vos eſtis templum Dei? Templum Dei ſan-*
ctum eſt, quod eſtis vos? In medio veſtrũ eſt Chriſtus,
in corde veſtro eſt, in ſpiritu veſtro eſt. Signati eſtis
ſignaculo eius, characterem illius habetis, ideoque
miſericordia Dei per Chriſtum non eſt extra vos: Eſt
in vobis, eſt in vobis. *Propè eſt verbum Dei in ore tuo,*
& in corde tuo. Ecce templum, ecce ſedes Dei. *Anima*
iuſti ſedes eſt Dei. O quàm facile itaque vobis eſt (ſi
modò volueritis) miſericordiã Dei ſuſcipere, vt ani-
mæ veſtræ à miſerijs liberentur. Suſcipite, ſuſcipite
Chriſtum in cordibus veſtris, in ſecretis animarum
veſtrarum penetralibus. Illic habitat Chriſtus, illic
Pſal.84. commorari delectatur. *In corde loquitur pacem ad ple-*
bem ſuam, & ſuper ſanctos ſuos, & in eos qui conuertuntur
2 Cor.6. *ad cor.* Vos qui iam eum excepiſtis, *Videte ne in vacu-*
um ſuſceperitis, ne fiant nouiſſima veſtra peiora prioribus,
1 Cor.6. *ne gratiam ingratitudine abijciatis. Glorificate & portate*
Deum in corpore veſtro. quem hodie portauit Simeon
in ſinu ſuo.

Veri Chriſtiani templum ſunt, in quo Chriſtus habitat. — Rom.10. — Sap.7.

ET cùm inducerent puerum Ieſum parentes eius, inquit
Lucas, *vt facerent ſecundùm conſuetudinem legis pro eo.*]
Apoſtrophe ad Mariam præſentantẽ Ieſum. Virgo ſancta, eia offer æterno Patri benedictum fru-
ctum ventris tui, repræſenta illius conſpectui pro no-
bis omnibus; ne pigeat illum noſtro omnium nomi-
ne ad noſtram ſalutem, ad noſtram reconciliationem
dedicari. Hæc eſt hoſtia noua, hoſtia pretioſa, hoſtia
viua, ſancta & immaculata, quæ in omnibus alijs ve-
teris teſtamenti hoſtijs erat præfigurata; quæ ſola
ſummæ placet Maieſtati. Nunc offers illũ in templo,
tradis illum manibus venerabilis ſenis iuſti Simeo-
nis: ſed veniet (heu) tempus quo tu non offeres neque
in templo, neque Sacerdoti, ſed inimici & perſecuto-

res

res eius sanguinem illius sitientes offerent illum Pilato, Herodi, & populo incircunciso, vt occidatur. Nunc tu illum redimes duobus turturibus, aut saltem totidem columbis, tunc etsi triginta denarijs vẽdetur, mille tamen mundis illum redimere non poteris: tanta erit rabies, tanta fames istorum luporum, carnes illius deuorare cupientium, & dicentium; *Quis det de carnibus eius vt saturemur? Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* O Christiani videte hîc summam Christi humilitatem. Erat pretium mundi, erat redemptio, erat redemptor. *Redemptionem misit Dominus populo suo. Redemisti nos Domine Deus veritatis Empti estis pretio magno.* Nihilominus hodie necessum est vt ipse redimatur, nec agnum habet, lytrum diuitum, qui offeratur pro illo Sacerdoti; sed mater & Ioseph illum vt pauperem de tribu Iuda (Leuitæ namque redimi non poterant, sed si primogeniti essent perpetuo templi ministerio consecrabantur) duobus turturibus aut columbis, inopum pretio, redemerunt. *TVlerunt illum in Hierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur; & vt darent hostiam, sicut dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.*] Proprio sanguine nos redemit in Cruce, extra vrbem: aliorum pecunia redimitur hodie in templo. Vtraque oblatio sacrificium est, sed oblatio in Cruce sacrificium erat vespertinum, hodierna matutinum. Hoc iucundum est, illud salutare. Nunc enim vix natus est Christus, tunc ætate erit matura. O sacrificium omni sacrificio pretiosius. In his duabus oblationibus locum habet illud Esaiæ; *Oblatus est quia ipse voluit.* Neque enim hîc subiectus est legi, neque illic oppressus est violentia. Non hîc redimitur vt debitor, neque illic moritur vt malefactor. Redimitur quia voluit redimi, moritur quia mori voluit. *Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à meipso; potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam.* Auditores mei, videor mihi videre in hoc populo infideles quosdam Saracenos: date illis locum, date illis locũ, vt audiant nostram gloriã. Mortuus est, mortuus

Iob 31.
Matth. 27.
Psal. 110.
Psal. 30.
1 Cor. 6.
Humilitas Christi patet in præsentatione.
Esa. 53.
Christus non est subiectus legi.

Author sermonem ad Turcas conuertit, eos ad fidem inuitans.

Christus noster, Domini Saraceni, quid vos gloriamini in nomine Turcico? Non fugit mortem; non. Non eripuit illum Pater manibus Iudæorum; non. permisit vt moreretur sicut ipse voluit. Sed attendite quanta cum magnificentia, quanta cum Maiestate. Quando videbatur totus derelictus, hostibusque suis in prædam datus, cùm arbitrabantur se iam gloriam nominis eius penitus extinxisse, quando gloriabantur se illum planè confudisse, suis discipulis, totiusque populi comitatu spoliasse, nec iam vlla spes superesse putabatur eum aliquando restituendum; ecce de medio tenebrarum, ignominiæ, iniuriarum, opprobriorũ & cõuiciorum, cœpit gloriosius reuiuiscere & resplendere clariùs, quàm vnquã ántea; vt diem reueheret iucundissimam, totique mundo testatum faceret, se verum esse viuumque Deum. In conspectu namque totius populi terram fecit tremere, solem deficere, sepulchra reserari, velum templi à summo vsque deorsum lacerari, petras scindi, Centurionem conuerti, sanctos Patres è limbo educi; vt cognita fieret tam Iudæis quàm Gentibus infinita charitas Christi, qui immunis ab omni peccato pro peccatoribus tamen mortuus est. Sapientia Christi est, quòd modum adinuenit hominem Deo reconciliandi; potentia Christi est, quòd mortem, mortisque imperium, hoc est Diabolum, peccatum, & infernum expugnauit; Iustitia Christi est, quòd Deo pro offensa Protoplasti solidè satisfecit; misericordia Christi est, quòd cùm nos cælesti patria pulsi eramus, neque illuc vnquam per legem latã reuerti, nisi per solam summi Pontificis mortem poteramus, spontè mori voluit, vt nobis libertatem restitueret, nosque ad cælum (nisi nobisipsi deesse velimus) reduceret. O Christe, ô Christe. Quàm mystico sensu dictum est à Paulo; *Christus factus est nobis sapientia, iustitia, sanctificatio, redemptio. Sapientia*, quia nos vt magister docet atque illuminat. *Iustitia*, quia nos coram æterno Patre suo iustificat. *Sanctificatio*, quia nos in sacri Baptismatis fonte mundat & perpurgat. Omnium autem horum maximum est *Redemptio*, quia scilicet pretioso suo sanguine, quem in ligno Crucis effudit, nos redemit.

1 Cor. 1. Christus nobis factus sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio.

Redempti

Redempti estis pretioso sanguine Agni immaculati, & incontaminati. Sanguis Christi, sanguis Regis est, sanguis summi Pontificis est, sanguis Dei est, sanguis hominis est: hominis, filij Dei Patris: Dei, filij Virginis matris. Videtis itaque quis & qualis sit sanguis, qui nostra fuit in Cruce redemptio, & pretium nostrum. In altari quasi in mensa est potus noster; in lecto, cùm mors imminet & mysticum illud Sacramentum sumimus, est viaticum; in cælo denique noster est aduocatus. Non legistis; *Sanguinem meliùs clamantem quàm Abel!* Ne molestum vobis sit Christiani, quòd sanguinem hunc non bibitis. Aquilarum pulli non bibunt, sed lambunt sanguinem. Scriptum est enim; *Et pulli ejus lambunt sanguinem.* Sacerdotes sunt Aquilæ, ipsi & pro vobis & pro semetipsis bibunt hunc sanguinem; sufficit vobis vt in ipso corpore, quod datum est vobis in cibum pariter & potum, lambatis. Corpus Christi non est cibus aridus, sed humidus vt Manna; caro est & sanguis est. Sanguis Christi, sanguis Christi, *Qui per Spiritum sanctum obtulit seipsum immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti*, inquit Paulus. Audistis vnquam sanctiora, sublimioraque verba? Vultis ea vobis in statera Theologiæ Scholasticæ ponderem? *Sanguis Christi verè & realiter, qui personaliter, per Spiritum S. amabiliter, obtulit liberaliter, seipsum obedienter, immaculatũ exemplariter, emundabit spiritualiter, cõscientiam vestram efficaciter, ab operibus mortuis generaliter, ad seruiẽdum laudabiliter, Deo viuenti æternaliter.* O sanguis, ô sanguis.

1 Pet. 1.

Heb. 12.

Communio sub vna specie.

Iob 39.

Corpus Christi est caro & sanguis.

Heb. 9.

At forsitan res nouas dicimus, & quæ testimoniũ non habent, nisi quod ipsi perhibemus. Vtinam sic Deo visum esset, vt vos Domini Muselmanni, quod dicturus sum, attentis auribus, & corde ab omni affectu libero audiretis. Scio vos in omnibus iudicijs vestris multitudine testimoniorum niti, & qui plura adducit testimonia, hunc apud vos causam obtinere; Ostendã itaque vobis quot veritas fidei nostræ Christianæ, & quot ipse Christus habeat testimonia. Vultis testimonia hominum simplicium & idiotarum? habetis Petri, Andreæ, Ioannis, piscatorum rudium,

Testimonia fidei nostrę.

qui neque natare neque literas (vt aiunt) didicerunt.
Luc. 2. Pastorum quoque qui recèns natum salutârunt. *Et inuenerunt sicut dictum erat ad illos.* Vultis testimonia sapientum? habetis Magos, qui venerunt ex Persia, vt adorarent illum, aurum, thus, & myrrham offerentes. Si Angelorum testimonia quæratis; auditi sunt Angelorum exercitus in aëre ea nocte, qua natus est Christus, canentium, & pastores ad Christum quærēdum inuitantium. Si Prophetarum; quis aut qualis vel è maioribus, vel è minoribus Prophetis est, cui Christus vt scopus non est præfixus? De incarnatione vaticinatur Esaias, de passione Ieremias, de resurrectione Ezechiel, de iudicio Daniel. In Osea Christus vocat gentes; in Ioële Iudæos, in Amos prælatos, & pastores; in Abdia Reges & Principes, in Iona peccatores ad pœnitentiam. Hem quò prouehor? Vultis proferam testimonia hominum defunctorum? Moyses & Helias apparuerunt in monte, vt tribus discipulis de Christo testarentur. Bestiarum? Asinus & bos agnouere Dominum, eiusque sanctum præsepium. Saxorum? etiamnum videntur vestigia pedum Christi in monte Sion, vbi stetit in cælū reuersurus. Elementorum? omnia testimonium perhibent Christi diuinitati. Terra tremuit, aqua sub pedibus eius indurata transitum illi permisit, aër suscepit illum in cælum ascendentem, ignis illuminauit, non combussit sanctos eius discipulos. Accipitis testimonia mulierum? Ecce Elizabeth, Anna, Martha, Magdalena, & quotquot fuère Sibyllæ. Virorum ætate prouectiorū, grauium & summæ authoritatis inter Iudæos? Ecce Zacharias, Simeon, Nicodemus, Gamaliel. Ethnicorum? Ecce Dionysius, Proconsul Sergius Paulus, Quadratus, Iustinus, Arnobius? Nobilium? Sufficiat vnus Pilatus, præses Romanorū, qui omnem mouit lapidem, vt Christum defenderet, ne moreretur: sciebat enim illum innocentem. Et Tiberius Imperator, qui illum inter alios Deos voluit adorari: cum infinito aliorū Regum & Principum numero, qui illum secuti, & pro eius nomine mortem obierunt. Placent denique testimonia totius plebis? Scitis populum eum Regem creare voluisse tunc, cùm tantam virorum & mulie-

rum multitudinem, quinque panibus & duobus pisci-
bus satiasset. Quando auditæ sunt hæ voces: *Vidimus mirabilia hodie? Nũquam sic locutus est homo? Totus mundus post eum abit?* At rationem fortasse aliquam in rebus Christi quæritis, quæ vos, vt homines naturales, præter testimonia conuincat. Agite, vester Alcoranus, quem tanti facitis, vt librum ab Angelo Prophetæ vestro Mahometi traditum, quàm magnifica de Christo nostro prædicauit? quantis illũ laudibus extulit? quas non latere vos scio. Nec ignoro, qui inter vos Christum audeat blasphemare, huic pali supplicium esse cõstitutum. qua in re vos quàm possum maximè laudo. Dico igitur, aut Christus fuit verè Deus, vt nos dicimus; aut homo fuit omnium, qui vnquam nati sunt, sceleratissimus: sed & omnium quos mundus vidit vnquam fuit astutissimus, quòd pugnat cum sanctitate & bonitate, quam vos de illo prædicatis & creditis: ipse enim dixit; Ego Deus sum. in cuius dicti affirmationem occidi voluit: antequam moreretur & postquam resurrexit hanc doctrinam suam Euangelicam instituit, in qua præcipit, nos credere, quòd ipse Deus est, & ope duodecim tantummodo discipulorum tam ardua, tamque admiranda perpetrauit: vt sine armis, sine fauore eam apud homines obtinuerit fidem & authoritatem, quam nunc habet, qualem nunquam homo in hoc mundo inuenit; ne ipse quidem vester Mahometes, etiamsi dum viueret, Regina illa tanto eum fauore prosequeretur: & paulatim ad tantam potestatem peruenerit, eò quòd doctrinam suam non disputationibus, sed armis defendi voluerit. cùm nostra econtrariò toties in diuersis Concilijs Orientalibus & Occidentulibus discussa, examinata & approbata sit. Sed & nunquam magis, quàm hodie, de illa disputatum est, cauillantibus, ventilantibus & impugnantibus illam tot hæresibus, quæ omnes laterem lauant, conuictæque & confusæ aut succubuere, aut tandem succumbent. Quid ad hæc, ô Muselmanni? Verè non est quod respondeatis. Oportet hîc certi aliquid statuatis. Dicere, non esse in hoc mundo Deum, summa est amentia, & scio; vos eò impietatis non deuenisse. vester enim Caddus quotidie in emi-

Luc.5.
Ioan.7.
Ioan.12.

Christũ laudat Alcoranus.

Supplicium blasphemantium Christũ apud Turcas.

nentioribus Moſchee, hoc eſt, templorum veſtrorum locis clamat; Deus fuit ſemper, Deus erit ſemper. Sed quis eſt hic Deus niſi Chriſtus noſter? Chriſtus verus & viuus Deus eſt. Quòd ſi id verum ſit, vt dubio procul eſt, quid obſtat, quò minùs baptizemini? quò minùs Chriſtiani efficiamini? quò minùs ſpurciſſimæ illi ſectæ veſtræ, quæ (vt verum fateamur) hominibus planè indigna eſt, renuncietis? Hominibus namq; hanc ſectam veſtram indignam eſſe, ſummus ille Philoſophus & Medicus veſter Auicenna & dicere, & in Metaphyſicis ſuis ſcribere non veretur. locum ſi placeat ipſi legite. Non enim aliò reſpicit ſecta veſtra, quàm ad ea, quæ ad illecebras carnis, exteriorumque ſenſuum faciunt, quæ voluptatem Veneris & Bacchi conciliant. Chriſtus noſter hominem in omnibus & per omnia à ſenſibus & carne abſtrahit, ad altiora inuitat, facit eum ſpiritualem, vt cum Deo, qui totus ſpiritus eſt, vniat. Hinc eſt, fratres mei, quòd creuit Mahometiſmus, decreuit verò Chriſtianiſmus. maior enim pars hominū carnem ſequitur, pauciſſimi ſunt ſpirituales. Ah fratres (non enim alio vos nomine compellare debeo, Chriſtus namque author & magiſter fraternæ charitatis idipſum præcipit) fratres, inquam, mihi chariſſimi, Mahometes veſter appellat Chriſtum flatum, ſeu ſpiritum Dei; flatus verò in nobis eſt, quis negat? cùm enim flatu deſtituimur, vitam ampliùs non habemus. Et quid eſt flatus, niſi ſpiritus? Si Chriſtus ſit flatus Dei, vita Dei, ſpiritus Dei, quî fieri poteſt, vt non ſit Deus? Deus non habet in ſe quicquam à ſemetipſo diſtinctum. eſt enim ſubſtātia ſimpliciſſima; idipſum enim & Barbari noui nuper orbis inuenti profitentur. Deus non eſt corpus, non eſt caro, non oſſa. totus eſt quod eſt, partes aut membra non habet. Aut itaque Mahometes mendax eſt, aut Chriſtus verè Deus eſt. Non eſt mendax, non eſt mendax. Verum dicit, nec quicquam dixit vnquā verius. Deus totus ſpiritus eſt, Deus totus vita eſt. Chriſtus flatus Dei eſt, vita Dei eſt, & proinde Deus eſt. Sic, ſic Domini mei. Non ſunt plures Dij; Nequaquam. Vnus ſolus Deus eſt, qui fuit ſemper, qui eſt ſemper, & qui erit ſemper, vt vos loquimini. Et iſte Deus Chri-

Vnde ſit quòd Mahometiſmus accreſcat, Chriſtianiſmus decreſcat.

Mahometes fatetur Chriſtum eſſe flatum Dei.

Si flatus Dei, ergo & Deus.

ſtus eſt, qui in fine ſeculorum manens Deus humanitatis ſe noſtræ veſtiuit pallio. Non eſt hoc cõmentum Chriſtianorum. Non, non. Ipſe Chriſtus, quem vos ſanctum, bonum, & omni honore dignum creditis, apertiſſimis verbis ait; *Ego & pater vnum ſumus. Patrẽ dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo.* Ioan. 10. Ioan. 5.

Conuertimini igitur, conuertimini ad Chriſtum Muſelmanni, quia & Mahometes & Sergius Monachus, eius inſtitutor, fuere Chriſtiani, licet poſtea in hæreſin lapſi, legem cum Euangelio miſcentes, tertiam ſectam inter Iudaiſmum & Chriſtianiſmum mediam fabrificauerint. Ah quid dubitatis? quid cunctamini? cur non reſipiſcitis? Scio naturalem & genuinum Turcam, ſi interrogetur quæ ſecta poſt ſuam eſt ſanctior & melior, reſpõdere, Chriſtianã. Idipſum fatetur & Iudæus. An non magnum id argumentum eſt Chriſtianæ veritatis, quòd vos legem Iudaicam, & Iudæi ſectam Turcicam execrantur, ambo verò poſt ſuam Religionem primas partes tribuunt doctrinæ Chriſtianæ? Reſipiſcite, reſipiſcite, certi quid ſtatuite Iudæi & Turci: inter vos enim nunquam bene conueniet. cõuenite cum Chriſto, qui veriſſimum medium eſt, Iudæos, Turcas & omnes ſimul nationes cum Deo copulandi; tanquam is, qui in perſona Deus eſt cum Deo, & in natura homo eſt cum hominibus. vtq́ue hæc duo extrema conciliet, officium hominis facit apud Deum, & officium Dei apud homines. Quòd ſi vos moueant ſigna & miracula, ea tot, tantaq́ue operatus eſt in hoc mundo, vt ſi ſcripta eſſent, libros totus terrarum orbis vix caperet. Scio vos fortè dicturos, iſta miracula non eſſe vera. Eſto, ſint vt vos vultis falſa: nihilominus audite quæ dicturus ſum. Teſtor vos vt reſpondeatis mihi, fecerítne Chriſtus miracula vel non? Non fecit, ne quidem vnũ. Eſto; Videtis tamen eum tot regna, prouincias, regiones ad ſe conuertiſſe: videtis fidem illius etiamnum poſt mille quingentos quinquaginta octo annos inuiolatam permanere, cùm veſtra nondum octauum ſeculum attigerit, aut ſaltem ad finem illius nondum peruenerit; ſed & ipſi metuatis, ne vnà cum Othomannica familia ſit interitura. Veráne ſunt quæ loquor? Itaque hoc

An Chriſtus fecerit miracula.

hoc ipsum miraculum est, quo nunquã visum est præclarius; potuisse nimirum Christum tãta efficere sine miraculis, sine armis, sine potentia, sine fauore; commendando insuper ea quæ carni contrariantur, & quę cum sensibus pugnant; non obstante natura humana, quæ tota corrupta est, & inimica spiritui.

Leuate, leuate Domini Muselmanni mentes & cogitationes vestras: non hîc agitur de Regni limitibus, de mercibus, de triremibus: agitur hîc de salute vestra, de animabus vestris, de vobis ipsis. Quid prodest toti mundo dominari, si animæ tandem vestræ perpetuò sint condemnandæ, & tanquam infideles atque à Christo alienæ æterna morte mulctandæ? Nullum hîc datur medium; aut oportet vos fieri Christianos, aut oportet æternùm damnari. Vnum hoc vobis sufficere meritò debebat, publicam totius mundi vocem esse, Christum esse Deum. Non videtis in illius natiuitate tantam in vniuerso mundo fuisse pacem, quanta nec fuit, nec erit vnquam? Sed quid vobis videtur, cùm cernitis summum illum Dominum vestrum Solymannum quotidiè tot & tanta bella terra mariq́ue ad Christiani nominis exterminium (Deus illi ignoscat) gerere; tamen tam incredibili cum potentia (cui nos, vt verum fateamur, nō magis resistere possumus, quàm agnus si fero leoni obijciatur) tantum efficere non potest, vt non viuat Christus, non regnet Christus, non imperet Christus, etiam in ipsis vestris Regnis & Imperijs, tot animabus; quæ licet captiuæ vestris in manibus detineantur, pessimeq́ue habeantur (dicam quod res est) contra omnem naturalem pietatem, cùm omnes homines simus, nihilq́ue simile à nobis fiat vestris, dulce tamen illud & charum nomen Christi non negant, vel eiurant: imò tormentum omne iucundum ipsis est, quia spe infallibili quæ in illis viuit corroborãtur; quòd scilicet per Christi misericordiam tandem saluabuntur. Quòd si aliquando vnus aut alter Christum neget, centum, imò mille Turci & Iudæi agnita miserabili sua cæcitate denuo ad sanctissimam fidem nostram quotidie conuertuntur, & in illius apostatæ locum succedũt. Vtinam & Deus hoc ipsum vobis hodie largiatur, vt repudiata

ata vanitate Mahometica, quam sapientibus viris, quales non pauci inter vos sunt, manifestam esse non dubito, cùm ipse Auicenna illud non diffiteatur, charum hunc Christum, qui hodie puer est totus amabilis, amplectamini. Veniet enim tempus, quo totus erit terribilis & formidabilis, quando Iudæos, & Turcas, & nos omnes iudicabit, bonos æterna vita remunerabit, & malos æterna morte puniet. Agite ne huc frustra venisse videamini. Simeon qui erat Iudæus Christum his brachijs amplexus est, amplectimini & vos, qui Teucri estis nobilissimo creti sanguine; ostēdite nobilitatem vestram in illo: brachijs animarum vestrarum, hoc est, fide & charitate amplectendo, & salui eritis. Finem vobiscum sermocinandi facio, ad te reuertor charissima Iadera, vt hactenus, ita & deinceps attende.

TERTIA PARS.



ACCEPIT *eum in vlnas suas:*] Senex puerum, Simeon Iesum, Sacerdos Regem, Seruus Dominum. Quid? cur nō dico Lex Euangelium? primus Adam secundum? Mundus vetus mundum nouum? Hæc profectò mysteria sunt, Iadera, quæ contigerunt in hac amabili actione chari Senis. qui ex transuersis brachijs suis Crucem formans, strinxit, & in sinu conclusit, quemadmodum iam diu antè fecerat in corde & nobiliore animi sui parte, dulcem puerulum Christum Iesum semper benedictum. Lex cùm ex se vacua erat spiritu, ideoque homines in conspectu Dei suis operibus iustificare non poterat: necessariò debuit impleri, consolidari, & quasi animari, ne mundo vana & inutilis, tanquam cadauer sine anima remaneret: Ecce Christus cum Euangelio legem implet. Non legistis apud Paulum; *Misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm spiritum?* Rom.8.
Et quoties in Euangelio reperitur; *Vt impleretur quod dictum est? Quomodo implebuntur scripturæ? Non veni soluere legem, sed adimplere?* Quocirca sæpe lex appella- Matt.27.26 Matth.5.

tur

Ioan.6. tur caro, Euangelium verò ſpiritus. *Caro enim non prodeſt quicquam: ſpiritus eſt qui viuificat.* Poſtquam terrenus Adam in omnibus nobis viuat, tãquam communis ille homo, qui ſecundùm Philoſophos non eſt extra humanæ ſpeciei indiuiduũ, ſed eſt in illorum ſingulis, propter antiquum peccatum ad mortem tam corporis quàm animæ decurrens, neceſſum eſt, vt in parte exteriore & interiore denuo viuificetur. Ecce gratia Christi viuificat illum, peccatum ex anima eradendo, & corpora ad vitam à morte reſuſcitando. *Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum Christum Dominum noſtrum. Per vnum hominem mors, & per vnum hominem reſurrectio mortuorum.* Vniuerſa mundi machina tam cæleſtis quàm terreſtris, lapſa humana natura, in cuius vſum erat condita, vnà cum illa à ſua præſtantia atque excellentia decidit: adeò vt S. Paulus dixerit omnem creaturam ingemiſcere, & hominis renouationem expectare, hac ſpe, quòd & ipſa cum illo renouabitur. *Omnis creatura ingemiſcit & parturit vſque adhuc: vanitati enim ſubiecta eſt non volens, ſed propter eum qui ſubiecit eam in ſpe.* Ecce Christus reſtaurabit omnia, & ad gloriam ſuorum electorum nouum mundum, nouum cælum, terram, aquam, aërem conficiet. Non legiſtis; *Vetera tranſierunt, facta ſunt omnia noua? Ecce creo cælos nouos, & terram nouam?* Et in Paulo; *Inſtaurans in Christo & quæ in cælis, & quæ in terris?* Impleuit profectò vacuitatem gremij ſeu ſinus Simeonis Christus Ieſus, cùm in brachijs illius hærebat. Symbolum illud erat legem fore per Euangelium implendam. Dubium non eſt, quin puer in ſinu ſenis foueat ac calefaciat frigiditatem ſenij: hanc enim ob cauſam Abiſag in lectum Dauidis vocabatur. Signum hoc fuit vigoris, caloriſque vitalis, quem gratia Christi confert homini. An non videatur vobis ſpectaculum fuiſſe iucundiſſimum, videre ſanctum hunc & reuerendum Sacerdotem puerulum ad ſtuporem vſque formoſum in ſinu ſuo geſtare? illum exoſculari? illi adblandiri? Ecce ornamentum & ſingularis nouitas, quam totus mũdus à Christo eſt percepturus. O quàm pulchrè congruit myſterio figuratio Crucis in tranſuerſis brachijs Simeonis?

Homo per Chriſtum viuificatus.

Rom.7.
1 Cor.15.

Rom.8.

Mundus à Chriſto renouatus.
2 Cor.5.
Eſa.65.
Apoc.21.
Epheſ.1.

3 Reg.1.

Omnis enim virtus Christi, tam in legis impletione, quàm in hominis viuificatione, renouationeque & exornatione mundi pendet à Cruce. Crux insigne Christi est. Maximus Turcarum Imperator militaria sua insignia Luna condecorat, signum profectò suæ sectæ conuenientissimum. Luna enim terra potiùs est, quàm cælum; quare & à Philosophis terra cælestis, aut cælum terrestre nuncupatur. Christus Crucem in suis habet insignibus, quæ in firmamento est figura iuxta polum Antarcticum, quatuor constans stellis tantæ pulchritudinis, vt Poëta & Theologus noster tractum cæli, qui circa polum Arcticum est, appellet viduum, eò quòd aspectu tanti splendoris priuatus est. Dantes.

Versus Italici in Latinos Iambicos versi.

Ad dexteram versus pererro protinus
Cælum, pedibus & mente subiectum polum
Aspicio: mox quatuor mihi sese offerunt
Stellæ venustæ, nemini visæ priùs,
Nisi fortè primæuis parentibus. polus
Splendore quarum gaudet. O viduum nimis
Septentrionalem situm, tam nobili
Priuâre qui spectaculo.

Hoc Crucis signum & non aliud vobis dare volui: video enim hîc tot naues, totque triremes, vt non dubitem, quin erunt inter naucleros qui australe mare ad nouum orbem nauigârunt, atque has quatuor stellas viderunt. de quibus eadem scribunt, qui nunc viuunt, quæ olim scripsit Dantes, licet in ista regione incognitus. scribunt enim stellas istas pulchriores, splendidiores, & maiores esse nostro plaustro Septentrionali. An non diuina id dispositione factum existimatis, insigne Christi, Crucem dico, in cælo videri, & ex stellis ijsque tam splendidis figurari? Nolite ergo mirari, quòd canit Ecclesia; *Hoc signum Crucis erit in cælo, cùm Dominus ad iudicandum venerit.* Venit itaque Simeon in conspectum Christi, cum insignibus illius, Crucis symbolo insignitis: & in virtute signi illius, signi scilicet fidei, quam habebat, signi quòd Christianus magis erat quàm Iudęus, signi quòd ad nouũ pertinebat testamentum, non ad vetus, signi quòd in Cruce, non in lege gloriabatur: quòd non

operum suorum meritis, sed gratiæ Crucis confidebat; quòd iustitiam suam Cruci acceptam ferebat; quòd denique in virtute Crucis saluari volebat; in virtute, inquam, signi illius dignus factus est, qui Christum susciperet, eumque in brachijs suis portaret. O Crux, ô Crux; ô gloriosum signum Thau, ô triumphale signum victoriæ, ô resurrectio mortuorum, ô vita viuentium, ô spes desperantium. Rationi planè consentaneum erat, Sacerdotem Synagogę honorem Crucis in totius Iudęæ, quæ & Crucem & crucifixum illudit, ignominiam annunciare. Dicit enim Euangelium, quòd venit in spiritu in templum; caro enim Crucem præsentiscere non poterat. *Durus est hic sermo. Mors in olla. Non poterant bibere, eò quòd nimis essent amaræ aquæ.* Spiritus, spiritus est qui cognoscit, non aliam esse viam ad salutem hominis, præter Crucem Christi. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in eremo, sic oportet exaltari filium hominis, vt omnis qui credit in eum, non moriatur, sed habeat vitam æternam.*

Ioan. 6. 4 Reg. 4. Exod. 15. Non est alia via ad salutẽ nisi per Crucem Christi. Ioan. 3.

Sed quid sibi vult Simeonis in templum aduentus? an inanem illum & fortuitum fuisse arbitremini? Significabat templi, Sacerdotij, legis, Synagogæ, totiusque gloriæ Iudæorũ ad Crucem Christianorum translationem. Ideo Lucas appositissimè dicit, non quòd erat in templo, vbi Christus iam pręsens aderat, sed quòd venit in templum. *ET venit in spiritu in templum.*] Quis scit si fortè significet etiam Gentilitatem, quæ erat extra Christum, aliena à Christo, & à spiritu incitata Christo venienti occurrit? Iccirco senex fuisse dicitur. Gentilitas enim senex erat, & antiqua, si cum Synagoga conferas. præputium enim fuit ante circuncisionem, & Abraham credentium pater dicitur, non tam circuncisus, quàm præputiatus. O quanta mysteria.

Quid significet Simeonis aduentus in templum.

Ceterùm ne quam gaudij partem vobis occultem, erat Senex tanquam typus illius Antiqui dierum, qui filio suo istos honores, istamque magnificentiã paulatim cumulabat; *Vt in signo Crucis in nomine Iesu Christi, omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum.* Hanc ob causam dicebat Paulus; *Nos prædicamus*

Seniũ Simeonis quid significet. Philip. 2. 1. Cor. 1.

camus Iesum Christum, & hūc crucifixum. Erat antiquior sensu quàm ætate, prudentia quàm annis. erat plenus dierū, maturus virtutibus, sciētia & sapientia perfectus. hoc enim modo Scriptura sacra cùm dicit, *Plenus dierū*, est intelligēda. Quotidie Simeon magis magisque gratia & meritis implebatur, haud secus, quàm Abraham, Isaac & Iacob. non enim alioquin Christum coronā omniū senum portare meruisset. Christus in natura humana erat paruulus, at senex erat in persona diuina, atque ita virtus erat in infirmitate, Verbum in carne, senex lactabatur, & Sapientia non loquebatur. O infans Iesu, ô senex Simeon, quàm dulce iugum hoc fuit, ô Iadera? Senex puerum portabat, & puer senem regebat. Si quis vestrum, Senes, se ad infantilia siue in sensibus, siue in moribus redire sentiat, veniat veniat in templū cum Simeone, & accipiat in vlnas suas hunc Dei filium, hūc Mariæ Virginis infantulum, & admirabili quodam, grato & suaui temperamento, absque vlla violentia se sentiet iuuari, alacriorem fieri, corroborari & ædificari.

O filij hominum, hîc filius hominis, quasi mutus hærens in Simeonis brachijs vos alloquebatur, & in alto suo silētio dicebat: *Nolite paruuli effici sensibus, sed malitia paruuli estote.* Non fuit vnquam infans purior, innocentior, placabilior & amabilior Christo. sed nec tanta potest esse maturitas, sapientia, iustitia, seueritas, quanta fuit Christi, tam in primis, quàm in postremis annis. Sæpe inter nos, is qui simplex est quasi columba, sub prætextu boni ab hominibus malignis & astutis seducitur, atque in mille scelera præcipitatur. atque ita cum simplicitate sua, tanquam is qui sal prudentiæ non habet, præda fit vulpibus, de quibus dictum est illud; *Dicite vulpi illi.* Hanc ob causam in Euangelio primò dicitur; *Estote prudentes sicut serpentes*; Deinde, *Estote simplices sicut columbæ.* Scio vos nō ignorare quod scriptum est in Propheta: *Quasi columba seducta non habens cor.* Nonnunquā ediuersò, qui astutus est, astu suo non vtitur, vt caueat sibi, ne decipiatur, quo fine astutia laudatur: sed in eo totus est, vt decipiat alium, vt malum faciat, & videatur innocēs, sese excuset, alios accuset. de quibus scriptum est; *Sapientes*

1 Cor. 14.
Luc. 13.
Matth. 10.
Osee 7.
Hier. 4.

pientes sunt vt faciant mala, bene autem facere nescierunt. Non desunt qui seueri sunt, iusti, boni, ac penè sancti; sed quia ne micam quidem habent dulcedinis & affabilitatis, voluntque potiùs Angeli, quàm homines videri, fiunt acerbi, morosi & intractabiles. Huiusmodi hominibus Salomon præceptum statuit longè conuenientissimum; *Noli*, inquit, *nimium esse iustus.* Sed & Diuus Paulus eosdem quoque forsitan virga sua censoria notat, cùm dicit; *Testimonium illis perhibeo, quia zelum habent, sed non secundùm scientiam.* Omnium harum virtutum temperamentum in Christo nostro cernitur; simplicitas prudens, astutia sancta, zelus discretus, seueritas dulcis, dulcedo non absque aculeo; aculeus qui pungit, sed qui etiam delectat; delectatio quæ aliquid habet amari, amarum quod pijs hominibus omni est melle dulcius.

Eccles 7.
Rom. 10.

Ceterùm credo vos vel tandem expectare laudes & præconia sancti Simeonis, patroni & Diui vestri tutelaris, cuius patrocinio nō semel à violentia atque insidijs communium Christiani nominis hostium estis defensi. Nolo tamen illum laudare spiritu meo, quia dignus non sum. Proinde cognosco laudem meam eius meritis fore inferiorem, cùm tamen ille ne in minimo quidem, & potissimùm in æde sua, debeat defraudari. Laudabo igitur Simeonem nostrum verbis sancti Spiritus, qui vt canonizaret illum, non tibi tantùm Iadera, sed vniuerso mundo, ne sit, vt canonizetur, aliud in terra tribunal necessarium, audi quàm celebrem illi hodie panegyrin per omnes Ecclesias decantauerit.

ET ecce homo erat in Hierusalem, cui nomen Simeon. Et homo iste iustus & timoratus, expectans consolationem Israël. Et Spiritus sanctus erat in illo. Et responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi priùs videret Christū Domini. Et venit in spiritu in tēplum, & accepit eum in vlnas suas, & benedixit Deū.] Quid vobis videtur de prolixa & plena hac oratione, quam contexuit Lucas de vestro Aduocato Simeone? Sufficeret fortassis vltima ista pars, quòd Deus illū dignum iudicauit, qui tam carum amoris pignus totius nostri generis nomine acciperet, atque in sinu suo filiū summi

Encomium S. Simeonis.

Hreore

mi Patris foueret, quo contactu quis dubitat eum (etiamsi antea non fuisset) saltem tunc factum sanctissimum? Illa brachiorum Crux Senem in omnibus vitijs crucifixit, quomodo Paulus inquit; *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.* Amor iste exussit illum, amor enim ignis est: sapientia ista illuminauit eum, error enim tenebras inducit, veritas autem lucem. Hem quò me fert oratio? receptui canamus necesse est. Caro ista Christi mutauit totum Simeonem in spiritum, homo iste trãsfigurauit illum in Angelum, ne dicam in Deum. Oblitus itaque omnium rerum mundi & suijpsius quid facit: Benedicit Deum, gratias illi agit, laudat eum, vitam suam atque seipsum totũ Deo immolat, & dicit; *NVnc dimittis seruum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace.*] O Simeon, ô Simeon. Galat.5.

ET *ecce homo.*] Verè homo, vt hinc incipiamus. Quid homini tam proprium est, quàm in societate multorum viuere? Et quomodo potest homo in societate viuere, si non diligat quibus cum viuit & conuersatur? O philanthropia & humanitas. Iadera, Latini hac vna voce humanitate exprimunt formã hominis, & amorem erga homines. *ECce homo; ecce homo.*] Auarus non est homo, quia non amat, ne quidem semetipsum. Superbus non est homo, quia omnes alios homines confundit, omnibus est iniurius. Iracundus non est homo, quia nõ suffert aliorum hominum infirmitatem. Libidinosus non est homo, quia pudicitiæ honestatique aliorum insidiatur. *Ecce homo, ecce homo.* Mali & peruersi homines non sunt appellandi homines, sed bestiæ. Scitis Scripturæ loca; *Cretenses mendaces, malæ bestiæ. Pugnaui ad bestias,* vt ostenderet similes esse bestijs; *Dicite vulpi illi; Beniamin lupus rapax; Equi emissarij in fœminas; Vrsus insidians factus est mihi; Circundederunt me vituli multi. Ecce homo, ecce homo,* inquit Spiritus sanctus de Simeone. An admirationis nota *Ecce* hîc frustra, vel casu posita sit? Nequaquam. Ecce igitur homo, mirabilis homo, rarus homo, diuinus homo erat Simeon. Hoc dicere voluit Euangelista. Quo tempore incircuncisi regnabant in Iudæa, miraculum erat talem hominem Hierosoly-

Qui non sint veri homines.

Tit.1. 1 Cor.15. Luc.13. Gen.49. Hier.5. Thren.3. Psal.21.

mis inuenire. ſed Deus hunc ſingulari miraculo conſeruârat, vt filius ſuus ab homine ſecūdùm cor ſuum, ab homine ſancto, ab homine qui reuerendus erat, nō ob ſolum Sacerdotium, ſed & ob ſingulares etiam ſuas virtutes, vitamque laudabilem exciperetur & ſalutaretur. *Ecce homo, ecce homo.*

Sequitur in contextu. *ERat,*] non Fuit. *Erat, erat:* homines flagitioſi ſubitò tranſeunt, momentò pereunt, & ampliùs non inueniuntur. *Beſtia quæ fuit, nō eſt.* Qui verò bonus eſt, non fuit: Erat, eſt, erit. Primò in oculis Dei, cuius iudicium æternum eſt. Psal. 1. *Nouit Dominus viam iuſtorum.* Hier. 1. *Priuſquam formarem te, noui te. Antequam exires de ventre, ſanctificaui te.* Deinde in opinione mundi; honeſta namque fama etiam in opprobrium temporis perpetuò durat, cùm de ſceleratis Prou. 10. ſcriptum ſit, *Nomen impiorum putreſcet. ERat, erat homo.*] Præterea verbum illud indefinitum, *erat*, ſignificat conſtantiam. Qui enim præclaro illo nomine hominis dignus eſſe vult, debet idē eſſe ſemper, non mobilis; firmus, ſolidus, immotus, bene fundatus, conſtans tam in vita quàm in ſermonibus. Quid enim expectandum eſt ab illis, qui folijs ſunt leuiores, qui mouentur omni vento, qui certum viuendi modum non retinent, in quorum lingua, ita valet idem, quod non; & non, idem quod ita? quorum affirmare negare eſt, & negare viciſſim affirmare? *Erat, erat.* 2. Cor. 1. *Non fuit ſermo noſter eſt & non, ſed eſt, eſt. non, non.* Iacob. 5. Non ſunt viri, non ſunt viri qui tales ſunt, ſed fœminæ ſunt. *Ecce homo, ecce homo erat in Hieruſalem.*] quæ dictio pacis viſionem ſignificat. Ex conſtantia namque oritur pax animi & quies conſcientiæ. Qui inconſtans eſt, inquietus eſt, inſtar nauis quæ mille ventis agitatur.

HOmo cuius nomen Simeon.] De nomine hoc philoſophari, & hinc allegorias deducere, modò non fert temporis anguſtia: ſed ſufficit dixiſſe, Simeonem hunc ſolidiſſimè ſuper Chriſtum, tanquam ſuper petram, rupem, montem firmiſſimum, & æternum habitaculum fuiſſe fundatum: ideoque totus erat pacificus, imperturbatus, & imperturbabilis. Nihil præter Epheſ. 2. vnum Chriſtum meditabatur. Ecce pax. *Ipſe eſt pax noſtra,* Chriſtiani, *qui fecit vtraque vnum.* Ideo colle-

ctus

ctus in sinu Simeonis, dedit illi pacem in abundantia. *Veniat pax, requiescat* ô benedicte Senex *in cubili tuo, qui ambulasti in directione tua. Requiescat in pace, qui pacem quæsiuit, qui quæ pacis sunt sectari semper studuit.* Et quis dubitat vltima verba Simeonis, cùm pacificam exhalaret animam, fuisse; *In pace in idipsum dormiam & requiescam?* Hoc modo in omnibus suis desiderijs quietus, contentus in omnibus & per omnia, pace & gratia plenus, ad æternæ gloriæ pacem cõsequendam hinc emigrauit. O pax, ô *pax, quæ exuperat omnem sensum.* ô *in pace,* ô *in idipsum.* Esa.57. Psal.4. Philip.4.

ET homo iste iustus & timoratus.] Nolite mirari, Auditores, sinũ Simeonis fuisse thalamum & sedem Christi Domini *Anima enim iusti sedes est Dei. Iustitia & iudiciũ præparatio sedis tuæ.* Ecce iustitia; *HOmo iste iustus,* Ecce iudicium, *Et timoratus.*] Ne micam quidem iudicij habet in rebus spiritualibus, qui non est timoratus timore Domini. Nescitis timorem nasci nõ tantùm ex consideratione stricti iudicij, quod in consummatione mundi expectamus, sed & ex omni iudicio, quod secum exercet priuatim quilibet homo, dum sancta quadam, & homine Christiano digna prudentia ante extremum illum diem, ne tunc iudicetur, iudicat semetipsum, vitamque suam examinat? Quòd si se reum multorum criminum carnis & spiritûs, commissionis & omissionis, in Deum & in proximũ cognouerit, tanquam conuictus & confusus, persuadens sibi se coram Iudice constitutum, clamat & rugit; Vę mihi, væ mihi quò me vertam? perij Domine, nisi tu mihi immensa tua cum misericordia subuenias. *Iudica me Domine secundùm iustitiam tuam*; nõ meam, non meam. *Verebar, vereor, & verebor in æternum Domine omnia opera mea, sciens quia non parcis delinquenti.* O iudicium beatum, ô timorem sanctum. *Si nosmetipsos iudicaremus,* Christiani, *non vtique iudicaremur.* Non est hic timor qui præcedit iustificationẽ, de quo scriptum est; *Qui sine timore est, non potest iustificari.* Nec est timor ille, quo fruuntur beati in cælo, de quo dicitur; *Timor Domini sanctus, permanẽs in seculum seculi.* Est timor bonorum filiorum, seruorum Dei in hoc seculo, qui nec tempus habet, nec locum: semper Sinus Simeonis sedes Dei. Sap.7. Psal.88. Psal.7. Iob 9. 1 Cor.11. Triplex timor Dei. Eccli 1. Psal.18.

enim ipsi & vbique soliciti sunt ne Deum offendant, & sic semper bene operando gratiam iustificationis conseruant, imò augent & amplificant. *Finis modestiæ timor Domini. Omnis sapientia timor Dei,* inquit Scriptura. *IVstus & timoratus, iustus & timoratus.*] Priùs iustus, inde timoratus. non timens solùm, non: sed *timoratus,* hoc est, firmus, stabilitus, in diuini timoris anchora fundatus: atque adeò securè timidus, & timidè securus. Erat compositus in anima, in corpore, in verbis, in gestibus, intus & foris, ne Dominum hunc offenderet. Hæ virtutes erant Simeonis. quid vobis videtur Iaderenses? Beati eritis, si has nō tantùm admiremini, sed etiam pro viribus imitemini. Pergamus, nondum enim ad finem peruenimus.

Prou. 22. Eccli 1.

EXpectāns consolationem Israël.] Non priuatū quærebat commodum Simeon; amore boni publici & vniuersalis populi Dei totus ardebat. O nouum Hieremiam. *Hic est fratrum amator, & populi Israël: hic est qui multum orat pro populo, & pro vniuersa ciuitate sancta, Hieremias Propheta Dei. EXpectans consolationem Israël.*] Non cōsolationes, non cōsolationes, sed consolationem. Consolationes vanæ multæ sunt; consolatio vera vna sola est. *Vnam petij à Domino, hanc requiram. Vnum, vnum est necessarium.* Hæc est vnica consolatio fidelium animarum, quæ verè sunt Israëlitæ, Christus Iesus. Qui hunc non habet, huic superfluæ sunt omnes consolationes aliæ: qui hunc habet, alijs non eget. Christum igitur, fratres, Christum quo possumus desiderio quæramus. Absque Christo quotquot sumus, desolati sumus. Nemo nos potest verè consolari, nisi solus Christus. *Expectans consolationem Israël.* Ecce *Alleluia,* ecce *Alleluia.* Non vocat illum redemptionem, non iustificationem, non sanctificationem, sed consolationem, *Alleluia, Alleluia.* Non admiramini quòd sancta Romana Ecclesia die Sabbatho, quod gloriosam præcedit Resurrectionem, præueniens Christum ab inferis redeuntem, dicit sanctis Patribus; *Annuncio vobis gaudium magnum, quod est Alleluia.* Illud est *Alleluia, Consolatio Israël.* Hanc ob causam natus, hanc ob causam vixit, hāc ob causam mortuus est Christus. resuscitatus quoque est, ascendit ad cælos,

2 Mach. 15.

Vera consolatio vna est.

Psal. 26.

Luc. 10.

cælos, misit Spiritum sanctum, fundauit & dilatauit Ecclesiam, non alio fine, quàm vt sit nostra consolatio. Hoc fine regit & moderatur Ecclesiā præsentia sua propria, sed inuisibili: hoc fine gloriosus tandem reuertetur iudicaturus mundum, & consolationem allaturus.

EXpectans consolationem Israël.] Antequam Christus veniret, nihil præter lamentationes, gemitus & suspiria audiebatur. *Vsquequo obliuisceris me in finem? Vsquequo exaltabitur inimicus meus super me? Quādiu ponam cōsilia in anima mea, & dolorem in corde meo per diem? Quousque animas nostras tollis? Mitte quē missurus es.* Et quis idoneus erat ad totum mundum consolandū, nisi solus Christus? De Prophetis dicitur; *Consolatores onerosi omnes.* Hei mihi dicebat Ecclesia, *longè factus est à me consolator meus.* Ceterùm vix venerat Christus, & omnes qui erant præsentes, quique erant futuri noua consolatione impleuit. *Consolamini, cōsolamini popule meus. Nolite timere pusillus grex, cōplacuit patri vestro dare vobis Regnum. Cōsolabor vos, & scietis quia ego sum Dominus.* Sed putatis participium illud *Expectans* hoc loco frustra positū? *Expectās consolationem Israël?*] Verbum est magnæ longanimitatis. Dixerat Propheta; *Visio in longum tempus.* Et alius quidam; *Manda, remanda, expecta, reexpecta.* Omnes enim in negotio sanctæ Natiuitatis Christi erant desiderij atque amoris impatientes. Senex noster amabat vt reliqui, desiderabat vt reliqui; sed expectabat maiori cum patientia, quàm reliqui: amoris impatientia fidei certitudine refrænabatur.

Suspiria Patrum.
Psal. 12.
Ioan. 10.
Exod. 4.
Thren. 1.
Iob 16.
Esa. 40.
Luc. 12.
Ezech. 12.
Esa. 28.

ET Spiritus sanctus erat in eo.] Erat sanctus Spiritus quoque in alijs Prophetis, sed audite quid peculiare in Simeone fuerat operatus. *ET responsum acceperat à Spiritu sancto.*] Angeli ad reliquos Prophetas loquebātur, Spiritus sanctus ipse locutus erat Simeoni, & dixerat, *NOn visurum se mortem, nisi videret Christum Domini.*] Hoc oraculo fretus certus erat, securusq; se Christum Iesum filium Dei natum in hoc mundo oculis suis corporalibus visurum, antequam ad lacum infernalem cum ceteris Patribus descēderet. Iccirco sępe repetebat illud Dauidicū; *Et in verbū tuum supersperaui.* Psal. 118.

ET venit in spiritu in templum.] Videte instinctum, non naturalem, sed Spiritûs sancti, qui mouebat & regebat illum in omnibus suis operibus. Istud est summum laudum illius fastigium, habebat dona Spiritûs S. & præter virtutes tam eximias, erat hospes ipsius Spiritus sancti, qui in illo habitabat. Habebat consolationem oraculum Spiritus S. quòd (non dico non gustaret, sed) non videret saltem eminus mortem, hoc est, non experiretur dolores, qui mortem præcedunt, priusquam videret Christum incarnatum. Denique Spiritus sanctus ostendit illi Christum in spiritu suo, vt videret iam antea summam illā pulchritudinem, summam illam gratiam pueruli Iesu in sinu matris Mariæ quiescentis. Dedit illi Spiritus S. vt videret Christum prædicantem, conuersantem, opera inaudita facientem: videret conuersiones peccatorum & peccatricum, innumerabilia miracula in surdis, claudis, cæcis, dæmoniacis, & mortuis exhibita: videret Christi patientiam, quomodo in vita sua nunquam non tribulationes, angustias, & contradictiones sustineret. Ostendit illi, quomodo Pharisæi & Scribæ Christo inuiderent, eum odio prosequerētur, ad mortem postularent. Exhibuit illi Christum ligatum, captum, crucifixum, mortuum. Denique obtulit illum post tres dies gloriosè resuscitatum, & ob oculos posuit, quomodo vniuersum mundum ad se traheret, perfidam & incredulā ciuitatem Hierosolymitanam radicitus extirparet, fidem suam à mari ad mare per duodecim Apostolos propagaret; quomodo denique ex mera sua gratia, sine vllo præcedenti merito, ramorum propter radicem & stirpem misertus, etiam reliquias charissimi populi sui Israëlitici saluaret. O Simeon, Simeon: quid hæc videns dicebas: quæ mens tua, quis sensus, quę cogitatio, cùm in ictu oculi Christus in tali forma tuis oculis obijceretur? De sancto Benedicto memorię proditum est, quòd deliquiū animi passus est aliquādo raptus in ecstasin, cùm videret totum hunc mundum coram Deo præsentari. Tu qui videbas infinitos mūdos, qui videbas illum, in cuius comparatione mille mundi materiales quasi nihil sunt, quid cogitabas? quid meditabaris? quid dicebas?

Spiritus sanctus Simeoni totam vitam Christi ostēdit.

Non

Non loquebaris? contemplabaris? mirabaris? obstupescebas? O Beate Luca, cur non vel vnam saltem profundissimarum cogitationum, quæ in Reuerendi huius Pontificis animo versabantur, reuelasti? Liquefactum est sine dubio cor Senis sanctissimi: & si dicere liceat, credo illum nil aliud locutum esse, quàm hæc verba desiderij amorisque plena; *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Perpendite quæso vobiscũ, an non verisimile sit puerum Seni eminus sic respondisse; Veni, veni dilecte mi. Veni in Domini templum, Veni ad Dominum templi. *Ecce venio, & merces mea mecum est.* Cant.

Apoc.22.

In hoc igitur amoris impetu, spiritu magis quàm corpore nixus, alisque desiderij potius, quàm tibijs aut pedibus incedens, ecce in momento ad templum venit, circunspiciensque vidit ibidem oculis corporalibus, quod antea viderat in cubili & oratorio suo oculis spiritualibus. Vidit, inquam, Mariam & Iosephum portãtes Iesum, qui totum portabat mundum. O quale spectaculum. *Ecce venit desideratus cunctis gentibus*, exclamauit senex. Et cõuersus ad ministros, Sacerdotes, omnemque populum qui aderat; *Ecce*, inquit, *venit ad templum sanctum suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti quem vos vultis.* Quid illum deinceps ad totam ciuitatem sanctam dixisse arbitramini? *Adorna thalamum tuum Sion, & suscipe Regem Christum, quem Virgo concepit, Virgo peperit, Virgo post partum quem genuit adorauit.* Ad templum verò; *Quàm magna gloria domus illius nouissimæ plus quàm primæ. Ecce in loco isto dabit pacem, dicit Dominus.* Agg.2. Malach.3. Agg.2.

Raptus hoc modo in sanctis cogitationibus, de dono Dei, de tẽpore, de loco meditabatur: de dono; quod erat salus mundi; de tẽpore, quod erat plenitudo omnium temporum; de loco, qui erat Templum Dei: donum amoris plenum, tempus plenum fidei, locũ plenum spei. Interea Maria & Ioseph extendũt manus suas, vt offerant venerãdæ senectuti puerum: ipse manus suas in oratione & contemplatione ad cælum eleuatas demisit, & plenus gaudio excipiens puerum, cœpit cantare. Et quid cecinit, Domini mei? Omne quod Spi-

ritus sanctus illi dictabat, cantans exultauit, risitque tanquam denuo iuuenescens, reflorescens, renouatus.

Carmina proueniunt animo deducta sereno.

Simeō idem quod obediens. O Simeon, Simeon. Simeon idem est quod obediens, Simeon, dignus qui exaudiatur. hoc includit illud, & illud huius pars est. O Simeon tu obediuisti Deo, & ideo dignus eras à Deo exaudiri. Et cur non dico, Deus obediuit tibi? satisfecit enim voluntati tuæ, & desiderium tuum exaudiuit. Non legistis de Iosue; *Obediente Deo voci hominis!* Agite Christiani, discite obedire Deo, & Deus obediet vobis, exaudiet preces vestras, satisfaciet vestris desiderijs.

Iosu. 10.

Non suppetit nobis tantum temporis, vt canticum hoc Simeonis solidè satis, vt par est, exponam: quod sicut vltimum est ordine, ita compendium est & epilogus aliorum, vt Zachariæ, Mariæ, Angelorum, quæ ad nouum pertinent testamentum; proinde & omnium quæ veteris sunt instrumenti. Ceterùm quis vestrum est, qui non videt hanc esse cantilenam cygni morientis: cantus est suauissimus, dulce melos, grata musica; non cantus, sed merum iubilū. Ante omnia gratias agit Deo, tanquam per omnia misericordi, & patri omnis consolationis; quem precatur, vt spiritum suum vel nunc tandem è mortali corporis ergastulo educat, vitamque suam ab hoc mundo, & ab omni bello interno & externo, quo iugiter sub sole impetitur, liberet; animamque ad beatam illam æternæ pacis regionem euocet. Deinde laudat illum vt veracem, atque fidelem in suis promissionibus: vocatque illum Dominum, in testimonium fidei, quam de illius omnipotentia conceperat. Omnia hæc continentur in primo quadrati huius Cantici versiculo. *NVnc dimittis seruum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace.*] Animus qui verè gratus est, non potest silentio præterire particulares fauores & beneficia à benefactore accepta: cupit illa vel buccina toti mundo annunciare. Audi, audi; *QVia viderunt oculi mei, salutare tuum.*] Quod concupiui, iam video; quod speraui, iam teneo. Prædictum est Domine; *Videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. ECce viderunt oculi mei salutare tuum*] O quando erit dies ille, in quo dicetur;

Quæ Simeonis cantico comprehendantur.

Psal. 97.
Esa. 52.

dicetur; *Et vidit omnis caro salutare Dei?*

Sed considerandum hoc loco est, quàm gloriosus sit titulus, quem Christo hîc tribuit Simeon, vocans illum *SAlutare.*] Non est tantùm salus, non tantùm Saluator, est Salutare. vas saluris omnino plenum, ex quo saluantur omnia. Qui nihil habet in se præter saluationem, is quantum in se est, nec scit, nec potest, nec vult quicquam aliud, quàm saluare. *Domini est salus. Ego sum, & non est absque me Saluator. Saluator omnium hominum, maximè verò fidelium.* Sol non tantùm lumen est, sed & luminare: Deus non tantùm exemplum est, sed & exemplar; Christus ipsa salus est, & salutare.

Titulus Christo datus à Simeone.

Psal.3.
Esa.43.
1 Tim.4.

QVod parasti ante faciem omnium populorum.] Hæc tertia vox est, tertiumq; huius Cantici iubilum, continens beneficium vniuersale, quod tota humana natura per Christi incarnationem accepit. Non iam ampliùs homini Christus à tergo est, vt solet antea, cùm non potuit nisi eminus videri, neque inuisibilis est, vt Deus in semetipso; qui creditur, & non videtur: sed expositus est oculis nostris, ante faciem nostram constitutus est; ita vt omnes illum videre, omnes ab illo salutem (si sibijpsis non desint) sperare possint. Tu magne Deus, tu sanctissima Trinitas Christum in publico statuisti, ne quis se possit excusare. tu abstulisti velum per illum, vt omnis homo possit te cognoscere, cognitumque amare & colere.

LVmen ad reuelationem gentiũ, & gloriam plebis tuæ Israël] Notate hîc distinctas inter gentes & Iudæos gratias. Iudæis est gloria, gentibus lumen. Quæ amplior gloria posset affulgere Iudaismo, quàm quòd Christus vnigenitus Dei filius factus est Iudæus? Et per quem cęcæ gentes vnquam maius lumen in rebus diuinis perceperunt, quàm per Christum? O Saluator mundi, ô lumen gentium, ô gloria Iudæorum. Priùs tamen est lumen gentium, quàm gloria Iudæorum. Iudæi namque hanc gloriam repudiârunt, Christum occiderunt, & Christianos persecuti sunt. Omnibus tandem gentibus illuminatis, vbi plenitudo gentium introierit, Iudæi agnoscentur, & gloriam suam recipient. *Gloriam plebis tuæ Israël; gloriã plebis tuæ Israël;*

Christus Iudæis est gloria, & lumen gentibus.

miseræ

miseræ illius plebeculæ, Domine, quæ iam non cognoscit se cæcam & excæcatam esse, quæ fascinata est à Principibus, qui se nimiùm sapere præsumunt.

Quid restat Domini mei? post gratiarum pro tam regali donatione actionem, postque laudes donatoris, quas Simeon decãtauerat, supererat stipulatio instrumenti cum Maria Virgine, per cuius manus & Deus donabat, & homo accipiebat: Christus quoque & donabatur, & accipiebatur. O Virgo, ô Mater. Non te defraudabo sanctissima Regina. Tu Dei partes geris, & ego generis humani. Ecce pacta & conditiones inter Deum & nos de hoc tuo filiolo; *ECce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicetur. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.*] Hîc finis est Iaderenses. Qui tacet, consentire videtur. Ad has conditiones quantũuis duras & acerbas, Virgo ne verbum quidem respondet; fortè quia ab Angelo Gabriele horum omnium iam antè fuerat præmonita. Tu itaque à Simeon stipulatus es instrumẽtum; Iesus manet noster per gratiam, & nos omnes illius per debitum.

Verba Simeonis ad Mariam.

Vtinam largiatur nobis hodie Dominus, vt & nos aqua lachrymarum, sanguine mortificationis nostræ carnis, & diuini amoris spiritu purificemur. Quòd si tres illi modi non sufficiant, accedat quartus, ignis tribulationis in hoc seculo. Scriptum est enim, *Venit in aqua & sanguine, baptizabit in Spiritu & igne.* Hoc modo purificati digni erimus, in alio mundo, in templo illo supracælesti, ante conspectum æternæ vitæ nostræ præsentari, quemadmodum Christus hodie in corpore suo mortali in templo terrestris Hierusalem, secundùm ceremonias legis præsentatus est.

1 Ioan. 5.

Quod nobis concedat ille, qui viuit & regnat in secula seculorum. Amen.

CON-

CONCIO DE MYSTERIO SACRI CINERIS, ET DE CONVERSIONE HOMINIS AD DEVM.

Habita Romæ, in Ecclesia S. Laurentij in Damaso, Feria quarta Cinerum, Anno M.D.XLII.

MEmento homo, quia cinis es, & in cinerem reuerteris.

COnuertimini ad me in toto corde vestro.

PROOEMIVM.



VM humanæ res omnes suam habeāt vicissitudinem, ætatem, mores, inclinationes, humores & studia; qua ex varietate mundo huic nostro tanta pulchritudo & gratia tanta nascitur; æquissimū planè est, Sancta ciuitas, Sacerdotale Regnum, si hactenus super flumina Babylonis, in infinita deliciarum Romanarum abundantia, conculcans spiritum, carni vixeris, in consilio impiorum ambulaueris, in via peccatorum steteris, in cathedra pestilentiæ sederis, more alterius cuiusdam Ægypti, non sis recordata mystici illius Ioseph, cui te & omnia tua debes; vt hodie saltem ad salutare illud canticum, quod cum Propheticis verbis & sacrarum cinerum aspersione, super te canunt Angeli Domini, excitata, pulchra vicissitudine vitam tuam alternans, ex corde non simulato, & operibus non sterilibus aut infructu-

Psal. 136.
Psal. 1.
Exod. 1.

infructuosis ad Dominum tuum conuertaris.

Debitum omnis hominis postquã natus est.

Primum omnium nostrum munus & officium est, vix vt nati statim agnoscamus ex qua massa plasmati sumus: & vitã hanc, quam indigni à Deo accepimus, grati Deo reddamus; tanquam enim qui esse & viuere ab illo accepimus, non debemus velle aut esse, aut viuere nisi illi soli. Dies verò iam elapsi, & in obliuione Dei eiusque mandati traducti, sicut vmbra declinauerũt, nec possunt reuocari. quod igitur annorũ superest, saltem diuino cultui cõsecremus, atque impendamus. *Quia benignus & misericors est, & præstabilis super malitia.* Amara ac dura est carnalibus animis, qui nullum habẽt rerum diuinarum gustum aut sensum, tám subita & extrema spiritûs cõuersio, ad quam Christus hodie nos inuitat. quare morosi & murmurantes in prima hac mensa dicunt; *Mors in olla, Mors in olla.* Sed per farinam illam Helisei, quæ est gratia Dei, & per cineres quibus hodie capita vestra consperguntur, cum recordatione quòd in cinerem reuertemini, & quòd viuentes, vt vixistis hactenus, non nisi ad maius supplicium vestrum resurgetis, volentibus omnia fient facilia, suauia & iucunda; & felix erit initium huius sancti Quadragesimalis ieiunii, quod à Christo ad salutem nostram, & vt esset exemplum quod imitaremur, consecratum est. *Aue Maria.*

Psal. 101.

Ioel. 2.

4 Reg. 4.

Matth. 4.

PARS PRIMA.



INTER omnia publica festa, solennes ritus, & sacras Christianę nostræ Religionis ceremonias, etsi omnia generaliter instituta sint in vsum nostrum, & ab Ecclesia Dei per vniuersum mundum ad salutem nostram celebrẽtur; hęc ceremonia huius diei, in quo sancti & benedicti cineres, cum tam religioso apparatu in templo à Sacerdotibus ad officium Missę, in principio huius Quadragesimæ, in qua decimæ totius anni Domino Deo persoluũtur, capitibus nostris imponuntur, adiunctisque verbis nonnullis communis vitæ nostræ mortalis imbecillitas in memoriam reuocatur, hæc inquam ceremonia, meo quidem iudicio,

dictio, Auditores, tota noſtra eſt, nec alicui, quàm nobis conueniens. ideoq́ue tantò maiorem requirit diligentiam omnium, quantò vnicuique magis propria eſt & peculiaris. Quòd ſi in Eccleſia celebretur creatio mundi, gloria Angelorum, incarnatio Chriſti, Virginitas Mariæ, dignitas Apoſtolorum, mors pretioſa Sanctorum, palmæ atque triumphi Martyrum, virtus fidei, miraculorum, pœnitentiæ, Sacramentorum Eccleſiæ, aliorumq́ue myſteriorum aut Capitis noſtri, aut membrorum, beneficium certè noſtrum, & noſtra feſtiuitas eſt; eorum tamen ſimul & honos & gloria. In hoc myſterio cinerum nemo pręter nos partem aut ſocietatem vllam habet, totum & ſolum noſtrum eſt. eſt feſtiuitas noſtra, celebritas noſtra, ſpectaculum noſtrum, admonitio noſtra, documentum noſtrum, æternum totius noſtræ ſpeciei memoriale.

Solēnitas ſacrorum cinerum noſtra & non aliorum eſt.

Quæ vnquam religio ritum habuit tanta doctrina illuſtrem, quanta continetur in hoc, qui cùm tam humilis & abiectus aut vulgaris ſit, vt videtis, in ipſa tamen humilitate ſua tam ſublimis, tam excelſus eſt, vt omnem ſuperet omnis humanæ ſapiētiæ dignitatem ac præſtantiam? Ethnicorum Philoſophia antiquiſſilis temporiubs cōmenta quidem eſt, ac in lucem protulit præclaram illam ſententiam; *Cognoſce teipſum*: quæ omnibus ſeculis apud omnes nationes tanto in pretio fuit, vt litteris aureis ſcriberetur, & templi illius Apollinis, tota Græcia celeberrimi, portis affigeretur. Ceterùm hæc ſententia nudis tantùm verbis monet hominem, vt ſe cognoſcat: ſed nondum dicit, quid homo ſit. Inuitat ad quærendum, non monſtrat iter ad inueniendum. Proponit dubium, ſed non reſoluit illud. Docet interrogandum eſſe, ſed non docet quomodo ad interrogationem eſt reſpōdendum. Prophetę legis antiquæ paulò plus profecerāt; *Sciant Gentes*, ait Dauid, *quoniam homines ſunt*. Sciant ſtolidæ & cæcę gentes, quòd ſųnt homines, non Dij, non beſtiæ, ſed beſtijs ſuperiores, & Deo inferiores. Non igitur vileſcant cum beſtijs, nec contra Deum inſoleſcant. Rara profectò doctrina, & vtiliſſimum cōſilium. Sed nondum monſtrat, niſi eminus originem, ſtatum, principium, curſum & exitum noſtræ naturæ. Hæc verò

Vtilis doctrina in cinerū ceremonia continetur.

Pſal. 9.

verò efficacissima verba, quibus hodie vtitur Ecclesia, cum aspersione cinerum, hæc admonitio tam perspicua, quæ manu capiti imprimitur; *MEmento homo, quia cinis es, & in cinerem reuerteris,*] à capite ad pedes hominem detegit, docet singillatim, & distinctè oculis nostris exponit, & confirmat, quis sit status noster, quæ nostra substantia, quæ nostræ vitæ qualitas. O doctrinam salutarem, ô fructuosam recordationem, dignã sanè non Philosophis, non Prophetis, sed Christo, omnis Philosophię authori, omniumque Prophetarum fini. Et quam vtiliorem, quamque magis toti humano generi necessariam doctrinam tradere potuisset Dominus, hac? cuius beneficio scire atque intelligere possumus, vnde venimus, & quò tendimus: vt illud non ignorantibus absque vllo dubio & errore perspectum nobis sit, in quo spem nostram collocare, omnem amorem nostrum, nostrũ thesaurum, & cor nostrum qua in re firmare debeamus. Non potest nauigationis cursum absque naufragio perficere, qui errans in mari fluctuat, nec scit quem in portum nauis sit dirigenda. Vita hæc mare est, & multò mari periculosior; omnes nauigamus, & qui ventum habent in puppi, & in prora. Qui verò non est memor verborum, quæ hodie in Ecclesijs denunciantur, qui non recordatur, quòd cinis est, & in cinerem reuertetur, certus is sit, quòd chartam nauticam, vel acum amisit, stellæ & poli oblitus portum intrare non poterit, & forsitan æternùm peribit.

Genes. 3.

Vita nostra mare est.

MEmẽto homo, quia cinis es, & in cinerem reuerteris.] *Memorare nouissima tua,* inquit Scriptura, *& in æternum non peccabis.* Sunt autem hæc nouissima & extrema, mors, iudicium, & pœna inferni. Mors est terribilis, iudicium horrendum, pœna inferni intolerabilis. Si hæc tria aut semper, aut sæpe cogitaueris, nunquam peccabis: aut si peccaueris, non semper peccabis, sed ad tempus, & citò resipisces. resurgens ambulabis cautiùs, & pœnitentiam de peccatis commissis facies. Pauo cùm vndequaque se, suamque pulchritudinem aspexerit, & sibi ipsi placens fastu quodam inambulat, pennas erigens, & superbam illam rotam explicans, mox vt deorsum pedes intuetur, qui deformes valde sunt,

Eccli 7.

Memoria nouissimorum remediũ contra peccata.

Vana gloria hominis similis pauonis.

sunt, sibi denuo vilescit, erubescitque & actutum pennas demittit, vocemque edit doloris, stridorisque plenam. O homo, qui superbior, gloriosior & fastuosior es omni pauone, postquam potentiam, vires, diuitias, pulchritudinem, sapiētiam & honores tuos bene consideraueris, intuere pedes, intuere pedes. *Sordes eius in pedibus eius, nec recordata est finis sui*, ait Propheta. Ad finem, ad finem, ad mortem, ad mortem oculos vertite Christiani, & emittetis vlulatū vsque ad cælum, gemetis ex toto corde, pœnitentiam agentes pro peccatis vestris. Vide extremum, vide finem vitæ tuæ ô homo: memento quòd in cinerem redigeris, & humiliaberis. *Quid superbis terra & cinis? MEmento, memento quia cinis es, & in cinerem reuerteris.*] Viue tanquam mortalis, & mortuus gaudebis vita immortali. Qui viuit in hac vita tanquam nunquam moriturus, quando moritur, sic moritur, vt in futura vita nunquam reuiuiscat. Pollicentur Poëtæ magnatibus, se versibus suis illis famę immortalitatem cōciliaturos, canunt inter lauros & hæderas suas, fingunt inter nugas & fabulas suas hanc æternitatem, quam cùm ipsi nusquam inuenerint, quomodo conferent alijs? & quæ tandem vtilitas vobis erit, si ab Oratoribus & Poëtis laudibus extollamini & decantemini? Nunquid illi quondam suis versibus celebrârunt cicadas Tithoni, ranas Lyciæ, & formicas Myrmidonum? Perditissimus ille Sardanapalus, & Nero impius, vterque mundi monstrū, vterque telluris inutile pondus, an non vanis & perniciosis Poëtarum & Oratorum adulationibus, figmentisque in cælum vsque elatus sit? Ceterùm dicite mihi quæso, sit immortalis fama vestra, an iccirco non moriemini? an non ossa arida, terra putrida, & cinis eritis extinctus? O singularem stultitiam; illi qui mortui sunt, illi qui moriuntur quotidie, illi quorum nomen vnà cum ipsis exiguo tempore æterna sepelitur obliuione, audent sibi vitam polliceri longam, &, quod multò intolerabilius est, æternam immortalitatem? Ignorantia vulgi nomen alicuius seculi, nomen appellat æternum & immortale: veritas autem religionis non agnoscit aliam vitam æternam & immortalem, præter eam

Thren. 1.

Eccli 10.

Fabulosa æternitas quā promittūt Poëtæ & Oratores.

Homerus in Batrachomyomachia.

Ouid. lib. 7. Metam.

Vita cælestis sola immortalis.

quæ est in cælo, quæ bonis operibus comparatur. Quæ verò deorsum in terris est, instabilis est, incerta est, tempori subiecta est, ideoque & morti subijcitur. *Omnia orta occidunt, & aucta senescunt. nihil stabile sub sole. Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.*

Eccles 1.

MEmento, memento quia cinis es, & in cinerem reuerteris.] Vrbes euertuntur, gentes pereunt, Regna & imperia mutantur, & tu homo te immortalem fore arbitraris? Babylonia superba, Carthago Romani semper æmula Imperij, perijt non vno letho: Athenæ vbi floruerunt omnium omnia disciplinarum genera, Thebæ, Corinthus, Argos, quantis laudibus à priscis illis scriptoribus decantatæ sunt? ambitiosè hodie quæruntur, nec inueniuntur in suo solo. Pyramides, Colossi, Obelisci, Porticus, Lyceum & Academia vbi sunt? Quid de Troia vrbe, Regnoque celeberrimo dicam? *Fuit Ilium, & ingens Gloria Dardanidum. At nunc seges est vbi Troia fuit.* In tua illa cadauera, Roma, in ignobiles tuas ruinas ingredere, effode & considera statuas, arcus, colūnas, omnia ædificia tua, quæ quandam adhuc antiquitatis speciem referūt, quid tandem inuenies, quod verisimile erit ætate Cæsaris aut factū esse, aut constitisse? Tempus, ætas, annorum multitudo consumpsit & consumit omnia. Nolite immortale dicere, quod multos annos perdurat: sed immortale est, quod nunquam moritur aut occidit. Immortale non est, etiamsi quinquaginta annorum millibus non deficiat, aut pereat. quid enim centum annorum millia sunt, si cum ipso semper, cum æternitate, cum immortalitate conferantur? *Mille anni tanquam dies hesterna, quæ præterijt.* Centum igitur annorum millia sunt, quasi dies centum, quæ transierunt. Ah quæ quæso est immortalitas trium mensium?

Omniū creaturarum instabilitas.

Virgilius.

Quid sit immortalitas.

Psal. 89.

Quæ est illa magnitudo mūdi, qui tot seculis constitit, & adhuc consistit? Nondum septem annorum millia sunt, cùm primùm creatus est, & vides quot vicissitudinibus, mutationibusque obnoxius sit, semperque fuerit. Assyrij postquam mille quadringentis quinquaginta annis regnassent, à Medis expugnati sunt. Medi ducentis annis dominati sunt in Asia, sed à Persis postea pulsi sunt; Persæ postquam in Asiæ & Europæ

Mutationes factæ in mūdo.

Europæ non contemnenda parte rerum potiti essent, post idem ferè annorum spatium euanuerunt. Athenienses, qui cum libera sua ciuitate omnem oram maritimam, quæ est inter Pontum Euxinum & mare Pamphylium, sibi subiecerunt, minori quàm septem annorum spatio à Lacedæmonijs victi sunt. Lacedæmonij postquam suo imperio Pelopōnesum quoque & totam Græciam adiunxissent, post annos triginta domiti, & à Thebanis extincti sunt. Thebani cùm imperio etiā latiori non multò diutius gauisi essent, à Macedonijs tandem oppressi sunt. Alexander Macedo, qui inani titulo Magnus cognominatur, posteaquam domuisset Illyricos, Triballos, Bœotiam, Thraciam, Dacos, Spartanos, Thessaliam, Achaiam, Pelopōnesum, Ioniam, Lydiam, Cariam, Lyciam, Paphlagoniam, Cappadociam, Phœniciam, Pamphyliam, Syriam maiorem, Armeniam minorem, Persiam, Mediam, Bactrianos, Tauros, Ægyptios, Hyrcanos & Iudos, cùm tot gentes, tantaque imperia subiugasset, tot montes superasset, tot fluuios tranasset, tot maria nauigasset, tot deserta, inuia & inaccessa loca penetrasset; cùm adhuc inhiaret, bellumque cogitatione sua machinaretur infinitis illis mundis, quos somniabat Democritus, tandem infirmatus est, & mortuus; vt alij homines, sine vlla prærogatiua. Fingebatur filius Iouis, sed mors eum filium hominis ostendit, & cuius excelso, magnoque animo tot mundi non sufficiebant, is exiguo, angustoque tumulo conclusus est. O cæcam superbiam, ô vanissimam hominum vanitatem; ô stulta consilia nostra, ô inanes nostras cogitationes. *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt, quoniam vanæ sunt.* Prætereo Magnum illum Pompeium tuum, nihil dicam de Tyrijs, Sicyonijs, Creta & reliqua Græcia; non referam Gothos, qui toties tanto cum furore Romam hanc vestrā diruerunt, qui ad extremos vsq; orbis terrarū terminos pomœria sua extenderūt, quorum Imperio Sol maius non vidit vnquam. Sed attollite mecum, & circunferte oculos mentis, & percurrite singulas ætates præteritas: Ante Pontifices tuos, Roma, fuerunt Imperatores Ethnici, ante Imperatores Cōsules, ante Cōsules Reges Romanorum,

Magnitudo Alexandri.

Psal. 93.

Omnia in cinerem resoluuntur.

norum, Albanorum, Latinorum. Ante Reges Aborigines, & Arcades; ante Arcades Oenotrij & Indigetes; ante Indigetes Morgetij, quorum prima & extrema in nostris historijs est memoria. Istis tot ætatibus quàm multæ hominum myriades in hoc mundo vixerunt, qui si adhuc nobiscum superessent, quæ regio capiendis illis satis foret? quæ tellus alendis? etiam fluminum ripas & agros qui coluntur omnes implerent. Ah omnes illos deuorauit terra, omnes absorbuit terra, omnes glutiuit terra, omnes in puluerem & cinerem conuertit.

MEmēto homo, quia cinis es, & in cinerem reuerteris.] Vbi sunt bellicosi milites & duces, qui tanta cum laude toties cum hostibus pugnarunt? tot Reges vicerūt & subiugarunt? tam ampla spolia victores reportarūt? toties in tuo illo Capitollo triumphârūt? Puluis sunt & cinis. Vbi sunt tot Sapientes, tot Philosophi, tot Poëtę, tot Oratores, qui tot sciētias, artes & studia Gręcis, Latinis & Barbaris tradiderunt? Puluis sunt & cinis. Vbi sunt tot Principes, Reges & Tyranni, qui ciuitates, arces, templa, publicas vias, turres, statuas, Acądemias & theatra condiderunt? Puluis sunt & cinis. Vbi sunt tot populi, qui hanc vrbem, hos colles, hæc campestria quondam habitârunt? qui in his thermis sudârunt & loti sunt? qui flumen hoc nauigârunt, qui in hoc circo & Agone certârunt? qui has plateas calcârunt? qui hoc Vaticano vsi sunt? Puluis sunt & cinis.

MEmento homo, quia cinis es, & in cinerē reuerteris.] Domini & serui, principes & subditi, diuites & pauperes, viri & fœminæ, iuuenes & senes omnes sine vlla differentia & ordine, vnus post alium, vnus cum alio, vnus alij permixtus, & simul confusus, occlusis oculis inconsideratè, longo, densoque examine communem hanc & patentem omni carni viam, quæ mors est, ambulant. Mihi quidem, Auditores, duellum quoddam, perpetuumque & irrecōciliabile bellum inter hos duos magnos Principes, Mortem & Naturā, esse videtur. Quotquot fœcunda in hanc vitalem effundit lucem Natura, tot sua falce Mors demetit & interimi. Et quantò diligentior est Natura in hominibus, cùm nati sunt,

Magnum duellum inter mortem & naturam.

ti sunt, educandis, tantò econtra crudelis ista Mors in mari, in terra, in omni loco illis insidiatur potentiùs, & importuna falce sua eos persequitur, inuadit, occidit, sepelit, & in cineres conuertit. Venatio est, Roma, hæc, quam mors omnibus hominibus mouet persecutio. Nunc nostrî quoque venatio est, & quando ineluctabilis præfixusque dies aderit, (quis scit an hodiernus erit) eius retia & plagas effugere non poterimus. prosternet nos, occidet nos, & carnes nostras tot delicijs, Domini mei, tot delicijs educatas & saginatas, postquam mille fercula vermibus præbuerunt, tãdem resoluet, atque vt aliorum corpora in cineres conuertet.

Venatio mortis.

MEmento, memento homo, quia cinis es, & in cinerem reuerteris.] Non credis, non credis mihi? abi, abi & scrutare maiorũ tuorum sepulchra, vrnas parentum, tumulos Principum, busta Regum, monumenta Imperatorum, cœmiteria Pontificum, quid inuenies aliud quàm cineres? In hoc sancto Campo, vbi tãti conspiciuntur tumuli ossium aridorum & cadauerum omni carne nudatorum, non aliter atque in campo illo Ezechielis, circunspice, circunfer oculos, vide & intuere, si quid aliud cõspexeris, quàm pulueres, quàm cineres? Ah Roma, Democritus sæpe inter sepulchra deambulare consueuit, vt fieret Philosophus: vera enim Philosophia mortis est meditatio; tu qui in Christiana sapientia, omnibus alijs Philosophijs sublimiori, institutus es, si non velis inter sepulchra deambulare, cur non saltẽ in tanta ossiũ congerie, quam tibi miseria nostra reliquit, vt memoriã finis tui perpetuò tibi proponeret, te non aliquando mortificas? Ah quomodo fieri potest, vt si quando huiusmodi loca visites, vel aliquali spiritu pietatis afflatus ad cadauera venias, non subsistas, non medius inter ipsa ossa stes, oculos in aliquod eorum conijcias? non admireris & obstupescas? non manus iungas & labra premas, tecumque meditabundus & attonitus multa cogites, omnia præterita mẽte voluas, plenusque spiritu compunctionis tandem erumpas & dicas; Ecce genua & pedes, qui tanta itinerum spatia confecerunt; ecce manus, quæ tot, tamque admiranda operatæ sunt; ecce

Ezech. 37.

Vtilitas ex visitatione locorũ vbi ossa mortuorum seruantur.

caput, in quo tanta erat sapientia recondita, quod tot res antiquas meminerat, tot nouas inuenit? Miserum me, ecce omnia hæc paulò pòst cinis & puluis erunt. Cùm deinde transieris, & ab hoc spectaculo recesseris, quomodo non totus attonitus, extra temetipsum positus, humiliatus & mortificatus, alijs desiderijs, quàm quæ huius mundi sunt, inflammaris? Quòd si amicus tuus tibi in via occurrat, quomodo fieri potest, vt non statim corripiat te pia meditatio? vt non confestim cogites; O amice mihi chare, ô dilecte, ista tua frons, iste tuus vultus, isti tui oculi, ista tua crura & femora, ista tua brachia, istud tuum corpus (ô miserã & infelicem hominum sortem) post exiguum momenti spatium, per omnia erit simile his, quæ modò in sancto illo Campo cõspexi. Christiane & Christiana, si non cogitaueris te moriturum, & in cineres (quod alijs hominibus euenisse vides) conuertendum, stultus es & insipiens: si cogites, & vitam, moresque non emendes, impius es, & fortè nulla salutis tuæ spes superest. Qui enim vel modico Christi spiritu afflatus est, secumque sæpe meditatur se moriturum, contemnit omnia præsentia, & ad futura tantùm aspirat. Viuat quis annos Nestoris, Pandoræ, Enoch, Lamech, Adæ, Noë & Mathusalem, tandem hæc via calcanda est. Illud commune tributum est, à quo nec mulier, nec vir immunis erit vnquã. Hæc est lex immutabilis, omni scilicet homini nato semel moriendum esse. Non nascatur, qui non vult mori. *Statutum est hominibus semel mori.* Heu quid quæso causæ est, vt cùm omnia quæ sub cælo sunt, & in terra, & in mari, & in aëre, herbæ, plantæ, bestiæ, morti subijciantur, solus tamen homo miserum illud nomen habeat, vt mortalis appelletur? Non audis Dauidem, *Vos autem sicut homines moriemini?* Ego profectò non aliam huius rei causam esse existimo, quàm quòd alia omnia certum interitus sui tempus habeãt præfixum: homo verò vix natus, mori iam incipiat, & nhil adeò proprium sit homini, quàm esse mortalem. Siue dormiat, siue vigilet, siue sedeat, siue ambulet, in omni loco & tempore semper morti, imò mille mortis generibus obnoxius est. Quot nimio dolore mortui sunt? quot nimio terrore? quot ferrum,

[Margin: Vtilitas ex memoria mortis.]

[Margin: Heb. 9.]

[Margin: Cur solus homo dicatur mortalis.]

[Margin: Psal. 81.]

rum, quot venenum, quot infirmitas extinxit? quot fulgura percuſſerunt? quot alijs accidentibus malis perierunt? Sophocles, Dionyſius, Chilo Lacedæmonius an non gaudio immoderato expirârunt? O verè mortalem hominē, qui ne in gaudio (quod ferè ſemper vitam ſolet conſeruare & producere) à morte ſecurus eſt. Non eſt niſi vna via arcta & anguſta valde, per quam omnes in hanc vitam proficiſcimur: infinitæ verò, patētes & ſpatioſæ ſunt ſemitæ, per quas in præcipitiū mortis deducimur. per omnia & ſingula corporis membra, imò in ſingulis membrorum articulis inuenit ſibi mors viam & portam, qua ingreditur ad nos, vitamque tollit, & hominem interficit. In inſulis Fortunatis, quæ ab Atlantici maris fluctibus lambuntur & alluūtur; in vltimis Æthiopum terminis, vbi populi habitant, qui à longitudine vitæ appellantur Macrobii, fortè quis vitam viuere poterit diuturniorem; ſed quæ patria aut quis locus, Paradiſo terreſtri excepto (vnde Adamus expulſus eſt, qui ibidem ſemper vixiſſet, donec in cælum tranſlatus fuiſſet) in hoc mundo reperitur, vbi quis mortis falcem poterit euitare? Et quid proderit vixiſſe diu, ſi vixeritis malè? quantò optatius eſſet vobis eueniſſe, quod filijs Cadmi euenit, qui eadem hora qua naſcebantur, occiderunt. Mementote, mementote quòd moriemini.

Vna via eſt qua homo venit ad vitam, multę quibus ad mortem rapitur.

Non eſt locus vbi quis tutus eſt à morte.

Ah quis mihi det vt paulò maiorem apud vos habeam authoritatem? vt mutare cum Apoſtolo poſſem vocem & de hoc ſuggeſtu altiùs intonare? Quomodo fieri poteſt vt tam cæci ſitis & inconſiderati, quòd videntes, imò manibus palpantes confeſtim vos mundum hūc relicturos, omnem tamen operam veſtram, omne ſtudium veſtrum, omnem diligētiam veſtram in huius ſeculi negotijs collocatis? Conſtruitis palatia, quæ forſitan ab hominibus incognitis, fortè & ab inimicis veſtris inhabitabuntur: ſpem veſtram in filijs & nepotibus veſtris ponitis, qui fortè cum maximo veſtro dolore ante vos morientur: comparatis vobis vineas, agros, & hortos, ambitis honores, dignitates, & magna officia, vt in delicijs Romanis viuatis; & fortè antequam ad poſſeſſionem perueneritis, moriemini, & hęc omnia in fiſcum Cameræ redigentur.

Gal. 4.

Vana ſpes quam homines ſibi fingunt in hoc mundo.

In terram igitur oculos habes defixos, ô homo mundane, qui omnino in terram reuerteris. Ego autem dicam verbum hoc; *Terra, terra, terra audi verbum Dei.* Hoc est verbum Dei, ô Roma, terra fuisti, de terra viuis, & in terram reuerteris. *MEmento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.*] Coge pecuniæ quantum voles; bonis aliorum inuola; exuge & bibe sanguinem pauperũ. quid tandem facies? quid facies? Claude manus, absconde loculos, obserata sit arca, defodiatur argentum, sepeliantur tua cimelia, omnem adhibe curam & diligentiam, ne quid tibi surripiatur, ne quid pereat, tandem quomodo tueberis? quomodo tecum hinc auferes? Nudus natus es, & nudus ante tribunal Christi sisteris. Atque vtinam Deus det, vt nudus horrendo illi iudicio sistaris, & non mille peccatis inuolutus. Age igitur, memento, memẽto quòd morieris; & ne metuas tunc, potiùs metue nunc.

Hier. 22.

Qui non vult mortem timere, semper memor sit mortis: continua namque meditatione fiet tibi familiaris, venietque expectata, non improuisa. Philosophi semper mortis recordabantur, Christiani verò nunquam recordabũtur? Cùm moritur amicus, plangitis & doletis, piaque sympathia mouemini: & vos ipsos non plangitis aut defletis, qui non ignoratis vos morituros, & nescitis quando? nec mundus vniuersus aliquem de vita vnius diei, vnius horæ, vnius oculi ictûs potest reddere securum. Ite, ite nunc viri & fœminæ mundo immersæ, & sic viuite in hoc seculo, quasi nunquam essetis morituræ. Hæc tua magnificentia, ô homo, hi tui honores, hæc tua officia, hi tui thesauri quos corrasisti ab omni populo, ex omni quæstu & lucro, cum damno, iniuria & calamitate proximi; fraudulentus socijs, insidiosus amicis, iniurius vicinis, violentus externis, crudelis pauperibus, impius parentibus, pirata in mari, grassator in agris, latro in siluis, sicarius in ciuitate; non poterunt te à mortis spiculo defendere, nec in vita conseruare. Velis nolis, oportet vt moriaris.

Memoria mortis vtilis.

Heu quantò satius esset te piæ matris tuæ verbis obtemperasse, verbis inquam illis, quibus hodie vtitur, admonens te, vt de morte solicitus memineris te

cine-

cinerem esse, & in cinerem reuersurũ? Sit quantunuis tarda mors, celerior tamen erit quàm existimas: non lento pede transeunt, sed fugiunt, currunt, volant anni nostri. O iustas lachrymas illius magni Xerxis, qui Hellespõtiaca stans specula, vidensque immensam innumerabilis sui exercitûs multitudinẽ, cœpit lachrymari, cogitans post centum annos ex tanta multitudine hominem vnum non fore superstitem. Nescis Philosophum quendam interrogatum, quid esset homo, postquam aliquamdiu secum deliberasset, nõ inuenisse quod responderet elegantius, & verius, quàm; Hominem esse viatorem, qui semper currit & properat; nunquam nec de die, nec de nocte quiescit: accelerat quàm maximè potest, singulis horis auget passus, sudans, anhelansque, vt tandem ad mortem perueniat? O vita, non iam vita, sed mors. Tempus quo vixistis non est ampliùs in vita, non enim iam viuit vestra infantia, non viuit pueritia: illud verò quod superest, quo viuetis adhuc, nondum viuit. non enim secura, non certa est senectus vestra. illud verò quo viuitis, quod præsens est, tam breue, tam fugax est, vt circunscribi nequeat, nec partes habet nec terminos, instans est, momentum est, ictus oculi est. Quid? an non videatur vobis vita hæc nostra potiùs mors vitalis, quàm vita mortalis appellãda? hoc est, vera mors, non vmbra mortis: vmbra vitæ, non vera vita? Ait enim Dauid; *Verumtamen in imagine pertransit homo?* Optimè dixit imaginem, Romani: Imago namque Cæsaris, non est ipse Cæsar, & imago vitæ non est vita. *Vniuersa vanitas omnis homo viuens, & substantia mea tanquam nihilum ante te.* Imaginare exiguã scintillulã ignis, quæ in cubiculo tuo media nocte, cùm omne lumen extinctum est, lucet in illis tenebris: quidquid iuxtà, antè, vel retro positum est, obscurum est & tenebrosum; ipsa sola parum luminis habet. sed & oppidò ipsa quoque extinguitur. Illud, illud nostræ vitæ symbolum est. à fronte & à tergo, à sinistris & à dextris tenebræ mortis nos inuoluunt: momentum solùm, & ipsum præsens exiguum lucis huius vitæ habet; sed & illud ipsum in potestate & in arbitrio mortis est. Vos nihilominus cogitatis cogitationes ve-

Quid sit homo.

Psal. 38.

Symbolum nostræ vitæ.

ſtras, ordimini, machinamini & tractatis mercaturas, negotiationes, ædificia, bella, cōiugia, diuitias, honores, voluptates. *Hodie faciemus hoc, & cras faciemus illud*; nec vnquam dicitis; Si vixerimus, ſi Deo placuerit: non aliter atque ſi certum futuræ vitæ pignus haberetis. O miſeri & infelices. Audite B. Iacobum, vos virga cenſoria notantem: *Agite nunc, qui dicitis, Hodie aut craſtino ibimus in illam ciuitatē, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur & lucrū faciemus, (qui ignoratis, quid erit in craſtino. Quæ eſt enim vita veſtra? Vapor eſt ad modicum parens & deinceps exterminabitur) pro eo vt dicatis; Si Dominus voluerit, & ſi vixerimus, faciemus hoc vel illud.*

Iacob. 4.

O Romani, quid eſt vita veſtra, cui tantoperè confiditis? eſt quid aliud quàm vapor, qui calida virtute Solis ex humiditate terræ ſurſum tollitur & exhalat, qui cùm ſit tenuis & rariſſimæ ſubſtantiæ, facilè corpori, à quo circundatur, cedit, & reſoluitur, haud aliter quàm modicum humoris, cùm in aquam conijcitur? Ignoras Græcum illum Philoſophum vitam hominis comparare ſolitum animalculo, quod apud Hypanum fluuium naſcēs Ephemeron appellatur, & eodem quo naſcitur die interit? Alij vitam noſtrā compararunt puncto, alij ſtupæ ardentis flammæ, alij bullæ aquis innatanti, alij fœno, alii herbæ, alii flori. Sunt qui vmbræ; & alij qui ſomno ſimilem dixerunt: Pindarus verò vmbrę ſomnio. Quid vanius eſt ſomno, quid vicinius eſt nihilo vmbra? Perpendite igitur quid ſit vita noſtra, quæ vmbræ ſomnio aſſimilatur? Mementote igitur, mementote Chriſtiani, quæ ſit veſtra fragilitas. in hunc enim finem (vt principium orationis noſtræ concludam) in hunc dico, & nō in alium finem, hodie hac Cinerum ſanctōrum ceremonia vtitur Eccleſia. *MEmento homo, quia cinis es, & in cinerem reuerteris.*]

Quibus vita noſtra comparetur.

Ariſt. lib. 5. Animal.

Eſa. 40.

Ratio ceremoniæ cinerum.

Huius rei memor erat B. Iob, cùm diceret: *Comparatus ſum luto, & aſſimilatus ſum fauillæ & cineri.* Et pariter noſter Abraham, qui cum Deo locuturus, totus ſibi ipſi vilis factus & humilis; *Loquar*, ait, *ad Dominum Deum meum, cùm ſim puluis & cinis.* Huius recordata eſt Regina Heſter, quæ in illo extremo populi ſui periculo

Iob 30.

Geneſ. 18.

Heſt. 14.

ſulo loco vnguenti cinere ſeſe conſperſit. Nec immemor fuit Iudith, quæ accingens ſe magnæ illi aduerſus Holofernem expeditioni, ingreſſa oratorium ſuũ, cilicio carnem cooperuit, poſuitque cinerem ſuper caput ſuum. Nónne didiciſtis, ô Docti, in antiqua lege ſymbolum & indicium mortificationis, humilitatis atque pœnitentiæ ſemper fuiſſe aſperſionem cineris, ſedere in cinere, loqui de cinere? Iob dicit; *Ago pœnitentiam in fauilla & cinere. Operui cinere carnem meam.* Hieremias clamat; *Filia populi mei accingere cilicio, conſpergere cinere. Vlulate paſtores, & clamate: & aſpergite vos cinere optimates gregis.* Dauid de ſeipſo teſtatur; *Cinerem* inquiens *tanquam panem manducabam, & poculum meum cum fletu miſcebam.* Rex ille Niniuitarum, ad concionem Ionæ ſurrexit de ſolio ſuo, & abiecit veſtimentum ſuum. & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere. In ruina ciuitatis ſanctæ legitur; *Conſperſerunt cinere capita ſua virgines Hieruſalem.* Chriſtus denique in Euangelio de Tyrijs & Sidonijs dicit; *Olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent.* Euge igitur, ô Roma mihi chariſſima, ab his ſanctis cineribus, quibus hodie à Sacerdotibus aſperſa es, diſce te humiliare, conuerti, & peccatorum tuorum pœnitentiam agere.

Iudith 9.
Aſperſio cinerum quid ſignificet in ſacris litteris.
Iob 41.
Iob 16.
Hier. 6.
Hier. 25.
Pſal. 101.
Ion. 3.
Thren. 2.
Matth. 11.

Cinis in aquam coniectus lixiuium efficit, quo veſtes lauantur: ſub cinere ſepelitur & cõſeruatur ignis. cinis occulta quadam naturæ virtute efficaciã habet, vt acrimonia ſua rodat carnes. Hæc, hæc meditatio quòd eſtis cinis, quòd eſtis mortales, miſceatur aqua pœnitentiæ, & lachrymis contritionis, fiatque lixiuium. & ſi cineres vitulę rufę potuerint in Moyſe immunditias carnis abluere, multò efficaciùs poterunt cineres hominis in Chriſto maculas animarum abluere, animasque ipſas perpurgare. Iſti cineres conſeruabunt ignem diuini amoris, carnem carnaliũ voluptatum arrodent. O beatam meditationem horum cinerum. Quando arbor Euangelica multis iam annis nullos fructus produxerat, paterfamilias excindi voluit tanquam inutilem & indignam quam tellus nutriret. *Succide illam, vt quid enim terram occupat?* At pius Agricola pro illa cœpit intercedere, & rogare; *Dimitte illam vſque dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora.*

Vtilitas cinerum, & eorũ proprietas.
Heb. 9.
Luc. 13.

cora. Ego vos esse hanc arborem, Auditores, existimo. Homo enim est arbor inuersa. Nescitis illud? facti estis infructuosi. Tu sanè, Roma, quæ alijs vrbibus exemplo pietatis esse debebas, peior es omnibus alijs; abundas nudarum ceremoniarum folijs, vacua es & inanis bonorum operũ fructibus. Iccirco dulcis Iesus videns iram patris in te accēsam, hodie per manus suorum Sacerdotum mittit circa radices tuas nonnulla stercora, vt impinguet, & fructuosam te efficiat, hoc est stercus cineris, & memoriam mortis mittit in capita vestra, quæ radices vestræ sunt. Arbores habent radicem deorsum in terris fixam, homo radicem sursum ad cælum mittit. Vtinam det Deus, vt sanctum hoc mysterium, sicut est dogmaticum ad eruditionem, ita sit salutare ad vestram conuersionem. Respiremus paulisper, & præparate vos ad attentionem.

Cur cineres in caput mittuntur.

SECVNDA PARS.



ICET *is qui foris est noster homo, corrumpatur: tamē is qui intus est renouatur de die in diem:* Verba sunt Pauli, Auditores, & quidem verba sunt huic diei conuenientia. vt postquā ex prolixa orationis meæ digressione iam satis superque intellexeritis, non collocandam esse spem vestram in misera hac vita nostra; corpus enim hoc tandem corrumpitur & moritur; nunc in hac orationis meę parte intelligatis, eam collocandam esse in patria ista cæli beatissima, quò tēdunt animæ nostræ immortalem vitam victuræ. O sublimem sententiam diuini huius oraculi. Homo noster exterior corrumpitur, inquit Apostolus, qui & propterea corpus corruptionis nuncupatur. Et Græci vocant illud σῶμα, quasi σῆμα, hoc est, sepulchrum mortis. Homo verò interior, qui est animus, non moritur vnquam, sed viuit semper: & ob hoc imago Dei dicitur, qui est vera vita, & vitalis fons. In hac vita sua ob cælestem & felicem naturam suam nunquam senescit, sed iuuenescit & de die in diem renouatur, de virtute in virtutem bonorum operum exercitio procedens crescensque. Quantò igitur profundiùs humiliat

2 Cor. 4.

Baptiste

Homo noster interior non moritur.

liat vos magnę corporis vestri terreni & mortalis miseriæ consideratio, tantò altiùs vos extollit sublimis illa cogitatio, quòd habetis animum cælestem & immortalem. Deus fecit hominem quasi in statera appendendum, componens illum ex duabus partibus multùm inter se contrarijs, carne scilicet & spiritu: vt cùm vna grauitate sua deprimitur in terram, altera sua leuitate subleuetur in cælum: quantum vna parte homo deijcitur, tantum altera erigatur, ipse autem in medio persistat inter vtramque, ne efferatur superbia propter animam, aut deijciatur nimia sua vilitate propter corpus. Vides enim & Philosophos in definitione hominis constituisse rationale & mortale. Rationale cōsolatur & corroborat mortale, mortale humiliat rationale. Rationale namque commune nobis est cum Angelis, mortale cum bestijs. Aufer ab homine partem rationalē, & erit bestia; aufer econtrariò partem mortalem, & erit Angelus. Hæ itaque partes duæ simul iunctæ tēperant se mutuò: nimis enim inflatus esset homo, si rationalis esset & nō mortalis: econtra nimis foret miser, si esset mortalis & non rationalis. Mortale igitur proprium est corporis, rationale verò animi: & rationale hoc sequitur immortale. nam etsi corpus non viuat semper, anima tamen moritur nunquam. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem nō possunt occidere.* Nescitis hæc Docti? Et alibi; *Reuertitur puluis in terram suam, & spiritus ad Deū qui dedit illum.* Et in alio loco; *Non est Deus, Deus mortuorum, sed viuentium.* Nolite inter vos dicere: Quis mihi persuadebit animā meam esse immortalem? Post tot Prophetas, post tot Apostolos, post tot Philosophos, qui omnes crediderunt, experti sunt, & vno ore humanæ animæ immortalitatem prædicarunt, vos illam negabitis, aut de ea dubitabitis? Et quid apud vos certum erit, si hæc veritas non sit certa, firma & extra omnem cōtrouersiam, quæ quidem fundamentum est omnis virtutis, basis omnis religionis, & omnis veræ Philosophiæ primum principium? Non est dignus inter homines viuere, sed viuat cum bestiis, qui inter animam hominis & animam bestiæ nullam agnoscit differētiam, & dicit; *Vnus est interitus*

Cur Deus hominem fecerit ex carne & spiritu.

Matth. 10.

Eccles 12.

Luc. 20.

Immortalitas animæ humanæ.

Eccles 3.

tus hominum & iumentorum, & æqua vtriusque conditio. Paulus dicit; quòd si non esset alia vita, quàm hæc; Christianus esset omnium hominum infelicissimus.

1 Cor. 15.

Sed & ego hoc affirmare ausim, quòd si animi nostri nō expectarent vitam hac meliorem, homo esset miserior atque infelicior quacunque bestia. Quod enim animal, præter hominem, religionem habet in se, cultumque diuinum cognoscit? qui quemadmodum diuinitatis particeps est, ita nescio quid de Deo in semetipso sentiat: cognoscit illum vt omnium rerum authorem, amat illum tanquam patrem, veneratur tanquam Regem, metuit tanquam Dominum & iudicem. Quamobrem respectu Dei plurimi homines quotidie sese abstinent ab infinitis voluptatibus carnis, siue præmio quod ille promittit illecti, siue pœna quam ille minatur territi: cùm ecōtrariò nulla bestia siue mãsueta siue fera & indomita suo appetitui quicquam subtrahit propter Deum, siue spe siue timore excitata. An igitur homo non esset omnium stolidissimus & infelicissimus, si tam solicitè colens Deum, nihilominus & anima & corpore tãquam bestia moreretur? Sed quomodo fieri potest, vt cùm Deus sit summa sapientia, homo illum colendo fiat insipiēs? & cùm Deus sit fons omnis felicitatis, omnisque beatitudinis, quis credet hominem magis ad Deum accedendo minùs fieri felicem & beatum? Quis enim dicet eum qui propiùs ad ignem accedit, magis frigefieri? *Venite, venite & audite omnes, qui timetis Deum, & narrabo vobis quanta Deus fecit animæ meæ.*

Psal. 65.

Animam humanam in omnibus excellentiam Dei æmulari.

O Romani, nolo vobis animi immortalitatē probare; prima namque principia non probantur: sufficit illam defendisse. sed excellentiam animę vobis commemorare decreui; vos deinde iudicate, & sentētiam aut mortis aut vitæ pronunciate. Non animaduertitis cumprimis, quantoperè animus noster natura sua, tanquam diuinus, in omnibus rebus æmulatur magnitudinem & Maiestatem Dei omnipotentis: Generosum hoc desiderium & admirabilis hæc æmulatio non sequitur certum aliquod hominū genus, non aliquam patriã, non clima, non indolem: sed sequitur speciem & naturam hominis, cui innata est. Non est homo

homo tam barbarus, qui eam quasi à Deo insitam de ventre matris suæ secum nō adfert. Iste scopus omnium est. illud intuentur, in hoc deliberant, huc tendūt omnes, vt quàm proximi sint Deo, eique pro viribus assimilētur. Discurrite per ipsam Dei magnitudinem, & quod dicimus verum esse conspicietis. Deus est omnipotens (vt hinc ordiamur) omnium rerum author & creator. primum principium, primus finis, & forma prima: & non est creatū quid, quod ab illo non dependet. Quid verò reperitur in hoc mundo, quod non studet atque totis viribus conatur imitari & conficere ingenium humanum? Obstupesco cùm hæc perpendo. Non enim inuenitur aliquid tam rarum & magnum, quod homo (si voluerit) non conficiat. Videtis in primis quàm auara sit natura in omni vestimentorum, armorum, ædium & supellectilium genere: qualia multis bestijs vltra necessitatem contulit. homo nihilominus ingenio suo de omnibus rebus necessarijs tam feliciter sibi prouidit, vt cùm nullum genus animantis omnibus suis armis, quæ à natura percepit, vnguibus, pilis, squamis, pennis, aculeis, cornibus & veneno tutum sit, & à manibus hominis securum; ille solus solo fretus ingenio suo ab assultibus. insidijsque omnium bestiarum sit tutissimus. Videtisne armenta tam syluestria, quàm domestica hominis parere imperio? Homines aues erudiunt, vt loquantur: boues vt laborent, vrsos vt saltent, columbas vt de loco in locū litteras deferant, & nescio quam aquilam doctam in sinu virginis manducare. Sed & Plinius vester nunquid author est, Elephantem sic institutum ab homine, vt Græcas litteras exararit?

Sed veniamus ad id quod magis mirādum est. Nullum animal (hominē excipio) pluribus quàm vno aut altero vtitur elemento. Homo verò, tanquam alter quidam Deus, pro arbitrio suo cunctis vtitur. calcat terram, sulcat aquam, etiam pedibus eam non contingens: conspicitisne animum caua trabe spatiosum mare tranare, & eiusdem animi beneficio etiam sursum ferri, & quasi ad nubes conscendere? Non loquor de alis Icari, vel de pennis Dędali; sed quid vobis quęso videtur de turri illius Nembroti, quæ ad illam altitudi-

Solus homo omnibus vtitur elemētis.

Genes. 11.

titudinem producta est, vt Angelos prouocauerit, & ipsum Deum de cælo protraxerit, ad euertendam molem hanc? Illud autẽ mirabilius est, quòd ignis omni illius vsui subseruit: illuminat tenebras, coquit cibos, pellit frigus, & calefacit: neque solùm illo vtitur homo, sed & didicit illum temperare, moderari & regere, vt ardeat plùs minúsve, pro tempore & loco, quantum voluerit. Ite ad fabros, ad Chymicos, & interrogate. Quid? an non homines ignem quoque frigidũ inuenerũt? Quid in his quatuor elementis operati nõ sunt? Videtis in terra hortos amœnissimos, valles iucundas, planities, colles, montes, magnifica ædificia, ciuitates superbas, templa admiranda. In aqua quas vias non aperuerunt, quos alueos non duxerunt fluminibus & lacubus, vt terras irrigent? quas nauiũ fabricas, quas triremes, quinquiremes non excogitarunt bellis naualibus aptas? quæ subtilia ligna, lintres, dromadas, celoces, quibus cum celeritate Oceanum transcurrant, non cõmenti sunt? quos fontes viuos in contemptum naturæ non finxerunt? In aëre quas rupes inexpugnabiles, quæ propugnacula inaccessa, quò vix radij quidem solares possunt pertingere, non construxerunt? In igne quas machinas bellicas, quæ tormenta, quas rotas, quos pyrobolos non adinuenerunt, quibus quodammodo fulgura, tonitrua & terræmotus imitantur? O magnam rem ingenium humanum.

Ars insultat naturæ.

An non legistis quid homines arte ingenij sui in ipsius naturæ contemptum operati sunt? Excellens ille pictor Zeuxis nónne pinxit vuas tam artificiosas, imò tam naturales, vt etiam volucres cæli deciperet, quæ aduolantes eas comedere se posse arbitrabantur? Apelles nónne finxit equam & catellam, naturalibus & viuis tam similes, vt & caballus videns equam adhinniret, & canis catellæ adlatraret? Archita Tarentinus an non columbam ligneam construxerit, quæ ponderibus librata per aërem volitaret? Syracusanus Archimedes fecitne cælum æreum, quod suis cursibus mouebatur, & de quo fulmina & tonitrua, haud aliter quàm de cælo nostro procedebant?

Et vos non obstantibus his omnibus non erubescitis asserere, animum hunc nostrum esse mortalẽ, terrenum,

terenum, caducum, beſtiarum animis non abſimilem? & non potiùs inſtar Angelorum ſempiternũ, cęleſtem & diuinũ? Deus cognoſcit omnia præterita, præſentia & futura: non poteſt quis imaginari quid, quod ille ignorat. O verè mirabilem animum humanum, quã ſcientiã dic ſodes non inuenerunt homines? Cernísne ſubtilem & exquiſitam numerorum ſubductionem? diligentem & curioſam diſcretionem figurarum? minutas cæleſtium motuum obſeruationes? nouos in omni muſices genere modulos? gratias & argutias poëſeos? facundiam & copiam artis oratoriæ? aſtuta inauditaque in bellis ſtratagemata? admirandum & in ſcripturis & in calcographia artificium? inſolitam & omni laude dignam in Medicina ſimplicitatem? Non animaduertis omnem hominẽ omnia ſcire velle? quomodo voluitur cælum, quomodo rutilãt, moueanturque ſtellæ; quid ſit corpus ſolare, quomodo creſcit decreſcitque Luna; quid operetur ignis ſuper aëra eleuatus, quid aquæ ſuper cælos; quomõdo in centro terra ſubſidet, vnde oriuntur flumina, quæ cauſa fluxûs & refluxûs maris; quid ſit ventus, & cur tanto cum impetu ruit; quid iridem format in nubibus, qua virtute è mari ſalſo fontes aquæ dulcis ſcaturiũt; quomodo altiſſimi illi montes generati ſunt; quomodo terra ſtat immobilis, cùm ſuper aquam, natura ſua labilẽ, ſit fundata; quid, & vbi fuerit paradiſus ille terreſtris, tantopere in Chronicis Moſaicis celebratus? Vnde naſcitur tãta temporum varietas, tantaque vultuum humanorum differentia; vnde gemmis tanta ſit virtus; quid eas reddat tam pretioſas; vnde verbis tanta inſit efficacia, vt ſerpentes incantent, & veneno ſpolient? Vtinam hîc ſubſiſterent homines, & in rebus naturalibus conquieſcerent: ſed vlteriùs procedũt, & ad ſecreta Dei inueſtiganda & perſcrutãda, quæ tamen omnem naturam ſuperant, proruũt. Quis eſt homo, qui non cupidus eſt ad intelligendum, quomodo Deus mundum creauit? quid fecerit priuſquam mundum condidit? quid ſit præſcientia, prædeſtinatio, vocatio, iuſtificatio & glorificatio?

Homo cunctas inuenit ſcientias.

Ceterùm non ea eſt natura hominis, ſed conſuetudo forſan hominis Chriſtiani: quis autem negare poterit

 terit

Desiderium sciēdi homini est maximè naturale.

terit desiderium omnia sciendi homini esse naturalissimum? Non quiescit intellectus, cùm vnum quid intelligit: sed procedit vt cognoscat aliud. quo cognito, aliud atque aliud inuestigat: donec arbitratur nihil superesse, quod non cognoscit & comprehendit. Sed & quæ miracula nobis referunt historiæ, hominū eorum, quos tam ob intellectum, quàm ob memoriam (quorum ille pater, hæc mater omnium scientiarum est) vniuersus mundus & omnis ætas admiratur? Respicite ad intellectū magni illius Homeri, cuius sententijs & verbis nec Plato, nec Aristoteles dedignatus est suam philosophiam locupletare, & exornare. de cuius natali solo præcipuæ ciuitates Græciæ inter se côtenderunt. Quid dicam de incredibili memoria Luculli & Hortensij, huius in verbis, illius in rebus? Quid de Mithridate Rege Ponti, qui viginti duabus gentibus, lingua inter se diuersis, ius dixit, legesque dedit, nullo vsus interprete? Nec minor fuit memoria Senecæ, qui gloriatur se aliquoties duo millia nominū, seu vocabulorum, absque vlla hæsitatione aut errore recitasse. Et Cyri & Scipionis, qui omnes clientes suos fiduciarios, omnesque milites sigillatim, proprijs nominibus suis solebant nominare.

Felix quorūdam hominū memoria.

Deus (vt in proposito progrediamur) omni bono gaudet; imò ipse omne bonum est: ipse summū bonū. proinde semper beatus est, & in semet ipso beatus. Non eget aliqua re, omnia in seipsum ordinat, omnia propter semetipsum diligit, in se delectatur, in se gaudet. Quid? an nō homo etiam hanc Dei præstantiam imitetur? thesauros cumulando, omnia voluptatū genera quærendo, honores sine intermissione ambiendo, filios & nepotes desiderādo, ob hanc aut illam dignitatem contendendo, negotiationibus se fatigando, palatia ædificando, hortos, viuaria & fontes construendo, ob annuos redditus litigando, præbendas & beneficia comparādo, libris sacris nocte dieque inuigilando, peregrinando ieiunando, orādo. denique in omni actione sua, quò tendit homo, ad quid aspirat, nisi ad beatam vitam, vt habeat omne bonum, vt nulla re indigeat? Non vides omnem hominem amare & (si dicere liceat) adorare semetipsum, tanquam numen ali-

Homo conatur habere omne bonum.

quod

quod diuinū? Homines flagitiosi (ô Deum immortalem) quomodo vltra modum sibijpsis placent? quod vitium Sapientes Philautian appellârūt. Boni omnia contemnunt, animamque suam omnibus rebus existimant pretiosiorem; ideoque canunt; *Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Non est illis maior vlla voluptas, quàm conscientiam suam contemplari, eam intueri, eam discutere & admirari. Quòd si illam quandoque immundam viderint, magis cruciantur, quàm si decem millium gehennarum pœnis torquerentur: sin immaculatam, tantò perfunduntur gaudio, vt se in cęlo versari existiment.

Luc. 9.

Summa bonorum voluptas.

Deus omnibus rebus est superior, vniuersisque dominatur; immobilis est in sua Maiestate, mouetque omnia, non violenter, sed suauiter: omnem naturam pro qualitate & conditionis suæ decoro disponens. sic iustissimis & æquissimis legibus temperat, regitque hanc immensam mundi machinam. Dic mihi, ô Roma, quæ res in hoc seculo tam pretiosa est, cui homo se subijcere appetit, aut quam vellet se superiorem? Non cernis illum natura sua omnis seruitutis esse impatientem? Quòd si subinde vi coactus alterius seruus efficiatur, nunquam deinceps amat illum, semper odio, & quidem lethali prosequetur. In tantum subijci humanæ generositati repugnat. Quis est homo, qui non toto pectore in hoc incumbit, vt victor euadat in omnibus? quique non contristatur, si vincatur, non tantùm in rebus magnis, sed etiam in minimis, nulliusque ponderis? Cur enim qui vincitur semper erubescit, & confunditur, nisi quia naturale est homini semper ad victoriam niti, nec ferre posse superiorem? Parem subinde fert; nescis tamē Romulum, quia impatiens consortis & paris erat, Remum occidisse? Nimis vastus, nimis immensus est animus humanus: Non esset contentus huius mundi imperio, si sciret aliud esse alterius mundi sibi non subiectum. Non legistis de Alexandro magno, quòd cùm audisset disputationem de alijs infinitis mundis Democriti, suspirauit dicens; Me miserum, qui nondum vnum mundum integrum deuici.

Homo naturaliter appetit libertatē, & odit seruitutem.

Ad immobilem denique, &nulli varietati subiectum Dei statum vidésne & bonos & malos aspirare? Boni hoc agunt contemnendo res omnes fortunæ obnoxias, quæ variæ sunt, incertæ atque instabiles: mali opprimendo cunctos, qui eorum possunt perturbare quietem, & extollendo se omni tyrannidis & dominij violentia, vt securè viuant, & absque metu sint, ne ab alijs solio suo exturbentur & in terram deijciantur. Suauem illum gubernandi, legesque rogandi morem, quo Deus patienter sustinet tam malos quàm bonos, vidésne quomodo homines se torquent vt æmulentur? Et boni quidem regula charitatis, quæ vera gubernandi norma est; accommodantes se omni hominum generi, virtutum studiosis se amicos, peccatoribus misericordes exhibentes; corroborant & consolantur incipientes, laudant proficiẽtes, præmijs ornant perfectos: sibijpsis austeri sunt, alijs mites & benigni. iusti sunt omnibus, personam non accipiunt; amant homines, oderunt vitia. Mali peruerso amoris proprij (qui omnis bonę administrationis pestis est & interitus) fine omne scelus ęquis animis ferunt, dissimulant, prætereunt, ne in odium personarum incurrant: adeò, vt etiam latrones & grassatores iustissimis legibus inter se iniustissimas prædas partiantur. Sed & quis est inter homines, qui cupit alteri sine iustitiæ prætextu nocere? Si occidat, excusatur quòd fecerit illud, vt par pari referret, vel vt vim vi repelleret. Si quid furetur, aut inopiam suam prætendit, aut alterius abundantiam causatur. O inscrutabilem hominis animum.

Nemo nocet alteri nisi sub prætextu iustitiæ.

Porrò Deus est in omnibus, est, & erit semper: hoc est (vt vno verbo dicam) in omni loco, & in omni est tempore. An non & hæc animus humanus æmuletur? Probationibus hîc opus non est: satis enim superque id notum est omnibus, omnem ætatem quantumuis lõgam homini videri breuem, & omnem regionem, quantumuis amplam & spatiosam, eidem videri arctam & angustam. Cælum non putat esse altum, vt magnus ille Hermes ait, & centrum terræ negat esse profundum: vellet enim (si posset) in ipsa terræ viscera ingredi, & ad summum cælum volare: nollet

Homini omne tempus videtur breue & omnis locus angustus.

nollet vnquam mori, vellet ſemper viuere. Quis eſt homo quantũuis ſanctus & perſectus, qui mori naturaliter appetit? Diuus quidem Paulus inſtinctu gratię dixit; *Cupio diſſolui*: inſtinctu verò naturæ; *Nolumus*, inquit, *expoliari, ſed ſuperueſtiri*. Omnis vir & omnis mulier à maiori ad minimam naturaliter vitam appetit, & quia corpus ineuitabili quadam neceſſitate morti obnoxium eſt, iccirco omnis gradus, omnis ordo, omnis ſexus, omnis ætas, deſiderat, vt ſaltem anima æternùm viuat.

Philip. 1.
2 Cor. 5.
Omnis homo mortem odit.

O Roma, cùm omnia illa deſideria, omneſque illæ æmulationes diuinitatis atque ęternitatis tam ſint vehementia, tam cunctis hominibus naturalia, neceſſe, neceſſe eſt, vt aliquando impleantur, ipſiſquę ſatiſfiat. Non incipit natura motum, quem non poteſt abſoluere: nihil enim fruſtra facit. deſiderium verò illud motus quidam eſt: oportet igitur vt perficiatur & impleatur. Terra & omnia grauia centrum appetũnt, habentque iuſtum pondus, quo deorſum tendant. Ignis deſiderat locũ ſublimem, habetque naturalem quandam leuitatẽ, qua ſurſum fertur. An ignoratis quondam Philoſophos dixiſſe, quòd ſi cælum ad motum progreſſiuum, ſicut animalia propẽſum fuiſſet, natura illi & femora, & crura, & pedes dediſſet? ſed quia ad motum circularem propendebat, ideó figura formauit ſphęrica. Erit itaque homo naturaliter propenſus ad imitandum Deum, eumque in rebus omnibus æmulandum, & non erit huic perfectioni adiũctum, vt aliquando Deo ſimilis efficiatur: Erit, erit ſine dubio, Romani mei. Quamdiu in his inferioribus & in mortalibus his membris viuimus, non erit iſtud vnquam: deſiderabimus quidem, ſed deſiderio noſtro nõ ſatiſfiet. Quomodo quæſo intellectus noſter in hac vita omne quod verum eſt intelligit, & voluntas noſtra omni bonę fruitur, cùm maximi illi Philoſophi fateantur, quòd multò plura ignoramus, quàm ſcimus: & experientia doceat, omne dulce quod hîc delibamus, eſſe exiguam guttulam, ſi cum felle & abſynthio conferatur, quod hîc liguriendo abſumimus? Quando erimus omni re ſuperiores, ſi à quacunque re vel inuiti mille damna percipiamus? Nolo hîc latiùs

Hæc deſideria arguunt animę humanæ immortalitatem.

Non in hoc ſeculo, ſed in futuro noſtra deſideria implebuntur.

gari, sufficiat vobis quòd etiã nimia sanitas plerũque suspecta est. Quando quæso immobilis & quietus erit noster status, si etiã in somno pſępe, & in summa quiete nostra terreamur: & quot homines horrẽdis visionibus & nocturnis terriculamẽtis, spectaculisq́ue immanibus metu inopinato oppressi repentè expirarũt? Quomodo pacem cõseruabimus & iustitiam, si ancilla dominetur, & domina seruiat? Vidésne carnem rebellem parti spirituali mille insidias struere, eamq́ue mille iniurijs lacessere? Quomodo in nobis ipsis delectabimur, si quantò mentis nostræ oculus purgatior est, tantò plures in nobis errores & maculas inueniamus, quæ faciũt vt nobis minùs placeamus? Quomodo viuere possumus vitam iucundã & beatam, si semper egeamus & nunquam satiemur? Quomodo in his inferioribus omni æuo viuemus, si tot Sapientum & Principũ nomina iam æterna sint obliuione sepulta? In cælo, in cælo (animæ mihi charissimæ) hæc nostra desideria satiabuntur. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua*, inquit Propheta. Tunc, tunc animæ beatæ vera sapientia cognoscent omnia. *Quid est quod non videant, qui videntem omnia vident?* Tunc omnibus rebus dominabuntur; *Regnabunt cum agno, & agnus regnabit cum illis: Omnia verò subiecta erunt illis, præter eũ qui subiecit sibi omnia.* Tunc mortem non timebunt. Tunc fiet sermo, qui scriptus est; *absorpta est mors in victoria.* Tunc non erit bellum inter carnem & spiritum. *Sedebit populus meus in tabernaculis fiduciæ, in pulchritudine pacis.* Tunc viuent vitam iucundam & plenam gaudio; *Exultabunt sancti in gloria.*

Psal.16.

1 Cor.15.

1 Cor.15.

Esa.32.

Psal.149.

Homo duas habet vitas, alia animalia tantùm vnam.

Ceteris animalibus natura vnam tantùm vitam largita est, homini verò duas; præsentem & futurã. Beatus ille, qui sic instituit hãc, vt sit ei via, qua veniat ad illam futuram. Qui præter modum diligit corpus, & corpus & animam perdit: qui non amplius diligit, quàm diligendum est, etiam si mortuum, & in cineres conuersum sit, resurget tamen postea ad vitam gloriosam & immortalẽ. Hoc ex primarijs nostræ fidei Christianæ principijs est; *Carnis resurrectionem, vitam æternam.* Anima hominis, quæ (vt diximus) natura sua immortalis est, vt esset proportio quæ-

quædam inter formam & materiã, requirere videbatur corpus, quod similiter incorruptibile esset & immortale. Corpus humanum de terra plasmatum, vt inquit Moyses, & Esaias, imò vt etiam asserũt Poetæ, qui omnes fingũt hominem de terra, cùm compositũ sit ex quatuor elementis, natura sua tendebat ad corruptionem & ad mortem. Sed quid fecit Deus? hanc primo homini Adamo, patri omnium nostrûm, contulit gratiam, quòd si non peccasset, sine morte fuisset in cælum translatus. & omnes nos dono quodam hæreditario à morte fuissemus liberi. Peccauit infelix ille: quare Deus iusta indignatione motus alieniori erga eum factus est animo, & naturæ habenas laxauit: atque ita subsecuta est misera atque ineuitabilis moriendi necessitas. Quapropter Theologi doctè hanc necessitatem & naturam simul & pœnam appellarunt.

Si Adam non peccasset, nullus fuisset mortuus.

Venit deinde in hunc mundum Christus, nostram mortalitatem induit: vtque manifestiùs gloriã suam ostenderet, mũdoque manifestiùs exhiberet hominis de morte triumphum, noluit eum non mori, sed voluit, vt mortuus, sepultus, putridus, fœtidus & in cinerem resolutus, nouo & inusitato miraculo ad vitam beatam resuscitaretur: ne in posterum mortem timeret. Quale vobis, Romani mei, eximiũ hoc Dei beneficium esse videtur? Ex his quatuor status hominis (est enim hodie hominum festum) colligũtur. Primus est status innocentiæ, in quo creatus fuit Adamus, & in quo nos omnes nati fuissemus, si is non peccasset, participes omnium donorum hęreditariorum, quæ Adamus à Deo acceperat, tam sibi quàm toti suæ posteritati. Secundus est status culpæ, in quo seuerissimo Dei iudicio relicta est omnis nostra natura, ab Adamo vsque ad Christum, originali peccato infecta, in potentiis animæ plurimum eneruata, Deo exosa, mancipium Diaboli, peccati, mortis; maledicta, cælo exclusa, misera & captiua. Tertius est status gratiæ, in quo dignatus est Deus (propter meritum Christi, qui tanta ex charitate immunis ab omni peccato obtulit semetipsum ad mortem pro nobis omnibus) omnia peccata antiqua delere, nos à Diaboli tyrannide vindicare, in gratiam suam recipere, in filios suos denuo adoptare, &

Admirabilis Dei gloria in resurrectione hominis.

Quatuor status hominis.

re, & hæredes æternæ vitæ constituere. Vltimus denique status est gloriæ, in quo post mundũ per ignem consummatum mũdati, & intus forisque purgati, victa & expugnata per generalem omnium hominũ resurrectionem morte, & anima & corpore tanquam Christi membra in cælum assumemur: vbi hæreditatis nostræ possessionem capiemus, qua cum Angelis æternò fruemur.

Felicitas status innocentiæ.

Hæc cõsidera, ô homo, hęc meditare. Deus in Adamo te condidit bonum, iustum, prudentem, temperatum, fortem, liberum, immortalem & beatum. Caro non repugnabat spiritui, nec sensus rationi: terra spinas non germinabat, serpentes nulli venenum afflabant. Si in eo statu Adamus perseuerasset, aër te non infecisset, humores tibi non nocuissent, infirmitas te non debilitasset, ignorantia te non excæcasset: tentatio te non deuicisset, voluntas non succubuisset, bonũ operari fuisset tibi facilimum, & sine morte in cælum translatus fuisses. Recordare, recordare, ô homo infelix, quòd credidisti falsis astuti serpentis mendacijs potiùs quàm minis iusti & sinceri Dei: quòd in Adamo illi fuisti immorigerus; quòd sanctum eius mandatum transgressus es; quòd imperium totius vniuersi more puerorum vno solo pomo permutasti; quòd donum illud iustitiæ originalis, à Deo tibi tam in vsum tuum, quàm filiorum & nepotum tuorũ datum, amisisti; quòd cum furore magno Paradiso pulsus, & in hanc miseriarum vallem eiectus es, spoliatus omnibus donis gratuitis, vulneratus in bonis naturalibus, in intellectu percussus ignorantia, in voluntate malitia, in potẽtia irascibili infirmitate ad bonum; in concupiscibili ad malum pronitate, in carne fomite peccati, in toto homine æternæ pœnæ debito.

Infelicitas hominis post peccatum.

Consídera quòd ad liberãdum te non satis erat natura cum suis potentijs, nec lex cum sua iustitia; sed quòd in causa tua Christus authoritatem suam interponit, & quòd per sacrum baptisma quasi per modũ insitionis de Adamo in Christum es transplantatus: quòd in Christo factus es iustus, qui eras in Adamo peccator: quòd peccata tua in se transtulit, & iustitiam suam tibi donauit: quòd restituit tibi omnia dona gra-

Beneficium à Christo homini collatum. Rom. 6. Rom. 5.

na gratiæ, & naturæ vulnera sanauit, adeò vt peccatum illud non immeritò felix, faustumq; appelletur. plus enim post illud recepimus, quàm per illud amisimus. quòd intellectum tuum repleuit prudentia & fide, voluntatem charitate & iustitia, vim irascibilem fortitudine & spe, concupiscibilem verò temperantia: quòd fomitem carnis mitigauit, debitū æternæ pœnę à toto homine sustulit. Contemplare denique Deum te tanto habere in pretio, tantique tuam dignitatem facere ab illo die, quo Christus pro tua salute mortem oppetijt, vt gloriam illam, quæ suæ Maiestati debebatur ex natura, tibi communem facere voluerit ex gratia. Et quia felicitas naturalis ei videbatur non sufficere tuæ magnitudini, præparauit tibi aliam supernaturalem, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Pro fide videbis Deum facie ad faciem, pro spe possidebis illum, & loco charitatis illo cum summa dulcedine frueris. Corpus tuum quod nunc graue est, tunc erit; agile quod nunc crassum est, tunc erit subtile; quod nunc tenebrosum, tunc erit pellucidum; quod nunc passibile, tunc erit immortale. O altās & beatas humanæ nostræ naturę cogitationes. 1 Cor. 2. Gloria beatorum.

Hinc intelligi potest, qui sint illi quatuor homines, quos in vnoquoque nostrum alibi describit Apostolus: homo interior & exterior, nouus & vetus. Non sunt isti quatuor homines, sed vnus tantùm est: quatuor tamen ille modis consideratur. Non est vna eademq; res homo exterior, & homo vetus, nec idem est homo interior & nouus. Homo interior est animus & spiritus noster, Deo & Angelis similis: exterior est corpus animatum, quod foris conspicitur. quod etsi quandam habet maiestatem & præstantiam, ob pulchritudinem formæ, siue figuræ, non multum tamen differt ab alijs brutis animantibus. Homo vetus & homo nouus pertinent ad animā & ad corpus, hoc est, ad hominem interiorem & exteriorem; vetustas ab Adamo, nouitas est à Christo. An non meritò vocetur Adamus vetus, cùm in eo mors inceperit? an non optimo iure Christus appelletur homo nouus & nouissimus? in eo enim in nouissimo huius seculi die

Quatuor homines quos Paulus describit. Rom. 11. 1 Cor. 15. Rom. 7. Ephes. 3. 2 Cor. 4. Rom. 6. Coloss. 3. 1 Cor 2. Adam homo vetus, Christus homo nouus.

die denuo incipiet, reflorescetque vita. Quod igitur in nobis est de Adamo, id est, peccatum & pœna, tam in anima quàm in corpore, vetus homo dicitur: quod verò in nobis est de Christo, hoc est, gratia & gloria, tam in anima quàm in corpore, idipsum nouus homo nuncupatur.

Exuite, exuite pro viribus vestris hominem illum veterem, & induite nouum. Non potest quamdiu hîc viuimus omnis ista vetustas abijci, nec potest anima & corpus penitus renouari: hoc tamen quantum in vobis est agite, vt si pœnæ ad exercitium virtutis remaneant in corporibus vestris, quales sunt mors, fames, sitis & dolores: saltem peccata omnia eliminentur, nec in anima dominentur ampliùs. Peccata committuntur auersione à Deo; conuertimini ad illum per pœnitentiam, & extinguentur. Ad hanc conuersionem inuitat vos hodie mater Ecclesia, idque verbis Ioelis Prophetæ. State attenti, & exponemus ea.

PARS TERTIA.



Magna Dei erga homines gratia.

HÆC dicit Dominus: *Conuertimini ad me in toto corde vestro.*] Videte quęso quãta est gratia, & quantũ beneficiũ, quod Deus hominibus exhibet. Nos quidẽ diuinæ illius Maiestati supplicare debebamus, vt cõuersos nos recipere dignetur: at ille in tantum sese demittit, vt nos prior, quasi bonorum nostrorum egeat, obsecret, vt ad se conuertamur. Nos illum offendimus, & proinde rationi consentaneum erat, nos priores esse, omnemque mouere lapidem, quò tandem cum nobis reconciliemus. Ille offensus est, & tamen prior auspicatur reconciliationis negotium. O infinitam, & Deo dignam bonitatem. Hæc est prima illa gratia, Docti, quæ omne meritum nostrum præcedit. Non iam loquor de æterna prædestinatione, est enim illa potiùs gratiæ præparatio, quàm gratia: sed sufficit inter omnes gratias temporales primam esse, quòd Deus nos ad se vocat & allicit, nec vllus vnquam ad Deum à se ipso motus conuerteretur, nisi priùs ab ipso Deo vocaretur. Hæc vocatio est quædam gratiæ oblatio;

Prima gratia quam Deus homini exhibet.

iusti-

iustificatio est quasi gratiæ collatio; glorificatio est gratiæ quædam consummatio. Deus, inquit magnus ille Pater, gratiam præparat prædestinando, offert vocando, confert iustificando, complet glorificando. Hinc conspicitur & excellentia & humilitas nostræ naturæ: excellentia colligitur ex admirabili fauore, quo illam Deus prosequitur, plurimum de ingēti sua dignitate remittens. humilitas seu vilitas nostra, quia non tantùm non possumus nostris viribus ad finem nostrum, qui est æternæ vitæ gloria, peruenire: sed nec ad medium, quod est gratia iustificationis, per quam peccata remittuntur, pertingere: quia ne primum quidem gradum, qui est ad Deum à peccato conuerti, potest homo conscendere, nisi Deus eum sua misericordia præueniat: vocans illum, inuitans, alliciens, trahens & conuertens: adeò, vt principium salutis nostræ non sit à nobis, vt olim Pelagiani nugabantur, sed à Deo; quemadmodum docet sancta fides Catholica.

Excellentia & humilitas humanæ naturæ.

Iccirco Ecclesia, quæ hoc tempore Quadragesimali magis quàm alijs temporibus de nostra salute solicita est, hoc die primum scalæ salutis nostræ gradum nobis demonstrat, & vt ascendamus hortatur. Et quis primus hic gradus est? Vocatio diuina. *Hæc dicit Dominus; Conuertimini ad me in toto corde vestro.*] Quotiescunque homo conuertitur, iam vocatus est. nunquam conuerteretur, si non priùs à Deo vocatus esset. Conuerti igitur principium quidem est ex parte nostra: nisi enim conuertas te, pœnitentia peccatorum tuorum ductus, Deus non conuertetur ad condonandum tibi peccata: quæ nisi condonet, saluari non poteris. Vnde scriptum est; *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Sed principium hoc nostræ conuersionis ab alio pendet principio, vocatione scilicet Dei. Et hic rei status est. Non te vocat Deus ad se, quia priùs bonum aliquod operatus es, imò vocat te quia malū operatus es, & vult vt ad bonum reuertaris: auersus es, vult vt conuertas te. Ideoque nec iustus es, nec sanctus, sed peccator es, cùm te vocat Deus: alioquin enim non opus esset hac vocatione; intellexisti? Vocatio igitur eius nec radicem, nec causam habet in te.

Initium salutis nostræ à Deo est.

Vocatio in nobis causam habet nullã.

te, nisi causam vocaueris necessitatem. Mereris non vocari; inimicus namque es, ideoque Deus meritò expectare posset, donec à teipso motus conuertaris, & cùm non sit hoc in tuis positum viribus, omni iure, si vellet, posset te condemnare. Illud enim non posse, non excusat te, cùm impossibilitas illa ex propria iniquitate tua enata sit: quemadmodum nec excusatur ebrius, si homicidium committat. etsi enim in illa ebrietate ratione vti, & animi sui motus nequeat refrenare, duplicem tamen (vt Philosophi dicunt) meretur pœnam; ebrietatis vnam, alteram homicidij: debebat enim non inebriari, & potuerat si voluisset. His omnibus tamen non obstantibus, Christiane, & quòd nulla tua sunt merita, & quòd demerita & peccata plurima, Deus à semetipso motus, incipit vocare te, vt iam dictum est; ac proinde omnis ratio huius vocationis in Deo est, hoc est, in benignitate illius. Quod enim ex parte Dei est, præcedit illud quod est ex parte hominis. Prædestinatio eius est antequã nos sumus, vocatio eius ad conuersionem priùs est, quèm nos conuertimur; iustificatio eius est, cùm nos sumus peccatores; glorificatio eius, cùm nos adhuc mortui. Nec est quod miremini. Si enim principium essentiæ nostræ naturalis sit à Deo, & non à nobis; æquum est & honestum, primum principium essentiæ nostræ supernaturalis, gratiæ non naturæ, quæ Deos facit non homines, vt D. Petrus ait; *Magna nobis & pretiosa donauit, vt efficiamur diuinæ consortes naturæ*; sit similiter à Deo: & hæc est vocatio.

Deus causa est essentiæ nostræ naturalis & supernaturalis.
2 Pet. 1.

Nolo hîc disputare de cunctis hominibus, de Iudæis & Turcis, sed dico, quod olim dixit Paulus; *Quid mihi de his qui foris sunt iudicare?* Loquor autem de omnibus Christianis, quos Deus ad conuersionem vocare non desinit, & proinde inexcusabiles sunt, si non cõuertantur. Nescis totum hoc corpus mysticum appellari Ecclesiam? & nomen illud Ecclesiæ quid aliud significat, quàm conuocationem? Interrogate Græcos, qui nomen illud ἐκκλησίαν deducunt à verbo ἐκκαλέω, quod est euoco, & ab infinitiuo ἐκκαλεῖσθαι quod est euocari. Omnes itaque vocati sumus, & Deus vocauit omnes. Vides igitur quemadmodum in

1 Cor. 5.
Deus vocat omnes ad cõuersionem.

ecle-

celeberrima Venetorum Repub. magnifici illi Senatores appellantur Precati, vel Orati; sic S. Paulu Christianos insigni hoc epitheto Vocatos appellare. *Omnibus qui sunt Romæ, dilectis Dei, Vocatis.* Iudæi vocantur congregati, siue in vnum coacti; indicat hoc nomen Synagogæ; nos Vocati. Congregantur etiam res inanimatæ. *Congregentur aquæ in locum vnum. & congregationes aquarum appellauit maria.* sed non vocantur nisi ea, quæ animam habent & auditum. quanquam Propheta metaphoricè dixerit de Deo; *Vocat quæ non sunt, tāquam sint.* Et alius; *Vocauit aduersum me tempus.* Et Dauid; *Vocauit famem super terram.* Auditus porrò proprius est hominis Christiani: fides enim, quæ fundamentum est Christianismi, ordinario modo non habetur, nisi ex auditu. *Fides ex auditu.* Auditus sensus est disciplinæ, ac proinde cognationem quandam habet cum vocibus & verbis. *Auditus autem per verbum Christi,* inquit Paulus. Igitur de primo ad vltimum omnis Christianitas à Deo per Christum vocata est: scitis quid loquar? Et quis dubitat fidem Christi esse donum Dei, vt Paulus docet; *Vobis donatum est vt credatis in eum.* Et alio loco; *Dei donum est, ne quis glorietur.* ideoque non dari nisi his, quos Deus seorsim, neglectis aliis, vocat, & quasi eligit, tanquam amicos suos charissimos. Omnes autem Christiani habent fidem: qui enim fidē non habet, Christianus esse non potest. Non dico omnes Christianos fidem habere viuam: ea enim non facit Christianum, sed facit Christianū bonum. sufficit enim omnes Christianos (hæretici namque, vt scitis, Antichristi sunt) siue boni sint, siue mali, habere fidem veram, & vt vno verbo dicam, fidem Catholicam. Proinde omnes vocati sunt.

Rom. 1. Ephes. 1.

Christiani appellantur Vocati.

Gen. 1.

Auditus propriè Christiani est.

Rom. 10.

Philip. 4. Ephes. 2.

Omnes Christiani habent fidem veram

Neque ego mihi persuadere aliter possum, quin cùm quilibet Christianus venerit ad adultam ętatem, iamque incipiat liberum & absolutum rationis vsum vsurpare, benedictus Deus, qui fecit illum nasci in hoc dilectæ Ecclesiæ suæ Christianæ corpore, loquatur illi ad cor, dulcibus, amabilibusque modis illum inuitet, persuadeat ei vt ambulet in via mandatorum suorum, relinquat vias Diaboli, mundi & carnis. Neque

Deus statim nos vocat vsum habemus rationis

que credo Deum id facere tantùm in primo illo vsus rationis momento, sed quòd infinita illa bonitas deinceps per totam vitam nostram, non quando visum est nobis, sed cùm placuerit illi, qui meliùs nouit quid nobis necessarium est, quàm nos ipsi, & nos teneriùs amat, quàm nosipsi, vocat nos à peccato ad pœnitentiam, ab auersione ad cōuersionem, à creatura ad Creatorem: etiam subinde in somno, vt dicit Iob. *Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo: tunc aperit aures virorum, & erudiens eos, instruit disciplina, vt auertat hominem ab ijs quæ fecit, & liberet eum de superbia.* Didicistis ex sacris scripturis quid fecerit Deus Regi Abimelech, quādo vxorem Abrahami abstulisset, quomodo apparuit illi in somnis, peccatum suum illi manifestauit, & vt mulierem viro suo restitueret admonuit.

Iob 33.

Genes. 20.

Diuersimodè vocat nos Deus.

Non igitur vno eodemque modo vocat omnes, neque etiam vnus idemque homo diuersis tēporibus eadem semper vocatus est ratione: sed varij & differentes sunt huius vocationis modi. Aliquando Deus hominem vocat per se solum, afflans cordi diuinas inspirationes, excitans in eo peccatorum contritionem, & mirabilia, efficaciaque æternæ salutis desideria: quibus incitati mouemur oppidò ad mundi, parentum, cognatorum, patriæ contemptum, imò ad nosipsos abnegandum, & Deo soli deuouendum, consecrandūque, vt de S. Antonio Abbate scribit S. Athanasius. qui aliam conuersionis suæ non habuit occasionem, quàm inspirationem Dei: ingressus enim Ecclesiam, cùm audisset Euangeliū; *Qui non odit patrem, & matrem, & filios, & vxorem, insuper & animam suam propter me, non potest meus esse discipulus. Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni & sequere me;* confestim sine vlla admonitione, exhortatione, persuasione aut doctrina hominum, ita cōmotus est, vt consilium illud Christi, quod est generale, sibi soli datum exstimauerit, forisque & intus totus cōuersus & immutatus in eremum vastissimam discesserit, vitamque anachoreticam assumpserit. Non desunt huiusmodi internæ vocationis exempla etiam in sacris litte-

Luc. 14.

Matth. 19.

litteris. An non Petrus & Andreas hoc modo vocati sint? sicut & Iacobus cum fratre Ioanne, quorum duo secus littus maris Galileæ piscabantur, alij duo retia sarciebant? *Venite*, ait Christus, *post me, & faciam vos piscatores hominum. & continuò relictis retibus & patre, secuti sunt eum.* Abrahamus eodem quoque modo vocatus est: audiens enim vocem Domini; *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam mōstrauero tibi*: quasi intus in corde Dei digito contactus, non respiciens ad senilē suam ætatem, è vestigio absque vlla deliberatione itineri sese accinxit, & (vt Paulus ait) *exijt, nesciens quò iret.* Matth.4. Genes.12. Heb.11.

Secundus modus vocationis diuinæ est, qui fit per alios homines, doctrina, miraculis & exemplis, quomodo filij Israël vocati sunt, & ab afflictionibus Ægyptiacis per Moysen liberati. Sunt & alij modi, quādo vel per beneficia, vel per flagella tam spiritualia, quàm corporalia, maximè verò per flagella, per infirmitatem, per tribulationes, per obitum amicorum, per amissionem diuitiarū, per priuationē honoris & dignitatis, per periculū vitę, per tentationē peccati, per remorsum conscientiæ, per stimulum carnis, inuitamur, trahimur, & quodāmodo cogimur ad Dominum conuerti; secundùm illud Euangelij; *Compelle intrare.* Oportet enim durum & obstinatum nimis sit cor, quod igne tribulationum & afflictionum non mollescit vt cera; humiliatumque non recurrit ad Deum; sed in superbia sua perseuerat, vt induratus ille Pharao, qui ad modum incudis, quò plùs percutiebatur, eò ampliùs percussionibus resistebat, peiorque efficiebatur. Sed econtrariò toties in Scripturis repetitur; *Clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur. Cùm occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur. Multiplicatæ sunt infirmitates eorum: postea accelerauerunt.* Porrò quotidiana quoque experientia docet, verum esse illud Prophetæ; *Vexatio dat intellectum.* Plerūque enim hi, qui nec miraculis, nec doctrina, nec exemplis, nec inspirationibus Dei, nec magnis beneficijs mouentur ad bene viuendum, in tribulationibus & flagellis videntur resipiscere, quasi priùs dormitantes excitari, cumque magno feruore, tanquam territi, ad Dominum Exod.14. Tribulatio medium est quo cōuertitur peccator. Luc.14. Exod.14. Psal.106. Psal.77. Psal.15. Esa.28.

num se conuertere, ac dicere cum Apostolis in mari
Matth.8. periclitantibus; *Domine salua nos, perimus*; Et cum Diuo Paulo, cùm in terra iaceret equo suo maiori cum impetu quàm quouis fulmine deturbatus, qui & visum illi ademit, & toto triduo sic affecit, vt nec
Act.9. ederet, nec biberet; *Domine quid me vis facere?* Quamobrem & hodierno in exemplo vides sanctam Dei Ecclesiam, quæ hoc die extremam adhibet diligentiam, ad homines conuertendos, eosque ad emendationem vitæ inducendos, non reperisse cõuenientiorem modum, quàm vt in memoriam redigeret vltimam & communem hominum tribulationem, vltimum hoc flagellum, quod Philosophi vocant vltimũ terribile, hoc est, mortem: vt conterat omnem duritiem, & vt vincat omnem animum ferum, obstinatum & impœnitentem.

Agite igitur Romani; *HÆc dicit Dominus, conuertimini ad me in toto corde vestro.*] Non dubito quin Deus hodie loquatur in omnium vestrum cordibus, & in auribus vestris leniter susurret, sicut & Ecclesia sancta, quæ ab illius Spiritu afflata, eodem hodie fungitur munere, inuitans vos ad pœnitentiam. Vestrum
Psal.94. est hodie audire, & exaudire hanc vocationem. *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Mementote quid olim dictum sit de populo Hebraico;
Psal.80. *Et non audiuit populus meus vocem meam: & Israël non intendit mihi: & dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis.* O pœnam omni pœna grauiorem, si cùm Deus te semel iterumque vocauerit, & tu libero tuo arbitrio (licet nimis libero & infreni) pertinaciter illi resistas, iratus tibi laxet habenas, & tu sequens desideria tua, ruas tandem præceps in fossam perpetuæ tuæ condemnationis, & im-
Rom.2. pleatur in te illud Pauli; *Secundùm duritiam tuam, & impœnitens cor tuum, thesaurizas tibi iram in die iræ.*

Nemo vestrum dicat; Volo Deus me tali vocatione vocet, vt non possim resistere. Quam enim laudem merebitur homo, aut quod meritum eius erit, si Deus eum ad bene viuendum necessitate quadam cogat? In omni igitur vocationis genere, etiam in illo interiori, quæ omnibus alijs est efficacior (sola enim in suo

Deus in vocatione nostra vult libertatem.

genere sufficit, sine alijs, ad hominis conuersionem, cùm reliqua sine ope huius non sufficiãt) voluit Deus homini suam relinquere libertatem, vt possit & obedire, & non obedire. Audite Prophetam; *Si populus meus audisset me, Israël si in vijs meis ambulasset.* An non hæc verba liquidissimè arguant, Deum velle, vt in audiẽdo & non audiendo liberi omnino sitis? Ceterùm diceris forsitan Deum apud Prophetam non loqui de vocatione interna: audite igitur quid sibi volunt hęc verba Ioannis; *Ecce ego sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum?* Quod est ostiũ hoc, ante quod Christus stat & pulsat, vt intret, cœnetque nobiscum, si non cor nostrum? Ad cor igitur nostrum pulsat, clamat, vociferatur vt audiatur Christus; & iste susurrus est de quo ait Iob; *Porrò ad me dictũ est verbum absconditum, & quasi furtiuè suscepit auris mea venas susurri eius.* Sed & quomodo diceret Deus; *Redite præuaricatores ad cor*: si non staret ante ostium cordis nostri, vt cœnet nobiscum, & gratias suas nobis impartiatur? Non audistis quòd dixit ille sanctus; *Audiam quid loquatur in me Dominus?* Et alibi; *Loquetur pacem in plebem suam, & super sanctos suos, & in eos qui conuertuntur ad cor?*

Psal. 80. Apoc. 3. Iob 4. Esa. 46. Psal. 84.

Nemo iure poterit dicere, Deum non loqui ad cor suum, aut Deum se intus non vocare: manifestus enim textus est; *Si quis aperuerit mihi, & audierit vocem meam.* Quid sibi vult illud; *Si quis?* nisi, ego omnes voco, omnes inuito, omnibus aspiro; sed non omnes conuerto: non enim volunt omnes audire vocem meam, non omnes volunt mihi aperire, non omnes volunt me hospitio in domo cordis sui excipere. Propterea & in alio loco cõqueritur Deus, quòd ad omnes suas vocationes homines indurescunt, eisque obstinatè reluctentur. *Vocaui, & renuistis.* Hæc est vocatio interior; *extendi manum meam, & non erat qui aspiceret me.* hæc sunt Dei beneficia. *Despexistis omne consiliũ meum.* ecce vocatio quæ fit per alios homines. *Et increpationes meas neglexistis*: hæc sunt flagella. Nõ legistis quid Diuus olim Stephanus dixerit obstinatis illis Hebræis; *Vos semper Spiritui sancto restitistis.*

Nemo potest iure conqueri quòd Deus sibi non loquitur ad cor

Prou. 1. Act. 7.

Ignoratis quomodo Christus & apud Esaiam, & apud Paulum conqueritur; *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, sed contradicentem mihi*: Nolo, nolo Christiani, vos horum in numero esse, sed cùm Deus intrinsecè, & Ecclesia extrinsecè vos hodie ad pœnitentiam inuitant, obsecro, vt vel vni vel alteri alacriter obtemperetis, & respondeatis non verbis, sed factis; & prudenter vitæ anteactæ pœnitentiam exordiamini.

Esa. 65.
Rom. 10.

Tempus Quadragesimale têpus est seruiendi Deo.

Roma mea charissima, non est iam tempus lasciuiendi, aut lusitandi; est tempus conuersionis & pœnitentiæ: non est tempus cõuiuiorum & ebrietatum, sed tempus abstinentiæ atque ieiunij; non est tempus laruis vultum occultandi, vt sine pudore facias quod lubet: sed est tempus vt teipsum prodas, laruam detrahas, & sancta quadam verecundia omnem turpitudinem tuam cõfessario tuo detegas & reueles. Dominę, non est iam tempus hoc in pompis, mundo muliebri & corporum ornamentis consumendum; sed in pauperibus Christi vestiendis traducẽdum: Domini, non est iam tempus feras insectandi & venationibus indulgendi; sed tempus est nouam venationem aduersus feras infernales instituendi. Otiosi, non est iam tempus plateas & forum obambulandi, sed tempus est ecclesias & Diuûm basilicas cum deuotione visitandi. Aulici, non est iam tempus totos dies perdẽdi in adulationibus & blanditijs hominum, sed tempus est saltem manè placandi Deum, eique pijs orationibus adblandiendi. Si quæ ciuitas vnquam debuerit cum sollicitudine atque ardore conuersionem suam ad Deum maturare, tu quæ tota es auersa, euersa & peruersa, (auersa per negligentiam propriam, euersa per insidias Diaboli, peruersa per annosam peccandi consuetudinem) omni iure debes in hac sancta Quadragesima omnibus alijs vrbibus exemplum conuersionis præbere. Non vides misera te factam prostibulum luxuriæ, fornacem auaritiæ, infernum aliorum peccatorum mortalium? Non vides omnem gradũ, omnem statũ, omnem ordinem his festis Bacchanalibus prorsus à Deo alienatum, & Diabolo prædam factum: certârunt inter se, quis omnium esset pessimus, in super-

fluis

ſluis expēſis, in inhoneſtis veſtibus, in verbis immundis, in ſceleratis commercijs. Non animaduertiſti auaros his diebus propter Diabolum prodigos factos eſſe? Heu etiã religioſi facti ſunt diſſoluti, infantibus ſchola mille vitiorum eſt inſtituta, iuuenes effręnes euaſerunt, virgines verecundiam, vnicum earum ornamentum, exuerunt; ſacerdotes togam, monachi cucullam abiecerunt, ſapientes facti ſunt inſipientes, & ſenes viſi ſunt repueraſcere.

Date, date mutuo dexteram: omnes peccauimus, omnibus pœnitentia eſt neceſſaria. ideo Deus tot tibi Roma Concionatores miſit, qui ſunt quaſi totidem tubæ, quę hodie te inuitãt, & primum cient impetum, vt te dedas illi, te ad illum cõuertas. Diabolus te ſuum fecit munimentũ & propugnaculum: ſeptem muris ſeptem peccatorum mortalium te circumcinxit, venit ad te Ieſus, tanquam ad alteram Hiericho, vt ſepties te circumeat, cadantque muri veteres, & denuo te ſeptem alijs nouis ſeptem donorum Spiritûs ſancti muniat. Dedite vos, dedite vos vltro, Romani, huic magno Duci, qui nihil quęrit pręter ſalutem veſtram. Nolite expectare donec excandeſcat in vos. *Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrauit, arcũm ſuum tetendit & parauit illum.* Non poteſt vinci, eſt enim virtus infinita: non poteſt falli, eſt enim ipſa ſapiētia: non poteſt corrumpi, eſt enim ipſa iuſtitia: nemo vitæ diuturnitate poteſt cum eo contendere, eſt enim æternus; nemo ſe poteſt ab eo abſcondere, eſt enim vbiq; & in omnibus. Precibus tamen flecti poteſt, quia eſt miſericors: placari poteſt, quia eſt benignus; ignoſcere poteſt, quia diues eſt gratiarum; ſanare poteſt, quia vnctus eſt oleo ſancto; ſatiare poteſt, quia eſt panis vitæ; honoribus condecorare poteſt, quia eſt Rex gloriæ; ornare poteſt, quia eſt Deus virtutum; beare poteſt, quia ipſa beatitudo eſt.

Ioſu. 6.

Pſal. 7.

Vtilitas conuerſionis.

COnuertimini, conuertimini ad Dominum Deum veſtrum.] Fugiſtis procùl à Deo, reuertimini ad Deum; ab illo ad illum; ab illius iuſtitia ad illius clemētiam; à tribunali eius ſeueritatis, ad thronum eius gratiæ; à vultu eius ira pleno, ad ſinum illius miſericordia exundantem. Si ipſe ſit Dominus, poteſt; ſi Deus, ſcit; ſi veſter,

si vester, vult vobis ignoscere. *COnuertimini, conuertimini ad Dominum Deum vestrum.*] *Ad Dominum qui naturam condidit, ad Deum qui gratiam tribuit, ad vestrum qui peccata remittit: quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia.* O verba huius Prophetæ prorsus viua, prorsus ardentia, prorsus aculeata. quot verba, Docti, tot stimuli sunt, vos ad cõuersionem incitantes. Primò benignus est, ait Ioël; quia vos inuitat ad pœnitentiam. *An ignoras quia benignitas Dei te ad pœnitentiam adducit?* Est misericors; quoniam ad modum illius pij patris filij prodigi, si quando te conuertas ad illum, subitò amplectitur & osculatur te, tibique omnem offensam remittit. *Cùm adhuc esset longè*, inquit Lucas, *videns pater filium, misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius.* Est patiens; differt enim flagella, cohibet iram suam, expectat, tempusque & occasionem tribuit peccatoribus vt conuertantur. *Patienter agit propter vos*, (dicit Scriptura) *nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Non tantùm est benignus, misericors & patiens, inquit Ioël, sed & multæ est misericordiæ. Verbum misericors exprimit (ni fallor) affectũ Dei tenerum & dulcem, cor eius pium & condolens: illud verò *Multæ misericordiæ*, significat effectus, opera & argumenta magnæ illius misericordiæ. Quare & Dauid duo epitheta tribuit Deo, *Misericors & miserator Dominus.* Et ipse Deus per os magni illius Moysis; *Miserebor cuius misereor, & misericordiam præstabo cui miserebor.* An non magna vobis videantur hęc signa misericordiæ, cùm remittit culpam, minuit pœnam, dat gratiam, promittit gloriam? *Miserationes eius super omnia opera eius.* Concludens Ioël; *Et præstabilis*, ait, *super malitia.* Quid sibi vult hoc, Romani, nisi quòd infinita bonitas illa sic vincit ac superat omnem peccati vim, vt sæpe cùm homines in barathrũ damnationis, desperationis & obstinationis lapsi videntur, horæ momento sua eos gratia in spem, in deuotionem, in feruorem erigit: & quò profundiùs ceciderant, eò sublimiùs extollit, redditque cautiores, diligentiores & sanctiores, quàm vnquam antea fuerunt. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum;*

Stimuli nos ad pœnitentiam excitantes.

Rom.2.

Luc.15.

2 Pet.3.

Exod.33.

Rom.9.

Bonitas Dei superat omne peccatum.

Rom.8.

etiam peccata, inquit S. Augustinus. Apposité igitur dictum est in Scripturis; *Misereris omnium, quia potes omnia.* Et Ecclesia; *O Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miserando manifestas.* Non esset enim tam pius in peccata nostra, si non esset tam potens, vt posset ea in maius bonum conuertere, vel nostrum, si verè boni simus; vel alterius, si ficti simus & reprobi. Agite tempus est vt quiescam paulisper: persistite, ad finem properat oratio.

QVARTA PARS.



HVCVSQVE audistis, Romani, primum nostræ conuersionis principiũ esse Deum, qui est super omnia benedictus: quique occultè visitat animam peccatricem, eamque mouet ac docet. Si dormiat, excitat; si ignaua sit, extimulat; si lapsa sit, manum porrigit, vt resurgat: ostendit ei viam qua ambulet, eam exhortatur, orat, terret, consolatur, lactat, & promissis ad se trahit: sed & secundùm qualitatem eius, peccatorumque illius, ad conuersionem ordinat, disponitque. Hoc est rete illud confectum ex filis aureis, inspirationum, admonitionum, precationum, & minarum diuinarum, quod Deus expandit ante pedes tuos, vt more aucupis te à via spatiosa vitiorum, per quam pergis ad perditionem, retrahat in angustam semitam virtutis & salutis, quam ignorabas: vt nunc videns te tam feliciter captum exclames; *Expandit rete pedibus meis, & conuertit me retrorsum.* Ego quidem præpropero gradu in præcipitium tendebam, sed bonitas Dei sanctis suis laqueis traxit me retrorsum; reti suo me inuoluit, & feliciter ad eum redij, vnde miserè discesseram. **Rete quo Deus trahit homines ad salutem.** **Thren. 1.**

Ceterùm vnum hoc superest, vt vobis exponam, quid, postquam Deus vos visitauit, agere deinceps debeatis, vt conuertamini: explicare verò idipsum exactè, dilucideque non possum, nisi priùs dixero, quid sit nostra conuersio. Non est conuersio naturæ vel artis, non est philosophica vel poëtica, non conuersio dialectica, vel Ouidiana metamorphosis. super omnẽ **Quid sit conuersio hominis ad Deum.**

 natu-

naturam, & super omnem artem est, nec Philosophis nec Poetis cognita. Vultis dicam quid sit hęc conuersio? Conuersio cordis vndique versio. Videtis enim & Prophetam nostrum dicere; *Conuertimini ad me in toto corde vestro.*] Non satis erat ei dixisse; *Cõuertimini*, sed addit; *in corde*, nec hoc sufficiebat: adiecit igitur, *in toto*. Quid nomine cordis in sacris litteris intelligatur, puto vos non ignorare. Cor enim corporis nostri, quod principium est vitæ, & motûs corporalis, symbolum est partis animæ primariæ, è qua nascũtur omnes operationes nostræ spirituales; hoc est, intellectûs & voluntatis. Conuersio igitur peccatoris est plena perfectaque mutatio totius cordis; hoc est, intellectûs & voluntatis, omnisque scientiæ & amoris sui. Imò quoniam vnusquisque nostrum duabus partibus, (vt in præcedentibus à nobis dictum est) homine scilicet interiore & exteriore, hoc est, corpore & anima constat; ad conuersionem requiritur non tantùm vt cor, hoc est, intellectus & voluntas, quæ interiorem hominem constituunt, conuertantur: sed oportet etiam vt exterior conuertatur. Non meministis quid dicat Dauid; *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum?* Ignoratis D. Paulum non hoc tantùm egisse, vt humiliaretur cor suum, sed vt & corpus pariter mortificaretur? ideoque vt tibi foret exemplo, dixit; *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.* Sed & perpendite, quis Sanctorũ fuit vnquam, qui cor suum tradidit Deo, & non voluerit etiam corpus suum eius obsequio & cultui dedicare? Iudęi tanquam imperfecti & carnales per corporalẽ cultum Dei excitabatur & incitabatur ad spiritualẽ: seruitus exterior illorum erat ad interiorem cultum pędagogus. In nobis qui sumus spirituales & perfecti, viri non pueri, quibus ampliùs pædagogo non est opus, omnia geri debent modo contrario. Primò necessum est offerre Deo cor, deinde ex abundantia quoq; corpus. Idipsum & inter Iudæos magni illi Patres fecerunt, qui plùs ad Euangelium, quàm ad legem pertinebãt: erant enim potiùs Christiani, quàm Iudæi. intelligitis quod dico? Quapropter & Propheta noster Ioël, qui etiam ex perfectis fuit, postquam dixisset in hodierna Epistola;

Ioël. 2.

Cor quid significet in Scripturis.

Psal. 83.

1 Cor. 9.

Duo debemus dare Deo.

COnuertimini ad me in toto corde vestro; subiungit; *In ieiunio, in planctu, in fletu.*] Priorem locum tribuit cordi, secundum operibus externis: manifestè significãs, quòd sicuti peccasti, & à Deo auersus es, non anima tantùm, sed & corpore: ita non verè cõuerteris à peccato ad Deum, nisi anima pariter & corpore. hoc est; credendo intellectu, amando voluntate, & bene operando ex redundantia plenitudinis illius, quæ intus est, ad omnia membra exteriora, te à peccato disiũgas, & Deo coniungas. ieiunando & plangendo, te macerando & affligendo, pro amore Dei, quem tuis peccatis tam grauiter offendisti. Cernísne quàm succinctè & quasi vno verbo Esaias totum negotium hoc comprehendit, & explicat; *Conuertimini*, inquit, *sicut in profundum recesseratis.* Quid sibi vult istud? In mensura qua estis auersi, in eadem reuertimini. Hæc conuersio motus seu mutatio quædam est. Terminus à quo, peccatum est: terminus ad quem, Deus. In peccato participant cogitationes, delectationes & operationes, seu opera ipsa. *Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?* ait Christus in Euangelio. Esaias verò; *In abominationibus suis anima eorum delectata est.* Iterum Christus; *Discedite à me,* inquit, *omnes operarij iniquitatis.* In his omnibus eratis àuersi à Deo, in his omnibus oportet denuo conuerti ad Deum. *Conuertimini à cogitationibus vestris pessimis,* inquit Zacharias. Illud primum est; *Conuersus sum in ærumna mea, dum cõfigitur spina,* inquit Dauid; ecce secundum. *Conuertimini vnusquisque à via sua pessima, & bona facite studia vestra,* inquit Hieremias; habetis tertium. Paulus idipsum breuiter quidem, sed diuino quodam modo explicat, cùm dicit; *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* O grauem, Romani, cælestis illius linguæ, illius diuini oraculi, illius Ecclesiæ magistri sententiam. Non aliud, inquit Apostolus, in conuersione vestra quæro, quàm quod fecistis, cùm adhuc in peccatis vestris viuebatis, quamuis optimo iure plura multò postulare deberem. Etenim si peccati stipendium sit mors æterna, Deus verò largiatur æternam vitam; si caro nil aliud det, quàm momen-

Ioël.2. Esa.31. Matth.9. Esa.66. Luc.13. Zach.1. Psal.31. Hier.35. Rom.6.

Quid Paulus à nobis requirat in nostra conuersione.

momentaneam voluptatem, quæ tandem nil adfert, quàm pœnitentiam, pudorem & ignominiam, Deus autem conferat delectationes puras & sinceras, quæ ornant & satiant animas nostras; si mundus non tribuat præter honores quosdam fucatos, fugitiuos & transitorios, Deus autem nobis securitatem cælestis gloriæ, quæ nunquam deficit, promittat: si honorarium, quod Diabolus suis amicis dat, sit captiuitas & perpetua tyrannis, fructus verò quos ex conuersione percepturi estis, sit salus æterna: hem quæ ratio est, nolle maiori cum alacritate laborare in statu pœnitentiæ, quàm in statu peccati laboratum est? Sed infirmitatis vestræ carnis rationem habeo, scio quòd fragiles estis, sufficit mihi si quantum fecistis cùm peccatum regnabat in vobis, tantum faciatis & nunc, fugientes crudele illius imperium, & ad sinum patris vestri clementissimi, & legitimi Domini vestri refugientes. tunc perfectè conuersi dicemini.

Status hominis in auersione à Deo.

Hic erat status & conditio nostra in auersione. Intellectus erat cæcus, voluntas iniqua: ille plenus erat erroribus & ignorantijs, hæc prauis affectibus & inordinatis amoribus: oculi erant vagi & lasciui, aures erant surdæ ad audiendum verbum Dei, manus erant promptæ ad rapiendum, pedes veloces ad effundendum sanguinem innocentem; os erat fœtidum instar sepulchri patens ad maledicendum & blasphemandum; totum corpus erat libidinibus & crapulis deditum: anima verò tota ad vana desideria & inepta gaudia propendebat. Non satis est hominem in vna aut altera parte mutari, sed necessum est vt mutetur in omnibus, si futura sit vera conuersio. In intellectu quantum ad cognitionem, in voluntate quantum ad affectum, in singulis membris corporis quantum ad opera.

Cōuersio falsa Hypocritarum.

Hypocritæ, qui sunt falsi illi Christiani, propter quos aliquando veri & boni difficulter cognoscūtur, non conuertuntur nisi corpore solo, & operibus externis, in quibus non consistit ipsum bonum, sed boni apparentia: ideoque ingeminant suspiria, orationem dominicam sæpius iteratam multiplicant, consortia hominum fugiunt, ad forum & aulam non veniunt; ober-

oberrant Ecclesias, orationes prolixas fundunt, vt videantur ab hominibus; inculti, squalidi, horridi, & liuidi obambulant; vultum suffiunt, vt macilenti appareant, fingunt se extenuatos; vix pedibus insistere posse putantur, & quòd spiritum vitalem miraculo quodam, & quasi dentibus, ne eos deserat, continent. O miseros. *Receperunt mercedem suam*, inquit Christus in Euangelio hodierno. Matth.6.

Hæretici nostri seculi ecõtrariò sub prætextu quòd Deus cor exigit, contemnunt omnia opera exteriora: & si propiùs vitam eorum inspexeris, videbis eos vt forinsecus, sic intrinsecus totos esse diabolicos, ipsissima esse Diaboli mancipia. Vt enim lux lampadis, quæ intus ardet, foras se effundit; sic quando caro & anima verè ad Deum conuersa est, vereque Deo consecrata, fieri non potest, vt, si oportunitatem & tempus habuerit, aliquando per opera bona foras non redundet: oculi madent lachrymis ob peccata præterita, castificanturque & pudici fiunt ne peccent in posterum; auditus purgatur & intentus efficitur ad audiendum verbum Dei; manus liberales fiunt ad dandas eleemosynas; pedes alacres ad succurrendum proximo; lingua expedita ad laudãdum communem omnium Deum; corpus promptum ad abstinentiam, ieiunia & vigilias: breuiter, totus homo, totus homo mortificatur, vt quãtum in se est, re ipsa peccata quæ perpetrauit detestetur. Neque his contentus quærit Sacerdotem, ad cuius pedes se prosternit, & secundùm mandatum Dei perfecto cum dolore, qui in corde exæstuat, eò quòd diuinam Maiestatem offendit, (quem dolorem contritionem vocant) omnia peccata sua confitetur: paratus ad acceptandam pœnitentiã, quam ipsi Sacerdos tanquam arbiter & compromissarius inter Deum & homines iniunget.

Hæc est igitur (vt tandem aliquando huic materię finem imponamus) vera hominis Christiani conuersio: non corporis tãtùm, vt est illa hypocritarum, nec cordis tantùm, vt ista hæreticorum, sed cordis pariter & corporis: non priùs corporis & pòst cordis, vt Iudæorum, sed priùs cordis, deinde & corporis, vt Christianorum. Incidere namque casus aliquando potest,

 vt sola

vt sola cordis conuersio sufficiat, quando tempus bene operandi non superest: corporis verò sine cordis nunquam potest sufficere. intelligitis quid loquar: Icirco Propheta, vt dixi, quò exprimeret eam conuersionem, quæ absolutè ad salutem est necessaria, dicit; *COnuertimini ad me in toto corde vestro.*] Scitis cur dixerit; *in toto*? quia multi reperiuntur, qui corda duo habere videntur. *Labia dolosa in corde, & corde locuti sunt,* inquit Dauid. Hi sunt qui volunt quidem partem habere cum Deo, mundo tamen per omnia quoque placere cupiunt: de his sic loquitur Christus; *Nemo potest duobus Dominis seruire.* Nec vos fugere existimo minacem illum Heliam sectatores impij Regis Achab, quibus non iniuria aulici nostri Romani possunt comparari, increpantem dixisse; *Vsquequo claudicatis in duas partes? Si Deus est Dominus, sequimini eum: si Deus est Baal, sequimini eum.* Non placet Deo, qui geminū habet vultum: qui bilinguis est & corde duplici. Oportet determinare & certò statuere cuius esse volueritis: nemo partem habere potest cum Deo pariter & cum Diabolo: aut toti estote Dei, aut toti Diaboli. Scitis in Scriptura fieri mentionem frigidi, calidi, & tepidi. & Paulus eodem modo tria facit hominū genera, carnalium, spiritualium, & animalium. Carnalis est frigidus, spiritualis calidus, animalis tepidus, qui cum vtroque participat, & vtroque peior est. *Vtinam frigidus aut calidus esses: sed quoniam tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo.* Et quid peius est illo Pauli; *Animalis homo nō percipit ea quæ sunt Dei: stultitia est enim illi?* An non ipsa etiam experientia doceat, faciliùs vnū ex magnis illis peccatoribus & peccatricibus conuerti, quàm vt ex tepidis illis quis bonus fiat? vnus ex illis sanctulis, qui foris videntur Angeli, intus pleni sunt Diabolis, conuertatur? Date, date totum cor vestrum Deo. Noli dicere; Volo meretricibus renuntiare, sed in vsuris perseuerabo. Restituam aliena bona, sed lasciuiam & ebrietatem continuabo. Nulli posthac detraham, sed secretum amici mei reuelabo. Nulli ero malo exemplo, sed secretò sicut antea viuam. O miserum te, partem cordis offers Deo, non totum. *Conuertimini in toto corde vestro.* Porrò quot inueniuntur,

Multi habent corda duo. Psal.11.

Matth.6.

3 Reg.18.

Tria hominum genera. Apoc.3.

1 Cor.2.

Omnis homo totum cor debet dare Deo.

tur, qui dicunt; Fugiam meretrices, abſtinebo me ab vſuris, blaſphemias in poſterum non loquar: ſed promiſſio illa quando effectum obtinet? illud, Chriſtiani, tepidum cor eſt; cor enim feruens neſcit differre, neſcit diu cunctari. Alij dicunt; Vellem equidem declinare à malo, vellem facere bonum, vellem pœnitentiam agere; ſed aut non poſſum, aut ſaltem modò non eſt integrum: erit autem aliquādo. Iſtud *Vellem*, ô Romani, ipſa eſt cordis tepiditas. Dicite, dicite; Volo, relinquo, facio, me pœnitet: & effectum reddite, quod dicitis. Renuntiate peccatis & vitijs omnibus, totos vos Deo deuouete. Sunt qui intellectum quidem ſemper diuinis rebus habent intentum, in ſacris ſe litteris exercent; voluntas autem eorum quo loco eſt? Alij voluntatem habent ad ea quæ Dei ſunt propenſum, intellectus autem eorum errat, & extraneis opinionibus hæreſibusque infectus eſt: quid vobis videtur? Hi cum Deo non ſunt corde toto, ſed dimidio. totum cor, totum cor neceſſarium eſt. vt ſit veritas in intellectu, virtus in voluntate. Qui dicit; Cupio eſſe bonus, vt ſim ſapiens non opto; nunquam is erit bonus, quia nec bonitas eſt, nec virtus, ſine veritate & ſapientia. Qui dat operam vt ſit ſapiens, nec ſolicitus eſt vt ſimul ſit bonus, nunquam erit ſapiens: non enim habitat ſapientia in animis peccato ſubditis. Hæ ſunt duæ ſcholæ, vna virtutis, altera veritatis; etſi liceat vnam ſæpius frequentare quàm alteram, vnam tamen accedere, & alteram fugere non licet. Virtus enim nō eſt impoſſibilis amatoribus veritatis, & veritas nō eſt contemptibilis virtutum ſtudioſis. Videte Dauidem, quomodo has ſcholas coniunxit: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*: hæc eſt ſchola virtutis, quæ pertinet ad voluntatem. *Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius, in toto corde exquirūt eum.* Hæc eſt ſchola veritatis, quæ pertinet ad intellectum. Et in primo Pſalmo; *Beatus vir qui non abijt in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.* Ecce prima ſchola; *Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.* Ecce ſecunda. Agite nunc abundè ſatis vos intelligere puto, quid ſit conuerti ad Deum ex toto corde.

Scholæ Chriſtiano neceſſariæ.

Pſal. 118.

Pſal. 1.

Sed

Non à nobis tantùm est conuersio ad Deum.

Sed hæc conuersio, vt diximus, non potest fieri à nobis solis, sine Dei gratia: imò Dei potiùs donum est, quàm opus nostrum. Auerti quidem à Deo nostrum tantùm est; sed redire ad Deum non solùm à nobis, seu in potestate nostra est. *Spiritus vadens & non rediens*; dicit Dauid, de spiritu humano; intelligens nostras vires sufficere, vt ad mortem nos deducant: sed non sufficere, vt ad vitam reducant. Huius rei experimentum in nobis ipsis & in corporali vita habemus: videmus enim vnumquemque sufficere ad occidendū semetipsum, sine cultro, sine gladio, sine veneno: subtrahens enim tibiipsi cibum, an non paucis diebus morieris? Sed quando mortuus es, non potes temetipsum resuscitare. Existimatis autem vos omnia posse in vita animæ, quæ est tam pretiosa, cùm sitis tam debiles in vita corporis, quæ tam exigui momenti est? Vtrum melius est, hominē tantùm esse, an hominem esse iustum & sanctum? Si te ipse nudum hominem facere nequeas, hominem te iustum & sanctum quomodo facies? Christus qui est omnium hominum maximus, caput nostrum, & author salutis nostræ, de humanitate sua verba faciens, apertè fatetur; *Non possum*, inquit, *ego à meipso facere quicquam*. Et, *Pater in me manens, ipse facit opera*. Et nos puluis & cinis dicemus, nos nostris viribus posse conuerti, & saluari? & non potiùs confitebimur cum Dauide, dicentes: *Impulsus euersus sum vt caderem, & Dominus suscepit me? Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. Nisi quia Dominus adiuuit me, paulominus in inferno habitasset anima mea?*

Psal. 77.

Impotentia nostra in cōuersione.

Ioan. 5.

Ioan. 14.

Psal. 117.

Psal. 93.

Cōuersio nostra nō fit sine nobis.

Sed & hoc certo certius est, nec ignorare debetis, Deum non conuertere peccatorem in effectu, nisi etiam ipse, cùm motus est ab eo, sese ipse cōuertat. Illam gratiam excitantem, de qua diximus antea, quæ te ad conuersionem disponit, Deus operatur in te, sine te: hæc verò conuersio non fit sine te. seminat illam Deus in nobis, sine nobis: nobiscum verò metit. Non quòd quæritur cooperatio, sed quòd requiritur consensus, vbi prima illa excitatio consensum præcedit, quando postea cōuersus es, ad faciēda opera bona, Deus sine dubio principalis agens est. quare & Prophe-

Cautè legatur.

ta omnem gloriam operationis tribuit Deo, dicens; *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* Vides enim victoriam exercitûs, omnesque expeditiones, & quæ fiunt pugnæ, adscribi Imperatori; licet etiam gregarij milites suo fungantur munere. Deus tamen non operatur solus, sed necessum est, vt tu verè cum eo cooepereris. Non satis est te consentire, vt Deus in te operetur; sed oportet te talem esse, vt Deus operetur per te: & non per te, quomodo faber per malleum, sed quomodo intelligentiæ per cælos, quomodo cæli per elementa, quomodo Deus per naturam, quomodo natura per artem, quomodo vna ars primaria per alteram secundariam: adeò vt verissimè dictum sit à magno illo Patre & Doctore; Deum aliqua facere in nobis sine nobis, aliqua cum nobis, reliqua per nos. In nobis sine nobis operatur bonas cogitationes nostræ salutis, quę immittuntur in nos ab illo per gratiam excitantem & præuenientem, quando rebus huius seculi sumus immersi. In nobis cum nobis operatur bonum velle; quando bonis cogitationibus locum dedimus, & Spiritui sancto non sumus reluctati. In nobis per nos operatur bona opera, quando iam sumus conuersi, & facti sancti ac iusti.

Esa. 26.

Quomodo Deus operatur in nobis.

Tria Deus in nobis operatur.

Ex his, quæ dicta sunt hactenus, non difficilè colligitur, quid facere debeatis vt conuertamini. Scitis primum principium à Deo promanare, sicut & finis siue complementum: illud verò sine nobis, hoc autem cum nobis. Superest medium. In omni enim re tres partes spectantur, principium, medium seu progressus, & finis. In progressu igitur quid facere debet peccator, vt optatum conuersionis finem assequatur? Audi Prophetam, *Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in testimonia tua.* Domine, postquam me visitasti, & locutus es mihi ad cor, à malè incepta via meorũ peccatorum reuersus sum; cœpi mecũ praua opera mea ponderare, quibuscũ te tam grauiter offendi, & extemplo tu operando cum tua gratia, & ego cooperãdo cum libero meo arbitrio, magna me conuersione immutasti, vt iam nihil mihi sit magis in voto, quàm emendare vitam meam, & omnia mandata tua diligenter obseruare. Hæc est via, hic modus se conuertendi ad Domi-

Quid homini in progressu conuersionis faciendum.

Psal. 118.

Dominũ, Christiani: considerare turpitudinem, multitudinem & grauitatem peccatorum vestrorum, non consideratione tãtùm speculatiua, sed & practica: versetur vobis ob oculos quomodo peccatum constituit vos filios iræ Dei, Paradiso eiecit, æternæ mortis & tormentorum gehennæ reos peregit, omnibus virtutibus spoliauit, gratiam abstulit, & ipsam naturam nostram deformauit.

Quòd si hæc omnia debita cum diligentia ponderaretis, & in his cogitationibus immoraremini, quomodo fieri posset, vt non confestim vobiscum deliberantes proponatis ad Deum conuerti, & peccatum instar lepræ aut contagiosæ pestis in posterum vitare? Et lepra & pestis certè morbus est odiosus, nec in se tantùm fœtidus & horridus, sed & contagiosus. Sed quæ lepra, aut quæ pestis è corpore in animam redundat? Secura est anima ab omni morbo, peccatum verò omni morbo contagiosius animam simul & corpus occidit. Natura omnibus nobis horrorem quendam inseuit, quo concutimur, cùm serpentem conspicimus; fortè quòd memoria primi illius serpentis, qui primum parentem nostrum fefellit, & veneno suo totam naturam nostram infecit, renouatur. Prô, cur non idem nos horror inuadit, quotiescunque oculis intellectûs nostri videmus & consideramus tot enormia peccata nostra, quæ quid aliud sunt, quàm præsentissimum antiqui illius serpentis venenum? Ecquid in orbe terrarum reperitur, quod magis nocet homini peccato? Terra, aqua, aër cũ infecta sunt, & ignis ardens possunt quidem exteriorem hominẽ corrumpere, peccatum verò acutiùs omni sagitta penetrat vsque ad hominem interiorem. Tygrides, vrsi, leones, lupi & dracones omnia quidem membra, quæ foris videntur, possunt laniare: spiritus verò qui intus latitat, semper illæsus remanet, donec peccatum omni fera crudelius illam deprædatur, & miserè æternam in mortem cogit.

Lepra animę.

Genes. 3.

Exhortatio ad fugiendũ peccatum.

O miseram cæcitatem nostram, cum omnibus quę aduersantur nobis pugnamus, vt hanc infelicem corporis vitam tueamur, & nunquam in animum inducimus nostrũ, vt cum peccato, quod animæ vitam inopinatò

Exigua multorum cura in purganda anima.

opinatò tollit, dimicemus & confligamus. In purgandis naribus, in resecādis vnguibus, in mundandis oculis, in lauandis pedibus, in omni immunditie nostra tergenda curiosi sumus & diligentes: anima quæ tota putrida est, ob feces singulis horis crescentes, peccatis ipsis sordidiores, immersa iacet sordibus, & stercore oppressa: nec est qui purget. Arbores, vineæ, plantę putantur & purgantur, animæ cura nemo tāgitur: nemo est qui studet eam mundare à tot peccatorum sordibus; nemo qui à tot vitijs curare conatur. Quis vestrum est qui vestem habens laceram, calceos attritos, aut pileum obsoletum, non accedit statim, pudore huius seculi motus, aut sartorem aut cerdonem vt sarciantur, reparentur, renouentur? Heu sola anima in tantum negligitur & contemnitur, vt moriatur, fiat inutilis, misere viuat & infeliciter, tot vitijs obruta sepultaque, nemine commiserante, nemine curam eius suscipiente iaceat. O Heraclite, ô Democrite, quàm lati vobis nunc essent, si viueretis, campi, tibi deflendi, & tibi ridendi stultitiam & cæcitatem hominum?

Omnes interim cogitationes, omniaque studia vestra vana erunt, nec vos ad salutarem conuersionis finem adducent, si Deus, qui per gratiam præuenientem incepit, concomitante & subsequente non opituletur. Medium est connexio principij & finis. Principiū & finis huius cōnexionis est Deus; oportet igitur vt progressus ille vester à Deo promoueatur. Orate, orate: *Conuerte me Domine, & conuertar. Conuerte nos Deus salutaris noster. Dic animæ meæ, Salus tua ego sum.* Nolite dubitare, vix spiritualem hanc viam eritis ingressi, & ad primum mox passum Dn̄s porriget vobis manum, & tanquam is, qui cognoscit vestrā infirmitatem, sustentabit & fulciet vos, & consolabitur, formabitque imperfectum contritionis vestræ, desiderij vestri, & omnium cogitationum vestrarum: implebit vos lætitia, eriget vos in spem salutis vestræ certissimam. Audite Prophetam; *Si dicebam, Motus est pes meus: misericordia tua Dn̄e adiuuabat me. Secundū multitudinem dolorum meorū in corde meo, consolationes tuę lætificauerūt animam meam.* Sentietis in vobisipsis mutationem admirabilem cordis & affectuum vestrorum, dicetisque:

Gratia Christiano necessaria.

Thren.5.
Psal.84.
Psal.34.

Bonitas Dei postquam primum gradū conuersionis ascendimus.

Psal.93.

Psal.76. *Hæc mutatio dexteræ excelsi.* Videbitis vos mirã nactos alacritatem ad percurrendam viam Domini, & clamabitis; *Deus qui præcinxit me virtute, & posuit immaculatam viam meam.* Prompti eritis ad faciendam quamcunque pœnitentiam pro peccatis vestris, & dicetis; *Postquam conuertisti me, egi pœnitẽtiam, & percussi femur meum.* Cognoscetis vos non amplius esse debiles, vt eratis prius; sed robustos aduersus tẽtationes, & quoscunque inimicos vestros, cantabitisque; *In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nos. Non in arcu meo sperabo, & gladius meus non saluabit me. Tu præcinxisti me virtute ad bellũ, & supplantasti insurgentes in me subtus me. iccirco persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar donec deficiant. conteram illos, nec poterunt stare; cadent subtus pedes meos.*

Psal.17.

Hier.31.

Psal.43.

Psal.17.

Satis est Christiani; prolixè satis à me disputatum est, labori finem faciam. *COnuertimini, conuertimini ad Dominum Deum vestrum in toto corde vestro*] Anima vita corporis est, Deus vita est animæ. Corpus sine anima mortuum est, nec anima Deo expers viuere potest. Peccatores & peccatrices, Deum non habetis, estis mortui; conuertimini ad Deum, si viuere volueritis. Boni & bonæ, viuitis, quia gratiam Dei habetis: cauete ne amittatis, nisi fortè mori volueritis. Nolite existimare satis esse, si nunc conuersi sitis: oportet enim conuerti semper. Aër semper illuminatur, si quando sol subductis radijs suis eum non illuminet, mox obscuratur, fitque tenebricosus. Si cor vestrũ non conuertatur singulis horis & momentis, vt percipiat vitalem diuinæ gratiæ fluxum, sed vel modicum per peccatum mortale sese auertat à Deo, cõfestim etiam Deus auertit ab illo serenũ vultum suum, & quod prius de abundantia diuinæ gratiæ superbè gloriabatur, se totum miserũ & infelix deprehendit. *Dixi in abundantia virtutis meæ, non mouebor in æternum. Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.*

Deus est vita animæ.

Non sufficit semel conuerti, sed semper conuerti oportet.

Psal.29.

Estote humiles, estote humiles, & mentes vestræ semper ad Deum conuersæ sint. Deus non dedit nobis duo præcepta, vnum amoris sui, alterum amoris nostri: sed vnum tantùm dedit, amoris scilicet sui. qui

Præceptum Dei vnũ est.

enim

enim Deum amat, amat ſemetipſum. Quid eſt amare, niſi bene velle? Omne bonum tuum Deus eſt; conuertere, ó homo, conuertere ſemper ad Deum; cùm te auertis à Deo, mox peccas: & quid aliud homini malum eſt præter peccatum? Qui peccat, ſibi ipſi contrariatur, & ſeipſum lædit: qui amat peccatum, odit ſemetipſum. Euge, euge viri & fœminæ, cùm tam tenerè vosipſos diligatis, eia peccatum fugite, & ad Deum reuertimini. Qui fugit peccatum, fugit omne malum; qui conuertitur ad Deum, habet omne bonum.

Dulciſſime Domine, qui initio creaſti hominem ſine peccato vultu ad tuum ſplendorem, tuosque radios côuerſo, vt virtutem à te & ſimilitudinem tui perciperet, tanquam iris à Sole: quique poſtea tanquam zelotypus tantopere doluiſti, cùm ad perſuaſionem Diaboli dorſum tibi obuertit, vt dixeris; *Pœnitet me feciſſe hominẽ*; quia vultu & aſpectu eius, imagine verò mea, fruitur alter. quique tandem vt te oblectares, & in faciem eius intuereris, tam intolerabilia tormenta, mortemque tam duram & amaram, amore noſtri captus, perpeſſus es; Ecce, Domine, nos qui denuo nimis mobiles, vultum noſtrum conuertimus, non quidem ad te, ſed ad mundum, ad Diabolum, ad carnem, in nos ipſos oculos mentis noſtræ conuertimus, non gloriæ tuæ, magnitudinis tuæ, Maieſtatis tuæ, aut beneficiorum tuorum, vti nec amoris tui recordamur. Non eſt nobis curæ anima noſtra immortalis, corpus noſtrum terrenum & miſerum, puluerem & cinerem illi præferimus. Animã noſtram vt rem nullius ponderis mũdo prædam obijcimus; corpus tanquam pretioſum perbellè curamus, & in ſummis delicijs enutrimus: carnalibus deſiderijs, & mille voluptatum generibus vt affluat operam damus. De te, Domine, nunquam cogitamus, haud aliter quàm ſi nuſquam gentium eſſes. Heu, Domine, in quantam ſumus prolapſi miſeriam? & quis tandem erit finis, ſi tu non ſuccurras? Alterius, quàm tua, manus non poteſt denuo cor noſtrum ad te conuertere. Oramus te, & ſupplicamus tibi per charitatem tuam, per temetipſum, vt potentia tua & miſericordia tua magna nimis conuertas nos intrinſecus & extrinſecus. *Conuerte, conuerte nos*

Inuocatio Authoris ad Deum, vt nos conuertat.

Geneſ. 6.

Deus salutaris noster; & nostras ad te rebelles compelle voluntates. Facite vos Christiani & Christianæ quod potestis, & Deus non deerit vobis, vt conuertamini: sic enim respondet precibus nostris; *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Quod vobis concedat ille qui est benedictus in secula. Amen.

Zach. 1.

CONCIO DE TRANSFIGVRATIONE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI;

Habita Neapoli in atrio Regio, Anno à partu Virginis M. D. LXX.

IN EVANGELIVM MATTHAEI. Quod legitur Dominica secunda in Quadragesima.

Matth. 17. *ASsumpsit Iesus Petrum, Iacobum, & Ioannem.*

PROOEMIVM.



QVEMADMODVM Filius Dei de sinu Patris descēdens, carnemque nostram induens, adeò sese ab illa consubstantiali & coæterna sui principij forma deiecit, vt licet Deus remāserit, purus nihilominus homo videretur. *In similitudinem hominū factus, & habitu inuentus vt homo*: sic econtrariò hodierna die in hac transfiguratione, humana Christi caro ad tantam lucis & gloriæ dignitatem, supra splendorem stellarum, Lunæ ac Solis, est exaltata, vt quamuis verè fuerit homo, Deus tamen, & quidem

2 Cor. 5.

tantum-

tantummodo esse videretur. *Etsi cognouimus secundùm carnem Christum, sed iam non nouimus*, inquit Apostolus de Iesu glorificato. Et Propheta ante illum; *Homo est, sed quis cognoscet eum?* Humanitas hactenus tegebat diuinitatem, hodie Deitas tanta cum luce apparuit, vt absorbuisse, & per admirabilem hanc transfigurationem ad se rapuisse naturam humanam videretur. Satis superque iam quòd homo erat cognoscebatur: necesse erat vt etiam scirent homines, quòd erat Deus. Sic nox diem præcessit, & aurora Solem. Philip. 2.

Sed te nouum inuoco Solem, Iesu Domine, & Deus mi, lumen immortale & gloriosum. Sicut sine intermissione te laudamus, & tecum simul de tuis honoribus, tuaque excellentia sincero corde lætamur, dicentes; *Gloria tibi Domine, quia gloriosus apparuisti hodie*: luminibus enim faciei, vestiumque tuarum cælo ipso serenioribus, mons rutilabat, & ipsa terra, licet natura sua opaca, rore suo matutino incredibili modo splendebat: ita quæsumus Domine illumina intellectum, vt magna hæc mysteria intelligat; inflamma quoque affectum, vt amore tui, desiderioque te facie ad faciem sine speculo & ænigmate videndi totus ardeat. Intercedite & vos Auditores pro me apud Virginem Mariam, vt viuo suo fauore mortua verba mea viuificet; nemo enim fortè maiorem gloriæ, lætitięque partem hîc habebit quàm illa, cùm sit Mater, Filia simul, & Sponsa Christi huius glorificati. *Aue Maria.*

PARS PRIMA.



QVEMADMODVM miles, qui ad mandatum sui Regis post hyberna vocatur, vt relicto hospitio in castra reuertatur, si in itinere in commilitonũ suorum comitatu, nouo iam vere, annoque lætissimo, ex improuiso pratũ, herbis, floribusque omnigenis vestitũ occurrat, vix se continere potest, quin venustate illa inuitatus equum sistat, in gyrum ducat, saltet, ludat, iucundetur, multaque lætitiæ signa exhibeat: Sic & ego, Excellentissime Domine, vt morem geram Vestræ Excellentiæ, Simile.

tam auidæ, Verbiq́ue diuini audiēdi cupidæ, stans hodie in oculis vestris, & in conspectu tantæ audientiū coronæ, in spatioso hoc cāpo, læto, ridentiq́ue ob gloriosam Christi transfigurationem, quæ manifestum signum, verumq́ue fuit specimen beatæ illius gloriæ, qua nos secundùm fidelium Apostolorum & Prophetarum promissiones in futuro illo æternę vitæ seculo fruituros speramus: fieri nō potest, quin linguæ meæ fręna parumper laxem, & exiguis meis viribus, propter auram tam inhumanam, quàm vos, qui me auditis, humani estis, & me & vos exhilarem; prolixam de hoc mysterio profundissimo, argumento singulari, epitome & summario vt diuino, ita succincto mortis illius pretiosæ, virtutisq́ue rediuiui Christi, (quæ duo mysteria sunt tanquam poli duo, super quos duo voluuntur capita, è quibus duo oriuntur fundamenta, quæ sustinent duas columnas, quibus totius Religionis Christianæ gloria perpetuò fulcitur) orationem faciendo.

Christi transfiguratio symbolū est nostræ gloriæ.

Omnis sapiens architectus, qui magnam aliquā fabricam constructurus est, exiguum priùs pingit, fingitve exemplar, in quo etsi non materia, saltem forma totius machinæ, quam ædificaturus est, cōspicitur: & summus ille architectus mundi Deus, paucis diebus magnam illam fabricam, qua maior non potest excogitari, construxit: Christum in crucem exaltauit, ac paulò pòst è sepultura in cælum sustulit, vt cælo, terræq́ue dominaretur. Ecce priùs nobis exemplar huius fabricæ exhibetur, Christus scilicet trāsfiguratus. *ET transfiguratus est ante eos.* Iccirco descendens de monte dixit; *Nemini dixeritis visionem hanc, donec filius hominis à mortuis resurgat.*]

Matth. 17.

Duo triūphi Christi.

Duo sunt hi nobilissimi triumphi, Auditores, vnus Crucis contra peccatum, alter Sepulchri contra infernum. Mors Christi in Cruce fuit omnis meriti nostri radix. Resurrectio verò è sepulchro est spes omnis nostri præmij. Si Christus non esset mortuus, omnes adhuc iræ diuinæ propter peccatum Adæ essemus obnoxij. si non esset resuscitatus, neque nos è cineribus nostris resuscitaremur. Si Christus non fuisset mortuus, quis mihi persuadere posset eum verum

Mors Christi cōfortat nos, resurrectio honorat.

fuisse

fuisse hominem, & non potiùs aliquod phantasma? Si non esset resuscitatus, quis mihi fidem facere posset illum esse Deum, & non hominem purum, quemadmodum & nos omnes sumus? Mortuus est, mortuus est, quia erat homo: sed resurrexit, quia erat & Deus. Lætamini peccatores in hac morte, refocillamini pœnitētes in hac resurrectione. Reuera Neapolitani mors eius confortat, & resurrectio eius honorat nos & glorificat. Aufer mortem Christi, & erimus desolati: tolle resurrectionem, & erimus impij, quasi sine vllo numine. Resurrectio quidem materia est scandali Iudæis, & mors stultitia gentilibus. Vtraque verò est sublimitas pietatis Dei, est profundum infinitæ illius sapientiæ, dignæ quæ non ab Ethnicis, non à Iudæis, sed à Christianis intelligatur. *Et transfiguratus est ante eos.*

ET transfiguratus est ante eos.] Cur quæso putatis Christum (vt hinc ordiatur sermo noster) transfigurari voluisse, nisi vt Discipuli morte illius imminente non deficerent, aut animum despōderent: sed spe resurrectionis, quā paulò antè illis prædixerat, corroborarētur, nec de ea desperarēt. *Tradetur gentibus*, inquit, *illudetur, conspuetur, crucifigetur, occidetur, morietur, & tertia die resurget.* Icciro addit Lucas; *LOquebantur de excessu quem completurus erat in Hierusalem.*] Iste erat excessus, Domini mei, de quo loquebantur Apostoli, qui initiū habuit in Nazareth, vbi erat cōceptus; progressum in Bethleem, vbi natus erat ex Maria Virgine; qui continuatus est in Galilæa & Iudæa, vbi toto vitæ suæ decursu conuersatus est; consummatus denique & absolutus est in Ierusalem, vbi mortuus est & resurrexit.

Cur Christus voluerit trāsfigurari.

Luc. 18.

Luc. 9.

Qualis fuerit excessus Christi.

ET loquebantur de excessu.] Mors fuit excessus sanctitatis & amoris; vt quòd tam voluntariè mori voluerit pro inimicis suis, cùm nulli peccato esset obnoxius. Resurrectio fuit excessus iustitiæ & honoris; ratione namque diuinæ iustitiæ homo in Christo fuit multò magis exaltatus, quàm fuerat in Adamo depressus. *ET loquebantur de excessu.*] Mors fuit excessus humilitatis & obedientiæ, quia cùm parum illi videretur humiliari, adeò vt homo fieret, voluit magis humiliari, & quidem quàm profundè potuit; moriens

Luc. 9.

morte turpissima, & qua turpior atque ignominiosior eo tempore non potuit inueniri: tantùm vt obediret Patri. Resurrectio econtrariò fuit excessus potētiæ & fortitudinis: exuit enim Diabolum regno, & spoliauit illum armis suis; humanam naturam à peccato & à morte liberauit; ipse autem factus est immortalis, super omnes cælos ascendit, gloriosusque & triumphans ad æterni Patris dexteram consedit, denique & tot iam seculis inimicam sibi, inuerecundam & obduratam Iudæam per totum terrarum orbem dispersam, errantemque circunducit. O quantus excessus. *Loquebantur de excessu.*] Omnis Christi actio excessus quidam fuit. Quid quæso vnquam excessit Christum, & qua in re non excessit ille semper? *Nunquam sic locutus est homo. Nunquam sic apparuit in Israël. A seculo non est auditum. Non est similis tui in Dijs Domine, & non est secundùm opera tua.* Sed quemadmodum in omnibus alijs rebus & homines & Angelos excessit, sic cùm moriebatur & resurgebat, excessit, vicitque semetipsum. Fuit mysterium hoc altissimum, Docti, fuit & excessiuè mirandum, occidi cum tanto Iudæorum peccato, & tamen moriendo totius mundi peccata abolere; tam ingens sacrilegium cōmittere, quod iram diuinam præter modum prouocabat, vt immolaretur sacrificium, quo omnis indignatio Dei placaretur; Diabolo & morti arte tam ingeniosè excogitata obsequi, & tamen hoc ipso obsequio vtriusque imperium euertere, occisum occidere, mortuum resurgere, resurgendo secum mortuos resuscitare, morte mori, & æterna vita resurgere. O altitudo diuitiarum sapientiæ Dei. *Ascendet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* Iccirco D. Petrus, magister & Princeps omnium Theologorum, (hic est ille Petrus, Neapolis, amicus tibi tam charus, qui tibi tanta præstitit beneficia, qui muros tuos tuaque flumina nobilitauit, priusquam ad sedem suam Romanam venisset) vt probaret, doceretque veritatem & fidem diuinitatis in Christo, omittens immensum illud pelagus mortis & resurrectionis, orationem suam in paruo hoc transfigurationis alueo conclusit. *Non doctas*, inquit, *fabulas secuti notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi*

Ioan. 7. Matth. 9. Ioan. 9. Psal. 85. Rom. 11. Psal. 17. 2 Pet. 1.

virtutem; sed speculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim à Deo Patre honorem & gloriam, voce delapsa ad eum huiuscemodi à magnifica gloria; Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Et hanc vocem nos audiuimus de cœlo allatã, cùm essemus cum ipso in monte sancto. O Petre. ô Petre, *Caro & sanguis non reuelauit tibi.* Audi quid dicat; *Nos doctrinam hanc,* inquit Sanctus ille Senex, non ex nostro cerebro confinximus, non sunt commenta nostra, vt prædicemus Christum esse Dei filium, quomodo fecerunt Græci doctis & artificiosis suis fabulis, in quibus cum tanto Poëseos lepore populo persuaserunt vt crederet nõ vnum, sed quàm plurimos esse Deos: Iouem esse filium Saturni, Mineruam esse filiam Iouis; Saturnum Cælo procreatum, Æsculapium verò ex Apolline genitum. Non, non filij mei, nequaquam fratres mei. Nos piscatores sumus, alieni ab omni artificio, Musarum expertes, quarum ne quidem nomina cognouimus; nunquam litteras didicimus, omniũ ignari sumus, & artis & allegoriarũ, & mythologiarum. Non nouimus poëticè fingere, non loquimur nisi simpliciter, nude, verè. id semper, id vbique referam, quòd vidimus, quod audiuimus. Audite igitur quid dicturus sim. Eramus in monte Thabor, in comitatu huius nostri Christi, qui Magister noster est. Non eramus soli, ne quis deceptos nos esse arbitretur. Apparuerunt ibidem summi Synagogæ Prophetæ, & ecce ex improuiso is, qui hactenus gloriam suam nobis occultauerat, atque nobiscum vt homo mortalis conuersabatur, tantos subitò splendorum radios è vultu cœpit spargere, vt formosior visus sit mille Solibus, omnibusque totius firmamenti syderibus rutilantior. Heroës autem illi, qui mundo Semidij credebantur, illum cum summa reuerentia vt Deum adorabãt, & diuinos hymnos in laudem illius concinebant. Vox autem cælitus delapsa, & ex candida nube, quæ vmbram quandam sublucidam iaciebat, audita huic miraculo maximum stuporem attulit, & id quasi perfecit; tonitruum namque in auribus nostris videbatur, perspicuis simplicibusque verbis asserens; *HIc est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*] per quem totum

Matth. 16.

Expositio verborũ Petri de Transfiguratione Domini.

genus vestrum est mihi reconciliatum. illum imitamini, illum audite, illi obtemperate, si saluari volueritis. Iudicate nũc inter vos, anne hæc vox fuerit æterni Patris, creantis filium suum Doctorem & Magistrum omniũ nostrûm sub hac lunari sphæra degentium? O argumentum, ô rationem, ô authoritatem verè irrefragabilem.

Euangelium de Transfiguratione sępe legitur in Ecclesia.

Honestum est, Illustrissime Prorex, Ecclesiam hoc Euangelium frequentiùs, quàm quoduis aliud repetere: Legit illud heri, legit hodie, leget sexto die mensis Augusti. Heri, qui fuit vndecimus dies Quadragesimæ, numerus transgressionis, vt aiunt prisci Patres, legit illud pro peccatoribus. Legit insuper hodie, qui dies est duodecimus, numerus superabundans, pro pœnitentibus & proficientibus. Sexto denique Augusti legit pro hominibus augustis, hoc est, perfectis. Necesse enim est omnes homines, cuiuscunque status & conditionis, hanc Christi transfigurationem cognoscere. Iccirco Dominus, cùm negotium esset maximi ponderis, voluit illud tanta cum authoritate celebrari, & testimonia cæli, terræ, Paradisi, inferni, viuorum, mortuorum, præsentium & præteritorum, legis & Prophetarum in hac actione concurrere. Vox fuit testimonium cæli, Apostoli fuerunt testimonia terræ. Helias veniens è Paradiso, Moyses ex inferno, vnus erat mortuus, alter viuebat & viuit adhuc: in Moyse lex, in Helia totus Prophetarum ordo testimonium diuinitatis Christi ferunt hominibus præsentibus & futuris. *Et qui præibant & qui sequebantur, clamabant; Osanna filio Dauid.* Hæc transfiguratio præter modum fuit admirabilis, ideoque opus erat vt testimoniis mirabilibus confirmaretur, vt fidem apud homines inueniret. *In ore duorum vel trium stat omne verbum,* inquit lex. Hîc non sunt duo vel tres, sed duo sunt & tres, duo Prophetæ, & tres Apostoli. Quid quæritis vlteriùs?

Mat. 21.

Deut. 17.

ET transfiguratus est ante eos: & transfiguratus est ante eos.] Attendite, Domini mei, Christus Iesus benedictus ex natura erat summi Patris figura, tanquam filius eius vnigenitus, imago, speculum & character illius substantiæ. *Splendor gloriæ, & figura substantiæ eius,*

Heb. 1.

eius, vt inquit sanctus Apostolus. sed ab æterno carnem & ossa non habebat. Erat spiritus purissimus, nec figuratus, nec figurabilis. *Cui similem fecisti Deum, aut quam figuræ imaginem posuisti ei?* Vt autem cognosceretur, figurauit sese in carne nostra. *In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Non legistis; *Sum quidem & ego similis vobis, ex genere terreno, & in ventre matris figuratus sum caro?* Crucifixus est idem Christus à sceleratis illis Iudæis, desiguratus est totus, eum in modum mutatus est, ab eo qui erat antea, vt omnem suum amiserit colorem, pulchritudinem & figuram pristinam, vt alius videretur ab eo qui paulò antè fuerat. *Non est species, neque decor. Vidimus eum, & non erat ei aspectus.* Heu mihi, si quis vidisset Iosephum tam formosum filiolum è Rachele natum, quando in summis esset angustijs, cùm in crudelium ac impiorum fratrum manus inciderat, dixisset vtique: *Non est hic ille Ioseph.* Sic omnes de Christo, ô Animæ meæ, & feria quinta, & ipso Parasceues, si vidissetis ligatum, spoliatum, flagellatum, spinis coronatum, clauis cruci affixum, mortuum, dicere potuissetis. Et quis nostrum non ad pietatem atque misericordiam motus fuisset, qui vidisset eum, cùm à Pilato populo exhiberetur? *Ecce homo, Ecce Rex vester?* O rabidi canes, ô immanes Iudæi. *Et fecerunt in eum quæcunque voluerunt, fecerunt in eum quæcunque voluerunt.* Agedum resuscitatus est die tertio, & visus est multò formosior, quàm fuerat antea. Ecce vera transfiguratio, cuius specimen, pignus, arrha & exemplum illa fuit, cuius hodie fit mentio.

Esa. 40. Philip. 2. Sap. 7. Esa. 53. Ioan. 19.

Vera Christi Transfiguratio fuit resurrectio.

TRansfiguratus est ante eos. Dominus regnauit, decorem indutus est. Visus est in aliena effigie,] inquit sanctus Marcus. Habebat ante mortem effigiem hominis mortalis, post mortem habuit hominis immortalis & gloriosi. *Etsi cognouimus secundùm carnem Christum, sed iam non nouimus.* Ideo appellatur Peregrinus: *Tu solus peregrinus es?* O verè peregrinum. Quid enim peregrinum magis à nostra natura, ærumnis plena, quàm vt quis sit beatus? A filijs mortis, quid magis alienum, quàm vt quis sit immortalis? Et à filiis iræ, quid magis extraneum, quàm vt quis sit gloriosus?

Psal. 92. Mar. 9. 2 Cor. 5. Luc. 24.

Transſigura tio Chriſti qualis.

TRansfiguratus eſt ante eos.] Gloria Moyſis, cùm de monte in planitiem deſcendiſſet, populoq́ue loqueretur, non erat tranſfiguratio: lumen enim vultûs illius extrinſecus adueniebat, haud ſecus, quàm lumen aëris in colores deſcendere conſueuit. Chriſtus tranſfiguratorum eſt primus: ab interna namque facies externa tantum ſplendorem percepit. Non eſt perſonatus, aut larua tectus Chriſtus, non aſſumpſit quod non habebat, non depoſuit quod habebat: non finxit vultûs ſui lineamenta, non mutuauit aliunde faciem. Ecce tráſfiguratio tota illius eſt. Glorioſus ille ſplendor, quem in ſemetipſo ad noſtram ſalutem diuina diſpenſatione abſconditum habebat, hodie ad honorem ſuæ Maieſtatis foras erupit, ſeſeq́ue manifeſtauit.

Matth. 17.

ET facta eſt ſpecies vultûs eius altera: non alia. Non alia, altera tantùm. *Reſplenduit facies eius ſicut ſol, & veſtiméta eius facta ſunt alba ſicut nix.*] Naturale eſt, Domini mei chariſſimi, vt ſcitis, ab anima, quando beata eſt, beatitudinem etiam in carnem redundare; ſed in quantum capax eſt. Beatitudo namque animæ, quæ ſpiritus eſt, non conuenit corpori quantumuis beato: ſunt enim duæ formæ, quomodo & duæ ſunt materiæ; vna ſenſibilis, altera intelligibilis. Chriſtus itaque cùm mortalibus ſuis membris vti deberet tanquam inſtrumentis redemptionis noſtræ in morte Crucis, ab ipſa conceptione cohibuit ſemper beatitudinem, quæ intus in ſe latebat, & tanquam fræno moderabatur, ne ſeſe animæ gloria in corpus effunderet. Eſto contenta, inquit Chriſtus, ô anima mea, quòd tu beata es, quòd Deum intueris, quòd habes omnia quæ appetis: maneat corpus meum vt corpora aliorum, vſquequo dum mortuum reſurrexerit: patere hanc violentiá in humani generis beneficium, pro quo & te & carnem hanc aſſumpſi. Hoc modo anima quieſcebat, & tanquam lampas accéſa quidem, ſed in ſemetipſa incluſa lucebat: at lumen ſuum foras non emiſit, & in lucernæ ſuperficie ne radius quidem magni illius & glorioſi luminis vnquam videbatur. Hodie ſuſpendit imperium ſuum, hodie fræna laxauit animæ, ideoq́ue ex abundantia lucis illius, quæ erat intus in anima, tanta claritas foris in vultu Chriſti ef-

ſti effulſit, vt nec currus igneus, perpetuum magni illius Heliæ ſymbolum, nec cornua Moyſis, quæ niſi velo tegerentur viſum intuentibus adimere conſueuerunt, in hac tanta gloria locum habuerint. O Sol quanta hodie maceratus es inuidia, forſitan enim dies hic ſuo ſplendore te confudit, & radios tuos ſua claritate obſcurauit; aut quanto potiùs gaudio exultaſti, qualitatem & gratiam quandam percipiens à radijs illius Solis increati, illius Solis inuiſibilis? Gaudete ſanctiſſimi Apoſtoli, quibus datum fuit pro nobis omnibus glorioſum hoc videre ſpectaculum. Beati oculi veſtri, Petre, Ioannes, Iacobe, qui in Chriſto tantam conſpexere Maieſtatem, & beatæ aures, quæ tam myſtica colloquia barbatorum illorum Hieronymiſtarum, Moyſis & Heliæ, de morte & reſurrectione Saluatoris audiuerunt. Heu cur non per aërem ad nos delata ſunt ipſa verba ſanctiſſima, quæ garrula Echo ingeminare quodammodo, & quibus reuerendæ iſtæ cauernæ reſonare videbātur? Vnde & mons Thabor, & in eius ſocietate vicinus mons rotulentus Hermon exultarūt. Non legiſtis oraculum; *Thabor & Hermon exultabunt?* Pſal.88.

Exurgite, exurgite Chriſtiani; agite ſi quis vno intuitu omnia magni huius mundi videre velit mirabilia, contempletur hominem, qui eſt mundus paruus, qui eſt microcoſmus. Qui verò totum velit Chriſtum contemplari, qui mundus eſt ter maximus, intueatur eum hodie in hac ſumma gloria, cùm in præſentia Petri, Ioannis & Iacobi, trium Apoſtolici chori primariorum; Moyſis quoque & Heliæ, duorum veteris legis præcipuorum luminū, ſeſe in excelſo hoc monte, in tanta Maieſtate, quæ plus habet diuini quàm humani, exhibet conſpiciendum. Ita illum quondam Prophetæ depinxerunt in Theologia ſua ſymbolica, habentem ſcilicet faciem inſtar Solis, oculos ignitos, capillos & barbam candidam vt nix, & veſtimenta ſicut fulgur radiantia. Deus quomodo à Prophetis deſcribatur.

Ceterùm tempus eſt vt ad finem properet oratio. Quod factum eſt in Chriſto, fiet & ſuo tempore in vobis Chriſtiani. Audiſtis in Euangelio, Chriſtum reſplenduiſſe non tantùm in facie, ſed & in veſtimētis.

Vos

Esa.49. Vos estis vestes. *His omnibus velut vestimento vestieris*, inquit illi Pater æternus. Christus vestit nos sua
Gal.3. gratia. *Quicunque baptizati estis, Christum induistis.* & nos vestimus Christum, cùm ipsum pia ac laudabili vita colimus & condecoramus. Ornatæ namque ve-
Eccli 19. stes etiam magnates honorant. *Amictus, risus, & incessus indicant de homine.* Lætamini, lætamini omnes apud quos hæc optima spes est reposita, quam hodie parit vobis Christi transfiguratio: fore scilicet vt in generali resurrectione omnes viuatis configurati in anima & corpore gloriæ & claritati illius. Non auditis Paulum instar Cygni per spatiosum Ecclesiæ
Philip.3. campum canentem; *Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ?* O quàm diuina verba: corpus nostrum corpus humilitatis est, inquit Paulus, quamdiu sumus in statu, aut potiùs in lapsu mortalitatis. Reformabit illud Dominus tanquam figulus, qui vas fractum reficit, idque in statu resurrectionis: fiet enim immortale, quemadmodum fuisset, si Adam non peccasset. Configurabitur postea claritati suæ, cùm peracto iudicio vniuersali, lataque sententia, corpus hoc, quod erit instrumentum animę sanctæ ad bene viuendũ in mortalibus istis membris,
Dotes corporis glorificati. accipiet dotes istas gloriosas, claritatem, subtilitatem, agilitatem, impassibilitatem. Ecce symbolum, ecce symbolum, Docti, Solis, clari in substantia, impassibilis in natura, agilis in motu, subtilis in radijs. *ET resplenduit facies eius sicut Sol.*] Domine Prorex, Domini qui in dignitate seculari vel ecclesiastica cõstituti estis, meritis quàm titulis illustriores, & vos
Col.3. omnes qui hîc adestis Equites, Nobiles, Ciues, *Vita nostra abscondita est cum Christo in Deo. Cùm ergo Christus apparuerit vita nostra, tunc & nos apparebimus cum ipso in gloria.* Ah animæ electæ, si vita Christi, quæ tantæ erat apud Deum & mundum dignitatis, toto illo triduo fuerit abscondita, cùm anima ad inferos descenderat & corpus in sepulchro erat reconditum, estote excelso animo, nolite cõtristari, neque mirum vobis videatur: sed patienter tolerate, quòd, quamdiu in hoc sublunari mundo versamur, vita nostra

nobis

nobis ſecura eſt & abſcōdita in Chriſto: illa,inquam, vita felix & beata, quæ mortem non timet; non hæc miſera & mortalis, quæ multò meliori iure mors dicenda eſt, quàm vita. Videtiſne vitam vitis, & omnium arborum vitas hyeme ſub terra, in ipſis radicibus eſſe abſconditas, nec ante vernales dies reuelari? Nos, nos ſumus iſtæ arbores, nos ſumus iſtæ vites; radix noſtra Chriſtus eſt. Hæc eſt viua,ſed nos in hac diuturna hyeme ſumus mortui. Totum illud tempus, quo in his inferioribus moramur, tempus eſt brumæ, horridū, aſperum, faſtidioſum & tædioſum. Et quis verus eſt Chriſtianus, non habens ſemper hyemem in hoc mundo, cùm ſanctus ille Pater dixerit; *Si putas te non habere tribulationes, nondum cœpiſti eſſe Chriſtianus?* Sed & hoc omnibus conſtat,vitam Chriſtianam in his duobus conſiſtere: *Benefacere, & mala pati.* An carni quidquam durius queat excogitari, quàm facere ſemper bene, & ab hominibus pro illorum ingratitudine, & à Deo vel vt puniaris, vel vt purgeris, & à Diabolo vt tenteris, ſemper mala recipere: Quid verò dicemus, Neapolitani, de hyeme in qua nos iam viuimus tædioſiſſima atq; moleſtiſſima? O quàm omnibus nobis anni huius ætatis noſtri accidunt calamitoſi, tot Hæreticorum & Turcarum turbis pleni, tot bellis, peſti, famiq́ue obnoxij? Non audiſtis quàm plena ſit terra Principum exercitibus? mare quot habeat triremes: aër quàm denſis ſagittarum nimbis obductus: quàm frequentes vbique audiantur lamentationes, die ac nocte miſeri eiulatus reſonant; Pietas, pietas; miſericordia, miſericordia; eleemoſyna, eleemoſyna; panis, panis? Perpendite quæſo quis alibi ſit rerum ſtatus, cùm in hoc regno, quod quaſi publicum granarium mundi eſt,cui etiam ex diuina gratia præeſt alter Ioſephus, tanquā diſpenſator, tanta in neceſſitate ſit conſtitutum, vt omnibus alijs negotijs tam Religionis, quàm Reipub. relictis, vni huic ſtudere cogamini, quomodo panem vobis comparabitis? *Omnis populus gemens & quærens panem. Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Dederunt pretioſa quæque pro cibo, vt refocillarent animas ſuas.* Non animaduertitis,quòd etiam Concionatores,

Chriſtus noſtra radix eſt.

Thren.1. & 4

tores, postpositis omnibus alijs exhortationibus, ad eleemosynam tãtummodo populum inuitant, opportunè importunéque semper inculcantes, & clamãtes;
Esa.58. *Frange esurienti panem tuum!* Sed & Monachi, Virginesque Deo consecratæ diu noctuque pro vobis & pro
Matth.6. seipsis precantur; *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quicunque igitur penitiùs presentem Christianismi statum, etiam absque oculis spiritualibus intuetur, facilè videt illum esse mortuum, miserum, infelicem, perditum, desperatum. Expectate, expectate paululum, durate, veniet æstas nostra, tunc vera vita nostra reuiuiscet. Et quis scit, si tunc insultantes ijs,
2 Cor.6. qui iam nos mortuos esse iudicant, dicamus; *Quasi*
Cant.2. *morientes, & ecce viuimus! Hyems transijt, imber abijt, flores apparuerunt in terra nostra!* Christus profectò noster, Domini mei, non minus potuit cùm esset mortuus, quàm cùm viueret. Non iam potẽtior est regnãs in cælo, quàm fuit clausus sepulchro: at potentiam suam, Maiestatem suam, diuinitatem suam occultabat, quemadmodum incomparabilem vultûs sui pulchritudinem, & gratiam plus quàm Angelicam in die passionis, inter ipsa tormenta, inter verbera, dolores, plagas & lachrymas abscondit. *Absconditus est vultus eius, & despectus: nec reputauimus eum,* inquit Esaias. *Facies mea intumuit à fletu, & oculi mei caligauerunt,* ait apud Iobum. Ecquod enim in isto triduo signum vitæ fuit in Christi corpore lacero, exangui, exanimi, & verè sepulto cadauere? Quid? neque Apostolis eius erat vita, neque matri illius propter incomparabilem tanti filij dolorem. videbatur potiùs vmbra corporis excellentissima illa Domina, quàm verum, viuumque corpus:

Potentiã, pulchritudinẽ & gratiã suam Christus absconditit.

Esa.53.

Iob 16.

At mater, iam non mater, sed flentis & orbæ
Infelix simulachrum, & functi corporis vmbra.

Quid dico? imò totus mundus videbatur mortuus: antiquum illud elementorum Chaos iam redijsse plerique credebant, *Impiaque æternam timuerunt secula noctem.* An ignoretis quid dictũ fuerit ab Apollophane in celebri vrbe Solis, cùm decima quarta Luna vidit Solem præter omnem Astrologiæ rationem deficere? Videbatur profectò verè mortuus, quomodo & erat in car-

in carne hac noſtra, nomen eius penitus extinctum putabatur, & tamen præter omnem ſpem humanam inopinatò poſt tres dies reſurrexit. Et quāta cum glo ria, quantoque cum honore reſurrexit: Viuit vt vixit prius, viuaciſſimus, viuificans, & ipſa vita. Dominus cæli & terræ, ſplendens vt Sol, veſtitus gloria, terror inferni, gaudiū paradiſi, amor & honor huius mundi; qui inuocatur ab hominibus, adoratur ab Angelis, quem omnes ſequuntur populi. Nihilominus paulò antè ſub petra iacebat, & apud inferos agebat. *Radix in terra ſitienti, Radix in terra ſitienti.* At refloruit, refloruit ad Iudæorum confuſionem, & Diaboli, regnique illius euerſionem. *Refloruit caro mea,* inquit ipſe apud Dauidē. Euge vos eſtis in Chriſto, Chriſtus eſt in Deo, Chriſtus eſt cū Deo, Chriſtus eſt apud Deum, Chriſtus eſt Deus. Perpendite an iuſta ſubſit cauſa dubitandi, quod non & vos aliquādo cum illo in vita æterna reflorebitis, cùm ab illo ſeparati non ſitis? *Vita noſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* quamdiu ille regnat in cælo, & nos peregrinamur in hoc mundo. *Ergo cùm Chriſtus apparuerit vita veſtra,* quod erit ſecundo aduētu, cùm de cælis in terram viſibilis denuo deſcendet, *tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria* ſuper cælos omnes. O quàm chara vobis hæc vita meritò eſſe debet Chriſtiani? quanti hanc æſtimare par eſt, omnibuſque viribus cōtendere, ne hanc perdatis; & ſi perdideritis, eam recuperetis? Nemo eam vobis eripiet, ſi ipſi nolueritis: eſt enim veſtra. Eſt quidem inuiſibilis, quia creditur. poteſt tamen ex parte guſtari, idque per ſpem. Eſt vita vera, quia eſt in Deo; eſt vita ſecura, quia eſt abſcondita; eſt vita ſancta, quia eſt vita Chriſti; eſt vita felix, quia eſt in gloria; eſt vita æterna, quia eſt extra mundum poſita; eſt vita mirabilis, quia ex morte naſcitur; & proinde eſt omnino amabilis, quia vita eſt. O vita, ô vita. Currite igitur, currite & properate ad Chriſtum noſtrum, ſi vitam veſtram deſideretis: eſt enim in manibus illius depoſita. Non vos illic depoſuiſtis, neque enim tam prudentes eſtis; ſed vt filius prodigus ſine fructu conſumpſiſtis. Deus Pater, vt eam vobis reſeruet, in illo & apud illū depoſuit. Erat quidem in Adamo repoſita, ſed

Gloria Chriſti in reſurrectione.

Eſa. 53.

Pſal. 27.

Col. 3.

Vita noſtra eſt in manibus Chriſti.

sed non custodiuit hanc vitam infelix ille: recuperauit Christus omne bonum vestrum, atque ita omne bonum vestrum in Christo remansit, & iam nihil boni habere potestis, nisi ab illo impetretis. In Christo, in Christo est vita vestra, Christiani: in istis vulneribus, sub istis clauis, sub illa lancea latitat. Intrate, intrate in istas cauernas, in parietem hunc perforatum, in hanc petram. illic vestra vita, vestra gratia, vestra gloria est abscondita. O intolerabilem filiorum Adæ cæcitatem, qui licet videant portas cæli apertas, ingredi tamen non nouerũt, neque in tantum gaudium
Matth. 25. intrare didicerunt. *Intra, intra in gaudium Domini tui*, & dices cum S. Petro; *Domine, bonum est nos hîc esse.* Quis scit si fortè illuc ingrediaris ebrius magis, quàm ille Theologiæ mysticæ vino inebriatus? Melius est immorari, optimũ mori. Non dices tunc; *Faciamus tria tabernacula*, sed distingues tamen publicũ taber-
Psal. 26. naculum à secreto, & dices; *Ingrediar in tabernaculum tuum, & morabor in abscondito tabernaculi tui.* Taberna-
Psal. 30. culum tuum, Domine, caro tua est. Sed ô *quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te*, in spiritu tuo, in anima tua, in diuinitate tua? Dixi satis, respiremus: denuo incipiamus, & finem faciamus.

SECVNDA PARS.


ASSVMPSIT Iesus Petrum, Iacobum & Ioannem fratrem eius, & duxit eos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos.] Sic incipit Euangelium. Videte quàm altũ principium. *ASsumpsit Iesus.*] Gratias agimus tibi dulcissime Iesu, benedicimus & laudamus te ex toto corde, quòd dignatus es nobis omnibus in tribus istis Apostolis secretam gloriæ tuæ dulcedinem ostendere. Et quis vnquam potuisset ad æternam illã beatitudinem, cuius exemplar fuit hæc trans-
Psal. 88. figuratio, ascendere, nisi fuisset assumptus à Iesu? *Domini est assumptio nostra*, Christiani, nos omnes terra sumus. terra non ascendit sursum in cęlum, nisi priùs
Ioan. 3. virtute cælesti depuretur. *Nemo ascendit in cælum, nisi*

qui

qui descendit de cælo, filius hominis, qui est in cælo. Quid lamentaris, ô homo, quæ sunt istæ tuæ querelæ? an fortè quia Christus non omnes secum Apostolos, aut non omnes Christianos in mōtem assumpserit? Non assumpsit hos tres Apostolos tanquam priuatos homines, vtpote sibi familiariores & magis intimos; sed assumpsit eos tanquam tres, qui omnes Ecclesiæ Dei status & ordines repræsentant: contemplatiuos scilicet, actiuos, & superiores seu prælatos, quorum vità contemplatione & actione permista est. Meministis trium istorum Heroum apud Ezechielem, qui præ ceteris à Deo electi sunt, Noë, Danielis & Iob? Noë, qui caput fuit humani generis post diluuium, typus est Petri, qui est caput Ecclesiæ: Daniel, qui tot tantasque visiones vidit, vt virgo respondet Ioanni, qui recubuit supra pectus Domini, & similia vidit arcana in sua Apocalypsi, & protoeuangelio: Iacobo, qui gloria est Hispaniæ, detur Iob, qui etiam tot attritus est miserijs dum viueret. quarum maximarū forsan auctrix fuit vxor, quæ illi post mortem filiorum manserat petulantissima. Ehodum igitur in Iob aut in Iacobo repræsentantur omnes actiui, in Daniele & Ioanne omnes contemplatiui, in Noë & in Petro omnes superiores. Reuocate in memoriā, Docti, locum illum Euangelicum, de tribus illis metaphoris, lecti, molæ, & agri. *Duo erunt in agro, vnus assumetur, & alter relinquetur. Duo erunt in lecto, vnus assumetur, & alter relinquetur. Duo erunt in mola, vnus assumetur, & alter relinquetur.* Hi sunt tres status, quos mysticè voluit hîc insinuare Christus, tanquam illi, qui totum complectūtur Christianismum. Illorum autem exemplo hîc Christus apertè voluit ostendere, nullum statum tam esse securum & firmum, vt non possit quis in illo damnari; neque vllum esse tam periculosum, vt non possit homo in eo saluari, si sibi ipsi vim inferre, & diuinę gratię velit cooperari. Qui in lecto sunt, significant contemplatiuos, qui longè à perturbationibus, secularibusque negotijs remoti, in Christo, & in chara dulcissimæ contemplationis Dei quiete dormiunt & requiescunt. Actiui, negotiosi, operarij, receptores & procuratores pauperum, fideles mercatores, artifices, nobiles,

Cur Christus tres tantùm Apostolos assumpsit.

Matth. 24.

nobiles, qui suo censu aut labore viuunt honestè, per eos intelliguntur, qui molunt in mola, quorum vita plena est laboribus, molestijs & tædio. Principes qui participant labores horum, & quietem illorum, per agricolas designantur. Et vos ipsi, Domini mei, qui animi recreandi gratia nonnunquam relicta Neapoli in hortos & villas vestras seceditis, vt agriculturam exerceatis, ipsi probatis, hanc vitam, etsi eximiam habeat dulcedinem, propter optatum otium secessus, & à tumultibus ciuilibus libertatem, multum nihilominus habere amaritudinis admixtum, propter solitudinem, quæ tanquam à conuersatione amicorum separata molesta est: homo enim non est animal solitarium, sed sociale, & natura sua familiaritatis amans. Quòd si hæc solitudo nimis sit diuturna, tædium adfert & fastidium. Quamobrem nobilia quondam ingenia, vt hanc dulcedinis atque amaritudinis mixturam in agricultura insinuarent, duo monosyllabica, & ferè similiter desinentia vocabula maiusculis litteris ostijs villarum suarum inscribebant, anticis quidem, *O Rus*, posticis verò, *O Crux*.

Per vnum sæpe significari in Scriptura sacra multos. Sed vt eò, vnde digressa est, reuertatur oratio: non ignoratis, qui sacras didicistis litteras, in vno illo infirmo & languido, iuxta Piscinam à Christo sanato, omnes peccatores, qui quotidie in sacramentis baptismi & pœnitentiæ sanantur, repræsentari. Et in vno

Ioan. 5.

Matth. 22. illo, qui nuptijs Euangelicis, eò quòd veste non erat indutus ista cœna digna, expellebatur, an non omnis damnatorum multitudo, qui cælestibus gaudijs æternùm priuabuntur, significetur: Denique in vno illo

1 Reg. 25. Nabale, qui dicebat; *Non est Deus*, an non omnes illi notentur, qui negant Deum esse, aut vllam in mundo

Matth. 20. prouidentiam? Sed & in parabola de vinea & operarijs, homo ille inuidus & inciuilis, qui ob liberalitatem Domini murmurabat, an non referat totum Iudaismum, qui liuidus & malignus ob gratiam gentibus collatam murmurat? & quod respondit Deus vni illi inuido; *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? An non licet mihi facere quod volo?* nónne respondit omnibus qui fraternam gratiam æmulãtur. Ne igitur admiremini, quòd dico in tribus illis Apostolis generaliter

taliter vniuersum Christianorum statum designari. Debebat hæc fides omnibus infundi, ideo illi omniũ nomine sunt assumpti. Oportebat omnes status hanc Christi gloriã credere: icircò æquum erat ex omnibus statibus saltem vnum esse, qui illam omnium nomine videret. Testis debet esse oculatus. Vos Iurisconsulti scitis, quàm istud verum sit. apud vos enim plus valet testis oculatus vnus, quàm auriti centum. Tres igitur illi an non omnium nomine viderunt? Sed & Christus non vnum solummodo hominis statum assumpsit, sed omnes, vt omnes saluaret. Vultis huius rei signum videre: Illum intueamini. Quatuor sunt status humani generis primarij; primus est innocentiæ, secundus peccati, tertius gratiæ, quartus gloriæ. A statu innocentiæ Christus sumpsit omnium peccatorum immunitatem, non tantùm in anima, sed & in corpore. *Tentatum per omnia absque peccato in similitudinem carnis peccati. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mũdi.* A natura lapsa traxit corpus mortale; Corpus mortuum est propter peccatum. A gratia accepit omnis sanctitatis plenitudinem; *De cuius plenitudine nos omnes accepimus.* A gloria denique beatitudinem in anima sibi desumpsit; *Beatus quem tu assumpsisti Domine.*

Quatuor humanæ naturę status.

Rom.8. Heb.4. Ioan.1. Ioan.1. Psal.64.

ASsumpsit eos Iesus, assumpsit eos Iesus.] A quo quæso habuit Adamus suam innocentiam, siue causam efficientem respicias, siue exemplarem, nisi à Iesu? Peccatores quomodo iustificati sunt, nisi per Iesum? Iusti cuius beneficio seruantur, ne mox cadant, nisi gratia Iesu? Et beati in quo beati sunt, nisi in Iesu? O charissime Iesu. Petre, quis te adeò confirmauit, vt petra per fidem efficereris, nisi Iesus? Ioannes quis te vocauit à nuptiis, & perpetuæ virginitatis gradum inspirauit, nisi Iesus? Iacobe quis te tam fortem carnis domitorem, tamque inuictum vitiorum reddidit supplantatorem, nisi Iesus?

Adamus suã innocentiam habuit à Iesu.

ASsumpsit Iesus, assumpsit Iesus.] Ideo leuantes oculos neminem viderunt, nisi solùm Iesum. Omnis antiqua præstantia, vetusque decor disparuit, cùm noua hæc Christi gloria apparuit: non aliter, quàm obscurantur stellæ, exorto Sole. Neapolitani, *Stellæ non sunt* Iob 15.

mundæ in conspectu Iesu. Et quid est Moyses cum suis cornibus, & quid Helias cum ignito suo curru, si cum Iesu cōferantur? Moyses an non inuentus est incredulus ad aquas contradictionis? Helias nónne despondēs animum in persecutione Iezabelis proximus fuit desperationi. Ad Iesum, ad Iesum, inquit Euangeliū. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite.* In omni actione vestra semper Iesum respicite. Iesus sit scopus vester, amor vester, & vestra fiducia. Scitis Domini mei, væ denuntiari prælato, qui non est assumptus à Iesu; qui assumptus est, aut quia vt Simon emit, aut vt Giezi vendidit: si Iesus non donet, si Iesus non vocet, si Iesus non eligat, si Iesus non deducat, si Iesus non sit scopus noster, væ nobis, væ nobis, qui administrationem rerum temporalium aut spiritualium sumus adepti. Ceterùm vos actiui, cur vosmetipsos defatigatis, viduis & orphanis, alijsque pauperibus iuuandis? quid peregrinando, ministrando, operando, seruiendo clinicis, infirmis, desolatis, in Xenodochiis, in Nosocomijs, in carceribus? quid proderit vita hæc laboriosa, ad gloriam illam cælestem, si finis vester non sit Iesus? Ad Iesum, ad Iesum. Oportet seruire Iesu, oportet amare Iesum, oportet laborare propter Iesum. Illud est assumi à Iesu, omnium actionum nostrarū finem constituere Iesum, intentiones nostras in Iesum dirigere.

Num. 27.
3 Reg. 19.
Matth. 17.
Iesus debet esse noster scopus.

ASsumpsit Iesus.] Et vos contemplatiui, non videtis aridas esse, steriles esse, infructuosas esse vestras contemplationes, nisi obiectum habeant hūc Iesum? Et quæ contemplatio vel guttam alicuius dulcedinis deuotis animabus poterit conferre, si Iesus illi non sit admixtus? Iesus, inquam, lux errantium, cibus famelicorum, vita mortuorum? O Iesu, tu necessarius es perditis, desiderabilis es miseris, vtilis & desperatis. *ASsumpsit Iesus.*] Ah animæ meæ, leuantes oculos vestros vel neminem videte, nisi Iesum: vel nihil videte, sine Iesu. Si attollatis oculos vestros ad Deum, qui in tam excelso residet solio, & tam longè à nobis abest, quis te eò deducet, nisi Iesus? Si peccata vestra intueamini, quæ tot, tamque enormia sunt, quis ea delebit, aut vobis ignoscet, nisi Iesus? Si tribulationes

huius

huius seculi respiciatis, quæ vobis videntur amariores, quàm aquæ Marath Hebræis, quis vobis eas dulcorabit, nisi Iesus? Si tormenta inferni, vel Purgatorij cogitetis, quis ab ijs vos liberabit, nisi Iesus? Si denique ad ipsam mortem, quæ delicatos homines, & in hoc mundo beatos vel maximè territat, oculos mentemque conuertatis, quis eam vobis reddet amabilem & optabilem, nisi Iesus? Videte Iesum, videte Iesum: contemplamini Iesum, contemplamini Iesum; contemplamini illum quando nascitur, ô quanta dulcedo; contemplamini illum quando moritur, ô quantus dolor. Intueamini illum, quando resurgit, ô quæ potentia? quando ascendit in cælum, ô quæ gloria? quando venturus est ad iudicium, ô quàm incredibilis Maiestas? E natiuitate concipietis spiritum humilitatis, è morte desiderium pœnitentiæ; è resurrectione animum inuictum & promptum ad bene viuendum, vt renouemini; ex ascensione in cælum spem viuam futuræ beatitudinis; ex aduentu ad iudicium timorem perpetuæ damnationis.

ASsumpsit Iesus, aßumpsit Iesus; & duxit eos in montem excelsum seorsum.] Ecquis mons excelsior, & à strepitu humano remotior est cælo? Excelsus, quia supremus finis est omnium corporum οὐρανὸς, ὅρος τῶν ἄνω. solitarius est, quia solius Dei sedes est & Angelorum. Huc nullus hominum ascendit, nisi priùs per gratiam fiat Angelicus, inde Diuinus. Huc, huc Iesus adducit. Inde venit, illuc reuersus est: venit autem solus, & habitu planè humili, reuersus est cum pompa nobili multarum gentium, totus honoratus, totus gloriosus, voce dicens triumphali; *Volo vt vbi ego sum, ibi sit & minister meus.* Vtinam Deus largiatur nobis, vt ministri & domestici illius simus, vt cum illo vnà ascendere mereamur, & in monte illo sancto, in cælesti illo tabernaculo, in æterna illa gloria cum illo requiescere. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Hem grauis responsio: *Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam: qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua.*

Ioan.12.

Psal.14.

Papę, quot hîc res dicendæ veniunt, quæ simul

occurrunt & concurrunt in memoria mea, luctanturque inter se, dum vnaquæque primum in prodeundo locum cupiat? Peccata primò, quæ hominem paradiso non aliter, quàm canes Ecclesia, pellūt; iniustitia, homicidium, falsum testimonium, fraus, vsura, rapina, sacrilegium, adulterium, fornicatio. *Foris canes, venefici, impudici, homicidæ, idolis seruientes.* Bona deinde opera, quæ per gratiam Dei nos dignos reddunt illa gloria; vt innocentia, eleemosyna, veritas, fidelitas, administratio iustitiæ sine personarum acceptione, castitas, humilitas, patientia, mansuetudo, misericordia. Hæc omnia hîc simul sese offerunt. At nolo hîc vel in vitijs exaggerandis, vel in virtutibus amplificandis nimis esse prolixus: ne videar immodestus in summam illam patientissimarum aurium vestrarum modestiam. Scio multa opera fieri bona Neapoli, propter quæ vos laudo: sed & scio (prô dolor) multa etiam fieri mala. Optarem quidem bona fieri absque malis, tunc verè dicenda esset hæc ciuitas Neapolis, hoc est, ciuitas noua. scitis enim peccata ad hominem pertinere veterem, ad Palæpolin, non ad Neapolin. Fuge, fuge peccata, si velis esse Neapolis, ciuitas noua, dignaque illa gloria, in qua, etsi veteres simus, renouabimur tamen vt aquilæ.

Apoc. 22.

Neapolis noua ciuitas, & quando erit noua.

Agite vnum adhuc dicam de tempore transfigurationis huius Christi gloriosæ, quod respondet tempori æternæ beatitudinis nostræ. *Post sex dies*, inquit Matthæus, Lucas verò; *Post octo ferè dies.* Matthæus videtur respexisse Sabbathum, festum Iudæorum, omni namque arte vtebatur, vt Synagogam Christo lucrifaceret: ideo & lingua patria scripsit. Lucas è contrariò cùm Græcus esset, scripsit Græcè: erat & Medicus. scitis autem apud medicos septimum diem esse criticum, ideoque periculosum. Vitare voluit igitur hunc scopulum, & honorem istum diei Dominicæ deferre, qui dies solennis est & sacer in Christiana religione nostra. Eleuate, eleuate nunc ingenia vestra, Domini mei; Heri fuit, *Post sex dies*, Sabbathum namque fuit septimus hebdomadis dies. Hodie est, *Post dies ferè octo*, Dominicus dies qui verè dies octauus est. Et heri & hodie lectum est hoc Euangelium,

Matth. 17.
Luc. 9.

Tēporis trāsfigurationis mysterium.

lium, diuersa tamen ratione. Heri propter beatitudinem animarum, hodie propter beatitudinem corporum. Animæ suam beatitudinem accepturæ sunt *post dies sex*, post sex huius vitæ ætates: intelligũtur namque semper animæ laborare & currere, requiescunt autem in sancto illo Sabbathismo, à suis corporibus separatæ. Corpora verò non habebunt hanc suam beatitudinem, nisi post dies ferè octo, hoc est, ætate octaua, quæ est ætas vniuersalis resurrectionis. Septem ætates tempora sunt varietati & mutationi obnoxia. In octaua verò erit cõsummatio seculi, & omnis mutatio temporis abolebitur, circulus concludetur, & totus cursus temporalis in semetipso absorbebitur. stabilissima tunc & inuariabilis erit Æternitas, centrum, virtus & radix omnis temporum decursûs. O quæ dies erit ista? dies omnium dierum, & seculum omnium seculorum. Familiaris est sacræ Scripturæ phrasis, *Sancta Sanctorum*, *Cantica Canticorum*, *Deus Deorum*, *Rex Regum*, *Dominus dominantium*: eodem modo & *secula* dicimus *seculorum*. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.* Æternitas seculum vnum est, annus vnus est, dies vnus, imò punctum vnum, propter indiuisibilem vnitatem infiniti. nihilominus dies sunt infiniti, anni infiniti, infinita secula, propter immensitatem, quæ nec Angelico, nec humano potest intellectu comprehendi. *Dies Domini, dies Domini*: non est alia ætas Deo digna quàm Æternitas, nec alio digna Æternitas nisi Deo; & nos Æternitate fruentes in cælo erimus diuini, pleni Deo, filij Dei, viuemus cum Deo, erimus quasi Dij. O Æternitas, o Æternitas. Magnitudo Dei est immensitas, natura Dei est bonitas, virtus Dei est infinitas, voluntas Dei est æquitas, lex Dei est sanctitas, vita Dei est felicitas, ætas Dei est Æternitas. O admirabilem ætatem. Ætas quæ nec transit, nec venit, nec in circulum reuertitur. sed commensurata (si dicere liceat) & adæquata Deo. Quemadmodum enim ille immobilis est, & omnia mouet: sic Æternitas stat semper immota, vt centrum, & axis, voluit tamen tempus & mundum, vt rotam vel sphæram. Idcoque Æternitas omne tempus includit. Præteritum,

Psal 83.

Quid si Æternitas.

1 Cor.3.

tum, quia erat; præſens, quia eſt; futurum, quia erit. Non ſic erat, vt tranſierit, quomodo dies heſternus, qui fuit & non eſt; non eſt, quomodo præſentis temporis inſtans, quod in ictu oculi currens, eſt, & non eſt. Non erit, quia quod erit, nunc non eſt, ſed futurum expectatur; quemadmodum dies craſtinus: ſed erat, quaſi ſine principio & ſine medio, & erit quaſi ſine termino, ἀγέννητος, ἀκίνητος, ἀτελεύτητος, vt Græci aptè & ſuccinctè loquuntur. O ætas incomprehenſibilis, ætas antiquiſſima & prima, ætas nouiſſima & vltima, imò nec prima, nec vltima. ætas vnica & ſo-
2 Pet.3. la. Dies vnus, dies vnus. *Melior eſt dies vna in atrijs*
Pſal.83. *tuis, ſuper millia.* Quis te poterit laudare magis ô beata Æternitas. Tu es antiqua & noua: non priùs antiqua, quàm noua, non priùs noua, quàm antiqua. imò ideo antiqua, quia noua: ideo noua, quia antiqua. Antiqua es, ô Æternitas, quia fuiſti ſemper; noua es, quia ſemper eadem es. non deficis vnquam, ô beata Æternitas, non mutaris vnquam, quotidie refloreſcis & renouas omnia inferiora, cùm ſemper ſtes immobilis. *Æternitas regnat, Æternitas vincit, Æternitas imperat. Æternitati laudes, Æternitati gratias, Æternitati triumphales honores.* Ad hanc Æternitatem vos inuito, hanc Æternitatem vobis opto, hanc Æternitatem precor & ſpero, *Poſt ſex dies, poſt octo dies. Ite in pace. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.*

Amen.

CON-

CONCIO DE MYSTERIO VINEAE, DE'QVE ARTE BENE VIVENDI.

Habita Patauij, sexto die Martij, quo festum D. Thomæ Aquinatis celebrabatur, Anno M. D. L.

IN EVANGELIVM QVADRAgesimale, quod legitur Feria VI. Dominicæ secundæ.

HOmo quidam erat Paterfamilias, qui plantauit vineam. Matth. 21.

HAbetis fructum vestrum in sanctificationem: finem verò vitam æternam.

PROOEMIVM.



T dura & aspera hyems peccati Adę, nos teneros surculos, & nouella vitium germina humore diuinæ gratiæ vitali subtracto extinxit, factosque inutiles & infructuosos magni illius Agricolæ maledictioni exposuit; sic iucundum & gratissimum ver bonitatis Christi, qui est & vitis, & vita nostra, & radix & caput nostrum, cum æterna laude, benedictione & præmio, nos tãquam palmites suos tantò gloriosiùs denuo viuificat, quãtò potentius est bonum malo, gratia delicto, & Deus homine. A matre natura nascitur vita, à Deo naturæ vita beata generatur. Ars hominum, quæ imitatrix tantùm & Comparatio hominis & vitis.

æmula est naturæ, non domina vel magistra, docere potest modū viuendi, nulla verò ars nisi diuina tradere potest regulam, modumque beatè viuēdi. Rogemus & obsecremus Dominum, quò dignetur nobis concedere, vt sanctissimæ vitæ suæ dulcedinem delibemus, quemadmodum dedignatus non est ipse amaritudine mortis nostræ inebriari: vt mortui peccato, viuentes autem Deo, *cùm tempus fructuum appropinquauerit, offeramus Domino fructum temporaneum & serotinum: ne auferatur à nobis regnum Dei, & detur genti facienti fructus eius. Aue Maria.*

Iacob. 5. Matth. 21.

PARS PRIMA.

Simile.



VEMADMODVM cùm in publicis festis, inter plurimas omnis generis voluptates, conuiuia, ludos & triumphos, regali pompa instructos, etiam equi barbari in hippodromo currunt ad metam, pro gloria, (spectaculū sanè tanta frequentia, tantoque hominum applausu dignum: nam præterquam quòd delectat, etiam ignauis est exemplo) magnanimi Principes ac Domini, qui in plateis, fenestrisque & in tectis tam generosæ gloriosorum animalium pugnæ astant spectatores, quanquam in eum equum, cui gloriam & præmium optant, oculos figentes, videant eum quasi alas (vt ita loquar) pedibus alligare, vt primus ad metam perueniat; volare, non currere, cùm sit cupidus gloriæ, puerū flagellare & calcaribus vrgere, viam esse planam, nullum habere impedimentum aut obstaculum: continere tamen se non possunt, quin dulci & iucunda fallacia fallant semetipsos, moueantur, nunc in hanc nunc in illam partem sese flectentes, & manibus & pedibus & oculis laborant, non aliter atque si flagellum ipsi in manibus haberent; stringunt pedes, quasi calcaribus induti, in gyrum se vertunt, veluti si ipsi insiderent, & habenas temperarēt; faciuntque omnia, quę possunt, incitante illos amore, perinde ac si motus, gestusque huiusmodi ad victoriā queant aliquid conferre. Eodem modo, & non aliter, mihi chara & semper

per dilecta ciuitas Patauina, hodie mecum agitur, idemque mihi vobiſcũ accidit. Video vos eſſe in circo, & in carceribus collectos, & magno meo gaudio conſpicio vos, vix audito Apoſtolicæ tubæ concionatorum veſtrorũ ſonitu, nunc certatim in hoc Chriſtianæ vitæ ſtadio currere. Intueor frequentes & alacres ſingulorum ſaltus, maior voluptas mihi nũquam accidit, quàm hunc liberum & expeditum curſum veſtrum contemplari. in quo pleni æmulatione ſancta hoc vnum quæritis, & arte & diligẽtia, vt vnus alium poſt ſe relinquat. Mihi quidem videtur, quòd (fauentibus Deo & Angelis, qui glorioſo huic ſpectaculo benigni aſſiſtunt) quaſi omnes pariter ad metam peruenietis. Fateor, non poteſt aliquid addi veſtræ in currendo diligentiæ, tam præclarè ſentio de veſtra virtute; & egregium quid mihi de magnanimitate veſtra perſuaſum eſt. Victus nihilominus amore erga vos nimio, cupienſque vos, ſi fieri poſſet, in velocitate curſûs veſtri promouere, vt is tandem non tardior ſit quàm aut ſagittæ, aut potiùs fulguris, continere me non poſſum, quò minùs me moueam, me torqueam, innuam, & fauoris mei, quo ſum erga victoriam veſtram, ſignum & iudicium aliquod edam. Exclamarẽ, ſi mihi licitum eſſet, vt impenſiùs faueam. ſed quia idipſum edicta vetant, dicam intra me, & paulatim de hoc pulpito, diſſeram.

Exempla nomouentia n parcamus laboribus in æterna vita comparãda.

Currite, currite alacriter & animosè, ne fatigemini. Ecce meta ante oculos veſtros, labor exiguus, præmium magnum eſt. nonne videtis vos penè contigiſſe? vno animoſo & ſtrenuo ſaltu apprehendetis. O Patauia, ruſticus in laborioſo agriculturæ exercitio nunquã fatigatur: hyeme cum pluuijs, cum niuibus, cum grandine, cum ventis luctatur & certat: non metuit ardentes Solis radios, non glaciem, non pruinas: nũc vomere & aratro, nunc ſarculo & ligone terram vertit & ſubigit: nunc raſtro glebas cõminuit, nunc voluolo ſolum æquat, ſpinas excidit, lapides colligit, ſemina ſpargit, terramque mille modis colit: nec vllo anni tempore quieſcit. Cantat nihilominus, & canendo laborat, & in tantis ſudoribus moleſtijſque ſemper lætus viuit: hac ſola ſpe ſuſtentatus, ſe lucraturum

turum miserum & tenuem victum, quo laboriosam alat familiam. Cernitisne quàm hilari animo in putridos & fœtentes sulcos optimum frumentum, quod inuenire potest, spe messis vberioris proijcit? præsenti, quod in manibus est, bono sese spoliat, expectans id quod futurū est, & non videt. Miles in medio armorum strepitu, in periculosissimo certamine, atq; adeò in ipsa acie cùm concurritur, vidēs commilitones suos & à dextris, & à sinistris copioso cum sanguine vitam profundere, non cedit: sed intrepidus morti se manifestissimæ exponit, tantùm vt aliquam inde gloriolam reportet, siue coronam ciuicam, siue castrensem: non dicam gramineam, vel aureā. Auarus mercator quas peregrinationes non obit, quas terras, quæ maria non adit, quæ itinera non emetitur, quæ pericula subterfugit? charam relinquit patriam, vxorem, dulces filios, charam prolem, maria tranat, per montes reptat, siluas pererrat, cum gentibus barbaris, cum serpentibus & feris conuersatur, spe (& sæpe inani) alicuius emolumenti, aliquarum diuitiarum, quas tandem rubigo absumit, tineæ vorant, aut fures rapiunt.

Quòd si spes, quæ sæpe fallit, faciat vt homo nec tædium, nec molestiam sentiat, quid non meritò facere debet in pectoribus vestris spes illa certissima, quæ nunquam confundit: spes, inquam, illius vitæ beatæ, omnibus desiderabilibus bonis plenæ per opera bona comparandæ: gloriæ illius immortalis, quam oculus non vidit, auris non audiuit, nec in cor hominis ascendit: illarum infinitarum diuitiarum regni cælestis, in cuius comparatione omnis opulentia huius mundi paupertas est. O homo, æquúmne est, te, vt tantam vitam, tantam felicitatem, tantos thesauros conquiras, dare temetipsum & quicquid in te est? quicquid habes, quicquid potes, quicquid scis, & quicquid es? Cumque hęc omnia dederis, & te totum temetipso spoliaueris, nónne ratio postulat, vt cum S. Paulo dicas? *Non sunt condignæ paßiones huius seculi, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*? An tu fortè, Philosophe, tam eris impudens, imprudēs, & huius vitæ ignarus, superbus natura, ingratus gratiæ, vt hanc felicitatem te tuis viribus comparare posse arbitreris? Christiane,

Rom. 5.

1 Cor. 2.

Rom. 8.

Homo suis viribus aut meritis vitā

ſtiane, non loquor Philoſopho; is enim ſi debitum iuſtumque pretium huius ſupernaturalis felicitatis non agnouerit, excuſari poteſt, ſi dixerit: Non cognoui eã: ſed loquor tibi, loquor tibi. Quas quæſo vires, quam potentiam habes, aut quæ tua dignitas eſt, vt tuis viribus hanc infinitam gloriam compares, iuſtumque pro ea pretium perſoluas? Cur igitur aliquis labor videri debet grauis in vita Chriſtiana? Nil habes præter illa duo minuta viduæ Euangelicæ, corpus & animã. Hæc duo minuta an non tenearis pro remiſſione peccatorum tuorum profundere? Peccaſti miſer ſuper numerum arenæ maris, multiplicatæ ſunt iniquitates tuæ ſuper capillos capitis tui, dignus non es qui oculos ad cælos attollas præ peccatorum tuorum multitudine. Quòd ſi itaque te oportcat tantum debitum in ſolidũ diſſoluere, & vſque ad nouiſſimum quadrãtem (vt ait Euangeliſta) reddere; cùm tam grauiter Dominũ tuum offenderis, omnemque iniuriam, quam potuiſti, illi irrogaueris, ſine aliquo metu, ſine vlla reuerentia ſummam illam Maieſtatem ad iracundiam prouocaueris; omnis vita tua, tota anima tua, totum corpus tuum, omnis ſubſtantia tua an vno teruncio valebit? Optimè cognouerat ſanctus ille Propheta paupertatẽ ſuam, & exiguas facultates ad tam immenſum debitũ reddendum. Itaque de ſatisfactione diffidens, miſericordiam Dei implorat, vt debitum dimittat; plangensque & lachrymans, vt creditorẽ ad pietatem permoueat, ait; *Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo: multum eſt enim. Non habentibus autem vnde redderent*, inquit Euangeliſta, *donauit vtriſque*. Meminiſtis Docti? Hoc eſt primum debitum, Chriſtiane. Eſt & aliud. Neſcio quid nos miſeri debitores tandem agemus. Ecce in ianua Creditor noſter, qui exigit quod ſuum eſt: Deus cæli & terræ.

æternam ſibi non poteſt comparare.

Luc. 21.

Tria debita generis humani.

Primum.

Matth. 5.

Pſal. 24.

Luc. 7.

Hic eſt ille *PAterfamilias*, Auditores, qui hodie in Euangelio *plantauit vineam. ſepem circundedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim*, quæ eſſet loco propugnaculi, ad vineæ defenſionem: vineamque nobis colendam dedit, vt fructus illi redderemus. *Et peregrè profectus eſt.*] O quanta ſunt hæc magni illius Dei beneficia? Vniuerſa Eccleſia eſt vinea hęc magna,

Secundum debitum.

Matth. 21.

Eccleſia ſancta magna

priùs

est vinea; & quæuis anima, parua.

priùs ex Ægypto in Iudæam translata, & postea ex Iudæa in Ethnicismo transplantata. Interim & vnaquęque anima est exigua vinea Domini, plantata in terra sancta humilitatis Christi, aqua eius gratiæ irrigata, & palo Crucis eius suffulta. Seps est custodia Angelorum; Torcular in quo premuntur vuæ, vt vinum effluat, remorsus conscientiæ est, qui premit cor, vt effluat fidei, spei, & amoris succus. Turris est sanctarum Scripturarum studium, in quibus ex alto res diuinæ, & eminus inimicorum insidiæ conspiciuntur. Fructus quem expectat Paterfamilias sunt opera bona. Agite si omne id quod possidetis, à Deo accepistis, totum id quod estis nónne Deo debebitis? Si nihil aliud haberetis, Patauini, quàm vitalem Solis, qui est pater omnium rerum generationis, lucem, hunc cælorum cursum, hanc aëris respirationem, hanc terræ fœcunditatem, aquarum copiam, florum venustatem, fructuum varietatem, (omnia enim in vsum nostrum condita sunt) an nō videamini obstricti ad viscera interiora omnia, imò & ossium medullas (si dicere liceat) effundendas, vt toti toti in nihilum redigamini, ne tanto factori, tam liberali benefactori ingrati fuisse arguamini? Duo hæc minuta non sufficiunt ad satisfaciendum in assem pro debito primo & secundo? Quid dicetis, si vobis tertium monstrauero? O quàm magnum est illud debitū, quàm incomparabile, quàm inæstimabile? Est autem hoc infinitum illud debitū, quo obnoxij sumus dulci & charo nostro Iesu, quod mille mundorum myriadibus dissolui non poterit. *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?* Si omnes omnium filiorum Adæ vitæ, vnà cum patris eorum; si omnes huius seculi dies, si omnes labores, omnia merita, omnia omniū hominum tam virorum quàm mulierum, qui nunc sunt, fuerūt & erūt vnquam, tormenta in vnum quid confluant, & simul misceantur, non erunt digna vna tantùm guttula sanguinis illius pretiosi, nec vna drachma illius sanctissimæ carnis Christi, de Spiritu sancto conceptæ, natæ ex Virgine, vitæ integræ atque innocentis, tam pulchrę quàm in idea poterit quis formare, templi diuinitatis, arcæ omnis sapientiæ, thesauri ex quo tot mira-

Fructus quos expectat Deus è sua vinea.

Mors Christi beneficiū est, cui nulla nostra possunt respondere beneficia. Psal. 115.

cula

cula promanârunt, tot efficacia verba prolata ſunt, tot fluxerunt Sacramenta. Date totum quod eſtis, totum quod poteſtis, & erit quaſi punctum comparatione vniuerſi; erit quaſi ſtella minima, ſi cũ Sole conferatur; quaſi guttula mari, flos campo, petra monti, granum vnum toti granario collatum. Omnium hominum vitæ cum vita Chriſti ne proportionem quidem habent vllam: hac nihil poteſt eſſe præſtantius & felicius, illa nihil vilius & miſerius. Non iniuria igitur Chriſtus poſſet nos apprehendere, correptaque manu gula ſuffocare, ac dicere; *Redde quod debes: Redde quod debes*. Quid obmurmuras, quid obmurmuras? An videatur tibi labor nimius? putásne nimium facturum? *Redde quod debes, Redde quod debes*. volo nouiſſimum ſoluas quadrantem, in ſolidum ſatisfacias volo. Auditores chariſſimi, hæc tria debita, vnũ contractum per peccata, alterum per beneficia Dei, & tertium per mortem Chriſti, ob oculos habentes: ſed & præter hæc certitudinem quoque gloriæ cęleſtis comparandæ, ne pigeat vos hoc quadrageſimali tempore aliquantulum deſudare, & in hoc ſpirituali curſu laborare. *Durate, durate, & voſmet rebus ſeruate ſecundis. Id quod in præſenti eſt momẽtaneum, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis.* O antitheſes S. Paulo dignæ. Id ſupra modum, leue pondus: tribulationis, gloriæ; Eſt, operatur: momentaneum, æternum. Exiguus labor (hic ſenſus eſt Pauli) præmio infiniti boni remuneratur. Quòd ſi tribulationes huius vitæ in ſtaterã poſueris, nihil ponderis habebunt: merces verò infinitis modis præponderat. Tribulatio priuata eſt & occulta in nobis ipſis exiſtens; gloria verò publica eſt, manifeſta & in conſpectu Dei, Angelorum & totius vniuerſi reuelabitur. Tribulatio eſt paſſio, & proinde exiguæ ſunt eius vires: gloria eſt actio, ideoque tota viuida, creſcit momentis ſingulis, ſeſeque maior fit ſine intermiſſione. Labitur & citò præterit hæc vita, eſt enim præſens & momentanea: tempus autem præſens quid eſt, niſi punctum ſiue momentum? illa verò gloria finem nõ habet, ſed durat æternùm. O Chriſtiani, perſeuerate & magno animo curſum veſtrum conſummate: nolite

Matth. 18.

2 Cor. 4.

Comparatio inter paruos labores, & magna præmia Chriſtianorum.

de vi-

de victoria diffidere, nolite in bonis operibus deficere. Nolo vos ſentire difficultates in currendo, nolo vt ad metam peruenire vobis arduum videatur. Videte magnum illum Gigantem præcurrere, qui etſi nō cucurrerit, ſaltādo tamen ad metam peruenit. hic eſt ille Gigas de quo Dauid; *Exultauit*, inquit, *vt Gigas ad currendam viam.* Et quis in currendo poterit Chriſto velocitate comparari? ille enim montes & colles tranſilit. Non audiſtis quid dicat Scriptura? *Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles.* Sed præſtò eſt, viri & fœminæ, remedium, clamate & vociferamini cum Sponſa: *Trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorū tuorum.* Sumus defatigati Domine, vires in medio curſu nos deſtituunt; trahe nos poſt te, ne erremus, & alios amatores ſequamur, te, qui vnicus amor noſter es, relicto. Paduani, Sponſa Chriſti nō oraret Spōſum, vt trahatur ab eo, niſi ipſa trahi & currere deſideraret. Illud igitur velle currere, pars curſus eſt: neque etiam trahi, ſed adiuuari in curſu peteret, ſi ſola currere poſſet. *Trahe me poſt te, curremus.* Oratio demonſtrat gratiæ diuinæ neceſſitatem, curſus operationis noſtræ induſtriam, animus currendi libertatem & conſenſum arbitrij. Orate, orate currendo, & currite, currite orando. Trahet vos Chriſtus, non rapiet, non coget: inuitabit, alliciet, atque ſua gratia cor veſtrū dilatabit: implebit vos gaudio, ne moleſtiam aut laborem in curſu ſentiatis, ſed cum Propheta dicatis; *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum.* O quātus honor, quanta erit veſtra gloria & corona, longè ab illa, quæ in Agone Romano datur, diuerſa, longè pretioſior, longè nobilior. *Et illi quidem corruptibilem coronam accipiunt, vos autem incorruptam.*

Pſal.18.
Cant.2.
Chriſtus trahit omnes currere volentes.
Pſal.118.
1 Cor.9.

Nolite animum deſpondere, quantumuis magna ſint hæc tria debita: conuertimini potiùs confidenter ad Dominum, & dicite; *Domine vim patior, reſponde pro me.* Ecce offero tibi minuta mea duo: ſcio quòd nihili apud te debeant æſtimari, at tu de inexhauſto tuo illo & incomparabili ærario totū debitum meum ſolue: extingue debitionis meæ ſummā, in libro tuo lacera ſyngraphū meum: tu enim Deus es, & ego ſum homo, quodque impoſſibile eſt apud homines, nō impoſſi-

Eſa.38.
Modus ſoluendi noſtra debita.

possibile, sed facile prorsus est apud Deum. Nō possum quid vltra vires meas, feci omnia quæ possum, habe me excusatum. *Quia imperfectum meum viderunt oculi tui.* Bono animo estote Christiani, diuina misericordia nō solùm acceptabit bona opera vestra, in solutionem debiti vestri, sed etiam tanquā merita erunt apud illum, quibus merces debeatur. Hic est ille fructus, hic est ille fructus vineæ, merita virorum & mulierum. Exigit quidem Deus fructus illos pro se & pro gloria sua: omnes tamen in commodum nostrum cōuertit. merito debetur merces, labori requies, cursui brauiū, pugnæ victoria, bonis operibus beatitudo. Nō audistis in alia parabola eiusdem vineæ iucundissimum verbum Patrisfamilias ad procuratorem suum; *Voca operarios, & redde illis mercedem?* Si autem Deus nobiscū conuenerit, si pactum tale cum Christianis inire dignatus sit, vt laborantibus in vinea sua redderet denarium diurnum, beatā hanc vitam, quæ optimè denarius appellatur, cùm hic rotundus sit, illa nunquam propter æternitatem suam finē sit habitura: hic omnium numerorum sit summa, illa contineat omnem felicitatem, & appetitus nostros per omnia exatiet: cur miraris, si & ex ratione & ex iustitia bene laborans in hac vinea mereatur, vt pro mercede sua denariū hunc accipiat? Non tantùm datur, sed & redditur. *Redde illis mercedem. Conuentione autem facta cum operarijs ex denario diurno.* Non audistis illud Pauli; *Ei qui bene operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum?* Non audistis quid de seipso dixerit; *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo, reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex.* Nota *corona*, nota *iustitiæ*, nota *reddet*, nota *iustus*, nota *iudex*. Gratia quæ nos Deo facit gratos, est gratia tantùm: gratia verò quæ nos facit beatos, sic gratia est, vt etiam sit præmium. *Gratiam pro gratia*, inquit B. Ioannes. Fuit quidem sola gratia, quòd dignatus est Deus inire pactum nobiscum tam liberale, pro tam exiguo scilicet labore, tam magnam promittere mercedem. At postquam placuerit illi nobiscū pacisci, æquum est vt stet promissis. *Est autē Deus verax, omnis autem homo mendax*

Psal. 138.

Fructus vineæ.

Matth. 20.

Christus paciscitur nobiscum antequam in vineam mittit.

Rom. 4.

2 Tim. 4.

Ioan. 1.

Quod Deus paciscitur nobiscū, gratia est post pactū debitum est.

Rom. 3.

Heb.6. *dax. Non eſt iniuſtus Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri.* Non eſt nobis debitor Deus? Abſit Docti; ſed eſt debitor ſibiipſi: non poteſt vacillare in verbis ſuis. *Fidelis* 2 Tim.2. *Deus qui ſemetipſum negare non poteſt*, inquit B. Paulus.

Regula firma in operando. Agedum, agedū, ecce regula perpetua. Sic vos Deo humiliate, quaſi omnia eſſe ab illo per gratiā cognoueritis: tam eſtote diligentes, quàm ſi à vobis tantùm oriretur meritum & præmium. Quid putatis Chriſtiani ſibi velle hæc verba Euangelij? *ET peregrè profectus eſt.*] niſi magnum illum Deum, poſtquam gratiam & auxilium ſuum ſufficiens ad bene operandum nobis contulerit, nos noſtræ reliquiſſe poteſtati, noſtro iudicio, noſtro conſilio, noſtræ voluntati, noſtro arbitrio, eminusq́ue ſtantem & obſeruantem quomodo nos geramus, qua alacritate laboremus in hac vinea, quæ opera bona producamus, vt poſtea operibus noſtris condignam reddat mercedem? *ET peregrè profectus eſt.*] Non diuellitur neq; diſcedit à te Deus, ô vir, ô fœmina. Væ vobis, ſi diſceſſerit. neſcis quid ipſe dicit; *Sine me nihil poteſtis facere?* Niſi Sol ſuis radijs circumquaque terrā luſtraret, ſuisq́ue influentijs fœcundaret, nullos fructus produceret: & niſi Deus te aſſiduè ſua iuuaret gratia, nullum comparares tibi meritum. ſed diſcedit à vobis, ne te cogere videatur. vult vt liberè motus & excitatus ab ipſo, teipſum porrò moueas ad currendum in ſtadio, ad ambulandum in virtutis via, ad pugnandum cum Diabolo, cum mundo, cum carne; ad ieiunandum, ad orandum, ad eleemoſynas erogandum. *Et peregrè profectus eſt.*] *Reliquit hominem in manu cōſilij ſui, appoſuitq́ue ei ignem & aquā, vt ad quodcunque voluërit extendat manum ſuam.*

Quid ſit peregrinatio Chriſti.

Ioan.15.

Ecli 15.

Patauia, vinea tua plena eſt tribulis, lappis, vrticis & ſpinis. Deus eminus intuetur, quomodo fodis, ſtercoras, plantas, ſtatuminas & pampinas eam, vt fructus faciat, vuas & non labruſcas producat. Vtinam, vtinam Deus aliquando non cōqueratur, & vobis ingratitudinem veſtram obijciat, dicatq́ue; *Quid eſt quod debui vltrà facere vineæ meæ, & non feci? Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas. Expectaui vt faceret iudiciū, & ecce iniquitas, & iniuſtitia, & clamor.* Quid potui facere, quod huic ingratæ vineæ meæ non feci? Heu

Querela Dei de vinea ſua. Eſa.5.

mihi,

mihi, expectaui vuas, & protulit labruſcas; expectaui vinum, & propinauit mihi fel; expectaui omne bonũ, & reddidit mihi omne malum. *Vua eorum vua fellis, & botrus amariſsimus*, & botrus amariſſimus. *Fel draconum vinum eorum, & venenum inſanabile*. Hi ſunt fructus tui planta perdita? inimicitię, inuidię, iracundiæ, homicidia, crapula, ebrietas, furta, latrocinia, proditiones, ſtupra, inobedientia, contemptus Sanctæ Eccleſiæ meæ, & meorum Sacerdotum; meorũ Sacramentorum, meorum Sanctorum, meæ Matris, imò meipſius? *Hæccine reddis Domino Deo tuo?* Tibi Italia, tibi Eccleſia, tibi Munde hæc dicere volo: ad vos mea ſpectat oratio. Vites ad nihil vtiles ſunt, niſi vt proferant vuas: quòd ſi vuas non produxerint, oportet eas excidere, atque in ignem conijcere. Ex omnibus alijs lignis etſi infructuoſa ſint, aliquid tamen commodi percipitur: vitis non faciens fructum omnino inutilis eſt. *Succide illam, vt quid enim terrã occupat?* Ideò Chriſtus vos vites & vineas vocare voluit, vt cognoſcatis quòd ſi deſideratos bonorum operum fructus nõ profcratis, in ignem infernalẽ, in æternas illas flammas conijciemini, vt ardeatis ſemper. *Mittetur foras, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet*, inquit Chriſtus de palmitibus infructuoſis. Sententia lata eſt, reuocari non poteſt. & tu Chriſtiane adhuc ſtas otioſus? vna tu Diabolica fide contentus, de operibus bonis non es ſolicitus? *Ad opera*, ad opera, Patauini. *Quid ſtatis hîc tota die otioſi? Quid ſtatis hîc tota die otioſi?* Quòd ſi verò in ignem cõijciemini, eò quòd nullos fructus faciatis: quò conijciemini, ſi malos fructus faciatis? pro dulcibus vuis amaras labruſcas? pro eleemoſynis rapinas? pro orationibus blaſphemias? pro amore odium? pro caſtitate libidinem? pro fidelitate ſimulationẽ? pro fide hæreſin? pro religione impietatem? Radicitus euellet te Dominus vinea inutilis, ſepem tuam auferet, dabit te beſtijs conculcãdam, mandabit nubibus ne aut rorem aut imbrem ſuper te effundant, ſilueſcere te faciet. Non vult folia, non vult folia Deus, vult fructus, fructus, inquam, à nobis requirit. Legiſtíne indignationẽ Dei in Prophetis, aduerſus vitem frondoſam, quæ nunquam niſi inutiles

Deut. 32.

Vtilitas vineæ & aliarum arborum.

Luc. 13.

Ioan. 15.

Matth. 20.

Ruina vineæ fructum non facientis.

Oſeæ 10.

Esa.5. & malos fructus fecerat? *Auferam sepem eius, & erit in direptionem: diruam maceriem eius, & erit in conculcationem. Non putabitur, non fodietur: ascendent super eam vepres & spinæ: nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem.* O te miserum, ô miserum Patauiū, si ira Dei aduersum te accēdatur. Nescio profectò quomodo iuuare te aliter potero; postquam enim paucis pòst diebus te deseram, volo tibi artem faciendi fructus bonos & Deo beneplacitos tradere. Hæc est enim de arte operandi bene concio. Oro & obtestor vos omnes, eam mentibus atque animis vestris imprimite, aut eam in paruo enchiridio describite, vt semper in manibus versetur, & memoriæ vestræ succurrat. Cessemus paululum, sufficiunt enim pro argumento, quæ dicta sunt hactenus.

PARS SECVNDA.

In omni arte & disciplina scopi & finis cognitio est necessaria.



IN omnibus artibus & disciplinis, cuiuscūque eæ generis sint, necessarium est, Auditores, scire & cognoscere finē proprium illius, quam vult profiteri: sed & operępretium est, vt primarium illud obiectum seu scopum, quem intendit, ob oculos statuat, vt faciliùs & expeditius consequatur, quod optat. nam si vel modicum initio ab hoc signo deflexerit, tandem toto cælo aberrabit: non aliter, quàm viator, qui viam aliquam electurus incautè fallitur, & si pergat, tandem eò deuenit, vt putans se ad dexteram deflectere, in sinistram partem aberret, nisi reuertatur; volensque in oriētem tendere, in occidentē procurrat: atque ita error decem passuum causa est erroris multarum passuum myriadum. Non est vna, eademque res, Docti, finis & scopus: duæ sunt, duæ sunt. Finis eorum qui hastis concurrūt, est habere præmium victori constitutum: scopus verò aduersario capiti, quàm insigne possunt, vulnus infligere. Medicorum finis est sanare infirmum: scopus verò quem oculi eorum semper intuentur, vt infirmū reficiant, est febrim tollere, quod ipsum efficiunt bono ordine, in victu, bona diæta, bonisque pharmacis pręscribendis. Agricolæ finem habent messem & vindemiam:

Non est vna eadēque res scopus & finis.

miam: ſcopus eſt ita præparare terram, ita arbores & vites colere, taliter ſementem facere, vt vberrimi fructus inde proueniant. Sagittarij, qui iaculantur, & ij qui currunt ad Quintanam, aut ad metam, finem habent præmium propoſitum victori: ſcopus eſt aut currendo aut iaculando præfixum ſcopum contingere. vnde qui currit in incertum, & qui iaculatur in aerē, & non ad ſignum, incaſſum laborat, & nullum facit fructum: fructus enim ex eo naſcitur, vt quis ſcopum tangat aut figat. Ideo dicebat S. Paulus; *Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum; ſic pugno, non quaſi aërem verberans: ſed ad destinatum perſequor brauium ſupernæ vocationis.* Intelligitis hæc? In vanum igitur & fruſtra laborant tam viri quàm fœminæ, quorum voluntas intellectum præcurrit: proponunt ſibi finem, & ignorant quis ſit ſcopus, quem omni cum ſtudio & attentione debent intueri, vt ad illum perueniant non obliqua, ſed recta, vt quæ breuiſſima eſt, linea. 1 Cor. 9. Philip. 3.

Agite itaque ſi vita æterna ſit finis & præmium Chriſtiani, (neque hoc eget vlla diſputatione) & ſi vita æterna cōſiſtat in viſione Dei, vt ipſe fatetur Saluator; *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*: facilimū eſt inueſtigare, quis ſit Chriſtianiſmi ſcopus. Via patet; ea eſt obſeruantia mandatorum Dei. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Scopus igitur is eſt, quem monſtrat ipſe ſolus Chriſtus, qui præmium proponit, Viſio ſcilicet Dei. Docti, qui tetigit hanc metam, brauium iam conſecutus eſt. Qui mundo corde eſt, mox Deum videt. *Beati*, inquit, *mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Iſte, iſte eſt ſcopus, Auditores, quem oculus mentis noſtræ debet habere ſibi præfixum. huc oportet dirigere totum curſum noſtrum, omnes noſtras actiones, omneſque cogitationes: vt purificemus ſcilicet atque mūdemus hoc noſtrum cor natura ſua, ah, nimis immundum. Qui hanc metam non attigerit, nunquam brauium accipiet: poterit quidem minùs in Gehenna cruciari, ſi ceteris minùs impurus ſit, ſed qui non eſt totus corde mundus, nunquam erit beatus. Qui lippis eſt oculis, Solem videre non poteſt; qui habet cor immundum, non poteſt Deum conſpicere.

Finis & præmium Chriſtiani.

Ioan. 17.

Matth. 19.

Matth. 5.

Puritas cordis propria eſt Chriſtiano.

cere. Omnes aliæ perfectiões possunt esse & Iudæis & Turcis cõmunes: sed puritas cordis propria est Christiano. In ea namque consistit essentialiter vera bonitas & sanctitas hominis, & inter omnes homines soli Christiani appellantur & sunt sancti: soli enim filij Dei sunt, & solis illis promissio facta est, quòd Deum videbunt. *Similes Dei erimus, & videbimus eum sicuti est*, dicit B. Ioannes. Ideo omnis Christianismi obseruantia, ieiunia, vigiliæ, labores, studia, lectiones, conciones, virtutes, Sacramenta, peregrinationes, loca solitaria, sacci, cilicia, austerus ille olerum, herbarum & radicum SS. Antoniorum, Machariorum, Hilarionũ, Hieronymorum & Paulorum victus & vestitus, mendicare, nudis pedibus incedere, errare in speluncis & terræ cauernis, habitare eremos, mortificatio carnis, meditatio scripturarum, omnis aspera pœnitentia, omnes actiones & passiones omnium Sanctorum & Sanctarum, scopum habuere sibi propositum hunc, purgare cor hoc, quod magis luxuriat, quàm omnis vitis, quæ non putatur. Ob hoc omnia fiunt, omnia tolerantur. Non aliam ob causam spernuntur parentes, patria, dignitas, diuitiæ, deliciæ, voluptates, mundus vniuersus cum omnibus pompis suis, nisi vt purgetur cor istud. Fac quodcunque voles, quantũcunque potes, distribue in cibos pauperum facultates tuas omnes, corpusq́ue tuum igni & ferro obijce, curre, pugna, operare quantum potes; si nõ habueris cordis puritatem, dicam quod olim dixit Paulus de charitate; *nihil tibi prodest*. Et quid est non æmulari, non agere perperam, non inflari, non irritari, non quærere quæ sua sunt, sed quæ Dei sunt; non gaudere super iniquitate, non cogitare malum siue peccatum, omnia sperare à Deo, omnia credere de Deo, omnia sufferre propter Deum, in nullo delectari nisi in Deo, & alia quæ in laudem charitatis scribit Apostolus; quàm offerre Deo in sacrificium cor perfectum, purum, ab omnibus perturbationibus Diaboli & mundi alienum, sincerum, ab omnibus carnis immunditijs perpurgatum liberumq́ue.

1 Ioan. 3.

1 Cor. 13.

Quando cor nostrum est purum.

Aërem appellatis purum, cùm nubes nulla eius turbat serenitatem. Vinum dicitis purũ, cùm ne guttulam

tulam aquæ habet sibi admixtã: gustum quoque purum vocatis, cùm nullos habet noxios humores, qui illum corrumpant; ita vt sincerè de omnibus saporibus queat iudicare. Cor itaque nostrum, mens nostra & animus noster (hæc enim nomine cordis per metaphoram in sacris litteris exprimuntur, non illa corporis humani Pyramis) tunc erit purum, quando nec in intellectu cogitatio, nec in voluntate affectio vlla terrena reperitur. Oleum non dices impurum, etiamsi balsamo sit permixtum: nec aërem vocabis impurũ, si lumine Solis sit respersus: nec vlla res impura dici potest, quæ alteri meliori coniuncta est. Hæc enim est omnium rerum huius mundi perfectio, quòd per nodum illum admirabilem, & per catenam illam verè auream, quæ est in specie vniuersi, summũ naturæ inferioris coniungitur infimo superioris. Aqua enim purgat terram, aër aquam facit subtiliorem, ignis purificat aërem, & inter sphæras cælestes inferior à proxima superiore cingitur, excipiturque. Inter Angelos ipsi scitis quòd superiores in illa sacra Hierarchia habent hæc tria officia circa inferiores, purgandi scilicet eos, illuminandi, & perficiendi. Et inter animas ipsas, nescitis inferiorem esse quasi materiam superioris, vegetatiuam sensitiuæ, sensitiuam intellectiuæ, in qua natura quieuit, tanquam supremam addens operi suo manum, vt dixit doctus ille Græcus, quia nobiliorem formam non habebat, cuius hæc esse posset materia. Vt igitur concludamus, tunc erimus puri & sinceri, quando nec cura, nec amor rerum harum inferiorũ, quæ cordibus nostris verè indignæ sunt, nos occupat, sed toti cogitationibus affectibusque cælestibus inflammamur & exardescimus. Hypocritis, qui sunt simiæ Sanctorum, id curæ est, vt foris, non intus mundentur: ideoque nunquam mundi sunt. Videntur quidem mundi huius hominibus non immundi: Deus verò, qui mũdo excelsior est, perspicit, nouitque immunditiem eorum. *Est generatio quæ sibi munda videtur*, inquit Salomon, *& non est lota à sordibus suis.* Saluator quoque in Euãgelio; *Væ vobis*, inquit, *qui mũdatis quod foris est calicis & paropsidis; quod autem intus est vestrum, plenum est rapina & immunditia. Munda,*

In quo consistat perfectio rerum huius mundi.

Mũdities hypocritarum falsa & apparens.

Prou. 30.

Matth. 23.

Cor fons peccatorũ.

munda priùs quod intus est, vt fiat quoque id quod deforis est mundum. Illud cor, illud cor, Auditores, est officina omnium immunditierum, est omnis turpitudinis receptaculum, & sepulchrum cadaueribus plenum, qui mundat illud, mundat totum hominem. *Munda, munda priùs quod intus est.* Cor hoc sentina est nauis, prostibulum vrbis; qui non mundat illud, omnia seruat immunda. Cor nostrum centrum est huius microcosmi, omnes lineæ è centro ad circunferentiam ducuntur. Omnia peccata, quæ perpetrant exteriora membra hæc, è corde suam trahunt originem. *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, blasphemiæ, falsa testimonia; & hæc sunt quæ coinquinant hominem.* Munda cor hoc, munda cor hoc, & omnia erunt munda. *Munda priùs quod intus est, vt fiat quoque id quod deforis est mundum.*

Matth. 15.

Christiani, non omnes possumus esse Doctores Ecclesiæ, non omnes Martyres, non omnes Virgines. Illę sunt gratiæ gratis datæ, quas Deus suo modo diuidit in Ecclesia: sed hæc est gratia communis, quæ nulli petenti negatur. Munditia, inquam, & puritas cordis. Non audistis quòd Paulus omnes Christianos vocat Sanctos? *Dilectis Dei, vocatis Sanctis? Salutãt vos omnes Sancti?* Hunc enim in finem sumus à Christo vocati, vt simus sancti. *Non vocauit vos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra.* Et quid sibi vult vocabulum illud Sanctum, nisi mundum & purum? Ἅγιος dicunt Græci, quasi ἄνευ τοῦ ἀγοῦς, vt dicit magnus ille Areopagita Dionysius; aut vt alij dicunt, ἄνευ τῆς γαίας, hoc est, sine scelere; aut (quod in eandem recidit sententiam) sine terra: id est, sine cogitationibus & affectionibus rerum terrenarum.

Munditieș cordis gratia cõmunis est.

Rom. 1.
Col. 3.
Philip. 4.
1 Thes. 4.

Quid sit *Sanctus.*

Cùm igitur omnes immundi simus, omnesque vt videamus Deum creati, nec ille videri possit nisi à mundis, enitamur totis viribus, vt emundemur: hoc est, vt efficiamur & simus sancti. quod toties præcepit Deus in Prophetis; *Sancti*, inquiens, *estote, quia ego sanctus sum.* Et S. Paulus ad Hebræos, *Sequimini sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Et ad Romanos; *Habetis fructum vestrum in sanctificationẽ; finem verò vitam*

Leuit. 11.
1 Pet. 1.
Heb. 12.
Rom. 6.

æter-

æternam. Quando homo primùm aut à Iudaiſmo, aut ab Ethniciſmo, aut etiam infans ab vtero matris ſuæ venit, & in illa infantia ſanctificatur & purificatur in aqua Baptiſmatis Chriſti, non requiruntur opera, ſed ſufficit in adultis conſenſus proprius, aut parentum, ſuſceptorúmve pro infante. Nobis verò, qui facti ſumus ſancti & mundi à Chriſto, & iam denuo reuerſi ſumus ad vomitum vt canes, nosque ſtercore peccatorum iterū polluimus, manus noſtræ neceſſariæ ſunt, vt mundemur iterum & abluamur. Omnis purgatio tua opus Dei eſt; ſed poſterior hæc etiam opus tuum eſt. Non audis Prophetam; *Mundamini qui fertis vaſa Domini?* Non audis Eſaiam? *Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis?* Nónne Iacobus dicit; *Purificate corda duplices animo?* Sed & B. Ioannes, an non tribuat Chriſtiano ſanctificare ſemetipſum; *Omnis*, inquiens, *qui habet ſpem in illo, ſanctificat ſe.* Apagite hinc, apagite nunc qui homines truncos, ſtipites aut ſaxa facitis: Deus mouet omnia ſecundùm modum naturæ cuiuſque. *Attingit à fine vſque in finem fortiter: ſed diſponit omnia ſuauiter*, vt ſcitis Docti. Proinde cùm homo natura liber & rationis particeps ſit, Deus non operatur omnia ſolus in illo, ſed quædam etiā cum illo. Mundemus, mundemus corda noſtra, Auditores: quòd ſi nos ipſi non cooperemur Deo in purificatione hac poſteriori, nunquam purificabimur. Venti mundant nubes & nebulas, ſcopæ mundant ædes, ignis mundat aurum, ventilabrum mundat aream, collyrium mundat oculos, aqua calida pannum, lux aërem, & lima ferrum. Ventus cuius eſt mundare & eliminare terrena deſideria, eſt Spiritus ſanctus. *Abſtulit quaſi ventus omne deſiderium meum.* Scopæ ſunt diſcuſſio propria; *Exercebar & ſcopebam ſpiritum meum.* Ventilabrum eſt authoritas Sacerdotis in confeſſione auriculari ſeu vocali, quando vobis iniungit pœnitentiam, ac deinde abſoluit. *Ventilabrum habet in manu ſua, & purgabit aream.* Collyria ſunt ſancta Sacramenta, quæ habent occultam illam virtutem à Deo, vt lauando, vngendoque deforis corpus, purgent intus omnes animæ maculas. *Quæ eſt iſta aquæ vis, vt corpus tangat & cor abluat?* Ignis eſt diui-

Neceſſe eſt nos cooperari in cordis munditie.
Eſa. 52.
Eſa. 1.
Iacob. 4.
1 Ioan. 3.
Sap. 8.
Media p̄ quæ mundatur anima.
Iob 30.
Pſal. 76.
Luc. 3.

Luc.12. nus amor. *Ignem veni mittere in terram.* Lux eſt fides; Act.15. *Fide purificans corda eorum.* Aqua calida ſunt lachrymæ. *Lachrymæ lauant delictum, quod voce pudor eſt confiteri.* Lima eſt virtus patientiæ in tribulationibus Rom.5. huius vitæ. *Tribulatio patientiam operatur, patiẽtia probationem.* O beatos vos & viros & fœminas, ſi hoc modo purificemini.

Agite, agite nunc tempus eſt Chriſtiani, vt ad hanc purgationem aſpiretis. Medici purgant hominũ corpora potiſſimùm in vere: purgate & vos animas veſtras in vere hoc. Omnis enim natura hoc tempore nos ad hanc purgationem inuitat. Videtíſne quomodo aër purgatur ab immenſo illo frigore, incipitque tepeſcere? Terra ſuo ſqualore ſpoliatur, & viridi pallio cooperitur. Arbores è cortice gummi ſtillant. Vites putantur & incipiunt lachrymari, & omne plantarum genus ſuperfluis ramis purgatur. Quid eſt quod non pulchrius fit & purius in hoc tempore quadrageſimali? Aues in montibus, amœniſque vallibus, in hortis & pratis cantillant dulciter, charos inſuper ſibi nidulos reficiunt. Frigora paulatim cedunt, Solis caloribus: Glacialia marmora & niues reſoluuntur; Cœnum induratur; plateę mundantur; Virtutes herbarum & plantarum, quę hactenus ſub terra tanquam mortuæ latitarunt, nunc de radice aſſurgunt in truncum, de trunco in ramos. Diſcite, diſcite & vos à natura: Spoliate vos ipſos cum terra ſqualore veſtro, antiqua peccatorum veſte, mala conſuetudine & habitibus vitioſis: induite nouas veſtes, nouos mores, nouam vitam. Stillate cum arboribus ex cordibus deuotionem, lachrymas fundite cum vitibus ex contritione: ſinite vt putemini à Sacerdotibus & prædicatoribus, qui falcem Euangelij in manu habent, vt præſcindant omnes affectus terrenos, omnes ſuperfluos humores, omnes ſuperfluos timores. Cum ipſis auibus communem Dominum laudãdo, & ore & corde contendite; gemite cum turture, cum columba meditamini, & præteritos errores cum ſolitario paſſere plangite. Nidum veſtrum, intentionem veſtram in cauernis illius petræ, in pijs Chriſti vulneribus collocate. Laborate vt lutum & fœtor turpitudinum veſtrarum exic-

Natura ipſe tempore veris ad purificationẽ nos inuitat.

excicetur; claudite riuos aquarum; voluptates, vanitates & huius carnis petulantiæ per animarum vestrarum prata, heu nimis emollita, non decurrant ampliùs:

Sat prata biberunt, ſat prata biberunt.

Cedat tandem vitium virtuti, Diabolus Deo, frigus Aquilonis calori Auſtri, ſpiritus prophanus Spiritui ſancto. Incipiant pectora veſtra hactenus glacie amoris huius ſeculi concreta tandem diuini amoris igne incaleſcere: erigite vos omnibus neruis & viribus veſtris de terra in cælum, de hoc mundo in Paradiſum. Quid cunctamini? quid de die in diem protrahitis? *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* Hoc tempus quouis alio tẽpore oportunius eſt. Quicquid in rebus corporalibus in diuerſa tempora diuiſum, diſtinctumque eſt, in hoc ſpirituali vocationis veſtræ tempore ſimul collectum eſt & coniunctum. *Omnia tempus habent*, dicit Salomon, *& ſuis ſpatijs tranſeunt vniuerſa ſub cælo.* Vno tempore naſcimur, altero morimur. nunc tẽpus eſt plantandi, nunc euellendi quod plantatum eſt: nunc tempus occidendi, paulò pòſt ſanandi: nunc deſtruendi, aliàs ædificandi. Eſt tempus flendi, & tempus ridendi; tempus ſpargendi lapides, & tempus colligẽdi; tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus: tempus acquirendi, & tempus perdendi; tempus ſcindendi, & tempus conſuendi; tempus tacendi, & tempus loquendi; tempus dilectionis, & tempus odii; tempus belli, & tempus pacis. At Quadrageſimale hoc tempus conueniens eſt ad omnia. Eſt tempus naſcendi & moriendi ſimul; in eo enim naſcimur Deo, & morimur mundo. *Qui natus eſt ex Deo, non peccat. Exiſtimate vos mortuos peccato, viuentes autem Deo.* Eſt tempus plantãdi, & euellendi quod plantatum eſt: plantandi, inquam, virtutes, euellendi vitia. *Plantabitis vineas amantiſſimas. Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus, eradicabitur.* Tempus occidendi, & tempus ſanandi: occidendi & mortificandi hominem illum externum & veterem; ſanandi nouũ & interiorem. *Mortificate membra veſtra. Renouamini ſpiritu mentis veſtræ.* Tempus ædificandi, & deſtruendi: deſtruendi ſuperbam illam Baby-

2 Cor.6.
Tempus Quadrageſimale ad omnia quę ſaluti noſtræ conducunt, aptũ eſt.
Eccles 3.
1 Ioan.5.
Rom.6.
Amos 5.
Matth.15.
Col.3.
Epheſ.4.

Babyloniam, quæ erat in nobis, & ædificandi postea
Apoc.14. sanctam Hierusalem, ciuitatem Dei. *Cecidit, cecidit*
Psal.121. *Babylon. Hierusalem quæ ædificatur vt ciuitas. Tempus*
Eccles 3. *flendi, & tempus ridendi*: flendi ob gratiam Christi amissam, ridendi ob eam recuperandi spem. *Iccirco*
Thren.1. *ego plorans, & oculus meus deducens lachrymas: quia longè factus est à me consolator meus.*
Genes.17. *Risit Abraham in corde suo.* Tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus: amplexandi dulcem animarum nostrarum sponsum Deum, & longè fieri ab amplexibus
Cant.6. malorum consortij. *Dextera illius amplexabitur me.*
Cant,8. *Fuge dilecte mi, assimilare capreæ, hinnuloque ceruorum super montes Bethel.* Tempus scindēdi, & tempus consuendi: scindendi corda per contritionem; & cōsuendi atque reficiendi præcepta Dei per te violata & lacerata.
Ioël.2. *Scindite corda vestra. Lacerata est lex, & non peruenit*
Abac.1. *vsque ad finem iudicium.* Tempus acquirendi, & tempus perdendi: acquirendi à Deo pro simplo centuplum; perdendi bona temporalia, vt acquiramus
Prou.19. æterna. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis. Faci-*
Luc.16. *te vobis amicos de Mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Tempus tacendi, & loquendi: tacendi ob profundam meditationem & recordationem vitæ nostræ anteactæ; loquendi verò mille linguis, Deo gratias agendo, quòd vos ad pœnitentiam expectauit.
Thren.3. *Sedebit solitarius & tacebit: le-*
Psal.144. *uabit se supra se. Laudationem Domini loquetur os meum.* Tempus spargendi lapides, & tempus colligendi: vt scilicet concionatores spargāt lapides verborum Dei, quæ sunt quouis saxo viuo duriora, quæ occidêre Gigantem illum Goliath; & populi colligant ea in cordibus suis, preciosioraq; eis sint quouis thesauro opu-
Iosu.10. lentissimo. *Misit super eos Dominus lapides magnos de*
1 Reg.17. *cælo.* &, *Elegit sibi Dauid quinque limpidissimos lapides.* Tempus dilectionis, & tempus odij: vt vnus alium fraterna charitate ꝓsequatur, odio verò habeat vnusquisque semetipsum; idque amore Christi diligentis
Rom.13. nos omnes. *Qui diligit proximum, legem impleuit. Qui*
Ioan.12. *odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Tempus belli, & tempus pacis: tēpus, inquam, bellandi cum Diabolo, & paciscendi cum Deo. *Col-*

luctatio

luctatio est nobis aduersus mundi principes & rectores tenebrarum harum. Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Iesu Domino nostro. Ephes.6. Philip.4.

O tempus benedictum, ô salutaris Quadragesimalis statio. Ecce, *ecce tempus acceptabile; ecce, ecce dies salutis.* Non audistis in Euangelio; *CVm autem tempus fructum appropinquasset.*] Quod est illud tempus fructuum, Christiane? Non fructuum carnis, sed fructuum spiritûs, duodecim illorum fructuum, quos commemorat Paulus. *Fructus spiritus sunt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas,* per duodecim illos fructus ligni vitæ adumbrati. Iccirco hoc tempore per totum terrarum orbem mittuntur Procuratores, Legati & Concionatores, qui fructus colligant. *MIsit seruos suos, vt acciperent fructus eius.*] dicit Euangelium. Ah quàm sterilem vineam, quàm ingratos inuenerunt agricolas? *ALium occiderunt, alium ceciderunt, alium lapidauerunt.*] Nolo hîc copiosiùs dicere de Concionatorũ & Auditorum officio. Sufficit vt habentes cor mundum & purum fructus faciatis. *Non potest arbor mala bonos fructus facere* Ideóque sit hic scopus vester, vt mundemini, ad faciendos fructus bonos. *Quia omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* Respiremus, & materiam prosequamur.

2 Cor.6.

Quadragesima tempus colligendi fructus.

Gal.5.

Luc.20.

Luc.6.

TERTIA PARS.



POSTQVAM abundè iam satis vobis demonstrauero, essentialem Christiani perfectionem in cordis puritate cõsistere, omniaque exercitia spiritualia, disciplinasque & obseruãtias, quæ tam inter religiosos, quàm inter seculares reperiuntur, hominem bonum non efficere: sed instrumenta esse & media ad bonitatem hominis; quia ad hanc cordis puritatem (vt diximus) conducunt: ea verò puritas scopus est artis omnium aliarum artium, artis, inquam, bene operandi: Nunc & ordo & ratio postulat, vt similiter vos doceam, qualis debeat esse prin-

principalis noster conatus & studium ad hanc cordis munditiem consequendam: nam vt multis modis & sæpe erratur in fine, sic & in scopo.

Multæ sunt viæ, sed secundariæ, quibus ad hanc metam peruenitur: huc enim conducunt omnia opera bona, huc omnia præcepta, huc omnia consilia: Sed vna sola est primaria, quæ in virtute sua continet omnes alias: ad quam necesse est intentio nostra assiduè dirigatur, in eaque immobiliter firmetur, si huc peruenire velimus. Hæc est via regia, à qua, tanquam à capite deriuantur omnes aliæ. Scitis quæ sit hæc? Contemplatio Dei, rerumque diuinarum. Hanc Doctrinam Christi habetis in Euangelio de duabus illis sanctis sororibus Martha & Maria. *Martha, Martha, solicita es*, inquit Christus, *& turbaris erga plurima. Porrò vnum est necessarium. Maria optimã partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Intelligitis hoc? Actio habet solicitudines, habet & perturbationes, ideoq; fieri nõ potest, quin habeat admixtam immũditiem. Contemplatio tota pura est, tota quieta, tota munda. in Deo namque purissimo, quietissimo & mundissimo tota est recollecta. Scio quidẽ impossibile esse quãdiu carnis huius fragilitate sumus circundati, diu persistere in contemplatione Dei, multoque impossibilius inseparabiliter amore cum illo coniungi. Dicat quicunque vult hæreticus; *Qui semel charitatem Dei nactus est, nunquã amittit*: tibi in Apocalypsi manifestissimè contrarium testatur Apostolus; *Habeo aduersum te pauca, quòd charitatem primam reliquisti. memor esto vnde excideris: age pœnitentiam, & opera prima fac.* Quid tribus his verbis solidius aduersus quatuor aut quinque hæreses nouorum Antichristorum optares? Hoc verò videtur sufficere, vt sciatis vbi fixa debeat esse mentis intentio, vt si quando diuertendi, & à cõtemplatione recedendi huius vitæ miseræ occurrat necessitas, (quod vt non subinde contingat fieri non potest) mox intelligatis, quò, & quomodo reuerti debeatis. Exultate fœminæ tanquam magnum dignitatis gradum adeptæ, si quando Christus hanc vobis impertiatur gratiam, vt incipiatis de eo, deque amore illius sancto cogitare. **Dolete & flete non aliter, quàm si vnicus filius vester** obijsset,

Contemplatio via regia est, ducẽs nos ad cordis munditiem.
Luc. 10.

Contra eos qui dicunt, charitatem non posse amitti.
Apoc. 2.

obijsset, cùm ob causam aliquam, qualiscunque illa sit, etiam si de vita ageretur, estis distractæ: ideoque quotiescunque potestis aliquid otij ceteris negotijs suffurari, putate vos esse beatas, si poteritis recuperare gratiam, qua ad contemplationem reuertamini, vt toto corde vestro de dulci illo animarum vestrarum sponso Christo cogitare liceat.

Omnis puritas & impuritas nostra cōsistit in conuersione & auersione animæ; quæ si conuertatur ad Deum, pura est: si auertatur à Deo, est impura. Ideo dicebat Christus; *Regnum Dei intra vos est.* In nobis est conuerti & auerti. conuertendo paululum præparamus regnum Deo in cordibus nostris; prorsus verò auertendo, damus cor nostrum in prædam Dæmonibus. Credite mihi Christiani, credite mihi, etsi infinitæ, superfluæque cogitationes & subtiliter & furtiuè se in cor nostrum ingerant, idque nobis inuitis & reluctantibus, etiam tunc, quando maximo cum feruore contemplamur, aut beneficia Dei, aut eius bonitatem, aut clementiam, aut potentiam, aut sapientiam in creatione mundi, siue in rerum administratione, siue in filij incarnatione, siue denique in peccatorum iustificatione, tamē non omnino hîc nos excusandi sumus: non vacat culpa nostra negligentia. Scio quemadmodum omnes sanctæ cogitationes à Deo sunt, qui sæpe multas in nobis sine nobis seminat, sic multæ malæ cogitationes sunt à Diabolo. De Iuda proditore legimus; *Cùm Diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum.* Sic & de Anania; *Quare tentauit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto?* Sed quis dubitat, quin infinitæ quoque cogitationes malæ sint à nobis ipsis? Non tot herbas noxias, non tot vermium genera producit tellus, quot cogitationes peruersas cor nostrum ex se generat. *Quid cogitatis mala in cordibus vestris? Dominus scit cogitationes hominum, quia vanæ sunt.* Hoc certè vobis ipsis persuadete, secundùm res quas tractatis, in quibus negotiaamini quibus occupamini, occurrunt postea, iusto permittente Deo, in pœnam peccatorum vestrorum, cogitationes nefariæ atque peruersæ: vanæ verò, cùm nimiùm arcanis Dei iudicijs intenditis, quibus intelligendis pares non estis. Miser ille diues

(vt

[Margin: In quo consistat puritas & impuritas nostra. — Luc. 17. — Ioan. 13. — Act. 5. — Matth. 9. — Psal. 93. — Vnde nascantur nostræ cogitationes.]

(vt res exemplo fiat illustrior) qui tota vita sua alteri rei non studuerat, quàm pecunijs congerendis, nesciens cui eas relinqueret, fore vt æternùm viueret cogitabat; *Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui;* ideoque meritus est, vt nocte insequenti occuparetur diuersis cogitationibus, quomodo horrea sua destrueret, & maiora faceret, vt recōderet in illis quæ congregauerat. O miserum. Et ecce quasi in ipso momento vox Dei audita est; *Stulte, hac nocte repetent Dæmones animam tuam à te: quæ autem parasti, cuius erunt?* Hoc modo per omnia hominum genera percurrere potestis, & ipsi confitebimini, etsi omnes cogitationes peruersæ non pendeant à nobis, neque illorum principia, cùm tot sint (vt diximus) antiqui generis humani hostis illusiones: tamen si nostræ occupationes omnes circa res sanctas & spirituales versentur, aut nunquam occurrent cogitationes terrenę siue carnales; aut si occurrant, radices in cordibus vestris non agent; extemplò eijcietis & abigetis, sicut olim abegit Abraham immundas aues, quæ aduolabant, vt instar Harpyiarum, sanctum eius sacrificium contaminarent. Ob hoc liberum arbitrium homini datum est; vt si in nostrá potestate non sit prohibere, ne intrent ad nos cogitationes peruersæ, inordinatique amores, saltem impediamus, ne in nobis maneant, aut sedem sibi figant, ac proinde nos mortali peccato coinquinent. Perpulchrum vobis auditores exemplum referam. Cùm cursus fluminis rapidus est & impetuosus, molitor prohibere non potest cur minùs rotetur hydromyla: præceps enim aquæ cursus tantam vim habet, vt etiam inuito molitore secum rotas rapiat, gyretque cum impetu: in potestate nihilominus molitoris est, vt gyrando conterat aut frumentum, aut oryzam, aut lolium: ab illo namque stat, qui curam molæ habet, in infundibulum mittere quicquid vult. vt si infusum sit loliū, illud tollere potest, & bonum frumentum infundere. Idem in cordibus nostris agitur, vt cùm plena sint aqua, & infinitarum cogitationum agitantur abundantia, cùm in pleno cursu sunt, sisti non possunt. Non inuenitur quicquam mobilius & magis inquietum corde humano: rotæ cælestes tam

Psal.76.

Luc.12.

Genes.15.

Simile vel exemplū docēs, quomodo homo potest semper habere bonas cogitationes

Cordis nostri mobilitas.

tam veloces non ſunt; contendit cum beatis illis ſpiritibus, qui volant ſuper pennas ventorum. Tunc tantùm quieſcet, cùm cõtemplabitur diuinam illam Sapientiam, de qua dicit Scriptura, quòd omnium mobiliũ maximè mobilis eſt: cognoſcens enim quòd eam inſequi, aut retrorſum trahere non poteſt, ſiſtet ſe, alasque ſuas demittet, & in ſemetipſo recollectum præ admiratione ſtabit attonitum, & cõſiderabit motum illum ſine motu: cumque rationis habenis refrẹnabit ſemetipſum, ad modum quatuor illorum animalium Ezechielis. non tranſgredietur amplius terminos ſuos, ſed cum immenſo illo Deo ſtabit immobile, nec exagitabitur amplius. O quando erit dies illa? Ceterùm quamdiu ſub hoc lunari cælo degit, ſemper in motu eſt, ſemper molit, ſemper cogitat: & licet illud ſiſtere non poſſimus, in noſtra tamen eſt poteſtate cum gratia Dei accurare, vt molat, cogitetque res bonas, non malas. Etenim ſi animum aduocemus, omnes eius potentias recolligamus, memoriam, voluntatẽ & intellectũ quanta vi poſſumus impellamus ad ſuperiora, vt cogitent ſancta & ſpiritualia, vt occupentur deſiderio perfectionis, amore Chriſti, ſpe cæleſtis gloriæ; enitamurque quantum poſſumus, vt his rebus immobiliter intentæ maneant, velint nolint cogitationes peruerſæ cum pudore fugere debebunt. ſi autem pigritia vel negligentia victi, permittamus vt mentem deorſum trahant, nec eam ſurſum elatam teneamus, curis huius ſeculi & ſolicitudinibus ſuperfluis implicati, ſine dubio cor noſtrum zizanijs & lolio implebitur, nihilque præter malas cogitationes molet. *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum*, inquit Chriſtus.

Ezech. 1.

Matth. 6.

Cor noſtrum, Chriſtiani, poſſeſſio vacua eſt, quæ plerunque cedit ei, qui prior occupat. Ideo neceſſe eſt vt cor noſtrum conſecremus Chriſto, ne Diabolus aut mundus in illo ſibi locum inueniant. O quàm incomparabilem theſaurum reperit cor noſtrum, ſi Chriſtum repererit: reperit omnem felicitatem, patriam, regnum, filios, amicos, patrem, matrem, omnes honores, omnes voluptates. Chriſtus, Patauini, eſt margarita illa Euangelica, quam cùm negotiator ille

Matth. 13.

inueniſſet, confeſtim vendidit vniuerſa quæ habuit, & emit illam. Vende, vende omnia, Chriſtiane, abnega temetipſum, vt poſſideas Chriſtū: vt cum Chriſto vniaris. Anima mihi chariſſima, hic eſt ſponſus tuus, qui te ſibi ſponſauit in fide. hic eſt Rex tuus, qui te de tyrannide liberauit: hic eſt frater tuus, qui te fecit ſuum cohæredem: hic eſt amicus tuus, qui te amauit, vt ſemetipſum. O dulcis Chriſte, ô chare Chriſte, & quis velit à te diuelli? quis non velit manere tecum ſemper? quis non velit tecum vniri, & in te transformari? Nobiles, hic eſt Princeps veſter, qui vos in momento temporis opulentos poteſt facere & locupletare, non vana ſpe quenquam lactans. Mercatores, hic eſt veſtra margarita, vniuerſo terrarum orbe pretioſior. Mulieres, hic eſt veſter Orpheus, qui amore veſtrî inebriatus ad inferos deſcendit, vt vos liberaret. Milites, hic eſt Imperator veſter, qui vos coronabit non auro, nec gramine: ſed multò nobiliori diademate. Viduæ, hic eſt veſter aduocatus, qui pro vobis litigans nunquam cauſa cadet. Infirmi, hic eſt veſter medicus, qui omnibus infirmitatibus veſtris etiā incurabilibus, vno medetur verbo. Orphani, hic eſt veſter tutor, qui vos opprimi nunquam patietur. Senes, hic veſter baculus eſt, qui nunquā curuabitur aut frangetur. Iuuenes, hic veſter ſodalis eſt, qui, cùm vos morti eratis obnoxij, ipſe pro vobis mortem oppetijt. O dulciſſime Ieſu, ô amātiſſime Ieſu: tu vnicus amor meus es, tu vnica ſpes mea; nihil prætequam te deſidero, omne bonum meum à te me accepiſſe fateor, omnia lubens, vt tibi ſoli ſeruiam, repudio. Non me mouere cupio, niſi vt recurram ad te. Omnes affectus, omnes cogitationes meas in te vnū dirigo; omnes diuitias, honores, voluptates meas in te repono. Quòd ſi mille mundos poſſiderē, omnes lubens tibi donarem, & nunc ecce me totū quantus quātus ſum (nihil mihi reſeruans) tibi dedico, deuoueoque. Quid non debeo facere, mi Domine, pro te, qui tanta feciſti, tantaque paſſus es pro me? Volo vt mea voluntas nihil amet, intellectus nihil ſapiat, memoria nihil recolat præter te. Paciſcar cum oculis iſtis, cum auribus iſtis, cum naribus iſtis, cum ore iſto, cum manibus iſtis, nihil vt videant, nihil audiant, nihil odorentur, nihil guſtet,

Oſee 2.

Omnes homines debēt in Chriſtum transformari ſeu illi vniri.

Modus dedicandi cor ſuum Chriſto.

nihil tangant, quod tibi displicet. Corpus hoc volo propter te castigare & refrenare, animam hanc volo tibi consecrare, & lingua hæc in posterum nihil, præterquam quod tuum est, loquetur. Ingruat quæcunque vult aduersitatis procella, leuis erit mihi, si cogitem de te. Quæ res mihi poterit esse iniucunda, ô dulcis Iesu, si fasciculum myrrhę ex omnibus amaritudinibus, quas tu pro me bibisti & deuorasti, collectum in secretissimo cordis mei alligauero? cùm mecum cogito, quòd tu cùm esses in forma Dei, à diebus æternitatis, in illis splendoribus, quibus nunc Sancti fruuntur, genitus ante Luciferum, gloria & paternæ substantiæ character, tanto æstuãs amore venisti in hunc carcerem meum, vt me inde educeres; in lutum meum, vt me è luto meo extraheres; ad sepulchrũ meum, vt me suscitares; ad meam vilitatem, vt me honotares; ad meam miseriam, vt me beatum faceres. Fuit hæc gratia, Domine, quæ superat omnem gratiam. Rex gloriæ moritur in cruce, pro eo qui pœnam meruerat: moritur iustus pro peccatore, moritur Creator pro creatura. *Vix pro iusto quis moritur*. Sed tu mortuus es pro me iniusto, pro me peccatore, pro me damnato, pro me inimico. Tu non eras mihi inimicus, semper mihi amicus extitisti: sed ego erã tibi inimicus, & tu ex gratia me tibi amicũ reddidisti. Quid ego tibi facere potui, quòd me tibi necessariũ duxeris? Vetus amor fuit, qui te pro me morti tradidit. O chare amice, quid tibi vel pro minima huius beneficij parte retribuam? 1. Pet. 3. Rom. 6.

Beati vos Christiani, si sæpe in vosipsos reuersi huiusmodi sanctis cogitationibus occupemini, & corda vestra in illis exerceatis. Non est necesse vt corda vestra sint otiosa. Aqua quę non mouetur, mille vermium genera ꝓducit: aër qui clausus est, & non alteratur, corrumpitur & inficitur: terra quę non colitur, vrticis & spinis obducitur: ignis qui non foditur, & vertitur, cuique ligna non subijciuntur, extinguitur. Quòd si cor nostrum vel ad momẽtum temporis sit otiosum, extemplò intrat Diabolus, illudque totũ euertit. Vnicum & præsentissimum itaque remediũ est, si purum & sincerum cor habere cupias, vt illud totũ Christus occupet. totum illud redemit, æquum est, vt & totum

Cor hominis otiari nõ expedit.

Remediũ cor mundũ conseruandi.

illud possideat. Non potest pars cõsecrari Deo, & pars Diabolo. aut totum date Deo, aut totum Diabolo. An
3 Reg. 18. ignoretis quid olim dixerit Elias Propheta; *Vsquequo claudicatis in duas partes? Si Deus est Dominus, sequimini eũ: Si Deus est Baal, sequimini eum.* Nescitis quid Chri-
Matth. 6. stus ait; *Nemo potest duobus Dominis seruire; Deo & Mammonæ?* Plorandi hîc & lamentandi locus est, quia
Christum omnes cordibus nostris expulimus. quotquot sumus Christum totis cordibus nostris eiecimus: alia cuncta exiguum diuersorium habent in cordibus nostris, solus Christus excluditur. Non audistis quibus verbis hoc ipse conqueritur, cùm dicit:
Matth. 8. Luc. 9. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet?* Vulpes in te suas habent cauernas, & volucres cæli suos nidos: miser autem Christus non habet in te, vbi proprium caput reclinet. Vulpes sunt astutiæ, fraudes, malitię; ô quàm lata & recondita vulpes istæ in te antra possident? volucres quæ in cælo volitant, sunt ambitiones & desideria in altum euolandi: ô quot nidos hæc sibi in animis nostris tam palàm, quàm clàm construunt: solus Christus noster, sola eius mansuetudo, eius bonitas, eius amor, ne quidem exiguum angulum in nostris cordibus inueniunt: ideoque sumus non tan-
Ioan. 16. tùm impuri, sed & inquieti. *In mundo pressuram habebitis, in me requiem,* dicit alibi Christus. Si Martha in seruiendo humanitati Saluatoris paulùm à contemplatione auersa, fuerit inquieta; cogitate quæso, quid fiet de nobis, qui toti sumus occupati, vt seruiamus
Quã inquieti sumus in seruiendo carni nostræ. nostræ carni peccatrici, vt satisfaciamus infrenatis sensibus nostris, vt blandiamur vitiosis nostris affectibus? Verte, reuerte; volue, reuolue; intra, exi; quęre, require, argentum illud viuum cordis nostri non quiescet vnquam, nisi in solo Christo. Christus est magnes, nos ferrum. Christus est succinum, nos palea. Christus est ramus viridis, nos oues. Sancta illa magni Noë columba, quæ de arca exierat, quo tempore cataclysmus omnia perdiderat, quærens vbi quiesceret, & non inueniens vbi pedem figeret, (omnia namque aqua inundarat) ad arcam Noë reuersa est. Reuertimini, reuertimini animæ sanctæ, reuertimini simplices columbæ, & si imprudẽtes fueritis in relin-

quendo

quendo Christum, & ab eo discedendo, Christus est arca illa sancta, vbi quiescere poteritis, ne submergamini, nisi in Christo?

Ceterùm non fert, Patauini, hęc nostra natura tam magnam & repentinam mutationem, vt is qui totus immundus est, subitò fiat totus mundissimus: & qui est tam alienus à Christo, tam propinquus fiat Christo, quàm quiuis in mundo sanctissimus. Magnum fuit Dei miraculũ, quòd Magdalena, quæ duodecim annis vixerat vitam adeò impuram, vno momẽto facta est tam sancta; quòd Saulus è persecutore tam immani conuersus est in imperterritum nominis Christi defẽsorem; quòd Zachæus ex Publicano tam auaro & alieni raptore in liberalissimum propriorum bonorum distributorem euasit. Non ego hęc Christiani miracula in vobis requiro: sunt incredibiles gratiæ, quas Deus subinde operatur iudicijs suis semper secretis, sed semper iustis. Vos tantùm oro, vt paulatim vosipsos ex magnis istis immunditijs extricetis, & pedetentim purificemini. Dico vobis, quod olim dixit Christus ijs, qui in naui erant; *Reducite à terra pusillum.* Vos in naui sanctæ nauigatis Ecclesiæ. naues non stant in terra, sed vt à littore paululum subducantur necesse est. *Reducite à terra pusillum.* Reducite, reducite vos paululum à terra: eleuamini nonnihil in cælum, subducite vos nonnihil à mundo, & date vos Christo, audentes vela expandite. *Reducite à terra pusillum.* Recedite nonnihil à vestra ambitione. Non dico vt omnem magnanimitatem exuatis, sed vt honores, qui sunt pręmia testimoniaque virtutum, per vias honestas quæratis. *Reducite à terra pusillum.* Facite segregemini nonnihil à vestra auaritia; quòd si nolueritis largiri propria, nolite saltẽ rapere aliena. Nolite annonam flagellare, vt frumentũ & vinũ vendatis cariùs. Nolite cumulare pecuniam, quæ inuenta est, non vt fruamini, sed vt vtamini. *Reducite à terra pusillum.* Discedite paululũ à vestris libidinibus. Si vobis iugum virginitatis durũ videatur, Christus illud vobis non imponit: saltẽ vxoribus vestris estote contenti, vasaque vestra in honore & sanctificatione possidete. *Reducite à terra pusillum.* Aliquantulum ab

Luc.7.
Miraculum magnum est, ex peccatore subitò iustum fieri.

Luc.5.
Quomodo nos secũdùm Christi verbũ purificabimus.

1 Thes.4.

Genes. 37. inuidia recedite; nolite inuidere sicut fratres Iosephi, vt occidatis & persequamini; sed vt æmulemini, & maiores vestros imitemini, vt ijs pares, non minores aliquando efficiamini. *Reducite à terra pusillum.* Fugite odium; quòd si inimicis vestris benefacere nolueritis, saltem ne malefaciatis, vitia satis sit odisse. qui vos amāt, cauete ne odio persequamini: nimis enim magnum peccatum est nocere his, qui vos iuuant. *Reducite à terra pusillum.* Declinate paululum ab ira, nolite irasci nisi ex zelo; ne sitis faciles ad iram; *non occidat Sol super iram vestram*: si irascimini ob vitium, saltem nolite aut Deū, aut Sanctos eius blasphemare.

Ephes. 4.

Reducite à terra pusillum. Iudicijs temerarijs vos nonnihil subtrahite; nolite interpretari in malum, quod potestis interpretari in bonum. maiorum consilia nolite iudicare; murmure vestro fratres vestros cauete offendatis; vestra iudicia in arcano cordis includite. Reducite vos ab hypocrisi, si volueritis haberi boni; saltem nolite homines esse huius mundi pessimi, nolite fingere vos Sanctos, si sitis Dæmones. *Reducite à terra pusillum.* Fœtor diluuij, huius inquam diluuij, quod est peccatorum abundantia, mundum inundauit, totumque corrupit: necesse est, necesse est vt paululum recedatis, & vos ad meliorem vitam reducatis, vt à peccatis vos abstineatis. *Quiescite agere peruerse, discite benefacere.* Quamdiu in his sordibus permanetis, ad Christum venire non potestis. *In diluuio aquarum multarū ad eum non approximabunt.* Effundet Christus super vos aliud diluuium suarum gratiarum, & vos inundabit; omne lutum, omnesq; sordes vestras abluet. *Si fuerint peccata vestra quasi coccinum, velut nix dealbabuntur; & si fuerint rubra sicut vermiculus, velut lana alba erunt.* Veniat, veniat diluuium illud. Diluuium vestrum vos fecit immundos, diluuium Christi vos faciet mundos: per illud diluuium terra virtutem suam amisit, factaque est sterilis; per hoc omnem efficaciam suam recipiet, atque omnis generis fructus producet, exundantesque lætitia dicetis in illa die; *Dominus dedit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum.* Vnum superest, Patauini, vt scilicet explicem vobis, quæ sit inter mundum & Christum

Esa. 1. Psal. 31. Duplex diluuium, & vtriusque effectus. Esa. 1. Psal. 84.

stum

stum differentia. Ceterùm defessus sum, respirare me paululum oportet, deinde vos mox cum Dei benedictione dimittam.

QVARTA PARS.



POSTOLI illi pauperes & miseri, qui tota nocte in piscatione sua laborauerant, & orto iam sole manus suas vacuas repererant, audite quæso quibus id verbis Magistro suo conquesti sunt. *Magister, per totam noctem laborauimus, & nihil cepimus.* O Magister, quàm tædio plenus est hic labor, lassi sumus, tota nocte vigilauimus, nunquam quieuimus, & nihil interim cepimus. O vos, vos, inquam, miseri peccatores & peccatrices estis hi, qui tota nocte, tota vita vestra, quæ verè nox est, nocens & scintillam lucis non habens, quæ tota est tenebrosa, tota infelix, piscando laboratis: hic piscatur honores, ille diuitias, iste voluptates; quidam dignitates, aliqui fauorem huius seculi, nonnulli magnatum amicitias; tandem cùm venerit dies, hoc est mors, quæ dies est in qua tandem errores vestros videre incipietis, quos nunquam videre voluistis, quamdiu vixistis, aperientur oculi vestri, & æterno cum dolore vestro deprehendetis, quòd incassum laborastis, quòd frustra piscati estis. *Aperiet oculos suos, & nihil inueniet*, dicit de peccatore Dauid. Optimè *Nihil*: inuenietis enim peccatum, quod est illud *Nihil*, de quo dicit B. Ioannes; *Sine ipso factum est nihil.* O quàm pulchrè nobis illud verbum; *Per totam noctem laborantes nihil cepimus* applicatur & conuenit. Dico vobis, quod dixit Christus; *Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis.* Hactenus in sinistram rete misistis, ideoque nihil cepistis. mittite illud in dexteram, & capietis pisces grandes. Sinistra manus est mundus, dextera Christus est. Quamdiu in mundo steteritis, in vanum laborabitis, accedite ad Christum, & eritis beati. Patauini, nolo vos lateat, mundum & Christum ex diametro pugnare, & sibi mutuò totos esse contrarios. Prima fronte mundus se tibi ostentat pulchrum planè & suauem; postea verò si laruam detrahas,

Luc. 5.
Peccator tota huius vitæ nocte piscando frustra laborat.
Psal. 75.
Ioan. 1.
Ioan. 21.
Quomodo vtiliter piscamur in hoc mundo.
Diuersitas Christi & mundi.

trahas, si propiùs inspexeris, Deus immortalis, quàm teter & deformis est, quam non turpitudinem, quod non fel, quam non amaritudinē tibi propinat? Christus, cùm eminus eum intueris, apparet tibi totus horridus, asper, durus, rigidus & intolerabilis: nihil prę se fert nisi clauos, spongias, lanceas, labores, miserias, cruces & mortes: sed si propiùs accesseris, si subtiliùs & curiosiùs inspexeris, nihil dulcius, nihil delicatius, nihil suauius Christo inuenies. Ah Patauini, quî fieri potest, vt non ipsa vos experientia doceat, mundum hunc præstigiatorem vos illicere falsis simulachris, & adulterinis verorum bonorum imaginibus, quę nihil aliud sunt, nisi venena melle illita? Postquam verò vos inescauit, sua vos fecit mancipia, sub suam vos tyrannidem misit, ah in quas curas, in quæ fastidia, in quas solicitudines, in quas anxietates, in quas cruces, in quas tribulationes vos præcipitat, detruditque? Quòd si post mortem non esset alia Gehenna, an non magna satis Gehenna tibi videtur ea, in qua volutatur ambitiosus, qui nullam honoribus metam constituit? auarus, qui nūquam auro satiatur? iuuenis qui nec interdiu nec nocte potest dormire, vt suę satisfaciat libidini? Princeps qui mille expositus insidijs securitatem vndiq; cogitur emēdicare? mercator qui toto vite suæ curiculo laborat, & postea momēto vno amittit quicquid multis vix annis quæsierat? ciuis aliquis priuatus, qui semper incidit in consilium non tantùm parium, sed & inferiorum? aulicus, qui perpetuò inter malleū & incudem, hoc est, inter spem & metum augendæ vel minuendæ Domini suæ gratiæ versatur? O quàm viua, Christiani, hic mundus Gehenna est, etiam cæli laruam præ se ferens? Omnia in Christo contrario se modo habent. Ille prima quidem fronte minùs formosus, minùs suauis apparet: sed accede, accede propiùs, detege faciem eius, diligenter inspice; omnem tuum amorem, omne studium tuū & omnes tuas cogitationes in hanc spem, in hunc thesaurum, in hoc summum bonū cum fiducia maxima conijce, pape quàm tibi formosus videbitur? animi tui sinum omni bono, & cor tuum omni gaudio replebit. Diuitias huius seculi propter Christum repudiasti? in eo

Felicitas quā Christus dat suis dilectis.

veros

veros & nunquam auferendos thesauros inuenies. honores propter Christum aspernatus es? in illo multò eris honoratior & gloriosior. Patrē & matrem Christo postposuisti? multò maiorem & teneriorem tui curam habebit Pater ille cælestis. Sapientiam mundi contempsisti? in Christo fies multò & faciliùs & veriùs sapiens. Pestiferas voluptates carnis propter Christum detestatus es? aliæ deliciæ tibi ab illo sunt præparatæ. *Cētuplum accipiet*, ait Christus, *& vitam æternam poßidebit.* Quid sibi vult *Centuplum accipiet*? Pro bonis apparentibus recipiet vera, pro caducis æterna, pro incertis certa, pro venenatis sincera, pro laboribus requiem, pro anxietate fiduciam, pro negotio otium, pro verme conscientiæ secretum & ineffabile gaudium: pro turpi & infelici fine, triumphalem & gloriosam mortem. Quid enim poteris timere, si propugnator tuus sit Deus? cuius rei te angere poterit solicitudo, si Deus etiam capillos capitis tui numerauerit, & si vnum ex illis non ceciderit in terram sine illius volūtate & cognitione? Quid poterit tibi deesse, si Christum possederis, à quo omne bonum in nos deriuatur?

Matth. 19.

Verus sensus illius vocis *Centuplum.*

At Christo coniungi non poteris, nisi à mundo segregeris: fieri non potest vt bene currat, cuius pedes vinculis & compedibus innexi sunt. qui mundo immersus est, ligatus est. qui Christum sequetur, necesse est vt currat. Expedite, expedite vos priùs vinculis huius mundi, si Christum sequi volueritis. Non dico vt in siluas & eremos secedatis, procùl ab hominibus socij sitis ferarum: (neque omnes apti sunt ad hanc vitam Angelicam agendam, neque in ea consistit essentialis perfectio) sed dico vobis, quod olim dixit Ioannes, cùm purum illum & sincerum Iesu Christi amorem in corda fidelium vellet infundere; *Filioli nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo. quoniam omne quod est in mundo, concupiscētia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est. Et mundus transit & concupiscentia eius. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.* O quàm efficacia sunt verba hæc? si illa nō poterint nos mouere, vt cum affectu voluntatis nostræ omnia quæ sunt

Mundū odisse debet, qui vult cū Christo viuere.

1 Ioan. 2.

Quid sit, extra mundum viuere.

sunt in hoc mundo aspernemur, & soli nos dulcissimi Domini nostri Christi Iesu amori deuoueamus, nescio quid aliud mouere poterit. Infiniti fuere in hoc mundo Sancti, sed quasi extra mundum positi vixere. Nausearunt enim, & turpitudinem rerum mundanarum, superbiæ, vanitatis, ambitionis, arrogātiæ, luxuriæ, auaritiæque fastidierunt. quæ omnia studia sunt illorum hominum, qui mundo iacent immersi: sunt autem hi, qui ab inordinatis suis amoribus per metaphoram nomine mundi nuncupantur, quemadmodū econtrariò amici Dei & Christi per admirabilem huius sancti amoris virtutem, Christo & Deo coniuncti, Dij & Christi appellantur. Quò igitur longiùs à mundo recesseritis, eò propiùs ad Christum accessistis: & proinde tantò eritis puriores: econtra quantò minùs longè à mundo affectu & desiderio discesseritis, tantò longiùs à Christo abestis, tantoque eritis impuriores.

Quid sit, extra mundum viuere.

Hæc est via, hic modus, Christiani, quo de vobis ipsis coniecturam sumere potestis, quantum in cordis puritate profecistis. Mathematicus qui experiri vult an circulum rectè fecerit, accipit circinum, vnumque pedem statuit in centro, altero lineam circunferentiæ ducit. Architectus qui probare vult, an designatio domus iusta sit, amussim, quæ infallibilis est regula, applicat, & lineam ducit rectā, diligenterque considerat, iudicatque an errauerit, an bene sit operatus. sit quantumcunque vult diligens, solo oculorum iudicio, sine circino vel amussi, nec errorem potest deprehendere, nec emendare. Habetis circinum, habetis amussim, habetis regulam: errare non potestis. non tamen in homine exteriore, sed in interiore cognoscetis, purine an impuri sitis: & quantum in puritate profecistis. si tamen cognoueritis vtrum ardentiùs, Deúmne an mundum, dilexeritis. Non magnam hæc regula habet latitudinem, sed stricta est & angusta, ideoque facilimum est secūdùm hanc iudicare. Considerate Turcū vestrum, qui arte sua admirabili ambulat & currit in fune, imò in ipso aëre, (si dicere liceat) incedere videtur. O quàm stricta est hęc via, quàm angusta hęc semita: necesse est vt sit cautus & prouidus in hoc periculo. Quòd si vel alter pedum paululum vacillet, terra, quæ omni-

Regula, per quam scire possumus, quantum in cordis puritate profecimus.

omniũ rerum basis est, securũ & solidũ fundamentũ, cui totus mũdus incũbit, illi in perniciem erit, & manifestissimam ruinam; cum impetu namque in illam decidet, luxabitur, & confractis, cõminutisque membris omnibus, paulò pòst miseram efflabit animam. Via Domini, per quam ambulãt hi, quorum studium est purificare cor, hoc est, cõtemplatio & amor Christi, (etsi enim huiusmodi homines corpore quidem in terris sint, suspensa tamen semper mente in cælis conuersantur, dicentes cum D. Paulo; *Nostra conuersatio in cælis est*) strictior & angustior est omni fune. Quotiescunque igitur, ô filij & filiæ meæ, vel paululũ ab hac semita declinaueritis, & in cogitationes, amoresque mundi præcipites cecideritis, in puritate vestra deficitis, & nisi oculos in scopum defixeritis, subitoque ad funem & lineam rectam reuersi fueritis, omnem salutem amittetis. Estote igitur cauti, attenti & soliciti. Omni studio atque diligentia incumbite, vt quãtum potestis in hoc amore immobiles persistatis, vt vosipsos puros & mundos conseruetis. Non dubito quin in hac ætate nostra misera, verè misera & miserabili, multi reperiuntur, qui se arbitrantur esse mundissimos: sed vereor eos oculos habere lippiẽtes, nec quicquam nisi crassa & vulgaria videre. Nolite vos his cõformari: existimate vos semper immundos, ideoque cum omni contentione, tanquam si semper in purificationis rudimentis versaremini, hoc agite, vt magna itinera in hac via faciatis; quò tandem ad metam præfixam perueniatis.

Philip. 3.

Arcta est via Dei.

Nos quidem omnes miseri sumus viatores, hic mundus non est patria nostra, sed nostra peregrinatio. Peregrini semper aliquo luto & puluere obsiti sunt; tũc omnino mũdi erimus, cùm ad patriam peruenerimus. In his inferioribus animæ nostræ possunt quidẽ à mortalibus peccatis esse immunes, à venialibus autẽ nõ possunt. *Quis est hic, & laudabimus eũ. Quis gloriabitur se castum habere cor? stellæ non sunt mundæ in conspectu eius.* Solus Christus, inquit Paulus, habuit similitudinem carnis peccati: omnis igitur caro reliqua caro peccati est: quomodo igitur tu in tota vita tua tam purè viuere poteris, vt liber sis & mundus ab omni

In hoc mundo nõ omnino sumus puri à peccato.

Eccli 31.
Iob 25.
Rom. 8.

Ephes. 5.

peccato? Illic, illic in cælo animæ nostrę ab omni fœditate mundæ erunt & perpurgatæ. *Exhibebit sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam neque rugam.* Cùm igitur indubitatum sit, vos non posse vnquam nimis esse puros, imò semper aliquid puritatis vobis defuturum, idem facite quod viatores, qui non considerant quantum itineris emensi sunt, sed quãtum adhuc restat conficiendum. Illud indicare voluisse Paulum reor, cùm dixit; *Non quòd iam acceperim, aut iam perfectus sim: sequor autem, si quo modo comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo Iesu. Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Vnum autem: quæ quidem retro sunt obliuiscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis.* Qui ad metam currunt, his non sufficit vt appropinquent; necesse est vt tangãt, & manibus comprehendant. Non sufficit eodem modo vt puritati & sanctitati sitis vicini; oportet vt puritati & sanctitati huic manum porrigatis. Non deerunt vobis vnquam tentationes Diaboli, mundi, & carnis. Qinimo & S. Paulus, qui nihil erat nisi spiritus, in inæstimabili illa puritatis abysso absorptus, tantis tentationibus & procellis fuit obnoxius, à quibus adeò exagitabatur, vt coactus sit dicere; *Non quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, illud ago.* Quæ igitur temeritas, si vobis persuadeatis, sine tentationibus ad hanc optatam perfectionem vos posse peruenire: oportet semper pugnetis, nunc à dextris, nunc à sinistris, nunc à fronte, nunc à tergo. *Pax odium virtutis habet, nam pace tabescit. Virtus amans bellum, vitijs infesta malignis. Marcet sine aduersario virtus.* Ignoratis hæc Docti? In tantis verò procellis habetis anchoram sacram orationum. Sanctus Paulus erat iam penè vicinus desperationi, videns se nunc sursum, nunc deorsum à contrarijs ventis cogitationum tantoperè exagitari. Non meministis illorum verborum; *Miser & infelix ego homo; quis me liberabit de corpore mortis huius?* Ne verò naufragium faceret, extemplò recurrit vt Deum precetur: *Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Necesse est hîc desperemus de nobisipsis, deque nostra infirmitate & imbecillitate: deinde confidere de benigni-

Philip. 3.

Omnibus modis ad puritatẽ & sanctitatem est contendendum.

Rom. 7.

Cum labore & molestia peruenitur ad vitę beatę perfectionẽ.

Rom. 7.

Humilitas cogit Deũ vt nos exaudiat

nignitate & bonitate Dei per Iesum Christũ. Sed humilitas est quæ nostras facit exaudiri orationes. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Humiliate, humiliate vos Deo, iudicate vos immũdos, impuros, peccatores, indignos qui cælum intueamini. Ista humilitas quasi coget diuinam clementiam, vt vos exaudiat. Esaias Propheta, postquam ardens ille Seraphim eius labia purgasset, eumque cælestiũ Sacramentorum participem fecisset, nihilominus exclamat; *Væ mihi, quia vir pollutis labijs ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito.* Dauid Propheta tanto illustratus lumine ad Deum quoque conuertitur, & dicit; *Non intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Beatus Paulus, licet tam purus fuerit, vt dicere non vereatur; *Nihil mihi conscius sum,* tamen quotidianis suspirijs deflebat nostram fragilitatem, sermonem forsitan de se, & perfectis omnibus instituens; *Ego,* ait, *ipse mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati.* Sed quid exempla quæro? Vnius Publicani & Pharisæi est instar omnium: vnus seipsum condemnat, vt peccatorem: iustificatus autem est à Christo, & factus sanctus: alter qui se iustum prædicabat & sanctũ, grauiùs quàm quiuis peccator condemnatus est. Sed & Synagoga cur à Deo repudiata est, nisi quia superbus ille Iudaismus miseram illam peccatricem spreuit dicens; *Noli me tangere, quia mundus sum?* Econtrario vilis illa & inops Hæmorrhoissa gentilitas, quæ ob immunditiem suam se indignam credidit, vt plus quàm fimbriam vestimentorum Christi tangeret, mundata est. O magnam humilitatis vim. Denique vt mundati munditiem conseruetis, in promptu sint vobis arma; memoria & consideratio sanctarum Scripturarum. quam plagam tam magnam, aut in intellectu, aut in affectu excipere poteritis, quæ lethalis sit, aut quam effugere non licet, si vos non inuoluat aut cæcitas erroris, aut peruersitas amoris? Istis tantummodo armis irritos fecit Christus omnes ictus tentatoris, & vos Christiani eisdem in omni bello, inimicorum vestrorum importunitate vobis illato, semper eritis superiores. Quòd si vos tentet superbia, mementote; *Quid superbis*

Iacob. 4. 1 Pet. 5. Esa. 6. Psal. 142. 1 Cor. 4. Rom. 7. Luc. 18. Luc. 7. Matth. 9. Scripturæ sacræ arma sunt quibus munditiẽ nostrã cõseruamus. Eccli 10.

Epheſ.5. bis terra & cinis? Si auaritia; Auari regnum Dei non poſ-
Num.11. ſidebunt. Si gula; Adhuc carnes erant in dentibus eorum;
& ecce furor Domini percuſsit eos: & vocatus eſt ille lo-
Eccli 47. cus, Sepulchra concupiſcentiæ. Si luxuria; Inclinaſti fe-
Prou.14. mora tua mulieribus, & dediſti maculam in gloria tua. Si
Pſal.4. inuidia; Putredo oſsium inuidia. Si ira; Iraſcimini &
Eccli 33. nolite peccare. Si otium; Multa mala docuit otioſitas.
1 Ioan.3. Si odium; Qui odit fratrem ſuum in corde ſuo, homicida
Matth.23. eſt. Si hypocriſis; Væ vobis hypocritæ. Si huius mundi
Philip.3. gloria; Gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt.
Heb.5. Si ambitio; Nemo ſibi aſſumat honorem, ſed qui vocatur
Rom.15. à Deo tanquam Aaron. Si Philautia; Etenim Chriſtus
Pſal.68. non ſibiipſi placuit, ſed opprobria opprobrantium tibi ceci-
Luc.6. derunt ſuper me. Si voluptates carnales; Væ vobis qui
habetis conſolationem veſtram: quia lugebitis. Si pompæ
Soph.1. huius ſeculi; Viſitabo ſuper eos qui induuntur veſte pere-
Ioan.3. grina. Si infidelitas; Qui non credit, iam iudicatus eſt.
Epheſ.5. Si diffidentia; Veniet ira Dei in filios diffidentiæ. Si ſe-
Prou.28. curitas; Beatus homo qui ſemper eſt pauidus. Si Diabolus
vos impugnet in negotio prouidentiæ Dei, dicite;
Luc.12. Nonne quinque paſſeres veneunt dipondio? & vnus eorum
Pſal.10. non eſt in obliuione corã illo? Si iniuſtitia; Iuſtus Domi-
Pſal.144. nus & iuſtitiam dilexit. Si immiſericordia; Miſericor-
dia eius ſuper omnia opera eius. Si oppugnet vos immor-
talitate animæ, eſtote memores verborum Chriſti;
Matth.10. Nolite timere eos qui occidunt corpus: animam enim non
2 Cor.5. poſſunt occidere. Si iudicio vniuerſali; Omnes ſtabimus
Rom.14. ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque prout geſsit,
1 Cor.15. ſiue bonum ſiue malum. Si vita æterna; Si in hac vita tan-
tùm ſperantes eſſemus, miſerabiliores eſſemus omnibus ho-
Eſa.26. minibus huius mundi. Si reſurrectione; Viuent mortui
Matth.25. mei, interfecti mei reſurgent. Si cælo & inferno; Qui bo-
na egerunt, ibunt in vitam æternã; qui verò mala, in ignem
1 Cor.3. æternum. Si Purgatorio; Saluus erit, ſic tamen quaſi per
Matth 3.17 ignem. Si veritate de Chriſto Ieſu: Audita eſt vox de
cælo: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene compla-
Ezech.20. cui. Si imperfectione legis; Dedi eis præcepta non bona,
Eſa.66. in quibus non viuent. Si mutatione Sabbathi; Erit men-
ſis ex menſe, & ſabbathũ ex ſabbatho. Si Euãgelio; Quod
Rom.1. antè promiſerat per Prophetas in ſcripturis ſanctis de filio
1.Tim.3. ſuo. Si authoritate Eccleſiæ; Eccleſia Dei viui eſt colu-
mna

mna & firmamentum veritatis. Si succeſſione perpetua; *Ego ero vobiſcum vſque ad conſummationem ſeculi.* Si prauis ſacerdotibus; *Quæcunque dixerint vobis, ſeruate & facite: ſecundùm verò opera eorum nolite facere.* Si confeſſione priuata; *Ite oſtendite vos ſacerdotibus.* Si abſolutione; *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Si primatu Petri; *Paſce oues meas.* Si vtraque poteſtate ſpirituali & temporali; *Ecce duo gladij hîc.* Si vnitate Eccleſiæ Romanæ; *Veruntamen ciuitas Solis vocabitur vna.* Si tot inſurgentibus hæreſibus; *Oportet hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis.* Si tyrannorum perſecutionibus; *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea.* Si proſperitate malorum; *An ignoras quia benignitas Dei te ad pœnitentiam adducit?* Si aduerſitate bonorum; *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio ſpem, ſpes non confundit.* O quæ doctrina eſt iſta? digna in qua meditetur homo die ac nocte. O quis liber, quis liber? verè liber vitæ eſt; licet hoc exulceratiſſimo ſeculo multi vertant illum in librum mortis; in eo namque ſtudent, non vt bene viuāt, ſed vt multa ſciant: ideo corrumpitur, ideo adulteratur, ideo cōtaminatur ab immundis illis Harpyijs, idque falſis interpretationibus, vitæ licentia, & omnis ſceleris indulgentia.

Matth.28. Matth.23. Luc.17. Ioan.20. Ioan.21. Luc.22. Eſa.9. 1 Cor.11. Pſal.128. Rom.2. Rom.5.

O Beate Thoma de Aquino, cur iſti hæretici ætate tua non ſurrexerūt? aut cur tu non potiùs hoc noſtro ſeculo viuis, malleus hæreticorum, ſcutum veritatis, expolita Catholicorum lancea, totius Eccleſiæ ſplendor & gloria? Honora Sanctum hunc Padua, imò etiam honora illum Bononia, Ticinum, Salmantica, Roma. Quæ Academia S. Thomam patrem bonarum litterarum, lumen omnium Doctorum, cor omnium Academiarum non ſummis laudibus extollet? Vbi non floret D. Thomas de Aquino, neſcio profectò quomodo illic ſincera poterit eſſe doctrina. Viue & creſce ſuperba Neapolis, & tu Dominicanorum Religio: æquum enim eſt vt viuatis & creſcatis.

Laus S. Thomæ Aquinatis.

Ignoſce mihi Patauium: amor ſingularis & deuotio, qua raram doctrinam & eximiam ſanctitatem inſignis huius Doctoris, Eccleſiæque propugnatoris proſe-

proſequor, hoc die quo feſtum illius celebratur, me in longiorem, quàm velim, digreſſionem abripuerunt: Ite in pace omnes, qui diutius hîc detẽti fuiſtis, quàm putabatis. Habetis finem veſtrum, qui eſt vita æterna: habetis ſcopum, qui eſt cordis puritas: habetis viam regiam, quæ eſt rerum diuinaru cogitatio, & ad amorem diuinum aſpiratio: habetis modum fugiendi cogitationes, & amores huius ſeculi: habetis denique remedia contra inimicorum veſtrorum tentationes. Ecce abſoluta bene viuendi ars, iuxta quam vitam veſtram oportet inſtituere, operari & fructificare. Hoc facientes, in hoc mundo ſancti, & poſt hanc vitam in cælo beati eritis. Quod vobis concedat, qui viuit & regnat per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

CONCIO
DE AVTHORITATE ET POTESTATE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI IN DAEMONIIS EIICIENDIS.

Habita Bitonti, anno poſt natum Chriſtum M. D. LXX.

IN EVANGELIVM DOMINICæ III. Quadrageſimæ.

Lu. cii. *ERat Ieſus eijciens Dæmonium, & illud erat mutũ.*

PROOEMIVM.

I populus quondam Dei in Oriente feſtum diem egerit, & incredibili quadam lætitia perfuſus, varijs ſe oblectamentis expleuerit, ſtrenuoque & bellicoſo illi pugnatori Abrahamo applauſerit, quando ſanctum Loth ab imma-

immani illa superborũ Regum barbarie liberauit: rationi consentaneũ est, Auditores, vt mundus quoque noster mille modis nunc Filio Dei applaudat, postquã hodie cum tanta æterni Patris gloria liberauerit Dæmoniacũ, in symbolum & figurã manifestam futuri triumphi, cùm in ligno Crucis victoriosæ totũ genus humanum à captiuitate Diabolica liberaret. O benedicta Virgo, tuis mihi precibus impetra gratiã à spõso tuo, vt possim aliquam istorũ honorum filij tui partem in hac frequentissima auditorum corona proloqui, vt tandem in fine orationis illi pro tanta victoria gratias agendo, in laudem tuam cum illa muliere canam; *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ tu suxisti.* Vos, ô Bitontini, aures corporis & cordis præparate, ad attentè audiendum, & pro viribus laborandum, vt animi vestri purgentur à peccatorum semente, quam facit Diabolus tãquam infructuosum serens lolium in campis vestris. Vt tãdem in beato illorum numero inueniamini, de quibus in fine Euangelij loquitur Christus; *Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Aue Maria.* Luc. 11.

PRIMA PARS.



DOMINICA hæc plena tanta gloria Saluatoris, & tanta Christiani populi gratia, me cum dulci quadam amoris violẽtia, ô Bitontum meum, impulit in publicũ prodire, & in hoc templum ascendere, vt vos oculis circumductis viderem, meque summo gaudio delinirem, & vobiscum mihi gratularer, ob summam deuotionem, quæ animos vestros inclinat ad audiendum verbum Dei, ob ardens desiderium illud, cum eximia religione in cordibus vestris conseruandi, operibusque bonis exprimendi, in spe lucrandi tot talenta, vt ab illo diuite mercatore Christo Iesu, qui nobiscum negotiatur inæqualiter, at nostro commodo, possitis quasi gratis beatum illud regnum cælorum vobis comparare.

Illustrissimi Domini, & omnes vos qui me auditis; status rerum huius mũdi hoc nostro tempore tam in- Calamitas nostrorum felix temporum.

felix est, & deploratus, vt miseris pastoribus reliquiarum paucarum, quæ de grege Christi remanserunt inter quos & ego diuina patientia me vnũ agnosco, nihil magis conueniat, quàm lamentari & plangere; in silentio permanere semper, & ad placandam iram Dei, ad deplorandas communes miserias, ad euomendam doloris acerbitatẽ, cum Anachoretis in remotissimis solitudinibus & dẽsissimis siluis semet abdere, aërem lachrymis & suspirijs implere, oculisque in cælũ eleuatis, iunctis manibus & perturbatis verbis dicere;

Psal.78. *Quousque irasceris nobis? Quando consolaberis nos? Quare obdormis? Nondum finis? Fæx non est exinanita? O bone Deus, in quæ me tempora reseruasti?* Sed etsi afflicta

Psal. 118. Psal. 43. Psal. 74. mens desideret habitare sola, vt suis pascatur doloribus & lachrymis; charitas tamen non patitur, vt lingua, quæ data est ad vtilitatem vestram, non nostram, septo dentium includatur, & non sermocinetur aliquando ad desolatarum animarum consolationem.

Gloria nostra qualis sit in Christo. Agite, hæc est gloria nostra, vt hinc exordiamur, Auditores, quòd Iesus noster, cuius cognomen Christus est, in quo sumus signati, cuius fidem profitemur, etiam cùm in hoc mũdo esset, atque nobiscum in his mortalibus membris conuersaretur, tantæ fuerit existimationis & authoritatis, vt eum reueriti sint Angeli, & Dæmones contremiscentes ab eius conspectu fugerint.

Heb. 1. *Cùm introducit primogenitum in orbem terræ, dicit; Et adorent eum omnes Angeli Dei,* inquit S. Paulus.

Matth. 4. Et ante quindecim dies audistis; *Ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.* De Dæmonibus scriptum

Luc. 4. est in Euangelijs; *Exibant à multis Dæmonia, clamantia,*

Mar. 1. *& dicentia; Scio quòd sis Sanctus Dei. Quid venisti an-*

Matth. 8. *te tempus torquere nos?* Hodie non loquemur de Angelis, sed Dæmonibus.

Luc. 11. *IN digito Dei eijcio Dæmonia. In Beelzebub principe Dæmoniorum eijcit Dæmonia. Erat Iesus eijciens Dæmonium.*]

Vocis Dæmonij vsus apud Ethnicos. Ethnicis quidem nota fuit illa vox Dæmonium, at communis erat illis omnibus separatis à Deo mentibus, in his inferioribus. Vnde illa deriuata est distinctio, Calodæmonum, seu Eudæmonum, Cacodæmonum; Angelorum bonorum & malorum. nata forsitan etiam ex sacris litteris, in

Iob 4. quibus reperitur; *Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles, & in*

& in Angelis suis reperit prauitatem. Patres tamen nostri, & Christianæ Theologiæ schola omnis, cùm nimis generalis esset vox illa Spiritûs, quod est nomen naturæ, etiam Deo dignum, solent bonos spiritus ab officio nominare Angelos. *Qui facit Angelos suos spiritus*; & malos ab astutia sua Dæmones. *Magister, etiam Dæmonia subijciuntur nobis.* Sed & vos scitis, Docti, quòd iccirco apud Græcos profanos vsitatum est, titulum Dęmonij, tanquam Epitheton attribui Fortunæ, eò quòd hæc apud Poëtas fingatur tam varia, tot habēs diuersos vultus, quos sæpissimè vertit, vt homines decipiat ignaros. Quo in sensu Aristoteles quoque, summus ille naturæ secretarius, appellatus fuit Dæmonium: fortè non (vt multi credunt) propter scientiam, in qua palmam ei præripuit Plato; vnde vox illa Romana; *Platonem semper excipio*: sed propter astutiam, vt cui familiare erat in omnibus rebus difficilioribus vt plurimum loqui ambiguè, tanquam is qui nolebat intelligi. Eam ob causam figuraliter, & quasi per notas quasdam nuncupabatur Sepia, qui piscis marinus circum se nigram quandam aquam, instar atramenti, spargit, ne videatur & capiatur à piscatoribus. Et quæ vox, vt verum fateamur, magis inueniri posset propria, magisque conueniens malis istis spiritibus, hac voce Dæmonij: sunt enim astuti, fraudulenti, malitiosi, qui in oraculis suis, quibus mundum quasi perditum & dementatū in idololatria detinebāt Apollinis Pythij, Dianæ Ephesinæ, Iouis Ammonij & aliorum, non alia arte familiariori vsi sunt, quàm dicere & non dicere, respondere & non respondere. *Ibis, redibis non morieris. Aio te Æacida Romanos vincere posse.*

Psal.103. Luc.10.

Fortuna Ethnicis dicitur Dæmonium.

Aristoteles cur dictus Dæmonium.

Vox Dæmonium conuēnit malis spiritibus.

Ignoscat tibi Deus, ô Plato, qui pręter consuetudinē tuā transgressus terminos castimoniæ Philosophicæ, cum licētia verè Poëtica, orans augustam illam Maiestatē summi Principis, primā illam causam, quæ mouet, regit & moderatur orbē, inter alia multa te digna quæ dixeras, tandem ausus es temerarijs buccis effutire; Ω Μέγαλε Δαίμων. Hinc posteri didicerunt amicos Dei appellare Ευδαίμονας. Ita vt & Peripatetici in Præceptoris sui Ethicis inueniant de virtute prædito,

& felici has duas voces dici, θεοφιλέςατος, εὐδαιμονέςατος. Sed quò me deuexit vocabulum illud Dæmoniũ?

Ehodum, Christiani, Mater Ecclesia nuper in eadem hac Quadragesima proposuit vobis Christum, duello cum Dæmonio contendentem, sed in deserto solum cum solo: sufficiebat enim illic vti prudentia & sapientia, vt insidiosas illius vinceret tentationes. Quemadmodum in disputationibus fieri consueuit, vbi sufficit, si defendens non patiatur se abduci à terminis opponentis; sed firmiter insisteus suo proposito, respondeat pro veritate contra mendacium, & talibus vtatur verbis, vt argutiæ sophismatum & paralogismorum sponte dispareãt, & in fumos resoluantur. Videns igitur importunus sophista se delusum, confusus & erubescens discedit, nec audet denuo in eandem arenam descendere: Hoc & Christo accidit, qui reuera sophisticè semel tẽtatus à Dæmonio, vt ex lapidibus panes faceret, quibus post prolixum ieiunium famem pelleret; secundò, vt se de pinnaculo templi præcipitaret, ea fiducia, quòd Angeli portarent illum in manibus suis, tanquam Dei filium; & tertiò, vt Satanam adoraret, facturum enim se illum omnium thesaurorum, omnisque huius mũdi magnificentiæ Dominum, rete profectò, quo capi solent cuiuscũque conditionis homines, etiam ipsi Anachoretæ: sic inquam tentatus Christus, tãquam homo sapiens & heroicus, in quo omnes affectus erant sopiti & sepulti, & in quo sola ratio regnabat, nullo interim ostenso diuinitatis indicio, ne inimico suo vel minimum quid concederet, solis Scripturis quibus oppugnabat illũ Dæmon, eum in modum illum vicit, & confudit, vt adductus, *Ad metam non loqui* (intelligitis quid sibi velit hic terminus logicus) non habuerit, quod subinferret, disputationemque abruperit. Remansit igitur Christus solus, tanquam victor huius duelli. Quare Angeli accesserunt ad illum, seruientes ei, honoribusque & officijs eum prosequentes, pro tanta victoria. O quæ ars? ars digna Christo. *Ars vt artem falleret.*

At in Euangelio quod hodie legitur, non vt disputator, sed vt miles, vt pugnator, vt Capitaneus introducitur; qui non arte, sed viribus contra Dæmonium

um vſus eſt. Non dignabatur ampliùs cum illo diſputare, non iam argumentabatur, non allegabat Scripturas; &,quod plus eſt, non exorcizabat,non adiurabat, non incantabat, nec pſallebat ſuper corpus obſeſſi, vt quondam fecit Dauid, cùm Saulem cithara ſua incantaret. Non vtebatur ſuffitibus,vt quondam Angelus Tobiæ aduerſus Dæmonium, quod ſeptem coniuges Saræ iugulauerat. Nequaquam. ſed imperioſus, plenus minarum, tremendus, infinita cum ſua poteſtate, Deus & homo, ſed magis Deus, quàm homo, malignum ſpiritum eiecit,& infelicem illum, qui in naſſam eius inciderat, liberauit. Meminiſtis in natiuitate Chriſti dictum; *Voca nomen eius Accelera, ſpolia,detrahe,feſtina,prædare.* Videte quod eius nomen, & quàm bellè officium nomini conueniat? Conueniet quidem meliùs in die Paraſceues, quando non vt diſputator,non vt bellator; ſed vt iudex,ſtans in Cruce tanquam in tribunali, (quamuis illa ſit altare quoque ſacrificij) non ex vno corpore, non è duobus, tribus aut quatuor, ſed ex vniuerſo mundo Dæmonium eiecit. *Exi maledicte Diabole, & da locum Creatori tuo.* Nunc tamen locum habet illud; *Nūc iudicium eſt mundi: nunc Princeps huius mundi eijcietur foras.* Nónne vos Iudices triduum pro finali termino reis concedere conſueuiſtis? Chriſtus noſter, ne quis poſſit illum arguere vel calumniari; *Iudicium tuum tanquam meridies; Iudicia tua iuſtificata in ſemetipſa; Iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris*: permittit hodie vſque in diem illum ſententiæ inappellabilis contra Diabolum, ſcitis quot dies? Ter tres dies ter. Hic eſt numerus ille celebris vigintiſeptē, quem cubum vocant, *Ter tria ter.* Vigeſimo namque ſeptimo ab hoc die veniet in iudicium Dæmonium, & audiet ab ore Chriſti hoc verbum: *Venit Princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.* Illud erit antecedens ſententiæ. Sanctiſſima Trinitas cum hac conſequentia Enthymema totum abſoluet; Quia inſolens ille contra omnem rationem auſus eſt inuadere te communem hominem, qui modò hîc pendes in cruce, & totā humanam ſpeciem repræſentas, nec tamen illius es; Iccirco omne ius ſuū amittet in humano genere, quod

[Margin notes: 1 Reg.16. — Tob.7. — Imperium & poteſtas Chriſti in Dæmones. — Eſa.8. — Ioan.12. — Pſal.36. — Pſal.18. — Pſal.50. — Numerus cubicus celebris quis ſit. — Ioan.14.]

Psal.10 illius erat. O quale iudicium? O quanta iustitia! *Iustus Dominus & iustitiã dilexit.* Fingite illum hodię citari peremptoriè, ideoq́ue fugit timore territus. Tūc autem meritò angustiabitur: fugere autem non poterit. Quare cùm condemnationi erit proximus, omnē mouebit lapidē, tanquam ruinæ suæ præscius, ne moriatur Christus. Non meministis vxoris Pilati? *Quid tibi & iusto illi? Multa passa sum per visum hac nocte propter illum.* Sed morietur, morietur Christus, ô Bitontini: necesse enim est eijci Diabolum, & reddi mundū Deo, qui verus & naturalis eius es Dominus.

Iustitia & iudicium Dei.

Matth.27.

SI in digito Dei eijcio Dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei.] O Christe, ô Christe, consolatio nostra, vita nostra, spes nostra, omne bonum nostrum. Et qualis erat hæc misera vita nostra sine te, dum prǫda esset facta Dæmonio, tam potenti, vt & nos, & patres nostros, & patrum patres, filios quoque nostros, & filiorum filios in omni generatione tam præterita, quàm futura, in ima detraxerit tartara? Nos tantùm calcaneum vnum huius Dæmonij habemus, Tyrannum illum Orientis, qui nos in perpetuo detinet metu, qui nobis extrema quæque minatur: quid fecisset magnus ille colossus, bestia illa magna, quæ absorbebat mare, destruebat terram, & ipsi cælo insidiabatur? Agedum hæc est Dominica tertia Quadragesimæ. In prima vidistis Christum tanquam hominem solum in deserto cum Diabolo, tanquam maceratum, famelicum & liuidum, adeò vt Diabolus verisimiliter fingere potuerit, se pietate erga Christum adeò esurientē & famelicum moueri. In secunda vidistis Deum, filium Dei gloriosum, vultu instar Solis rutilantem, sed cui erat adhuc moriendum. *Nemini dixeritis visionem hanc, donec filius hominis à mortuis resurrexerit.* Hodie videtis Deum, non tantùm morte superiorem, sed & Diaboli, qui mortem in mundum introduxit, triumphatorem. Non legistis; *Vt destrueret eum, qui habebat mortis imperium*? Nescitis quòd *Inuidia Diaboli mors intrauit in orbem terrarum*? Deus est author vitæ, nolite admirari, si ille Diabolum eijciat, authorem mortis. Est antipathia quædam naturalis inter bonum & malum, inter vitam & mortem, inter iustum & peccatorem:

Quid tribus his Dominicis in Christo vidimus.

Matth.17.

Heb.2.

Sap.2.

Deus fons vitæ, Diabolus author mortis.

catorem. *Vnum contra vnum, duo contra duo. Contra malum bonum, contra vitam mors. Contra virum iustum peccator; Et sic intuere opera Altißimi*, inquit Sapiens. Eccli 33.

Attollite hîc quæso parumper animos vestros. Antiquissima est inter Sapientes quæstio. *De malo: Vnde malũ? De causa mali.* Dicebant enim; Si Dij sint, vnde mala? Si Dij nõ sint, vnde bona? Ecce solutio. Scrutamini priora Geneseos capita, q̃ de omnibus rebus agũt quæ in huius mũdi fabrica cõcurrunt: in omnibus istis sex diebus, siue historicis, siue mysticis, quos Moyses tãta arte & doctrina descripsit, ne semel quidẽ mentio fit vocis illius *Mali*, & quoties hîc mẽtio fit *Boni*? *Vidit Deus quòd esset bonum. Vidit Deus quòd esset bonum. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Obseruate verò quando primùm omnium mentio fit mali: non prius sanè, quàm cùm Diabolus dixit Euæ; *Eritis sicut Dij, scientes bonum & malum.* O traditor, ô traditor. Tu fons, tu origo, tu causa mali es. Tu es qui malum creasti, tu idem es qui malo nomen imposuisti. Non erat nobis aliquid cognitũ, nisi bonũ, priusquam Diabolus nos tentauit malo. Quo malo? Malo quod ipse fecerat, perduellis & obstreperus Deo; vt qui sibi diuinam voluit vsurpare gloriam; qui cælum seditione turbauerat, vt & reliquos Angelos in suas partes pertraheret, vt secum arma in Deum mouerent. Non legistis; *Factum est prælium magnum in cælo?* Gloriare, Diabole, gratulare tibi quantum potes. Vix eras creatus, & exulisti cornua aduersus Creatorẽ tuum: teque antesignanum fecisti eorum, qui Deo aduersabantur. Ecce quàm similis factus es Deo, quod quærebas? Tu sedes in Aquilone, & Deus in Austro. Nónne dicebas; *Sedebo in lateribus Aquilonis?* Agedum *Ab Aquilone pandetur omne malum. Deus ab Austro veniet.* Iccirco à Deo nascitur omne bonum, à te omne malum. Tu tendis laqueos, explicas retia, stimulas corpora, pungis animas, seminas lites & discordias, accendis iras. Tu nutris odia, turbas pacem, misces venena, doces hæreses, foues peccata, inflammas libidines. Tu adularis vt decipias, minaris vt consternes, promittis vt seducas. Tu, tu eleuas vt præcipites, amplecteris vt deuores. O Diabole, tu author es mendacij, pater inui-

Genes. 1.

Vox illa, malum, quando primò audita

Genes. 3.

Apoc. 12.

Esa. 14.

Hier. 1.

Abac. 3.

Opera Diaboli.

 diæ,

diæ, mater hypocrisis, venenum virtutis, pestis bonorum morum, tinea sanctitatis, rubigo omnis boni, radix & origo omnis mali. Illud reuera, Christiani, primum fuit malum. Ab hoc primo malo natum est, & etiamnum nascitur in hominibus omne aliud malum: malum scilicet culpæ, quod absolutè malū est; & malum pœnæ, quod mundo quidem bonū est, sed malum est ei, qui fecit malum. O quantopere & vni & alteri malo immersa esset misera natura nostra, si non venisset Christus in hunc mundum, vt culpas omnes nostras ipse indueret, & omnes pœnas nostras ipse lueret: hoc est, omnia mala nostra in se susciperet, & omnia bona sua nobis impertiretur? Illud est mysterium quod hodiernum nos docet Euangelium, imò hæc est corona omnium Euāgeliorum Christi, quod ideo à B. Luca in vndecimum caput relatum est, tanquam plenitudo, excellentia, fastigium & summa omnis numeri. denarius enim (vt scitis) omnium est meta numerorum. Omnia, omnia ante aduentum Christi, filioli mei, erant Diaboli, animæ & corpora, regna & imperia, status & fortunæ hominum. Iesus Christus ideo venit, vt eriperet hæc Diabolo moriendo, & restitueret Deo resurgendo. Attendite Docti. Non habebat Dæmonium in homine ius aliquod naturale; quia homo secundùm naturam à solo dependebat Deo; qui sicut creârat hominem, ita & Dæmonium ipsum. Neque subiecerat sibi hominem potentia, quemadmodum in bello miles vnus alium sibi subijcit: sed vicit illum insidijs & astu, quemadmodum aliquando traditor familiaris & domesticus superior fit suo Principe, eumque interficit. Scitis autem furem non esse legitimum dominum illius quod furatur; neque iustitia permittit traditori, vt dominus sit illus Regni, cuius ipse Regem prodidit. Vultis autem dicam vobis quæ sit ratio Dei magna & iusta quam habet per Diabolum contra hominem? Hæc est: quia homo in illa tentatione prima Diaboli nimis fuit inconstans, ita vt sine vlla pugna, ne modico quidem tempore sese defendens, & Diaboli vires sustinens, sese victum dedidit, manumque victori porrexit; &, quod grauius est, hoc ipsum fecit contra expres-

Mysterium Euangelij Lucæ cap. 11.

Actio quam habet Deus in hominem per Diabolū.

expressum Dei mandatum, à quo vix ante sex horas (ne quam obliuionis excusationem posset prætendere) sub pœna mortis ei præceptum erat; *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas. quacunque hora comederis, morte morieris.* Inobediens igitur fuit infelix Deo, tam quoad legem, comedit enim pomum, quod erat ei interdictum; & quoad rationem legis, quia non credebat, quòd quandocunq; comederet, moreretur. Econtrariò statim credidit Dæmonio, à quo audiuit verbum illud cum tanta iniuria Dei cōiunctum: *Nequaquam moriemini*: audiuit, inquam, & verum esse credidit, atque cum illa fide manducauit pomum, absque vlla mortis formidine. Præterea Diabolus iam erat manifestus Dei inimicus, & dux omnium inimicorum eius generalis: cui non tantùm non credere, sed ne aures quidem præbere debebat. Genes. 2.

Ehodum ecce consolatio: *ERat Iesus eijciens Dæmonium, erat Iesus eijciens Dæmonium.*] sic incipit Euangelium. Neque Euangelium hoc alteri conueniebat dici, quàm huic Dominicæ tertiæ Quadragesimæ: quia ætate mundi tertia venit Christus, vt mundum liberaret à Dæmonio. Primum tempus erat naturæ, secundum legis, tertium gratiæ, atque illud proprium est Christi. Natura superba seipsam Diabolo fecerat obnoxiam: Lex infirma malum hoc exaggerabat: Gratia benigna & potēs liberauit. Naturæ caput Adamus est; Lex per Moysen; Gratia non nisi per Christum data est. *Gratia per Iesum Christum facta est.* O Christe, ô Christe. *ERat Iesus eijciens Dæmonium.*] Quantum queso momenti habet hoc loco nomen genericum *Dæmonium*? Non dicit *Dæmonem*; sed *Dæmonium. ERat Iesus eijciens Dæmonium.*] Amici & serui Dei, per Iesum Christum, ante aduentum illius potuerant quidem eijcere vnum, duos aut tres Dæmones, sed totum Dæmoniorum genus, & omnia simul Dæmonia sunt nimis potentia, nimiumque (vt dixi) iuris habent in genus humanum. Oportebat vt Christus ipse veniret, brachium Dei omnipotentis, Iudex inter Deum, Dæmonium, & hominem, vt ille ipse eijceret.

Tria distincta tempora.

Rom. 7.

Solus Iesus potuit totum genus Dęmonum eijcere.

CVm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt

omnia quæ poßidet.] O mala pax, quam habet homo sub tyrannide Diaboli. *SI autem fortior superuenerit, & vicerit eum.* Iste est Christus, iste est Christus fortissimus, bellicosissimus, imò ipsa fortitudo & potentia Dei: inter homines Gigas, inter Angelos Angelus magni cõsilij, inter Dæmones infernales Leo, & Leæna rugiens & furibunda. Non audistis oraculum; *Ad prædã ascendisti fili mi, vt Leo & quasi Leæna*: Suo tempore, suo tempore, Domini mei, *Vniuersa eius arma auferet, in quibus confidebat, spolia distribuet. ERat Iesus eijciens Dæmonium.*] Diabolici Pharisæi dicere non verebantur (etsi fortè contra conscientiam suam, ideoque non palàm loquebantur, sed clàm mussitabant) *IN Beelzebub Principe Dæmoniorum eijcit Dæmonia.*] Verum quidem est, vnum Diabolũ posse alium pellere; & vi, tanquam vnum venenum aliud; & ex consensu vel pacto, tanquam vnus in mari pirata præcipit alteri vt cedat. Sed Christus eijcit omnia Dæmonia: ideo inimicus est Dæmonum omnium, ideo & maior est omnibus. Viperæ cedunt marsis, fortè & aspidi: sed non basilisco Leo cedit gallo, sed nõ cedit aquilæ. rhabarbarum pellit choleram, at non humores alios. Agnus castus (herba est) extinguit libidinẽ, sed non auaritiam. At Christo cedunt omnes Dæmones terrestres, aquatici, aerij, ætherei, cuiuscunque ordinis & speciei: Ideo non operatur virtute alicuius Dæmonij, sed virtute propria.

Genes. 49.

Argumenta, quibus probatum Christũ inimicũ, esse omnium Dæmonum.

ERat Iesus eijciens Dæmonium;] terror omniũ, Dominus omniũ, inimicus omniũ venit contra omnes. Sed verbum illud indefinitum *Erat, erat Iesus eijciens*, an vanum sit & otiosum? Non dicit Lucas, *Eiecit Dæmonium, eiecerat Dæmonium*, Sed *eijciebat, erat eijciens.*] Quid igitur sibi vult? Dicere vult Euangelista: Hæc Christi expeditio est perpetua. Non iam tunc incipiebat eijcere Dæmonium. Ab exordio mundi, à die illo, quo Dæmonium esse cœpit, Christus semper illum eijcere studuit. Deus non fecit Dæmonium, sed ex Angelo, qui factus erat à Deo, semetipsum fecit Dæmonium. Mox vbi fuit Dæmonium, imò ante ipsum fieri iam erat inimicus Iesu, sicuti Dei. Iccirco tanquam inimicum & Patris & suum *Erat eijciens Dæmonium*

Verbũ indefinitum Erat, quid significet.

monium. Non poteſt eſſe pax inter Ieſum & Dæmonium: quia non poteſt eſſe pax inter Dæmonium & Deum. Ieſus vnum eſt cum Deo, Dæmonia coniurarunt aduerſus Deum, & durat etiamnum iſta coniuratio, neceſſariumque eſt, vt in duello aut Deus vincat, aut Dęmonium. Dęmonium eſt creatura, non poteſt vincere Creatorem.

ERat Ieſus eijciens Dæmonium.] Quis iſte Ieſus, niſi Verbum Dei? Verbum illud de quo ſcriptum eſt, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Omnia per ipſum facta ſunt, Omnia, omnia.* Etiam Diabolus per Ieſum factus eſt. An fuerit vnquam Verbum, quòd non fuit Ieſus? *Ieſus Chriſtus heri, hodie, & ante ſecula. Heri* per aſſumptionem carnis ſemel factam; *Hodie* per inſeparabilitatem continuam vnionis; *Ante ſecula* per æternitatem perſonæ. *ERat Ieſus eijciens Dæmonium.*] Verum quidem eſt, vocem Dęmonium τὸ δαιμόνιον Græcis eſſe genericam, vt dixi: eſt tamen & analoga, quemadmodum & τὸ θεῖον; & proinde quomodo τὸ θεῖον intelligitur de natura diuina magis, quàm de alijs intelligentijs: ſic τὸ δαιμόνιον, etſi comprehendat omnes iſtos malignos ſpiritus, tamen de primario illo Dæmone, qui caput fuit iſtius contra Deum perduellionis, potiùs, quàm de alijs intelligitur. Iſte, iſte Ieſus, qui Dæmonium illud tam formoſum condiderat, qui illum loco conſtituerat tam excelſo, iſte eſt, qui rebellantem cum flatu ſpiritûs ſui cæleſti paradiſo expulit, iuſſitque ne denuo terreſtrem paradiſum ingrederetur, vbi Adamum tentauerat: deinde & mundo penitus expulit, vbi habitabat in pace, in totum genus humanum ſuam exercens tyrannidem. Ioan. 1. Heb. 13.

ERat Ieſus, erat Ieſus eijciens Dæmoniū.] O dulcis Ieſu, quanti tibi cõſtabit illud eijcere Dæmonium? conſtabit tibi & vita & ſanguine. Nõ legiſtis, Docti, apud Zachariã; *Oſtendit mihi Dominus Sacerdotem magnum Ieſum, & Satan ſtabat à dextris eius, vt aduerſaretur ei? Et Ieſus indutus erat veſtibus ſordidis?* Quæ erant veſtes iſtæ ſordidæ? veſtes tinctæ ſanguine. *Et veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine,* dicit alius Propheta. Hinc & Angeli boni interrogant; *Quare rubrum eſt indumentum* Zach. 3. Apoc. 19. Eſa. 63.

tum tuum? Hæc, hæc eſt materia, quam obiter attingit Apoſtolus in huius diei Epiſtola; *Ambulate in dilectione, ſicut Christus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum oblationem Deo in odorem ſuauitatis.* Deus hominem perdiderat, qui præda factus erat Diabolo. Neceſſe erat vt Chriſtus noſter ſemetipſum offerret Patri in ſacrificium pro homine, vt ſpoliaret Diabolum. *ERat Ieſus eijciens Dæmonium*]. Miraculum amoris vltra omne debitum, miraculum gratiæ tranſcendens omnem culpam. Quieſcite parumper, & deinceps eſtote attenti.

Epheſ. 6.

PARS SECVNDA.



T admiratæ ſunt turbæ.] Nolite vos mirari, licet illi ſint admirati. Mirari vos potiùs deberetis, ſi illi non fuiſſent admirati. Videbant enim hominem à Diabolo poſſeſſum, qui corpus illius erat ingreſſus, eumque ſenſuum vſu priuârat. viſu, qui eſt quaſi alter intellectus; auditu, ſine quo nemo doceri poteſt, & proinde nec ſapere; linguæ præterea, quæ ſola hominem ceteris animalibus facit præſtantiorem, qua & Dominum laudamus, & ab eo neceſſaria petimus; qua conſulimus proximo, reprehendimus illum & admonemus. Videbant Ieſum forinſecus in omnibus & per omnia alijs hominibus terrenis ſimilem, ſine cibo aut potione medica, & quod amplius eſt ſine aliquo Sacramentorum apparatu, vt qui clauem habebat excellentiæ, vno verbo, aut vno fortaſſis intuitu Dæmonem hunc eijcere: & quidem ſic eijcere, vt non dierum aut horarum curriculo paulatim Dæmon ceſſerit, ſed ſubitò, & in ictu oculi. Factum profectò, quod omnem ſuperat naturam: natura enim temporum ſucceſſu operatur, & non in inſtanti. Egreſſo Diabolo, qui illũ ſic opprimebat, vt ſtatua potiùs, quàm homo videretur, amiſſum ſanitatis vigorem recuperauit; lumen oculorum, ita vt videret; auditum aurium, vt audiret, recepit: quodque plus eſt, lingua expedita eſt adeò, vt non tantùm loqueretur, ſed promptè diſtinctèque loqueretur, & tanquam bono ſpiritu reple-

Deus operatur in inſtãti.

repletus, gratias agebat sine dubio Domino, à quo tanta ei erat gratia collata. Videbant omnia hæc, & quidem in publico, sciebantque oculos tantæ multitudinis non deludi. Et vultis vos vt non admirentur? vt non cogitent, vt non dicant; *Quid est hoc? Quis est hic? Digitus Dei est hic? In te est Deus, & nesciebamus? Tu es Deus, & præter te non est Deus!* Hæc & similia procul dubio dixerunt, aut saltem dicere voluerunt animæ illæ, secundùm mundum quidem populares & plebeiæ, sed à Deo electæ, atque illustres, cælitus illuminatæ, in mortali diuinabant immortale, in homine agnoscebant Deum; atque in casu tam desperato credebant (& bene quidem) omnem medicinam esse inefficacem, etiam celebris illius Andromachi, si non accessisset diuina omnipotentia.

Exod. 16. Exod. 8. Iudith 9.

O si tibi, Bitontum, dicerem, quàm iusta ratione Dæmoniacus ille, qui, vt dixi, typum gerebat Adami, fuerit (sicut Euangelistæ perhibent) mutus, cæcus, & surdus? *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur*, inquit Salomon. Volupe tibi fuit sermocinari cum Diabolo: miser, tace in posterum, altum tene silentium, obmutesce, nulli loquere deinceps personæ; ne tu eam corrumpas, posteaquam tu ipse loquendo corruptus, & à Diabolo fascinatus es. Oculos tuos nimis dissolutè aperuisti; sint nunc æternùm occlusi, ne quid in posterum videas, ne oculi tui Basilisci veneno infecti, inficiant & alios, sic eos aspexeris. Sincera, firmaque fide verba Dei non audisti: esto surdus, etiam ad verba hominum; esto semper suspensus, incredulus, diffidens, & dubius in omnibus quæ tibi dicũtur. Omnium verò maximum est, quòd voluisti tantam habere scientiam, vt bonum pariter & malum cognosceres: habeto nunc tantam ignorantiam, tantumque errorem in superbo illo tuo intellectu, vt bonũ dicas malum, & malũ bonum; vitia tibi videantur virtutes, & virtutes vitia. Voluisti similis esse Deo, qui est ipsa veritas & bonitas: esto nunc similis Dæmonio, qui mendacium est & ipsa malitia. *Homicida ab initio, mendax & pater mendacij*. O pauper, ô infelix Adame; eras ambitiosus, aspirabas ad diuinitatem, vt sicut Deus esses, quo nil est formosius: ecce factus es sicut Diabo-

Dæmoniacus hic cur cęcus, mutus & surdus. Sap. 11. Ioan. 8.

Diabolus, quo turpius inueniri quid potest? Quódque peius est; Diabolus tam turpis, tamq; vilis & execrandus te in triumpho suo, quò vult, circumducit, tanquam is qui tibi dominatur. Profectò, Auditores, illud tam facilè credere, & tam citò consentire, tamque voluntariè se Dæmoni subijcere vt Adam fecit, cùm debuisset atque potuisset, si voluisset, victoriam reportare; non possumus aliter interpretari, quàm quòd sciens & volēs voluit corde à Deo recedere; imò iam ab eo alienatum fuisse: scientem similiter & volentem Dæmonio inimico Dei iam deditum, in arcano cordis dixisse; Nolo esse Dei, in omnibus, & per omnia illi renūcio: non agnosco illum iam ampliùs Dominū meum, agnosco te Dæmon. Ecce tuus sum, aperi mihi oculos istos, vt instar Dei & bonum & malum sciam, teque vt numen adorem. Tu Deus meus esto. *Hinc illæ lachrymæ*, Bitontum. Atque ideo expeditio illa, qua Diabolus ab hominum genere eijcitur, erat expeditio solius Christi, & non alterius.

Ceterùm, Auditores, summo illo vestro desiderio, quod in vultibus vestris depictum relucet, me quodammodo cogitis, vt hanc de Dęmonibus, de peccato, de lapsu eorum materiā ab altiori principio repetam, latiusque paulò exponam. Placet conditio. Sed diligenter auscultate: oportet enim vt mentes vestras à mundo sensibili abstractas, ad intelligibilem eleuetis.

Tres mundi vniuersitates

Tres sunt huius mundi vniuersitates, quæ oculis nostris corporalibus non videntur, Angelorum, animarum humanarum, & Dæmonum: qui quodammodo medij sunt inter istas duas. Nolo quicquam dicere de Ideis, omnibus his anterioribus. Ideę namque non constituunt vniuersitatem, sed vnitatem: sunt enim, vt scitis, æternæ, & non est aliud præter vnum æternum. quemadmodū & vna tantùm est æternitas, quæ est ipsa natura Dei: & proinde necesse est dicere, quòd Esse ideale in omnibus rebus, etsi in diuina mente sint propriæ & distinctæ rationes singularum, tamen realiter vna tantùm res est: quia & infinitas Dei, etsi sit omnia, tamen Deus non solùm est vnus & vnissimus, (vt verbo vtar barbaro) sed ipsa vnitas. Extra omnia, Præter omnia, Supra omnia, & (vt vno verbo eloquar)

Quid sint Ideæ.

quar) Omnia, & nihil omnium. Intelligitis? Animas humanas quotidie creari à Domino Deo, nemo est qui nesciat, ita vt vniuersitas earum nondum sit completa, nec ante Iudicium extremũ complebitur: tunc autem vbi completus fuerit numerus electorum, propter quos fiunt omnia, cessabit generatio hominum, & proinde creatio quoque animarum. Angeli & Dæmones sunt duæ vniuersitates integræ, quæ non augmentantur, nec diminuuntur ampliùs, neque in specie, neque in indiuiduis. Erat ab initio vna sola vniuersitas: peccatum fecit duas, diuisitque etiam in duas regiones, cùm antea vnam eandemque habuissent, quæ fuisset Cælum empyreum, regio & sedes beatorum. Dico quòd fuisset: Dæmones enim volentes nimiùm properare, ea sede priuati sunt, priusquam ad possessionem peruenerant, ita vt nunquam illa gauisi sint. Et vsque nunc quemadmodum Angeli boni, qui vt clientes fiduciarij fidelitatem suo Domino conseruarunt, gaudent & regnant in illa felici gloria, certi, securique, quòd illam nunquam amittent: sic econtra prædicti spiritus maligni, iam læsæ Maiestatis rei, in testimoniũ peccati sui, in exemplum & frenum totius vniuersi, & in iustitiæ diuinæ decorum, dispersi per infernum, per aërem, & per terram, erunt semper sine gloria, & sine gratia; & quod amplius est, infinitis cruciabuntur tormentis, exosi Deo & Angelis, damnati vt perpetuo claudantur tandem abysso infernali: pleni ira, pleni indignatione & inuidia in hominem, quibus nulla maior est voluptas, quàm tentare, vexare, affligere, instigare, ad peccandum nũc hunc, nunc illum incitare, vt socios suorum tormentorum habeat? O quàm maligni sunt spiritus isti, Docti? Vobis ego nunc loquor. Nónne quotidiana docet nos experientia, quæ omnem bene dispositum intellectum ad credendum hæc de Dæmonibus impellit. Non vidistis mecum, Bitontini, aliquas mulieres, ciues vtriusque sexus, idiotas, indoctos, omnium litterarum ignaros, subitò, sine vllo humano præceptore, absque vllo studio, tanquã veros energumenos, & à Diabolo arreptitios (quo vocabulo nullũ potuit Ecclesia inuenire accommodatius) de profundissimis

Vniuersitas animarum nondum est completa.

Angeli & Dæmones vniuersitates sunt integræ.

Experientia docet verissimã esse corporũ humanorũ à Diabolo vexationem.

quæsti-

quæstionibus Philosophiæ, Theologiæque in omni idiomate, Græco, Latino, Hebræoq; disputasse? Quid ad hæc? quid ad hæc? Certè si operationes demõstrent formam, quemadmodum mutationes ostendunt materiam; non possunt istæ operationes aliunde, quàm ab intellectu aliquo deriuari. Ab intellectu humano non deriuantur, qui quasi infimus omnium intellectum, natura sua est quasi tabula nuda, absque vlla pictura: ideoque opus habet & sensibus, & studijs, vt scientiam aliquam sibi acquirat. Necesse igitur est eas operationes ab intellectu aliquo nasci humano superiori. Superior homine est Angelus bonus, & Deus. Sed neuter eorum oblectatur vt homini noceat, eum vexet, affligat, & in corpore tam miseris modis exagitet. Necesse igitur est vt Angelus sit malus, seu Diabolus, qui cùm diuinam nactus est permissionem, cuius causam quærere temeritas est, intrat quomodo placet, & monstra in hoc viro, vel in hac muliere pro voto suo operatur. Sic est, sic est, Christiani: neque aliqua hîc subest dubitatio. *Intrauit Satanas in Iudam. Cùm Diabolus iam misisset in cor. Immissiones per Angelos malos.*

Imbecillitas intellectûs humani.

Angeli boni non delectãtur, vt noceãt homini.

Ioan.13.
Psal.77.

Ceterùm vt rationes in tanta multitudine omittam; reuocate in memoriam veterem illam Ethnicorum idololatriam, artes magicas illius temporis, inanimatarum statuarum oracula, voces in aere, Tripodes, Folia, Hecatombas, Lamias, Circes, Calypsus, Sirenes, Nymphas, Musas, Incantationes, Auguria, Auspicia, Deos ignotos, altaria subterranea, Iudices infernales, paludem Acherusiam; Cerberum, Furias, Acheronta, Plutonem, Cocytũ, Lethen, Rhadamanthum, Sisyphum, Tantalum, Genios, Lares, Penates, & Dæmonium Socrati familiare? Quid dicam de Zoroastre, Merlino, Ianne & Mambre, Balaam, Bel, Belial, Behemoth, Astaroth, Mammone, Asmodæo, & de duobus spiritibus Pythonicis, vno in libris Regum, altero in Actibus Apostolorum? Vbi est Satan Iobi, & alter ille, qui dixit; *Egrediar, & ero spiritus mendax in ore Prophetarum?* Ille, qui quasi sicarius obsidebat itinera, & viatoribus insidiabatur? Ille, qui hominis miseri vestes lacerabat, & nudum circumducebat, atque

1 Reg.28.
Act.16.
3 Reg.22.
Matth.8.

que in ſepulchris nonnunquam laritabat? Vbi (vt hanc materiam abrumpamus) vbi, inquam, ſtatuetur ille, qui infelicem hominem ſecundùm Lunæ viciſſitudines affligebat, nũc eum in ignem, nunc in aquam proturbans: & infelix ille, qui integra legione obſidebatur: qui orabant, vt porcos ſibi intrare liceret, ingreſſi autem confeſtim in mare ſeſe præcipitantes porcos ſuffocarunt: Quid vobis videtur, Auditores? Omnia hæc mirabilia, ſacra & profana, aliaque multa, præterea quæ in Euãgelio hodierno, atque in eo quod Dominica prima Quadrageſimæ lectum eſt, omnium prædictorũ indubitatam fidem aſtruunt. Primò quòd Diaboli in mundo ſunt; quòd ſubſtantia eorum eſt inuiſibilis, non minùs, quàm Angelorum & animarum: quòd tam maligni ſunt, quàm potentes: quòd omnes infenſiſſimi ſunt noſtri, totiusque generis noſtri inimici, quodque æqualitatis diuinæ ſitim nondum reſtinxerunt, ideoque mille modis diuinos ambiunt honores; vtque eos conſequantur, ſæpiſſimè ſeſe in Angelos lucis transfigurent. Non legiſtis Dæmonem quondam auſum apparere ſimplici cuidam Religioſo, in forma Crucifixi, vt tanquam Deus adoraretur: O infinitam ſuperbiam. *Superbia eorum qui te oderunt aſcendit ſemper*, inquit Dauid. Hæc ſuperbia fuit peccatum Dæmonum, Chriſtiani, præcipuè verò Ducis & Anteſignani eorum Luciferi, qui ſymbolicè nuncupatur primus Angelus malus. Hinc in ſacris litteris inuenitur hæc inuectiua; *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer?* Optimè dictum eſt à Paulo; *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum*: ſed antequam hæc mundi machina eſſet abſoluta, antequam homo plaſmaretur, in cuius vſum hic mundus erat conditus, hic Angelus ſupra mũdum peccauerat. Primus itaque peccator, qui vnquam fuit, iſte Dæmon eſt. ſi ille non peccaſſet, neque homo peccauiſſet vnquam: ex vno peccato natum eſt aliud, non per traductionem, quomodo peccatum originale, ſed per imitationem. Ite, ite nunc viri & fœminæ, pacem colite cum Dæmonio, à quo tanta ruina omnibus hominibus viris & fœminis orta eſt. Ite, ite & ingrati eſtote Chriſto, qui amore veſtri motus, non venit vt tolleret peccatum

Matth. 17. Luc. 8. Eſſentia Diaboli. Pſal. 37. Eſa. 14. Rom. 5. Primus peccator quis. Si Diabolus nõ peccaſſet, neque homo peccaſſet.

mundum factum, sed vt tolleret in mundo perpetratum. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Non venit vt tollat peccatum Angeli, sed vt tollat peccatum hominis: ideoque non Angelicā, sed humanam naturam assumpsit. *Nunquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* O benedicte Christe. Dicam & cum magno illo Patre, O benedicta culpa, per quam immensum Dei erga nos amorem cognouimus.

Ioan. 1.

Christus venit vt tollat peccatū hominis, non Dæmonis.

Heb. 2.

Vnde peccatum Diaboli natum.

Ceterùm res admiratione dignissima est, neque facilè cogitando inuestigari potest, quomodo tam nobilis creatura in tam turpe & horrendū monstrū potuerit degenerare: quomodo à mente Angelica ab omni materia corporali separata, à substantia Deo tā vicina, tam intellectûs lumine plena, tam enorme peccatum potuerit perpetrari? Non est Theologus aliquis, neque inter Iudæos, neque inter Christianos, qui non abhorruit à tam detestabili primi illius Angeli errore: mille producunt rationes, quibus illius grauitatem ostendant, illumque Diabolum inexcusabilem ob inauditam illam superbiā demonstrent. Et quid sunt omnes simul Theologi & Philosophi, si cum Angelo hoc conferantur? si illorum scientia cum scientia huius, & illorum sapientia cum sapiētia huius comparentur? An non præuiderit quot argumentis conuinci potuerit? cur ergo cecidit? cur peccauit? quomodo non perstitit? quæ fuit causa? Ah Bitontini, memento te illius diuini & sublimis thematis, quod Concionator ille sapiens initio suę concionis quondam posuit; *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Neque vnquam audita est sententia grauior, quæ non tantùm intelligenda est de rebus huius seculi, vt sunt honores, diuitiæ, voluptates, vita, homines & similia: Sed propositio est generalis, quæ comprehendit omnes creaturas: nec ab hac generalitate exclusi sunt Angeli, ne quidem ipsi boni, qui nunc regnant in cælo cum Deo. *Omnia vanitas, omnia vanitas*: qui, nisi Deus illos in eorum beatitudine firmaret, & æternum conseruaret, à se tanquam natura sua in nihilum reciderent. Hæc sunt duo extrema; Veritas, & Vanitas. Solus Deus est Veritas, omnes creaturæ sunt Vanitas. Deus enim solus est immutabilis, omnes res aliæ sunt ipsa mutabilitas.

Eccles 1.

Deus solus est veritas, omnia alia sunt vanitas.

bilitas. Magnificet, laudetque Philosophus naturam quantum vult, & cum hac eius facie, quæ mundo apparet tam formosa, decipiat simplices homines, ita vt (quemadmodum fingunt Poëtæ de capite Medusæ) homines faciat obstupescere, & quasi in saxa conuertat: verissimum tamen est, quòd si Deus non sustentaret omnem hanc molē, videres in momento omnia in fumum & in nihilum resolui. *Auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur. Ipsi peribunt, tu autem permanes. Omnia sicut vestimentum veterascent, tu autem idem ipse es.* Erat Lucifer magnus Angelus, nobilis, perfectus, intellectus, intelligentia; non habebat materiam, non fomitem, non occasionem peccandi. Omnia hæc vera sunt; sed & verum est, quòd non erat Deus. erat igitur creatura, non erat itaque veritas: & proinde erat vanitas. Quid igitur mirum, quòd non perseuerauit? quòd cecidit? Vmbra, fumus, somnus, possūntne durare diu? Et quis scit, si Deus inter alia secreta, quæ non possunt nisi cum temeritatis nota curiosè inuestigari, etiam ob hanc causam labi permisit nobilissimam hanc suam creaturam, quæ fortè tanti erat pretij atque dignitatis, quanti omnia simul quę in mundo sunt; vt quasi manibus nos palparemus, omnem rem creatam tam in mundo, quàm supra mundum, fumum esse & vanitatem, si non manibus suis, virtute sua, & omnipotentia sua Deus sustentet & conseruet? Et certè, non sine ratione summus ille omnis veræ Philosophiæ Magister Paulus dixit; *Portās omnia verbo virtutis suæ;* vt ostenderet omnem creaturam non solùm pendere à Deo, quantum ad creationem, sed & quantum ad cōseruationem. Quocirca & B. Ioannes non tantùm tribuit Verbo, quòd *omnia per ipsum facta sunt*; sed addit; *In ipso vita erat.* Illud insinuat virtutem creatricem, hoc conseruatricem: illa est externa, hæc plus quàm interna. *In ipso viuimus, mouemur, & sumus.* Hoc vtique fundamento posito, ecce vobis quæstionem explico, & certo certius scio, quòd vobis difficile non erit, vt credatis casum primi huius Angeli, miserum profectò, at iam non miserabilem.

Psal. 103. Psal. 101. Præstantia Luciferi. Probatur quòd Lucifer fuit vanitas. Cur Deus Luciferū cadere permisit. Heb. 1. Ioan. 1. Act. 17.

Non est quispiam inter nos, qui ignorat quanta &

Vis adulationis quanta.

qualis est vis adulationis, & adulatorum, quæ non rarò excæcat oculos prudentissimorum huius seculi Principum, Regum, & eorum quoque, qui vitæ sanctimonia clarere videntur Angelis bonis haud dissimili. Quantò plus posset ipse Princeps, Dux, Rex in semetipso, si suo malo & diuina permissione veniret ad tantam dementiam, sibi ipsi vt adularetur? vt cùm esset Zoilus, existimaret se Homerum; & Nabal cùm esset, pro Salomone se venditaret? O quoties monemur, vt vitium adulationis subterfugiamus: sed admonitiones istas flocci facimus; ideoque laudari semper cupimus: sed & quis est, qui non & facilè, & libenter credit sibimetipsi? maximè in illo Regno, vbi Æsopi æstimantur Ganymedes? nec est homo, qui socio suo credat. Tantum valet in nobis ambitio & prętextus nobilitatis. Ah quàm necessarium nobis est semper illuminari à Domino, Bitontini mei, vt cùm cornua tollimus, cælumque digito attingere volumus, atque amore proprio ebrij, supra ea quæ humana sunt nos extollimus, magna atque ardua spirantes, ipse dulcì manu sua nos paululum deorsum trahat, nobisque defectus nostros proponat: atque ita cum quadam dexteritate nobis ostendat, quàm longè absimus ab illa opinione, quam de nobis ipsi vanè conceperamus. Qui hac Dei gratia destitutus est, heu quàm crebrò euanescit: quàm crebrò somniat? Hinc oriuntur Magnatum errores, bella inconsiderata, furiosa iniusta; seditiones, tumultus & turbæ, quibus mundus sursum atque deorsum vertitur. Et quis corriget nostrorum Monarcharum errores?

Quicquid delirant Reges, plectuntur Achiui.

Error Luciferi qualis fuerit.

Hic igitur fuit error Luciferi. Erat formosus, prætermodum excellens; erat caput totius cælestis Hierarchiæ, nouemque Angelorum ordinum. hanc ob caussam Propheta in sua Symbolica Theologia, inter alias pulchritudines, pectus illius ornauit nouem illis pretiosissimis lapidibus, sardio, topazio, iaspide, chrysolitho, onychino, beryllo, sapphiro, carbunculo, smaragdo. Quid dicam? Si loquamur de eius magnitudine, eamque cum ceterorum Angelorum conferamus, videbatur platanus, aut cedrus in monte Libano,

no, abieti vel buxo comparata. Si de illius pulchritudine, erat quasi Sol inter alias ſtellas minores. Si de ſcientia & ſapientia, erat flumen exundans, cum minimo collatum riuulo. Si de nobilitate & dignitate, cælum erat cum terra comparatum. Præter modum igitur ſuam ipſius præſtantiam admiratus, cœpit ſibi-ipſi placere. Hinc ſubitò creuit arrogantia, euanuit, & amore ſui totus ebrius, non iam dignabatur Angelos appellare ſtellas, ſed nubes eos nominabat. Non legiſtis; *Aſcendam ſuper altitudinem nubium?* Quid nubes dico, imò terram eos appellabat, *In cælum conſcendam.* Quia verò præclari intellectus non diu in vna ſunt cogitatione, ſed ſtatim à malo (ſi ſemel errauerint) in peius prolabuntur, ecce quò ruit hic Lucifer; *Deus ego ſum. Memetipſum ego feci.* Hāc ob cauſam exiſtimās neminem amore ſuo dignum, auerſus eſt ab omni re alia, imò à Deo ipſo, & in amore proprio firmatus perſtitit. Nunquam vir mulierem tam peruerſè, tam ſuper omnem menſuram & modum amauit, neque mulier virum, quàm Lucifer ſemetipſum. O cæce, ô mente capte. Humiliamini, humiliamini Chriſtiani: diſcite hoc exemplo, non euaneſcere, non extolli, non ambulare ſupra vos. O beatum illum, qui verè poteſt dicere; *Non ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me.* Qui eſtis vos miſeri, vt vos metipſos tam tenerè ametis? Etenim *Chriſtus non ſibi placuit:* Non, non. *Sed opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me,* inquit B. Paulus. Ad Deū, ad Deū; non ad vos, non ad vos: dirigite amores veſtros per lineā rectam, nolite per lineam curuā ad vos ipſos dirigere. Deus eſt ſponſus Angelorum & animarum humanarum, hūc oportet amare, ad hunc oportet ſuſpirare, huius amore par eſt vt lāgueamus. Hæc eſt pulchritudo, quæ trahere debet omnes ſpiritus intellectuales & rationales, vt diligant eam. Etenim quantum ad intellectum, eſt veritas puriſſima, clariſſima, luminoſiſſima. Quātum ad affectum, eſt bonitas pleniſſima, ſuauiſſima, iucundiſſima. Hæc eſt potentia, quæ nec temporis, nec loci menſura clauditur: quę quicquid vult poteſt, quæ creat omnia ex nihilo, & quæ niſi conſeruaret, quod creauit, totum in nihilum reuerteretur. Hæc eſt bonitas,

Eſa. 14.
Ezech. 29.
Pſal. 130.
Rom. 15.
Pſal. 68.
Deus omni dignus amore cur.

quæ cùm nullius egeat, in ſemetipſa ſemper ab omni æternitate beata exiſtens, tamen vt ſe diffundat, alijsque communicet, (hæc enim natura boni eſt, alieni ab omni inuidia) creauit cælum, & exornauit illud Angelis; creauit terram, & impleuit illam hominibus. Hæc eſt magnitudo ſine menſura, longior terra, latior mari, altior cælo, profundior inferno: quę omnia quaſi gyro circundat, & mundum pugillo continet: quę ſedet in cælo, & pedes extendit in terram: quę oculis ſuis arcana cordium noſtrorum intuetur, cui nulla res remota, nulla eſt abſcondita. O beatum illũ, & nos omnes cum illo, ſi ita amore Dei flagraſſet. Omnes profectò creaturæ ſunt amabiles, omnes enim bonæ ſunt. Sed nulla meretur amari, nec ab anima, nec ab Angelis, vt ſponſus, vno Deo excepto. Aliæ fœminæ, Christiani, amari poſſunt, ſed non eo amore, qui ſponſæ debetur. Alij quoque viri amari poſſunt, Chriſtianæ, ſed non eo amore, qui ſoli ſponſo conuenit. Amor enim ſponſi & ſponſæ amor quidam ſingularis eſt, ab omnibus alijs amoribus diſtinctus. Hũc amorem poſcit Deus ab Angelis & hominibus. Non meminiſtis quàm frequentes in ſacra Scriptura ſint metaphoræ ſponſi, ſponſæ, & ſponſare, matrimoniũ quoddam inter nos & Deum ſignificantes? *Amator factus ſum formæ illiũs; hanc amaui, hanc exquiſiui & propoſui mihi in ſponſam accipere eam. Sponſabo te mihi in fide. Tanquã ſponſus procedens de thalamo.* Neſcio ecquod aliud nomẽ huic amori tribuã, pręter illud, quod olim tribuit Moyſes: *Relinquet homo patrem ſuũ, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ: & erunt duo in carne vna.* Non animaduertiſtis vnquam Dauidem Prophetam hanc ipſam vocem in Deum trãſtuliſſe? *Mihi adhærere Deo bonũ eſt. Adhæſit anima mea poſt te.* Sed & Diuus Paulus (vt hanc ſimilitudinem concludã) nónne dicit; *Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt cũ illo?* Heu, heu ab hoc amore querſio primum fuit peccatum Angeli: peccatum & peccati ſimul pœna. quemadmodum ſi ſponſa deſerat ſponſum ſuum, & alteri adhæreat amatori. O miſera pretioſiorem rem amiſiſti, quàm vnquam recipies; vitam ſcilicet omnibus amatam, & hac, mea quidem ſentẽtia, chariorem veram honeſtatem, optimum

Amor ſponſi & ſponſę maximus.

Sap. 8.

Oſee 2.

Pſal. 18.

Geneſ. 2.

Pſal. 72.

Pſal. 62.

1 Cor. 6.

mum fœminarum ornamentum. Supremæ illi Angelicæ menti, nobilissimo illi spiritui non erat aliud quid aptum & conueniens præter Deum, qui est spiritus purus. Omnis spiritus alius cum Deo comparatus corpus est, omnis alia forma cum Deo collata est materia: omnis alius actus cum Deo compositus est potentia: nunquid illud, ô Docti, à vestris Philosophis olim didicistis? O quàm turpiter itaque degenerauit infelix ille, dum mauult seipso contentus esse, quàm cum Deo copulari & vniri? materia factus est, potentia factus est, & cur non potius dico factus est caro? factus est corpus? Audite, audite. Deus animas nostras vocat fornicatrices, cùm adorant idola: mentior an verum dico? *Perdidisti omnes qui fornicantur abs te. Fornicata es cum amatoribus multis. Fornicati sunt post Deos gentium.* Ecce, ecce quò prolapsus est Lucifer, vt fecerit semetipsum idolum? Et quod enormius excogitari potest peccatum Idololatria? Non sine caussa sancta mater Ecclesia (vt Epistola hodiernæ diei, cum Euangelio de Dæmonio consonaret) per os Pauli nos exhortatur; *Estote imitatores Dei.* Nolite vos Deo æquiparare, nolite æquiparare: sed imitamini, imitamini Deum. illud est peccatum Angeli, hoc debitum est hominis. *Fornicatio & omnis immunditia tollatur à vobis*: non tantùm fornicatio carnalis, neutiquam. *Omnis immunditia, omnis immunditia*, etiam fornicatio spiritualis, à qua Diabolus, qui carnem non habet, vocatur spiritus immundus. Non audistis in Euangelio: *Cùm immundus spiritus.*] Et in Prophetis; *Spiritum immundum auferam de terra? Cecidit Babylon, habitatio omnium Dæmoniorum, habitatio omnis spiritus immundi?* Videte quid fecerit ista superbia Luciferi, qui ex tanta pulchritudine sua in tantam versus est deformitatem, vt per antonomasiam vocetur Spiritus immundus, spiritus turpis, spurcus & execrandus. Deus tanquam sponsus zelotypia quadam Angelos amans & homines, tanta indignatione in Angelicam naturam exarsit, vt inaudita quadam metamorphosi Angelum tam formosum, Antesignanum & Principem suum, in fœdissimum & immundissimum Dæmonium transmutauerit. Hinc nata sunt

[Margin notes: Omnis spiritus Deo collatus corpus est. — Psal. 72. — Hier. 3. — Osee 4. — Ephes. 5. — Zach. 13. — Apoc. 18. — Lucifer spiritus immūdus]

Nomina Luciferi. infamia illa & ignominiæ plena nomina, Satan, Diabolus, Serpens, Draco &c. Quia rebellis fuit Deo, dictus est Satan; quia cecidit de cælo, Diabolus: illud nomen est culpæ, hoc verò pœnæ. In tentatione Adami sortitus est nomen Serpentis; in maledictione à Deo illata, Draconis. Serpens astutus, Draco crudelis

Ioan. 8. nuncupatur. *Ille homicida erat ab initio*, ecce nomen Draconis. *In veritate non stetit*, ecce nomen Serpentis.

Apoc. 12. *Proiectus est in terram Draco magnus, qui dicebatur Diabolus, & Satanas, & Angeli eius cum eo missi sunt in terram*, dicit in Apocalypsi Ioannes. Sed & Christum

Luc. 10. audite; *Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem?* Quis autem vel prius, vel meliùs vidit illo, qui ipsum

Ezech. 28. de cælo præcipitauit? *Eieci te Cherub de monte sancto meo in terram, in conspectu omnium viuentium.*

Archangele Michaël, pugnator fortissime, nec volo, nec debeo hîc ingratitudinis notam incurrere. Hęc est tua prouincia, tuos volo in hac tua Apulia honores renouare. Auscultate Bitontini. In hoc certamine, quod fuit omnium, quæ vnquam fuere, primum, quodque non armis, sed contrariis voluntatibus, animisque pugnãtibus & repugnantibus peractũ est, non fit alterius alicũius singularis Angeli, qui à Deo stetit,

Apoc. 12. mentio, præter vnius S. Michaëlis. *Michael pugnabat & Angeli eius*, inquit Scriptura. Lucifer fuit caput re-

Quid significet Michaël. bellium, Michael caput fideliũm. Iccirco consecutus est nomen illud plenum gloria, vt diceretur *Michaël.* Et quid sibi vult nomen illud *Michaël? Quis vt Deus?* Illa est, Bitontini, honorata vox, quæ cum sonitu, pauore terroreque pleno, à magna illa tuba Archangeli prodiens strauit omnem exercitum inimicorum, & animos auxit amicorum. Quis est insolens ille & arrogans, dicebat magnus hic Archistratega? vbi est ille superbiæ Rex, qui cornua sua aduersus Deum extulit? vbi est temerarius ille, qui dixit, se similem esse Deo? Quis potest esse sicut Deus? *Quis similis*

Psal. 34. Psal. 85. *tibi ô Deus? Non est similis tibi in Dijs.* Hæc vox animosa, irarum plena, minitabunda & terribilis voluit Dominus, vt ad ęternam nominis sui gloriam in proprium Archangeli nomen transiret, atque permaneret. Sed & certum est, Diabolum, quotiescunque Mi-

chäël nominatur, recordari ſemper infelicem & infauſtam ſibi pugnam; reſonare in auribus ſuis putat tremendam illam vocem, quæ coniurationem impiam detexit, diſſoluitque; *Quis vt Deus?* ideo fugit impoſtor ille tremens & timens, nec inuenit locum, vbi tutò quieſcat. Diabolus timet nomen Michaëlis.

Anoſcite, agnoſcite omnes incolæ magnam illam & ſingularem gratiã, quam Deus exhibuit huic montanæ prouinciæ, in ſacratiſſimo illo S. Michaëlis templo, quod in monte Gargano reuelauit. Sed quid dico huic prouinciæ? cur non potiùs toti Regno Neapolitano? imò toti Italiæ? ac proinde toti Eccleſiæ Chriſti, cuius Roma caput eſt? pro qua inuiſibilis ille propugnator noɛte dieque contra inſidias Turcarum mari, & contra hæreticos terra ab hac inacceſſibili montis altitudine vigilat, vt ita loquar, & excubias agit? Neſcitis quàm exiguo ſpatio mons S. Angeli diſtat ab Aquila, & Aquila quàm exiguo interuallo abeſt à Reatinis, qui vmbilicum habitant Italiæ? Felix, terque quaterque felix alma patria, quæ tantum nacta es defenſorem. Non te dignis efferre poſſum laudibus, ô Chriſtianiſſima Gallia, quæ inter omnes ſodalitates, ſtatus & ordines Equitum Religioſorum, tãto in pretio habes, tantoque honore dignum cenſes illum, qui ab Archãgelo noſtro nomen ſortitus eſt. Poſt Regem namque ipſum nullus Princeps tantæ eſt authoritatis & dignitatis, quãtę ſunt Equites S. Michaëlis. *Quis vt Deus? Quis vt Deus? Et quis vt Michaël? vt Michaël? qui pugnando fecit victoriam?* Conuenientiſſimum erat Franciæ, poſtquam glorietur titulo Chriſtianiſſimę, etiam S. Michaëli eſſe deuotiſſimam, ille namque primus & ſummus eſt exercituum Chriſti ductor & anteſignanus. An ignoretis S. Michaëlem populi Hebraici cuſtodiæ quondam fuiſſe cõſtitutum? quo populo nullus Deo fuit iſtis ſeculis antiquis charior, & ex cuius ſemine Chriſtus naſci voluit.

Templum S. Michaelis.

Equites S. Michaëlis in Francia.

Apoc. 12.

O Michaël, o Michaël. Quis veſtrum ignorat ſummam Archangeli Gabrielis dignitatem, qui à Deo ad Virginem legatus eſt, myſterij ſalutis mundi annunciaturus? ſcitote nihilominus Angelũ Perſiæ tantum negotij feciſſe huic Archangelo, in cauſa liberationis

 populi

Michaël adiuuit Gabrielem in populo à Persis liberando.

populi Dei, à diuturna ista captiuitate, vt necesse fuerit Michaëlē illi subuenire, atque opitulari. Ite & legite in Daniele Propheta. *Et nemo fuit adiutor meus in omnibus his, nisi Michaël Princeps vester.* Quàm egregiam operam nauasse, quantum auxilij tulisse creditis Michaëlem Archangelum Angelis Franciæ, contra Dæmones Hugonottarũ, qui Regnum hoc, tam egregiè fide Christiana illuminatum, toties iam flamma ferroque deformârunt: Gaudete Sancti Angeli, vestra erit victoria, vobis deferentur lauri & palmæ ex hoc prælio, quod gestum est, & geritur continuè pro fide Catholica, contra peruersissimas hæreses. Agite, agite omnes Christiani, ad Michaëlem, ad Michaëlem. Ille olim fuit Princeps Iudeæ, & nunc Princeps est totius Christianismi. Nolite timere, nolite timere Turcarũ potentiam. S. Michaël, de quo scriptum est, *Concussum est mare & cõtremuit terra, dum Michaël Archangelus descenderet de cælo*, præliatur pro nobis aduersus Dæmones, inuisibilis contra inuisibiles; & mons hic, qui ab illo mons Sancti Angeli denominatur, pugnat pro nobis aduersus Turciam, visibilis contra visibilem. Vt quid igitur formidatis? Regnũ enim Diaboli (vt paulò ante diximus) destructum est. *OMne regnum in seipso diuisum desolabitur.*] Archangelus Michaël illud diuisit, Christus illud desolauit, nec adhuc desolare cessat. Christus illud euertit, excindit, radicitus extirpat, vt vero Dei Regno locus relinquatur. Non auditis? *SI in digito Dei eijcio Dæmonia, profectò peruenit in vos Regnum Dei?*] Si digitus Dei eiecerit Dæmoniũ, perpendite quomodo poterit illi resistere Turca, minimus omnium quos habet Diabolus legatorum? Ceterùm necesse est vt hìc paulisper respirem.

Dan. 10.

Luc. 11.

TERTIA PARS.



MNE regnum in seipso diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet. Si ergo Satanas in seipso diuisus est, quomodo stabit regnum eius?] Verba sunt Euangelii, cuius authoritas irefragabilis, cuius veritas æterna & infallibilis. Illustrissime Dux Grauinæ, quòd si in hoc suggestu concionarer, vt

sæpe

ſæpe ſoleo, huic meo populo ſoli, diſſererēque de materia noſtrorum malorum, dolorum & timorum, referrem tragœdias præteritas, & quæ in foribus ſunt, breuior eſſem, aut potiùs lōgo ſilentio ſermonem abrumperem: tanquam is, qui putaret ſe non audiri, & timeret, ne fortè ſibi dicatur; *Non erat hic locus. Vbi non eſt auditus, ne effundas ſermonem.* Sed propter Illuſtriſſimam Celſitudinem Tuam, quæ vt ſuum in me fauorem exhiberet, huc Grauina venire dedignata nō eſt, vt me concionantem audiret; quamobrem non iam in ſede, ſed in pulpito me cernitis, nec ſermocinantem, ſed prædicātem auditis: cumque videam Illuſtriſſimum Ducem Traiectenſem, quem Tua Celſitudo ſecum Bitontum ad hoc ſpirituale Verbi diuini conuiuium inuitauit, tantamque copiam Dominorū & Baronum, qui vt vos comitarentur, vobiſque ſeruirent, huc aduenerunt, in circuitu aſtantem, ſciens in tot nobilium, quibus hoc templum exundat, auribus verba mea non fore inania, ecce loquar prout Deo placuerit, haud aliter, quàm ſi in ipſa vrbe Neapolitana dicturus eſſem, vbi ſpe fructûs vberioris maiori cum alacritate prædicarem. Eccli 32.

O verè miſerum his noſtris temporibus Chriſtianiſmi ſtatum: qui propter continuas diuiſiones ſuas viliſſimis populis bella gerentibus præda factus eſt; populis, inquam, Aſiaticis, qui in omnibus hiſtorijs molles, imbelles, effœminati, imò fœminæ appellantur. Ignominioſum profectò eſt, Domini mei, viuere hodie cum hac infamia, cum hoc ſtigmate, cum hac nota in facie: & neſcio quādo huic malo medebitur, cùm quotidie tantas faciamus iacturas, tāta patiamur damna, tot contumelias à Turcica gēte ſuſtineamus. Interim nemo eſt qui vel per ſe, vel per alios ab hac iniuria nos cupiat vindicare. Quis numerare poſſet pagos, villaſque in Apulia & Calabria euerſas & deſtructas? quis animas Chriſtianas, pro quibus copioſiſſimè Chriſti ſanguis eſt effuſus, & nunc in vinculis detinentur, recenſebit? Quis noſtrum ignorat immenſum numerum vrbium, prouinciarum, Regnorum & Imperiorum, quæ quondam nobis parebant, quibus iam non tantùm miſerè, vt toti conſtat mundo, priuati

Miſerrimus huius temporis ſtatus.

uati sumus, sed quæ ne videre quidem licet absque metu captiuitatis, ne cum patribus, filijs, fratribus, sororibus & matribus incidamus in manus barbararum & infidelium illarum gentium, quæ nulla re magis, quàm nostra calamitate, nostra ruina, & morte nostra oblectantur? Nequę pia mens temperet se à lachrymis, quando cogitat terram illam sanctam, vbi natus est, vbi vixit, vbi mortuus est, vbi resurrexit Christus noster; regionem illam, vbi iacta sunt fundamenta nostræ fidei, vbi initium habuit Euangelij prædicatio; ciuitatem illam, quæ origo fuit nostræ salutis; templum illud, in quo toties vox filij Dei resonuit, pro nobis solùm hominis facti; non iam ampliùs nostrà esse, sed in potestate canum illorum, quibus tanta pecuniæ vis numeranda est à singulis hominibus, vt hęc loca semel tantùm videāt? Iudæi cùm arcam fœderis perdidissent, quid non fecerunt, vt recuperarent? quæ non bella mouere? Græci ob raptam Helenam nónne decennale bellum contra Troianos sustinuerunt? Carthaginenses, vt pomœria sua nonnihil promouerent, quàm cruenta prælia cum Cyrenensibus gesserunt? Romani quoties arma induerūt, & in certamen descenderunt, vt causas suorum sociorum & confœderatorum defenderent? Nos quid pro nobisipsis, & pro gloria nostra facimus, vt recuperemus quod nobis ablatum est, cum tanta iniuria, & detinetur cum tanta tyrannide? Reuoluite historias omnes, & non inuenie is iustius bellum, quàm esset nostrum aduersus Turcas, vt denuo occupemus mansionem & receptaculum Christi nostri, Apostolorū, Apostolicorūque, & totius Ecclesiæ Christianæ. Omittamus memoriam rerum antiquarum, loquamur de damnis nouis, & nouissimis, quæ non aui, nō proaui nostri, sed nos, nos ipsi à Turcis accepimus, & quotidie adhuc accipimus. Nondum anni sunt centum, cùm antiquum illud Byzantium, noua illa Roma, primò à Pausania ædificata, postea verò restaurata, & à Constantino Magno ad imitationem antiquæ Romæ amplificata, Constantinopolis, inquam, sedes Patriarchalis, soliū Imperatorum; Constantinopolis, quæ post felices annos Constantini, qui quasi Sol illuxit huic mundo, tenebras

[margin: ...stissimum ...t bellū con... a Turcas.]

[margin: ...onstantino... ...lis quādo ...Turcis ca... ...a.]

nebras illius diſſipans, amplius quàm tota annorum Chiliade noſtra fuerat, nec vlli præterquam Chriſto ſeruierat, poſt Concilium Florentinum (heu) cœpit grauiſſimum & intolerabile ſpurciſſimæ ſectæ Mahumetanæ iugum induere, illiusque tyrannidem tolerare. Ah quàm miſeris modis tractata eſt celebris illa Sanctæ Sophiæ Baſilica: templum illud nobile, à Iuſtiniano quondam Imperatore Chriſto noſtro, qui eſt vera Sophia, vera æterni Patris Sapientia, erectum ac dedicatum: Sufficiat hîc dixiſſe pollutum illud fuiſſe fœtido ſpurciſſimæ ſectæ Mahumetanæ ritu, quo neſcio an quid peius dici poterit. altaria illius euerſa, Sacrarium direptum, imagines Sanctorum deiectas & conculcatas: Sanctorum Martyrum & Confeſſorum Chriſti reliquias (heu) porcis & canibus vt deuorarēt obiectas. Quot hîc Sacerdotes Chriſti martyrio coronati: quot venerandæ Chriſti ſponſæ proſtitutæ? quot nobiles inter vinum & crapulam nigrarum iſtarum animarum Turcicarum trucidati? Neque ſilentio prætereundæ ſunt celeberrimæ bibliothecæ, quas inſanus ille furor abſumpſit, authores perpetua vita digni, qui ſecunda morte perierunt: libros dico tot Magiſtrorum fidei, tot Patrum in omni ſcientia verſatiſſimorum, tot fontium & luminum Eccleſiæ concrematos. Sed vt breuis ſim, Regale illud Crucis vexillum, mille dignum honoribus, imò Crucifixus cum Cruce ſimul, quanta ſuſtinuit opprobria, quantas paſſus eſt iniurias à ſcurris & flagrionibus illis, qui oris, ventriſque ſui excremento, omniq́ue immūditia gloriam noſtram deturpârunt, & pręcurrentes, vociferanteſque clamarunt, Ecce hic Deus eſt Chriſtianorum, ecce hic eorum Chriſtus eſt.

Non ſunt hæc antiqua, Bitontini, noua ſunt, facta ſunt in oculis noſtris, & quotidie (vt pudeat tandem nos, hæc dico) ſimilia videmus, atque audimus: & tamen non mouemur, ſed ſecuri in vtramuis dormimus aurem; haud aliter, quàm ſi pedem extra lutum haberemus. Ah, vt minimam vlciſcamur iniuriam nobis illatam, prompti ſemper ſumus & expediti; ſed vt graues illas & quotidianas offenſas, quas à Turcis accipimus, vindicemus, ſumus non dico tardi & negligētes,

ſed

sed inconsiderati & insensibiles. Et quando tandem hæc sentiemus? quando euigilabimus? quando cognoscemus hæc Christiani? quando generosum animum induemus? quando antiquæ nostræ fortitudinis recordabimur? Quando (vt hoc addam) cogitabimus, omnes prudentiores Principes semper bellum foris, quàm domi gerere maluisse? Et tamen bellum Turcicum ædibus nostris & vicinum est nimis & perniciosum. stultitia quædam est, singulis annis mari nostro metuere, classemque aduersus insidias Turcicas parare, cùm semel & simul vna insigni expeditione, vna regali classe, & vno exercitu terrestri, in quo omnes simul conuenirent Christiani Principes, pro gloria Christi hunc Sennacheribum possent inuadere & debellare; Adeò, vt sibi gratularetur, si fugiendi locus esset, seseque cum damnata illa Iudæorum Synagoga in mõtibus Caspijs abderet. Non videtis quàm altè superbum illud caput extollat, assumens sibi titulum Domitoris Christianorum? quòd Christum ne crepitu quidem digiti dignum facit? quòd nomen illius tam arroganter blasphemat? quòd Christianos appellat canes? quòd publicè profitetur, se Deo sacrificare, cùm nostras Ecclesias destruit, cùm terras nostras depopulatur, quando in conspectu nostro patres occidit, filios & filias prostituit? Vtinam ea pollerem eloquentia, vt animos vestros possem accendere, qui ardentes aliorum quoque inflammarent, ne in posterũ tantas calamitates, cum tanta nominis Christiani iniuria, tam turpiter patiantur. Habebat, Illustrissime Dux, Christianismi nostri corpus oculos duos, Orientale & Occidentale Imperium: amissa Constantinopoli, amissus fuit oculus dexter; remansit solus sinister, & tamen contra naturam in tranquillo sumus, nullus nos vrit zelus, nulla iusta indignatio. Sed vtinam non plura perdidissemus. Nunquid amissum est Belgradum, & in diebus pueritiæ meæ Rhodus, Buda, Strigonium, Pestum, & Alba regalis? Quid? quanta pars Pannoniæ nobis ablata est? Sed & etiamnum incipit insatiabilis hic Tyrannus nouos apparatus terra marique facere, vt minetur ampliùs, quàm antea, vt noua toti Christianismo damna inferat. Non cernitis

Apostrophe ad Christianos Principes, vt se arment aduersus Turcam.

tis eum iam nostris littoribus imminere? nostra sulcare maria, regnum Neapolitanum, hortum hunc deliciarum, paradisum terrestrem certa spe deuorare, sibique promittere? Quòd Italiam totam, Germaniam, Galliam, Hispaniam intuetur? Vos estis manus, vos pedes, vos omnis huius colossi fortitudo. Quid expectatis? quid expectatis? vt veniat Hydruntum? Viennam? Marsiliam? Hipponam?

Domini mei, omnes populi, omnes natiões, omnia Regna, & linguæ omnes totius orbis terrarum obediebant antea Christo, nec in desertis Arabiæ, nec in arenis Africæ, nec in Septentrionali glacie reperiebantur ab hac religione peregrini, aut in hac lingua doctrinę Christianę barbari. Euangelium non vnum tantùm mundi angulũ, non vnam prouinciam, non vnum Regnum impleuerat: impleuerat omnia. Non audistis quid Paulus scribat Romanis? *Fides vestra annunciatur in vniuerso mũdo?* Non meministis quid Propheta Regius olim de vocibus Apostolorum vaticinatus est: *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Christus promiserat Petro, Andreæ, Ioanni & Iacobo, quòd faceret illos piscatores hominum. Non fuit vana ista promissio; piscati sunt Apostoli in omnibus aquis, & salsis & dulcibus, in fluminibus & riuis, in lacubus, stagnis & paludibus; vbique iactarunt sua retia, & ceperunt non sibi, sed Christo omne genus piscium, magnos & paruos; ita vt impletum fuerit illud Prophetæ; *Omnes tribus & linguæ seruient ei.* Multò manifestiùs in Christo, Illustrissime Grauinæ Dux, quàm in Augusto impletum est illud nobilissimi Poetæ carmen;

Rom. 1.
Psal. 18.
Dan. 7.

——— Super & Garamantas & Indos
Proferet imperium. iacet extra sydera tellus,
Extra anni Solisque vias, vbi cælifer Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.

Virgil. lib. 6. Æneid.

Quis vestrum ignorat, qui modò historias legit, beato illo Constantini tempore vocem Vicarij Christi, Romani Pontificis vbique, terra marique auditam, eique ab omnibus obtemperatum esse? Quàm optata tunc pax per vniuersum mundum sub nobili Crucis vexillo colebatur? Habitabat lupus cum agno, & pardus

Esa. 11.

dus

dus cum hœdo accubabat, vitulus & leo & ouis simul morabantur. O quanta Christo erat gloria istud imperium, ista authoritas, istud dominium? In Oriente amisimus Asiam maiorem, & minorem, Macedoniã, Thraciam, Bœotiam, Achaiam, Epirum: & in mari Ægęo atque Ionio, præter insulas Cycladum, tot alias regiones. In Austro ex Africa quotidie nostra infestat littora, non Hispaniæ tantùm, sed & Italiæ. In Aquilone, præter multifarias hæreses, scitis quot gentes viuunt ferarum potiùs quàm hominum more, quæ nec Christum cognoscunt, nec à Christo cognoscuntur. Occidens hic noster, heu, à tenuissimo dependet filo: tam debilis illius status est. An non hæc maxima Christi iniuria? an non summa Diaboli sit gloria? An non & Turcæ & Hæretici ministri sint Diaboli? Patieris, ô Christe, vt hi vlteriùs procedant, vt crescant, vt vincant, vt glorientur & dicant; *Vbi est Deus eorum?* Non patietur hoc Christus, qui dicit; *Ego Deus fortis & zelotes; Gloriam meam alteri non dabo.* Adiuuate, adiuuate itaque omnes, auxilium opéque ferte in hac sacra expeditione. Scribite & admonete Neapolim, Romam, Hispaniam, exhortamini, orate, solicitate, efficite vt intelligant, non esse procrastinandum, sacrum fœdus iam iam ineundum & cõfirmandum. Tempus est, tempus est, vt vel nunc tandem pro honore Christi vos semel exhibeatis actores, ne semper videamini rei; efficiamur mallei, ne simus semper incudes, vilissimarum istarum gentium. An causa nõ sit iustissima? an non grauissima? an nõ maximi momenti? vt recuperemus nostra? vt Christum nostrum possessioni hæreditatis suæ restituamus? vt honorem & gloriam illius vindicemus? vt animas illas perditas conuertamus? faciamus saltem per vim, vti agnoscant suos errores? Non legistis, *Compelle intrare?* At Christianismi vires huic bello non sufficiunt. Quamobrem? an desit potentia? neruus? populus? pecunia? apparatus? Memen ote belli Melitensis, quanta cum potentia in insulã illam Tyrannus descenderit, neque tantus tunc Christianorum confœderatorũ erat numerus, quantum nunc sperare possumus. At forsan arbitramini, non esse post huius belli victoriam parata

Quot prouincias Turca nobis ademit.

Psal. 113.
Exod. 20.
Esa. 42.

Luc. 14.

& temporalia & æterna præmia? An non cuiuis animo nobili & generoſo ſufficiens eſſe debeat præmiū, exponi periculo, vt Chriſtus in poſſeſſionem terræ ſanctæ, lacte & melle doctrinæ Euangelicę fluentis, remittatur? vt redeat in ciuitatem Nazareth, vbi primi flores promiſſæ ſalutis noſtræ per Angelicam annunciationem Mariæ Virgini factam apparuerunt? & in Bethleem, vnde exiuit abundantia panis, panis ſcilicet Angelorum, qui factus eſt panis hominum? Ad ſacrum illum Iordanē, vbi baptizatus eſt à ſuo præcurſore, vbi & Spiritus ſanctus in verticem eius deſcēdit, & cæli aperti ſunt: vnde vox illa non tam pro ipſo, quàm pro nobis procedens audita eſt; *Hic eſt filius meus dilectus, hunc ſequimini.* ille enim vos è terris ad cælos ſecum adducet? In montem illum Caluariæ, vbi crucifixus eſt, vt pro debitis noſtris ſatiſfaceret, noſtraque crimina crucifigeret? In ſanctum denique ſepulchrum, odores Paradiſi ſpirans, in quo vita noſtra fuit ſepulta, vt nos ſecum glorioſè ad vitam immortalem & æternam reſuſcitaret? O Chriſtiani, ô Chriſtiani.

Matth. 3.

Quòd ſi amor & cupiditas prædæ præcipuum ſit, quod milites ad pugnā moueat atque inuitet; vbi plures opulentioreſque ſunt prædæ, quàm in regionibus Turcarum Imperatori ſubditis? Ibi eſt aurum, ibi argentum, ibi gemmæ, ibi vniones, ibi ebur, ibi ebenū. Illic purpura & byſſus, amomum, myrrha, thus, balſamum, odores varij, & omnis generis aromata. Ibi Phœnices, Pelicani, equi non currentes, ſed volantes; elephantes bello apti, monocerotes in re medica vtiles, & venenum ſicubi latitat prodentes. Vnde quæſo Romam porphyritides, obeliſci & pyramides iſti, quibus antiquiora templa paſſim exornantur, niſi ex Ægypto ſunt aduecti? Vnde nobis emblemata, aulæa Attalica & Babylonica, veſtes vndulatæ, Damaſcenæ, Tyriæ, metalla varia? vnde, niſi ex beatis iſtis regionibus, à ſpurciſſima illa gente, omni vitiorum genere contaminata, & in oculis Dei execranda? Ah erubeſcamus quotquot ſumus, eò quòd non liceat nobis aquam è Nilo, aquam ſacram, aquam ſanctam, aquā de terreſtri Paradiſo, vbi Enoch & Helias, & forſitan

Laudes Turciæ & Ægypti.

tantoperè à Christo dilectus Ioãnes Euangelista morantur, absque venia Turcarum bibere.

Agite, agite ne transeat occasio, dum Christus hodie Dęmoniũ eijcit ab infelici & misero isto homine; deliberate inter vos, & statuite in animis vestris, Turcas pro viribus vestris Christi finibus eijcere. Omnia Christi sunt; *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* verba ipsius sunt. Vbi non regnat Christus, ibi regnat Diabolus. Duo tantummodo Regna sunt, vnũ Christi, alterum Diaboli. In Regnum Christi nemo intrat nisi per Christum. Aperi portas tuas, ô Oriens, vero ac naturali tuo Domino, Regi gloriæ, Regi gratiæ. Te præ ceteris omnibus regionibus Christus noster, cùm in terris versaretur, honorauit; tempus nũc est, vt minimè diutius ingratus eum lubens recipias, & non expectes donec vim inferat, qui nunc in cælis dominatur. O felix Turcia, quando veniet Christus, vt immundum hunc spiritum eijciat, & ipse in domibus tuis regnet: tunc eris in Regno Dei, quę nunc es in Regno Diaboli, quemadmodũ & totus mundus, vno Christianismo excepto.

Matth. 28.

Vbi non regnat Christus, regnat Diabolus.

Sed vt eò reuertamur, vnde digressa est oratio: scitote, Auditores, opus esse Diaboli Christianismũ varijs sectis & schismatibus diuidere, vt tantò commodiùs suis insidijs mundũ queat in mille errores dispergere. *QVi non colligit mecũ, dispergit*, inquit hodie Christus, *& qui non est mecum, contra me est.* *Non est dissensionis Deus, sed pacis*, dicit Paulus. Dæmonium econtrariò non est author pacis, sed dissensionis. Et quid est Deus, nisi summa vnitas? quid igitur erit Diabolus, Deo per omnia dissimilis, nisi ab omni vnitate alienus? Tu Ari laborasti quantum potuisti, vt primò zelum & æmulationem, inde discordiam in Regno Dei disseminares; dicendo, Patrem maiorem esse Filio, maiorẽ quoque; Spiritu sancto. Sed contra voluntatem tuã, Pater agnoscit Filium, & Filius Spiritũ sanctum sibi æqualem, coæternum, consubstantialẽ. Eodem modo & alij multi fatigantur, vt diuidant & depopulentur Regnum Ecclesiæ, scindẽdo fidem, & dissipando Sacramenta Catholicorum: sed ludunt operam. faciant quicquid velint, *Regnum tuum*, ô Sancta Eccle-

Luc. 11.
1 Cor. 14.

Deus est summa vnitas.

Psal. 144.

Ecclesia, *Regnum omnium seculorum*. Regnum quod nō auferetur, potestas quæ non conteretur. Homines inter se mille sectis diuiduntur, Ecclesia semper vna permanet. *Vna est columba mea, vna est formosa, vna est genitrix tua electa.* Cant.6. *Vnus Dominus, vna fides, vnū baptisma.* Ephes.4. O vnitatem sanctam, ô vnitatem fortē. Verè tibi opitulatur sancta illa Christi oratio; *Rogo vt vnum sint, sicut & nos vnum sumus.* Ioan.17. Ehodum ecce, *Regnum Dei est gaudium & pax in Spiritu sancto.* Rom.14. Deus est summa pax, Diabolus est ipsum bellum, ipsa discordia; ideo & serpens appellatur. scitis enim serpentes esse animalia instar anuli circularia, nodosa, plena incisionibus, quę etiam in multas partes diuisa viuunt. *Satanas in seipso diuisus est. Ergo quomodo stabit regnum eius?* Christus hoc loco adfert propositionem hypotheticam, cùm dicit:

SI Satanas in seipso diuisus est, quomodo stabit Regnū eius?] Vos hanc propositionem in categoricam conuertite; *Satanas in semetipso diuisus est, ergo nō stabit Regnum ipsius, non stabit, non stabit.* Fortè verum non est, *Satanas in semetipso diuisus est*: Verum igitur erit, Satanas in seipso vnus est, quæ propositio antecedenti est contraria. Sed quomodo potest Satanas esse in se vnus, si non sit vnus cum Deo, qui est prima & principalis omnium rerum vnitas? & proinde quomodo potest habere pacem cum semetipso, si non habeat pacem cum Deo, in cuius pace consistunt & requiescunt omnes creaturę? quomodo poterit amare semetipsum, si non amet Deum, à cuius amore omnes amores alij deriuātur? Verissimum est, Christiani, vnum Dæmonem alium amare non posse: imò ne quidem seipsum amare? & in Inferno, vbi viget imperium Dæmonis, vnum hominem alium non diligere, similiter nec semetipsum: sed & Dæmones & damnati omnes quomodo oderunt Deum, ita oderunt & semetipsos & omnes alios: perpetuum & irreconciliabile inter illos bellum est; sunt enim à fonte pacis & amoris Deo semper benedicto resecti, penitusque alieni. Amor Dei, vnitas Dei, pax Dei generat amorem, vnitatem, pacem creaturarum, primò cum Deo, deinde & inter semetipsas. Odium Dei, diuisio à Deo, bellum cum

Amor Dei parit pacem & vnitatem.

Deo, origo eſt odij, belli, diuiſionis, quam habent Dæmones & dãnati ſinguli cum ſemetipſis, & omnes ſimul inter ſe & contra nos. Vt igitur concludamus, iubeo vos omnes bene ſperare, & ſecuros eſſe, quia Regnum illud Turcicum non erit diuturnum: eſt enim Regnum Diaboli, & Diabolus in ſe ſemper eſt diuiſus. nec mentitur prouerbium longo vſu tritum: *Vnio fortis, diuiſio debilis.* Videtur quidem nobis diuturnum, quia vitã vnius diei viuimus: ſed quid ſunt mille anni, ſi cum æternitate Dei conferantur? Mille annos illos fortè conceſſit Deus Iſmaëli, eò quòd filius eſt Abrahæ: licet ex Agar, & nõ ex Sara. Mox, mox in ictu oculi videbitis Regnum hoc Agarenorum concidere, & aut Agar reuertetur ad domum Saræ; aut dicetur, *Eijce ancillam & filium eius.* Et regnabit Iſaac ſolus, ſolus Chriſtus vnigenitus Dei filius, in quo factæ ſunt promiſſiones omnibus gentibus. Quid admiramini Auditores? *Quæ impoßibilia ſunt apud homines, poßibilia ſunt apud Deum.*

Cur regnum Turcicũ non poteſt eſſe diuturnum.

Gal. 4.

Luc. 18.

Quis vt Deus? Quis vt Deus? Captate augurium quotquot adeſtis. Dux enim Chriſtianæ militiæ, Eccleſiæ ſcilicet Dei, quæ in terris militat, dicitur Michaël, hoc eſt, *Quis vt Deus?* Præterea myſterio quoque non caret, nomen Pontificis eſſe Pij, & quidem Pij Quinti. quinarius enim numerus eſt numerus nuptiarum, & quis ſcit, ſi hoc noſtro ſeculo implebitur iſtud oraculum, omni plenum gaudio; *Venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit ſe. In ſpe præter ſpem, in ſpe præter ſpem,* Illuſtriſſime Dux Grauinæ. Etſi Chriſtus noſter agnus ſit, & Diabolus ſerpens, imò Draco, & quidem Draco rufus, ſeptem habens capita, vt in Apocalypſi deſcribitur; tamen paſſim viſum eſt, imò manibus palpatur, quàm ſemper extiterit victorioſus Chriſtus noſter aduerſus Diabolum. Pharao cum toto Regno Ægypti primus à Diabolo incitatus inſurrexit aduerſus populum Dei, aduerſus Ieſum, aduerſus Chriſtum. Non audis quid dixerit Paulus de Moyſe, perſecutionem ſuſtinente ab Ægyptijs; *Maiores diuitias arbitratus theſauro Ægyptiorum, improperium Christi!* Econtra non eſt angulus in mundo tam obſcurus, vbi miraculum illud omnium miraculorum primarium

Apoc. 19.
Rom. 4.

Apoc. 12.

Pharao primus fuit qui caput in Deum erexit.

Heb. 11.

rium ignoratur: ruinam dico Ægypti, per tot crudeles plagas à Deo immissas. Solum Agni festum tam in Iudaismo, quàm in Christianismo plenam huius rei omnibus gentibus fidem facit. Secundum caput huius Draconis infernalis fuit Achab & Iesabel, cum decem tribubus Israëlis, quę per Roboam & Ieroboam defecerant à ciuitate Dei Hierusalem, & sacrificarunt in Samaria, erigentes altaria profana, & vero atque religioso Dei cultui à patribus Christi secundùm carnem, Dauide & Salomone instituto, contraria. Scire vos arbitror quid euenerit Regi Achab, & quòd Iesábel à canibus est deuorata. Chaldæa tertiũ caput fuit, quæ annos septuaginta in Babylonia peculiarem Dei populum captiuum detinuit. Quare & in hodiernum vsque diem deploratur in Ecclesia Christi infelix illa Septuagesima. Cecidit Babylonia, & vix supersunt murorum vestigia, qui pręcipuis mundi miraculis adnumerabantur. Persæ & Medi quartum caput extulerunt, quando superbus ille Aman ab Artaxerxe tantoperè dilectus, miseram Synagogam in tantas miserias præcipitauit, adeò vt parum abfuerit, quin vno die omnes Iudæi, è quorum semine Christus nasceretur, ad internecionem trucidati fuissent. Vnus Mardochæus, & vna Hester fecerunt, vt insolẽs ille Aman in crucem raptus fuerit, populusque Dei reuixerit, & optimo Regi charior, quàm antea, extiterit. Antiochus ille sceleratus quintum draconis caput fuit; is omnem mouit lapidem, vt memoriam diuinæ legis populo huic datæ aboleret: quare & immanem illam persecutionem aduersus fortissimos Machabæos instituit. Mortuus est Antiochus à vermibus corrosus, & pœnitentiæ locum apud Deum (qui tamen misericordiæ fons esse solet inexhaustus) non inuenit, quanquam cum lachrymis eam inquisiuerit. Imperiũ Romanum fuit sextum caput, multò magis rubẽs, quàm cetera. Illud enim per impium Pilatum extendit manus in ipsam personam Christi; & postea cum tanta rabie tantoque furore, vt conseruaret idola sua, per vniuersum terrarum orbem tam copiosum seruorum Dei sanguinem effudit. Dicite mihi, Domini Neapolitani & Romani, qui ad hanc nostram orationem

Quot & quales capita sua cõtra Deum erexerunt.

venistis, Vbi est illa Roma? vbi est illa successio Cæsarum? Neronum? Domitianorũ? Traianorum? Diocletianorum? *Fuit Ilion, fuit Ilion.* Extincta & deleta est illa Roma superba: nam licet quodammodo ad hoc Imperiũ pertinere videatur tyrannis ista Turcica; vos tamen, qui in præteritis tantam Christi victoriam cernitis, sperate fore, vt idem ille Christus in exterminandis istis reliquijs multò sit potentior, quàm ipsi credebatis. Præcidet denique & septimum atque vltimum caput immanis illius bestiæ Antichristi, *quem Dominus interficiet spiritu oris sui,* inquit Paulus. O quàm admirabilis agnus est Christus noster? permittit vt tondeatur & tundatur, ad macellum ducatur, & in se atque in suis occidatur. Sed quando ipsi visum est, expergiscitur, & vltionem poscit, qualem iniquitas suorum persecutorum merebatur. Non igitur caret mysterio Bitontini, quòd sicut Draco describitur cum septem capitibus, ita Agnus cum septẽ cornibus depingitur. Non legistis; *Draco magnus, rufus, habens capita septem? Agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem?* Septem contra septem, cornua contra capita; quot capita tot cornua: vnum cornu vni capiti satis est vt opponatur. Septiformis spiritus Christi, Auditores, est potestas illa inuicta & inuincibilis, quæ expugnauit, & quotidie expugnat, atque expugnabit semper septem, & septuaginta septem, hoc est, omnes potestates & arma Dæmonis, vsque ad consummationem seculi: & deinde mortuo Antichristo, ligatum catena in puteum abyssi præcipitabit, vbi detinebitur annis mille, hoc est, æternùm. Audite Paulum; *Conteret Satanam sub pedibus vestris.* Non poterit cruenta illa bestia è sua cauerna denuo exire, vt tentet virum aut fœminam. *Via sancta vocabitur, & mala bestia non ascendet per eam.* Huius ruinæ suæ præscia tantas excitat tragœdias hæc magna bestia: scit enim tempus, quo nocere poterit, esse breue, sicut scriptum est; *Descendit ad vos Diabolus habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet.* Non videtis eum omnia sursum atque deorsum vertere? ima superis miscere? Christianam Ecclesiã ab omni parte oppugnare atque affligere? *Foris pugnæ, intus timores.*

[Margin notes: 2 Thes.2. — Agnus cum septem cornibus quid sit. — Apoc.12. — Apoc.5. — Apoc.20. — Rom.16. — Esa.35. — Cur nũc tantopere sæuiat Diabolus. — Apoc.12. — 2 Cor.7.]

mores. Videmus hæreticos in acie, audimus voces Turcarum in aëre, malorum Christianorum non est numerus; Principes nostri lenti ac tardi sunt ad se mouendum, populi sunt pauidi; Religiosi obmutuerunt, vt non accendant animos eorum ad prælium, non canunt tubis sacerdotalibus: mulieres pleræque factæ sunt aut indeuotæ, aut superstitiosæ. O ars, ó potentia Diaboli.

Cælo eiectus est Dæmon, vellet nihilominus dominari terræ & hominibus. Cedant Deo cæli & Angeli, inquit, mihi sit terra, mei sint homines. Apage Dæmon, apagesis, fuge fuge, inquit Christus, tam cælum, quàm terram desere. *Cælum mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum.* Ecquid tibi iuris in sede mea, & scabellum pedum meorum cur affectas? abi in Infernum, maledicte Satan. Christus non maledixit Adamo vel Euæ, sed maledixit soli Diabolo. *Maledictus es inter omnia animalia, & bestias terræ. Inimicitias ponam inter te & mulierem, inter semen tuum & semen mulieris.* Quæ autem hæc magna est Domina, tam inimica Dæmoni, nisi Beata Mater Maria, cuius nomen Diaboli longiùs fugiunt, quàm myrrhæ odorem vermes? Et quod est sanctum illius semen, nisi Iesus? *Nisi Dominus reliquisset nobis* sanctum hoc *semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus. Deo gratias, Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum Dominum nostrum.* Agnum immaculatum & candidum contra Draconem rufum.

Esa.66.

Deus soli Diabolo maledixit, & cur

Genes.3.

Esa.1.

1 Cor.15.

Domini mei, quotquot vnquam bella mouerunt, mouent, & mouebunt mali aduersus bonos, omnia fuerunt & sunt expeditiones & machinationes Dæmonis contra Iesum. Econtrariò, quotquot vnquam victorias boni a malis retulerunt, & referent in posterum, omnes fuerunt & sunt victoriæ Christi contra Dæmones. Nunquam Christo bellum fuit cum hominibus, qui mortuus est pro hominibus, φιλάνθρωπος, φιλανθρωπότατος: sed bellum illi semper est cum Dæmonibus, vt destruat peccatum & mortem. peccatum tāquam imaginem eius, mortem tanquam illius vmbram. Non vult vt signum aut vestigium

Christus nunquam bellū gessit cum hominibus.

 aliquod

aliquod Dæmonis in homine permaneat. Totum hominem occupauerat, toti homini dominabatur, voluit vt totum hominem perderet, tam in anima, quàm in corpore. In anima peccatum est, in corpore mors est. Christus voluit & peccatum & mortem simul destruere, animas omni ex parte sanctificare, ne possint vltrà peccare; atque eum in modum condire corpora, ne vnquam morerentur. O immensum erga homines amorem: O capitale odium aduersus Dæmonem.

Senectus mea, (ecce ad finem propero) quemadmodum semper mihi de te gratulor in cubiculo, ita nunc ob te doleo in pulpito: ideo quòd mihi deficiunt vires, quò minùs possum orationem absoluere, & altiori à principio referre, quomodo Iesus noster Luciferum eiecit, columnas cæli firmauit, alios, inquam, Angelos: quia cauda istius draconis tertiã stellarum partem è cælo in terram detraxit. Dicam tamen obiter. *Verbo Domini, verbo Domini,* quod est Iesus, *cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Hæc est illa mystica diuisio lucis à tenebris, cuius meminit Moyses; *Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus quòd esset bonum, & diuisit lucem à tenebris.* diuisit Angelos bonos à malis. Hi remansere Angeli & lux; isti tenebræ facti sunt, & Dæmones appellati. O quis hîc verbis assequi poterit, quanta fuit lætitia, quantum illud iubilum Angelorum electorum, quando viderunt se isto periculo defunctos, ab illo domestico & intestino bello liberatos, victoriaque aduersus crudeles istas belluas potitos, extra fumum & vndam positos? quando viderunt Satanam ex albo suo erasum, Satanam, inquam, tam superbum, vt voluerit se Deo æquiparare; tam seditiosum, vt omnes cælestes choros conturbauerit? quando viderunt Iesum, in quem eorum oculi semper sunt defixi, gloriosè de omni Dæmonum exercitu triumphantem, & fortè intellexerunt mysterium futuræ victoriæ, quam in plenitudine tẽporum, ad gloriam hominum, confratrum & cohæredum in Regno cælorum reportabit? *Vbi eras, vbi eras homo, cùm me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei?* inquit Christus. Stellæ istæ matutinæ, & filij

Psal. 32.
Genes. 1.
Iob 38.

filij isti Dei sunt Angeli sancti, qui omnes victori & triumphatori Christo Iesu applaudebant. Istud est iubilum quo exultabant, & hę laudes quas decantabant, nunc in choros diuisi, nunc omnes coniunctim, canentes; *Benedictio, claritas, sapientia, gratiarum actio, honor, virtus & fortitudo Deo nostro in secula seculorum. Amen.* Ecce Bitontum meum, omnes chordas pulsaui ad gloriam Domini nostri, ad illud miraculum de Dæmonis eiectione decantandum. Duo adhuc præcepta moralia subijciemus, deinde vos cum benedictione Dei dimittemus.

Angelorum gaudium in eiectione Diaboli.

Apoc. 7.

QVARTA PARS.



VLTIMAM hanc partem, Illustrissime Dux, volo totam esse ad instructionem populi mei Bitontini. Illustrissima Celsitudo Vestra tantummodo auscultet in fauorem populi, quæ (vt videtis) tot lætitiæ signa exhibet, eò quòd non dedignata sit venire ad exiguum hoc oppidulum, obsequio totius familiæ Vrsinæ (cuius tu nequaquam minimus es ramus) perpetuis temporibus obligatum, cohonestandum. Filij & filię meæ, vos ego appello. Intellexistis opinor totum mysterium Iesu Dæmonium eijcientis; quomodo illud tanquam vanum & vanissimum, amore sui prorsus ebrium, ab amore Dei se totum auertit. Nunc autem discite vlteriùs, quòd tanquā antiquus impostor (Serpentem antiquum vocat Scriptura) iam multò maiori philautiæ obnoxius est, quàm fuit vnquam antea. & dum existimat se & pulchritudine & bonitate parem Deo, in id semper incūbit, vt quemlibet virum & fœminam ad se alliciat, & in amorem sui pertrahat: vt eum Deo relicto sponsum sibi eligant. O impudentem & inuerecundam bestiam. Sed & quia videt irreconciliabile odium, quod est inter ipsum & Iesum nostrum, nulli rei maiorem dat operam, quàm vt Iesum è cordibus nostris euellat. Quid hîc facietis; in vestro arbitrio positum est, vtrius esse malueritis? Iesu, an Dæmonis. Fieri enim non potest, vt sitis vtriusque. Hi enim contrarij sunt isti Domini, quibus

Apostrophe ad Bitōtinos.

Apoc. 12.

Qum 14. de lange

bus simul seruire, & vtriusque gratiam demereri est impossibile: quemadmodum scriptum est; *Nemo potest duobus Dominis seruire.* Qui à parte Iesu stat, necessariò debet in omnibus & per omnia repudiare Diabolum. Qui autem vel in minimo adhæret Diabolo, certum est, hunc partem non habere cum Iesu. Testimonia huc in neutram partem proferã, sed sufficit tantùm meminisse, Iesum esse Regem vestrum, atque primarium Episcopum: *Iesus Nazarenus Rex. Accessimus ad pastorem & Episcopũ animarũ nostrarum.* Tanquam Rex Diabolum relegauit, tanquam Episcopus eum excommunicauit. Quomodo igitur in vtraque curia Ecclesiastica & seculari versabimini, quamdiu amicitiam colitis cum Dæmone, & cum illo negotiamini? Mementote in sacro Baptismate, cùm primùm in Ecclesia filij Christi Iesu estis regenerati, cùm sal vobis in os immissum est, vt soluta suo tempore lingua inciperet loqui verba condita & sapida, non insulsa; gratiosa, non odiosa; quēlibet vestrum interrogatum à Sacerdote non semel, sed ter; *Abrenuncias Satanæ? Abrenuncias pompis eius? Abrenuncias operibus eius?* & vicissim quemlibet vestrum per tutores vestros, quos Ecclesia susceptores appellat, ter in signum magni animi, deliberatæque voluntatis respondisse; *Abrenuncio, Abrenuncio, Abrenuncio.* Euge attendite & ponderate quid promisistis. Liberate fidem vestram, nisi & Deo & hominibus infideles haberi volueritis.

Matth. 6.

Iesus Rex & Episcopus noster.

Ioan. 19.

1 Pet. 2.

Cur sal in os infantis baptizandi immittatur.

Ceterùm quia me non latet, multos inueniri, qui non satis intelligunt, quid hæc tria verba; *Abrenuncio Satanæ; Abrenuncio pompis eius; Abrenuncio operibus eius*, significent, volo ea vobis tanquam Catechista vester explicare. Scitis quid sit, abrenunciare Diabolo? Est professionem facere nunquam vos velle amare illum, nunquam timere. Istos duos affectus vestros, viri & fœminæ, amorem scilicet atque timorem, sibi reseruat Deus. Ille enim noster pater est, & propterea debemus illum amare; ipse noster Dominus est, propterea debemus eum timere. Hinc est quòd in omnibus necessitatibus atque infirmitatibus, afflictionibusque nostris illum inuocamus corde, & ore precamur,

Quid sit abrenunciare Diabolo.

mur, vt dignetur nos adiuuare, certam habentes fiduciam, quòd ille ex mera sua gratia vult nobis dare omne bonum, & nos liberare ab omni malo, quia pater noster est: metuentes econtrariò nobis, ne fortè, si illum peccato aliquo ad iracũdiam prouocauerimus, nos tanquam amator iustitiæ puniat; est enim Dominus noster. Illud est abrenunciare Satanæ. Procùl à me sit velle aliquod bonum mediãte Diabolo: neque etiam metuo, quòd aliquid mali mihi poterit creare, etiãsi in me omnes simul Diaboli conspirarent. Pater & Dominus meus est Deus, nihil mihi negotij est cum Diabolo, ne vmbram quidem eius agnosco, nec vnquam illum inuocabo. Si mihi detur optio, malim omne malum à manibus Dei sustinere, quàm omne bonum à manibus Diaboli acceptare. Manus enim Dei nescit malefacere, nimis enim dulcis est & benigna: sanat cùm percutit, viuificat cùm occidit. Vre igitur Domine, seca, castiga, percute, occide si placeat. Quis enim dulcibus tuis plagis atque vulneribus non lubens vellet occumbere? A te verò, Diabole, si quod mihi bonum obueniat, dubius ero semper, metuens, ne sub specie illius boni magnum aliquod lateat malum: tu enim malorum fons es: nihil à te peto, non magis te cognosco, quàm si in mundo minimè esses. Scio quidem te instrumentum & flagellum esse Dei, quo me & alios peccãtes castigat: sed & hoc scio, quòd neque mihi, neque hominum cuiquam nocere potes, nisi Deus permisserit. Deus tibi certos fines constituit, quos non potes transilire, & frenum tibi in os iniecit, quo te regit ac moderatur. Deo meo me in omnibus & per omnia deuoueo. Tu quantum scis & potes tenta, afflige, excarnifica: nunquam ero tuus; protestor, Christi sum, & Christi ero semper; non viuus tantùm, sed & mortuus. *Vade Satan, Imperet in te Dominus, imperet Dominus in te Satan. Et sit nomen Domini benedictum.*

Apostrophe ad Deum.

Apostrophe ad Diabolũ.

Matth. 16.
Iudæ 10.
Psal. 112.

Atque hoc est abrenũciare Sathanæ. dicamus nunc quid sit abrenũciare operibus illius. Scitis quid id sit? est ab omni peccato abhorrere. Non habet alia opera Diabolus, nec aliud quicquam potest facere, quàm peccare, & alios ad peccandum impellere. Ad pompas eius

Quid sit abrenunciare operibus Satanæ.

Quid pompis eius abrenũciare.

eius veniamus, Sorores meæ. Non loquor de vestitu & habitu vestro, neque de fuco, totoque mundo muliebri: credo etenim, etsi non virtus, saltem necessitas vobis hac in re modum atque mensuram constituet. Alias pompas habet Dæmon, quę sunt maioris, quàm hæ, momenti. Illas, illas oportet iam iam hoc ipso quo loquor momento odisse, aspernari, detestari: necesse est vt eas relinquatis, abijciatis, nec patiamini, vt posthac inter vos nominentur. Huiusmodi sunt incantationes, sortilegia, veneficia, fascinationes, superstitiones vanæ, & curiosæ stellarũ obseruationes; stigmata certa in charta virgine, diuinationes ex ossibus mortuorum, inquisitiones herbarum sub terra, characteres, sola salutifera Cruce excepta. O quantas antiquis illis temporibus pompas sibi per huiusmodi phantasmata instituit, quantum authoritatis sibi huiusmodi nugis olim conciliauit, & nostra etiamnum ætate apud viros & fœminas insensatas sibi conciliat? Tempus est, tempus est, vt expiemini omnes ab his vanitatibus & impietatibus Diabolicis. Venite igitur ad Christum, venite ad Christum: ille est sponsus vester, dilectus vester. Non potuit profectò alius opponi Diabolo, Bitontini, nisi Christus. In vniuerso mundo tam sensibili, quàm intelligibili, non est nobilior creatura Diabolo. Quis igitur potuit illi æquiparari? Sed ô felices nos, quibus datus est Christus, qui omnis noster amor est, omnis noster thesaurus, volupras, honor, consolatio, & deliciæ nostræ. Christus est sensibilis, Christus est intelligibilis; Christus est Creator, habet & aliquid à creatura, quia & homo est, & Deus. Sed quia oculis ipsum mortalibus videre non potestis, saltem cum omni diligentia aspicite illius opera, quæ sunt virtus, sanctitas, humilitas, mansuetudo, castitas, sobrietas, patientia, charitas, benignitas. Sed & quàm magnificæ sunt pompæ Christi? comparate, comparate si placeat, per me licet, pompas cum pompis. Sacramenta quæ instituit, fidẽ quam docuit, miracula quę fecit, Ecclesiam quam fundauit, religionem quam propagauit, gloriam quam consecutus est, obedientiam quam obtinuit, *Vt in nomine Iesu omne genu flectatur*, &c. O quæ pompæ, qui apparatus,

Quales sint Diaboli pōpæ.

Quæ sint opera Christi, eiusque pōpæ.

Philip. 2.

ratus, quæ solennitates sunt istæ? Hæ sunt incantationes, Bitontini, quibus vsus est Christus vt mundum incantaret. Non legistis; *Et venefici incantantis sapienter?* Te quidem incantauit Christus, & sono illus oblectatus es: sed postea à Diabolo deceptus, incautè relapsus es. Reuertere, reuertere ad Christum. Prima incantatio fuit ad fontem, fontem inquam Baptismatis: secunda erit ad mare, ad amarum mare pœnitentiæ. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Nunc, nunc tempus est, Dæmonium, quod te à Christo abduxit, per confessionem eijciendi; peccata tua, propter quæ gratiam Dei perdidisti, deplorandi. Induisti Christum cùm nascebaris Deo; Spoliatus es, ô homo, indumento hoc, idque per malam viuendi cõsuetudinem. Reuertere, reuertere vt Christo rursum vestiaris, & Diaboli spolia contemne: sed ita contemne & abijce, ne ea aliquãdo rursus assumas. Non ignoratis quàm horribilis est sententia Euangelij, in eos, qui semel à Diabolo liberati, reuertuntur denuo, & se potestati Dæmonum secundò subijciunt. *CVm immundus spiritus exierit ab homine, assumit septem spiritus nequiores se, & ingreßi habitant ibi; & fiunt nouißima hominis illius peiora prioribus.*] O duram & amaram sententiam. Qui autem sint spiritus illi septem primi, non ignoratis: sunt septem peccata mortalia, septem Dæmonibus tanquam legionarijs illorum assignata: Superbia Lucifero; inuidia Belial; ira Labedoni; auaritia Mammonæ; gula Behemoth; acedia Leuiathan; luxuria Asmodæo. Vultis nunc vt dicam, quæ sunt septem peccata, & septem spiritus his peiores? sunt peccata & spiritus hypocritarum: Superbum esse, & humilitatem fingere; auarum esse, & fingere liberalitatem; iracundum esse, & velle haberi Iobum patientissimum; inuidum esse, & ipsam videri velle charitatem; libidinosum esse, & simulare castitatem; tardum esse ad omne opus bonum, & pro solicito & diligenti velle iudicari; gulę deditum, lurconem & ebriosum esse, semperque de ieiunio & abstinentia disputare. O sceleratam hypocrisin. O peccatum ante omnia detestabile, per quod Diabolus plus iuris ac imperij in hominibus consequitur, quàm per omnia

Psal. 57.

Exhortatio ad conuersionem.

Esa. 38.

Quid sint septem spiritus priores.

Hypocrisis peccatũ pessimum.

omnia alia vitia quantumuis magna & enormia Illud erat peccatum Pharisæorum, quos tam appositis parabolis atque similitudinibus Christus multoties increpauit. quos & filios Diaboli appellauit, vt scitis.

Ioan.8. *Vos ex patre Diabolo estis*: & alibi, *sepulchra dealbata, vites frondosas, lupos ouium pellibus indutos.* Tale fuit peccatum Iudæ, qui in vnctione Magdalenæ nescio quam finxit sanctitatem: fuitque hoc factum initium Diabolici in ipso imperij, aut ipsius (vt ita loquar)

Ioan.6. Diabolismi. *Vnus ex vobis Diabolus est. Vt quid perdi-*

Mat.14. *tio hæc? poterat vnguentum hoc venundari, & dari pauperibus.* Ioannes verò hanc eius hypocrisin pulchrè

Ioan.12. detegit, cùm addit; *Hoc autem dixit, non quia cura ei esset de pauperibus, sed quia fur erat, & loculos habens, quæ portabantur expectabat.* Fugite ergo hypocrisin, Bitontini mei, quia qui fit hypocrita, viam sternit Diabolo, vt & ipse fiat Diabolicus. Non est in toto mundo maior hypocrita Diabolo. An non videatis quomodo appareat in varijs formis & figuris, cùm tamen nec formam nec figuram habeat? Sed ô diuina bonitas, ne patiare, vt vnquam rursus appareat, nisi in forma tali, vt à quolibet nostrûm, cui vel mica salis inest, facilè possit agnosci: vt sciant homines, illi non habēdam esse fidem, vt qui non alio fine venit, quàm

Cur Diabolus tentaturus Adamū assumpserit formā serpentis. vt decipiat. Etenim quam causam subesse arbitramini, cur in principio mundi, cùm Adamum tentaret, formam potiùs serpentis, quàm alterius creaturæ assumpserit, nisi quia in arcano diuinæ sapientiæ concilio statutum id fuerat, vt videns Adamus hanc figuram tam deformem, immundam & exosam, animum aduocaret, fraudemque subesse suspicaretur, ab eiusque non tantùm consilio, sed & colloquio abhorreret? Quamuis libertas humani arbitrij maximo suo damno effecerit, quòd consiliū illud fuit irritum, & res contrarium præter omnem rationem sortita est euentum. Non audistis etiam nostris temporibus, & forsan idipsum in his nostris confinibus cernitur, vbi tanta est, vt mihi nuper relatum est, maleficorum vtriusque sexus copia: non audistis, inquam, Diabolum cùm aliquam istarum sagarum equis de loco in locum vult transportare, efficere, vt equitet in arundine,

dine, quæ lignum est & non lignum, arbor & non arbor: hoc est, vtitur obsequio alicuius rei vanæ, quæ multò præstantior apparet, quàm reuera est: potéstne enim aliquid vanius nominari arundine: *Arundinem vento agitatam*, inquit Scriptura. Non habent, filij mei, non habent res Dæmonum soliditatem, videntur esse, & non sunt: apparent, sed fallunt. Equus in quo videntur equitare, non est equus: tergum cui videntur insidere, non est tergum: motus, quo moueri vidētur, non est verus motus. Nūmi quos in loculos tuos immittit, (si tamen immittat) non sunt veri nummi. Discus ille argenteus, qui apparuit sancto Antonio Abbati in via, non fuit verum argentum, neutiquam, neutiquam. Illusiones Diabolicæ sunt, filij mei. Illudite igitur vos Diabolo, ne ab eo ipsi illudamini. nolite illi credere, non enim alium habet nocendi modum, nisi vt imponat vobis, fallat vos & decipiat. Hoc si feceritis, non tantùm à vobis eijcietis hunc spiritum immundum & malignum, sed intrabunt in animas vestras septem illi spiritus Christi Iesu, nobis ante omnia dilectissimi. Spiritus sapientiæ, qui vobis appetitū acuet, gustumque dabit rerum diuinarum. Spiritus intellectûs, qui accendet in vobis lumen earum rerum quæ fide apprehenduntur. Spiritus consilij, qui in omnibus actionibus vestris diriget vos in viam salutis. Spiritus sciētiæ, qui mentes vestras in quibusuis occurrentibus timidæ conscientiæ scrupulis serenabit. Spiritus fortitudinis, qui constantes vos & audaces in omni tentatione, etiam periculosissima, ad gloriam Dei & Christi efficiet. Spiritus pietatis, qui animas vestras vera sympathia erga pauperes commouebit. Spiritus timoris sancti, qui vos humiliabit, ne vobis ipsis nimiùm placentes, magna præsumatis, aut extollentes vos cum Lucifero, in ima decidatis. O beatos illos, qui his spiritibus afflati sunt.

Matth. 11.

Septem spiritus Dei qui sint.

Confortamini, confortamini viri & mulieres omnes. Multò enim potentius est bonum, quàm malum: multò potentior est spiritus bonus, quàm spiritus malignus. Vnicuique vestrum datus est Angelus bonus qui vos custodiat. Ciuitates & prouin-

Spiritus bonus potentior est spiritu malo.

ciæ ſuos habent Archangelos. Hęc noſtra Iapygia & Daunia magnum habet propugnatorem Michaelem *Quis vt Deus*? Per vniuerſum denique mundum excubant Angelorum exercitus. Quid dicam de Beata Virgine, inexpugnabili omnium hominum protectrice, qui puro corde inuocant nomen filij ſui Chriſti Ieſu, qui ſponſus eſt animarum humanarum, ſcutum noſtrum, gladius noſter, & omnium Dæmonum terror? Quem timetis? cur formidatis? Cogit hîc me pietas, animæ meæ, vt ad conſolationem veſtram arcanum quoddam myſterium proferam, magnū ſcilicet illum Deum, ad confuſionem vniuerſorum iſtorum maledictorum Spirituum, minimis, viliſſimis, abiectiſſimisque rebus quibuſdam eam vim atque energiam indidiſſe, vt per eas Dæmones eijciantur. Pœna eſt illorum ſuperbiæ, vt quemadmodum ſeſe Deo præferre voluerunt, ita nunc minimis Dei creaturis ſubijciantur. Conſiderate myſterium pulueris Ægyptiaci, vnde Moyſes prodigioſa ſua virga ranas, ciniphes & muſcas in exitium Ægyptiorum excitauit. Quid dicam de ſacro illo piſce, quem Raphaël tertius in cælo dignitate Angelus Tobiam iuſſit exenterare, & viſcera prunis ſuperimponere, quorum fumo Dæmonium expulſum in deſerta loca profugit. An non & quotidiana doceat experientia, abiectos quoſdam homunciones & ſimplices mulierculas ſolo ſigno Crucis Dęmonem propellere, vt inſtar nebulæ vento agitatæ diſpareat? Præterea quot Dæmones ſingulis penè diebus ad ſacra & reuerenda ſepulchra S. Viti, nobis tam vicini; S. Nicolai de Bario, magni illius Epiſcopi & Doctoris; Sancti Antonij de Padua, & Sancti Philippi in Sicilia eijciuntur? Sola memoria tot militum Chriſti, qui dum viuebant inſultabant Dæmoni, qui ad amuſſim impleuerunt illud Dauidicum; *Draco iste quem formaſti ad illudendum ei*; Antonios illos Abbates dico, Bernardos, Hieronymos, Franciſcos, qui abſque multo labore ſemper de Diabolis triumphârunt, raptique per ſpinas & ſepes illuſerunt illis, nec expectarunt, donec prouocarentur, ſed ipſi primùm Dæmones ad certamen prouocabant. Horum inquam, ſola memoria ſufficit nonnunquam, ad imbelles iſtas belluas profligandas.

Pſal. 103.

Age-

Diabolus nõ poteſt cogere

Agedũ, non poteſt vos cogere, non poteſt vos Dæmon cogere, non poteſt vobis liberum arbitriũ tollere: ſed nec animam poteſt ingredi, licet corpus occupare permiſſum ſit. Quid itaque magni in nobis poterit? Non auditis Deum; *Ecce quæ habet, in poteſtate tua ſunt: tantùm in eum ne extendas manum tuam?* Nos ipſi, Chriſtiani, Dæmonem potentem reddimus, eiuſque vires augemus, dum ad primum ictũ cadimus, & nos ipſos illi dedimus. Simus magnanimi & imperterriti, & aſſiſtente nobis diuina gratia Diaboli vires erunt quaſi nullæ, & ipſe quaſi luxatus eneruabitur. *Reſiſtite Diabolo, & fugiet à vobis.* Debilis eſt hoſtis, qui non vincit niſi volentem.

Iob.1.

Iacob.4.

Omnino mihi perſuadeo, Bitontini, omnes vos Dominica prima Quadrageſimæ ad exemplum Chriſti in carne mortificatos, & Dominica ſecunda renouatos in ſpiritu, cum illo quaſi tranſfiguratos eſſe. Hodie, Dominica tertia, neceſſe eſt, vt Eccleſiæ, quæ eſt ſponſa Chriſti, & mater veſtra, vtriuſque ſpecimen aliquod exhibeatis. Eccleſia non habet eũ pro Chriſtiano, qui non confitetur peccata ſua Sacerdoti. ſed talem inter Diabolicos numerat. Et ne vltra hunc diem confeſſionem ducatis, ecce proponitur vobis mutus, qui à Dæmonio liberatus loqui incipit. Incipite, incipite & vos hodie loqui. Primum verbum quod ex ore veſtro prodibit, ſit huiuſmodi; *Confiteor Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ Virgini* &c. *& tibi pater, quia peccaui nimis cogitatione* &c. Nunquid Scriptura dicit; *Iuſtus in principio ſermonis accuſator eſt ſui?* Ideo & Dominica ſequenti proponetur vobis magnũ illud conuiuium, quod Chriſtus tantæ multitudini præparauit. Hæc Dominica hortatur vos ad confeſſionem, quæ ſequitur inuitat vos ad ſanctam communionem. Non poteſt communicare, qui non eſt confeſſus: non eſt Chriſtianus, qui non communicat, eſt Antichriſtianus qui non confitetur. Ad confeſſionem, ad confeſſionem, Bitontini: confiteri namque eſt manum manui porrigere, vt ex peccatorum fouea extrahamini. Deus extendit manũ ſuam, apprehendite illam manu veſtra, ne ſitis negligentes aut otioſi: vigilate & adiuuate voſipſos; *Deus facientes adiuuat*, & è luto hoc vos expedietis.

Eccleſia non habet pro Chriſtiano, qui non confitetur.

Prou.18.

Dominica 3 Quadrag inuitat nos ad cõfeſſionem; 4 ad communionem.

Euangelium hoc vnius tantùm digiti mentionem facit; *SI in digito Dei eijcio Dæmonia.*] Sic Moyses; *Digitus Dei est hic.* Non audistis; *Qui appendit tribus digitis molem terræ?* Non legistis; *Videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum?* Et; *Quæ fecerunt manus eius, & quæ operati sunt digiti eius?* Omnes tres personæ in diuinitate digiti sunt: sunt enim manus vna, brachium vnum, corpus vnum. Omnis potentia Patris, omnis sapiētia Filij, omnis bonitas Spiritûs sancti adiuuat nos semper, vt à Diabolo liberemur: coadiuuate & ipsi vos totis viribus, tota sapientia, matura deliberatione, & efficaci voluntate vestra in id studete. Hi sunt digiti vestri, hæ vires, quæ omnes sunt necessariæ, si manum Diaboli effugere volueritis.

Exod.8. Esa.40. Psal.8. Esa.17. Tres personę in diuinitate vnus sunt digitus.

Vnum hoc documentū addam, deinde finem orationi imponā. Estote humiles, estote humiles, Christiani: quia Dominus non pepercit superbo illi Angelo, sed seuerissimè puniuit, sicut audiuistis. Quid faciet vobis? Ne sitis securi, nec securitatem vobis vnquam promittite, sed in timore semper viuite. *Beatus vir qui semper est pauidus. Quid superbis terra & cinis?* Non est superbia in diuite, Nobili, aut docto tolerabilior, quàm in paupere, ignorante vel plebeio; In doctissimo namque & nobilissimo illo Angelo, omniū bonorum naturaliū ditissimo, vitium hoc non tulit; an feret in vobis? An homo superbus non cupiat se Deo comparare, aut æquiparare? imò se Deo anteponit. Tu vis, & ego non volo. Tu non vis, & ego volo. Tu iubes, & ego non obedio; tu minaris, & ego non timeo. Tu percutis, & ego induror. Quid est superbire, nisi *superiùs ire?* Tu miser super Deum ire vis; Ecce superbia. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Humiliamini, humiliamini omnes, si gratiam Dei percipere volueritis. *O bone Iesu, hominum spes & salus, Dei gloria & splendor, Dæmonum pauor & iudex, da nobis vitæ humilis virtutes, vt nunquam cum barbaris & Dæmonibus indignationem tuam prouocemus elati, sed potiùs contra Dæmones & Turcas pietatis tuæ dona capiamus subiecti.* Hæc spes est Ecclesiæ sanctæ, Christiani. Iccirco hodie in introitu Missæ exclamat; *Oculi mei semper ad Dominum: quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos.*

Oportet Christianum esse humilem. Prou.28. Eccli 10. Iacob.4. Psal.24.

meos. Respice in me, & miserere mei. Finis concionis nostræ hic est. ite domum, & estote benedicti. *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.*

CONCIO DE IMITATIONE CHRISTI DOMINI NOSTRI,

Habita Tridenti, in Ecclesia Germanorum. Præsente toto sacro Concilio, & multis Protestantibus, feria quinta Dominicæ tertiæ Quadragesimæ, Anno M.D.LII.

IN EVANGELIVM ET EPISTOLAM DE FERIA.

SVrgens Iesus de Synagoga, introiuit in domum Simonis. Luc. 4.

BOnas facite vias vestras, & studia vestra. Hier. 7.

PROOEMIVM.



I infelices animæ nostræ non minùs affligantur & premantur peccatis, quàm corpora molestis febribus; mirum non est, humanam naturam post antiquum illum casum tam grauiter lapsam (natiuitas enim eius est immunda, vita peruersa, mors periculosa) tantopere auxilio & subsidio Christi indigere, vt incarnatione sua nostram purget natiuitatem; conuersatione sua nostram sanctificet

vitam; & morte sua nostram mortem destruat. Hæc cùm diligenter perpendo, rationi consentaneum arbitror, religiosissima vrbs Tridentina, vt nos omnes superata omni difficultate, quæ principium nostræ conuersionis, his sanctis Quadragesimalibus diebus diu multumque retardauit, nunc cum spontanea obedientia, non tantùm à Christo tanquam à Magistro, sed & per Christum, tanquam per exemplum & ideam, regulā, modumque bene pieque viuendi, & omne peccatum fugiendi, addiscamus. Neque alia profectò intentione, quàm vt excitet pigros, & accendat tepidos, nouo quodam miraculo hodie in Euangelio sanat D. Petri socrum, infirmantem; & in Epistola, in ipsa porta, per quam transit populus (ne quis occasionem habeat sese excusandi, quòd viam ducentem ad portas æternæ vitæ inuenire nequeat) prædicare Prophetam iubet; *BOnas facite vias vestras, & studia vestra.*] verba sanè quæ & incipientes, & proficientes, & perfectos pariter erudiunt, & ad omnes simul pertinent. Sed pro magnitudine huius argumenti vires meas sentio nimis debiles, & imbecilles. Quare tu, ô Beata Virgo, quæ cras mater Domini eris, ideoque & hodie & semper omnia apud filium potes, obsecra illum, vt mihi det spiritum & gratiam. Adiuuate & vos me, Auditores, vestris precibus, salutantes Virginem cum Archangelo Gabriele, & dicentes; *Aue Maria.*

A Christo habemus bene viuendi regulam.

Hier. 7.

Erat enim vigilia Annunciationis Mariæ, cùm concionem hanc habuit.

PRIMA PARS.



QVEMADMODVM nauta, qui lōgo tempore in portu substitit, de hora in horam iter suum protrahens, & differens, tædio subinde corripitur, eò quòd charissimam vxorem suam, teneros infantes, & dulcem patriam tanto tempore non vidit, nec adhuc eorum aspectu frui potest: expectat ventum secundum, & serenam tranquillitatem, vt à summis infidi maris periculis securus nauiget; his curis angitur: at postquam semel nauim portu eduxit, vela explicuit, oram soluit, remos in aquam demisit, & in altum peruenit, omnium oblitus,

litus, & maris miserijs intentus, in hoc cunctis cogitationibus incũbit, in hoc mens, corpus & sensus occupantur, quomodo salua naue fortunas & tempestates omnes superabit, ad desideratum portum feliciter quas vehit merces transportabit, vt ditescat, seu speratum quæstum faciat; Ad eundem modum Christianus, Auditores mei charissimi, qui in periculosa hac vita mille pelagis perturbatiori cum exigua corporis huius scapha nauigat, licet sub diuerso prætextu se remora retardari causetur, aut saltem retrograda carnis nostræ stella, iter sanctæ conuersionis salutaris pœnitentiæ sæpe deliberatum procrastinet, dicente nunc ambitioso; *Villam emi*; nunc luxurioso; *Vxorem duxi*; Luc.14.
nunc auaro; *Emi iuga boum*: tandem tamen suauissimo Spiritûs sancti Austro flante, quando generoso cum animo, filio Dei, & fratre Christi Iesu, digno, nauem littore mundanæ conuersationis deduxit, & mente in altum Christianæ perfectionis prouexit, omnia cogitationum suarum vela ab arbore illa triumphali, seu malo Crucis Christi, quæ nullum maris formidat periculum, suspendit, funibusque virtutum, remis sapientiæ, & clauo disciplinæ fretus, itineri sese committit: prouehitur semper vlteriùs, omnibus postpositis negotijs & cogitationibus terrenis; retro non respicit, sed oculos semper in cælum ad stellas, ad Deum, ad Sanctos attollens, quantum in se est nititur, vt seipsum superans, securam reddat suam nauigationem: spumosas enim carnalis voluptatis vndas vincendo; fluctus & procellas quæ vitia nobis innata concitant calcando; scopulos mundanarum difficultatum mappa diuinæ legis euitando; varias diabolicarum tentationum & aduersarum fortunarum procellas superando; conscientiæ sentinam per peccatorum confessionem sæpe exhauriendo; nauticam pixidem, & cursum huius vitæ infelicis velocissimum immotis oculis inspiciendo, ne derepentè & frustra elabatur; sanctas merces bonorũ operum, quæ in cælis mille modis opulentiùs cõpensabuntur, quàm hîc in terris æstimabantur, ab omni naufragio liberas in optatissimam æternæ vitæ stationem transportabit. O incredibilem gratiæ Dei per Christum in ani-

mabus nostris vim. Non animaduertitis, Domini, huius rei signum manifestissimum? Quàm magnum hoc est principium? quod pignus? quæ arrha in hac ciuitate nostra Tridétina? in media hac Quadragesima! Vnde enim oritur ista frequentia? ingens illud audiendi verbum Dei desiderium? nisi quia homines moti, imò commoti iam ora soluerunt, & nauim à littore deduxerunt, aures Sirenarum cantilenis obstruxerunt, & in altũ mare prouecti, amaritudinis peccatorum suorum pertæsi, donorum Dei dulcedinem gustare cœperunt, oculis præ sancta verecũdia in terram deiectis, tanquam attriti & dolore pleni, ad suaue iugum paternæ obedientiæ, quod more prodigi & dissoluti filij his Bacchanalijs abiecerãt, pedibúsque conculcarant, tandem resumendum reuertuntur. O felices & millies felices Tridentini mei; vos laudo, vobis benedico, vobis gratias ago, & mihi gratulor, quòd mundo renunciato, firmo, deliberatoque proposito dulcem Iesum nostrum posthac imitari decreuistis: & quomodo nomine, ita & re ipsa vrbs reconciliata esse desideratis, Deo vos conciliare, sanctimonia vitæ inclarescere, & exemplo vestro totam Italiam & Germaniam, imò totum terrarũ orbem ad pietatem vultis incitare: vt postpositis omnibus curis & cogitationibus, tantummodo in hoc negotietur, vt amorem & gratiam Christi Iesu lucrifaciat.

Signa gratiæ diuinæ in nostris cordibus.

Luc.14.

Mercator ille Euangelicus, quando pretiosam illam margaritam inuenerat, quam emere cupiebat, omnes alias merces suas, quas antea magno habebat in pretio, etiam minimo vendidit: neque potuit quiescere, priusquã illam sibi comparauerat. Ecce, ecce margarita hæc Christus Iesus est in secula benedictus. Vidistis vnquam pulchriorem, vidistis pretiosiorem? Cælum margaritarum pater est; ad lumen namque Lunæ generantur: humor roris materia seminalis earum esse perhibetur, & in conchis istis marinis clausæ tanquam in matrice formantur. O vera & vnica margarita Christus noster est. *Inauris aurea & margaritum fulgens*, inquit Scriptura. Non habet patrem in terris, tantùm habet in cælis: Deus pater eius est. Maria mater illius est, cuius in sacratissimum ventrem,

Christus vnica est margarita.

Prou.25.

non

non aliter atque in candidum illud vellus Gedeonis, vnà cum rore cælesti ante tot secula influxit, & tanquam in clausa concha, claustro virginitatis inuiolato permanente, conceptus & incarnatus est. Ad hanc margaritam, ad hanc margaritam animum adijcite mercatores. *Inuēta vna pretiosa margarita, abijt, & vendidit omnia quæ habebat, & emit eam.* Ah quādo erit dies ille, in quo videbo omnes homines, omnia abiecisse tanquam lutum & cœnum, vt Christum sibi comparent? Omnes Christiani sunt negotiatores, & non aliam ob causam Deus hic nobis vitā largitur, quàm vt negotiemur. Non venit vobis in mentē illud Euangelicum; *Negotiamini dum venio*? Et cur distribuit tot talenta inter homines, dans huic decem, illi quinque, tibi duo, mihi vnum: nisi vt vnusquisque negotietur? Agite igitur tempus est, vt omni alia negotiatione relicta, ad hunc solum Christum aspiremus. Vendite quæ habetis cimelia vestra, diuitias vestras, honores vestros & vestras voluptates, argentum quoque, vestes, imò vos ipsos vt Christum ematis. Vendite ipsi Christo. Christus enim mercator est, & Christus margarita est. Christus emit, Christus vendit. Sed non sicut alij mercatores, qui paruo emunt, & magno vendunt. emit enim tua infinito sanguinis sui pretio, & æternā cæli gloriam vendit tibi vilissimè. Non legistis, *Pro nihilo saluos facies illos*? O felicem nostram negotiationem, qui tam pauca exponimus, & tam multa lucramur. *Malum est, malū est, dicet omnis emptor, & cùm recesserit gloriabitur*; inquit Salomon. Quis, aut quæ nostrum est, qui non libenter cum hoc mercatore velit negotiari? Quis, aut quæ est, qui non cupiat amore huius Christi perfrui? qui non optet eum sequi? qui eius gratiam non petat promereri? Si hæc vita perpetua militia sit super terram, imò omni cruento prælio crudelior, cùm etiam mundo vix creato statim ortum sit bellum, inter serpentē & Euam, inter Euam & Adamum, inter Cainum & Abelem, ita vt nōdum inter Sapientes conueniat, vtrùm priùs fuerit pax, an bellum, lis aut amicitia; an verò cum concordi quadā discordia omnia simul fuerint coniuncta: si duo tantùm exercitus sunt in hoc bello, Tridentini mei, vnus

Matth. 13.

Omnes Christiani sunt negotiatores.

Luc. 19.

Christus & mercator & margarita est

Psal. 55.

Prou. 20.

Omnes cum Christo negotiari debemus.

Iob 7.

Vita nostra continuum bellum est.

Diaboli, alter Christi, à cuius partibus stabitis? quem ducem sequemini? Diabolúmne, an Christum? In bellis secularibus ab vtraque parte possumus abstinere, neutri, nec huic, nec illi Domino militare, cùm duo Principes inter sese belligerantur. Vnde primus ille Cæsar magnanimus dicere solebat; *Qui contra me non est, mecum est.* In hoc verò bello necessariò vel vnam vel alteram partem sequi debemus. *Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit,* inquit Christus. An non eris proditor, & indignus honorato isto equitis aut militis titulo, si à Christo defeceris? cui bis vitam tuam debes, semel donatam, & iterum redemptam? si te nec amor teneat illius, qui pro te factus est homo, nec timor constringat eius, qui Deus est, quo minùs transfugias ad Diabolum, capitalem eius inimicum? O infamem titulum, Miles Diabolicus. Omnes in sancto baptismate militiæ Christi nomen dedistis, signum Crucis illius in frõtibus vestris accepistis, & portatis: quæ ignominia itaque, quæ æterna erit & nunquam delenda infamia, si ab illo defectionem moliamini, & ad alium Principem transfugiatis? Quòd si honor Equitis te non moueat, ô homo, tanquam generosum, moueat te saltem, velut vtilitatis amatorem, infelix stipendium huius militiæ. Paulus, qui longo tempore sub scelerato & infido hoc Principe militauerat, pessimè tandem ab illo remuneratus, ait, Fugite, fugite Christiani Tyrannum hunc, qui vos ad macellum ducit, qui in malo vestro delectatur, qui in morte vestra viuit, qui animabus vestris pascitur, qui sanguinis vestri liquore inebriatur. *Quem fructum habuistis in peccatis vestris, in quibus nunc erubescitis? stipendia peccati mors.* Si vsque huc militastis ipsi, idque maximo vestro malo; erubescite, cautiores deinceps estote, reuertimini ad antiquum Dominum vestrum: ostendite maiorem solito fortitudinem, & ipse magis vos diliget, quàm solet antea. Nunc tempus belligerandi est, vsque huc in pace vixistis; dissimulauit Deus iniurias, quas toto hoc anno ab isto perduelli passus est, dissimulauit propter vos, qui eratis ipsius milites, vt parceret vobis pepercit illi. Nunc verò transacta hyeme, & appropinquante nouo vere, descendit in cam-

Luc. 11.

Omnes debemus militare Christo.

Infelix stipendium militiæ diabolicæ.

Rom. 6.

in campum, relinquit hyberna, congregat vndique milites suos, cogit exercitum, educit copias, vocat & reuocat vos ad solita stipendia; Venite. Sed quod præmium, quæ stipendia beata & gloriosa vobis, animæ mihi charissimæ, pollicetur? Cedant coronæ murales, castrenses, aureæ, laureæ, & triumphales. Alios triumphos, alios honores, alia lucra promittit vobis Christus. Moyses suis militibus lac & mel pollicebatur: Iosue palmas cum fructibus: Abraham spolia hostibus detracta ipsis distribuit: Achilles tripodes & mulos illis donauit. At Christus noster promittit se vos omnes Reges & Imperatores facturum. *Nolite timere pusillus grex, complacuit patri vestro vobis dare Regnum.* Non legistis quomodo iam inde à principio, cùm primò tanquam pauper & inops Centurio visus est, incepitque copias vndecunque cogere ad bellum gerendum, vt omnes intrepidi ad arma concurrerent, vt vitam suam cuiuis periculo exponerēt, & mortem amore sui adire non reformidarent; promiserit se illis paradisum daturum depopulandum, & portas ferreas à tempore Adami vsque in illum diem clausas perrumpendas; tantam vim illos in terris exercituros, vt mera violentia & amore vtilitatis caro nostra terrena contra naturam, aut saltem supra naturam, ascendat in cælum, vbi non solent habitare nisi spiritus & animæ? Hinc est quod dicit; *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Propterea quilibet homo viua spe tanti præmij illectus, omne aliud stipendium cōtemnebat, & impressa fronti Cruce currebat, orans eum, vt suæ militiæ adscriberetur. Non tantùm milites, sed & Philosophi, qui in pace viuere consuerant; oratores, qui populo verba, vocesque vendebāt; Poëtæ, qui se cum Musis die noctéque oblectabant; diuites, qui omnia quæ desiderari poterant, habebant: imò etiam imbelles fœminæ, quæ arma tractare non didicerant, cupidæ tanti præmij, quod nouus hic Princeps proponebat, armis contendere, lana & lino, fuso & acu abiectis, Musis repudiatis, libris contēptis, philosophia spreta, certatim magnis copijs currebāt, vt sub hoc signo militare possent. Non quærebatur in hac militia gradus, ordo, status, Chiliarcharum,

Inæstimabiles promissiones Christi.

Luc. 12.

Matth. 11.

Christum ab initio secuti quàm plurimi.

Centurionum, Quinquagenariorũ, & Tribunorum: sufficiebat illis si locum saltem haberent, certi quòd omnes æqualiter futuri essent beati, sine aliqua differentia; contenti erant omnes, etiam si essent nouissimi. Non cõtendebant quis in expeditione præcederet, quis sequeretur. Nemo in pugna primum locum recusabat: teneræ virgunculæ non rarò virili armatæ animo, magnos Heroas præcesserunt, eisque palmam è manibus præripuerunt. O felicem Capitaneum, ô ducem fortunatum, imò fortunatos omnes, qui locum in hac militia adepti sunt. O felicem Christi militem, & ô infelicissimum qui huic militiæ nomen non dedit. Tu quidem id tuo malo experiris, ô Synagoga Iudaica, sed cæca es, & propterea non vides. quia postquam tu à Iesu desciuisti, desciuit à te omne bonum: dereliquit te lumen, ô cæca; dereliquit te medicus, ô infirma; dereliquit te sponsus, vidua; auxilium tuum, ô misera; felicitas tua, infelix. Video & animaduerto, sanctissimi Patres, dolere vos, & ingemiscere, dum perditionem Iudææ commemoro, quia fundatores nostri Iudæi fuerunt: Patriarchæ nónne Iudæi? Prophetæ nónne Iudæi? Apostoli nónne Iudæi? Beata Virgo nónne Iudæa? quid multis? ipse Christus an non Iudæus fuerit? Sed temperate & mitigate dolorem vestrum, quia lapsus Iudæorum resurrectio fuit Ethnicorum: ruina Synagogæ salus fuit Ecclesiæ.

Felix est omnis Christi miles.

Iudæi fundatores Christianismi.

SVrgens Iesus de Synagoga, introiuit in domum Simonis.] Sequamur itaque illum & nos, imitemur illum & nos, ô Christiani: ne nobis irascatur: quia si non pepercerit Deus huius oliuæ tam pulchræ & fœcundæ radici, nec ramis quidem parcet oleastri, natura sterilis, sed per gratiam inserti, qui iam particeps factus est magnæ felicissimæ illius plantæ fœcunditatis. *Nolite confidere in verbis mendacij*, ait Propheta in Epistola hodierna, *dicentes; Templum Domini.*] Nolite confidere in eo quòd estis Christiani. Nolite dicere, Christiani sumus, sufficit: Deus repudiauit Synagogam, & elegit nos; nos templum suum fecit, tabernaculum eius & Ecclesia eius apud nos est. *BOnas facite vias vestras, & studia vestra.*] Bene facite, bonum facite: si enim malè vixeritis, non tantùm non proderit vobis quòd

Rom. 7.

Hier. 7.

Rom. 11.

Nihil prodest malis

quòd Christiani estis, sed etiam oberit. quantò enim nomē Christiani maiores eritis peccatores, tantò grauiora vos manent supplicia. Circuncisio non prodest Iudęo, nec Baptismus vobis, si postea peccaueritis. Non legistis apud D. Petrum; *Melius erat eis viam veritatis non agnoscere, quàm post agnitionem retrorsum abire ab eo, quod traditum est illis, sancto mandato.* 2 Pet. 2.

BOnas bonas facite vias vestras.] Omnibus, omnibus hæc loquitur Propheta. Incipiens, peccare desinat, & virtutem amplectatur: proficiens, quotidie crescat, & fiat melior: bonus enim non est, qui non cupit fieri melior. Qui in statu perfectionis stat, videat ne cadat: nemo enim de sua perseuerantia securus est. Dicimus aquam calefieri in principio, cùm igni applicatur: eodem modo dicimus calefieri, cùm tepescit, atque ebullire incipit: & calidam dicimus, cùm calorem contraxit, feruet & in ea qualitate seruatur. Sic & hominem bonum fieri dicimus cùm in principio est, cumque in medio, & cùm ad summum peruenit: si tamen in hac vita quis simpliciter ad summum perueniat. Agite nunc Christiani; *BOnas facite vias vestras, & studia vestra.*] Summa bene agēdi, est Christum imitari. Peccare namque non possumus, nisi aut faciendo quod ille non fecit; aut non faciendo quod ille fecit; aut fugiendo tribulationes quas ille semper amplexus est. Ad Christum, ad Christū igitur Christiani. Non videtis hodie ad solum Christi aduentū, dum iuxta lectum mulieris huius febricitantis tantummodo stat, febrim fugere, & mulieri pristinam esse redditam sanitatem? *STans super illam, imperauit febri, & dimisit eam.*] O ingens miraculum: imperat febri haud aliter, quàm si sensum habuisset; imperat vt discedat, & discessit. *Vocat quæ non sunt, tanquam sint.*

Diuersitas bonorū Christianorum.

Quæ bene agendi sit summa.

Luc. 4.

Rom. 4.

Ceterùm quid febris hæc nisi peccatum est, atque in fœmina potiùs quàm in viro? mulier namque originem suam magis traxit de carne, quàm de spiritu. caro autem mystica fœmina est in singulis hominibus, & spiritus vir est. *Masculum & fœminam creauit eos*, inquit Moyses. Quòd si vnquam visum est tempus, quo febris in mundo grassata est, tam in viris, quàm

Quid per febrim significetur.

Genes. 1.

quàm in fœminis, Christiani, certè nunc est. Cernitísne quis hac ætate nostra status sit Reipub. Christianæ? Quando quæso vitia sic ad summum peruenerunt gradum, sicut hoc seculo peruenisse cõspicimus? periit non solùm Christiana, sed & ciuilis fides. Non iam seruantur promissa, non pacta inter homines: non est veritas in verbis, non fidelitas in actionibus: deuotio & rerum sacrarum amor occidit, exterior Dei cultus iacet, & simul cum illo interior quoque refrixit: nemo miseretur inopum, nulla est filiorum erga parentes pietas, nec in vita nec in morte illis honorem delictum exhibent. Religiosi à laicis & verbis & factis contemnuntur: iustitia mundum dereliquit; si quæ sit residua, ea sæuit in pauperes, qui non habent quo debitum redimant: superbia in capite omnium est; luxuria in omni loco dominatur; auaritia in ipsis etiam residet Ecclesijs; blasphemię nõ puniũtur, odiũ omnium corda exacerbauit, mentes sunt obduratæ, hæreses dissimulantur, scandala non tolluntur, discordiæ fouentur, scelerati in honore sunt, boni opprimuntur: Deus, Christus, Beata Virgo, Sancti & Sanctæ negliguntur. Non iam credunt homines aut cælum, aut infernum, aut purgatorium, aut æternam vitam, aut Dei prouidentiã esse: viuunt vt Ethnici, moriuntur vt bestiæ. Hæccíne vis Deum dissimulare? ad tanta scelera Deum tacere vis? Non dissimulabit, non tacebit, nisi reuertamini, & dulcem Iesum, quem instar Iudæorum, & forsitan etiam fœdiùs, cùm tanta ignominia repulistis, denuo amplectamini.

Qui non habet Christũ, is febricitat.

Qui ergo Christum non habet, is febricitat, is febrim habet, & ad mortem properat: imò iam mortuus est, si vitam gratiæ respicias; si vitam naturæ, infirmus est: frigida febri timoris mũdani laborat, & æstuante febri concupiscentiæ carnis correptus est. Imitamini Christum, imitamini Christũ, si volueritis conualescere. Hodie ad mediam Quadragesimam peruenimus, Christiani: obseruate tempus. Christus sit terminus eius quod præterijt, sit & principium eius quod futurum est: & nec humor peccans, nec ipse peccati fomes in vobis dominabitur. Si hucusque peccaueritis, abstinete deinceps à peccatis, propter Christi amo-

amorem. Nihil hactenus boni egistis, vel iam tandem amore Christi incipite. Christus est cētrum animarū nostrarum: & tu Tridentum nunc mundi centrum factum es; ad te enim suspirat, & à te, propter hoc Cōcilium, totus dependet Christianismus. Tridētini, cauete nesitis eccentrici, sed concentrici: vnū cum Christo centrum efficite, cor vestrum illi affigite, ab illo ne discedite: sequimini illum, imitamini illum pro viribus, & beati eritis. Quiescamus paulisper, & præparate vos, vt sitis attenti ad hanc imitationem.

SECVNDA PARS.



IN omnibus sciētijs & artibus nequaquam infimum habet locū imitatio. Inuentio procul dubio prima & dignissima pars est, ideoque omniū etiam iudicio primum locum meretur. Ceterùm antiquis illis Patribus nostris exceptis, quos Deus nobis quasi semen dedit, pauci fuerunt natura tam felices, vt à seipsis sine alterius disciplina multa præclara & rara inuenire potuerint. Quapropter magnam etiam laudem merentur illi, qui non habentes inuentionem, norunt tamen vestigia, exempla & præcepta inuentorum imitari: imò quia natura etiam nouerca potiùs, quàm mater nostra, raró hanc ingenio nostro tribuere solet industriam, vt perfectam alicuius rei imitatione dignæ similitudinem per nosipsos assequi valeamus; omnis regula & ratio nostrarum actionum in eo consistit, vt ea quæ ab alijs, qui iudicio pollent, laudantur & approbantur, omni studio sub alterius disciplina in nobis ipsis exprimere & imitari discamus. Pueri qui litteras formare & pingere discūt, obseruant quomodo Magister calamum tenet, gyrat, dirigit, & litteras delineat: musici cantoris vocem obseruant, & tyro pictor exercitatioris penicillum: ad eundem modum agricolæ rationem inserendi, plantandique, quam vident oculis suis aliorum manibus fieri, notant. sed & compositores phrasin, stylum, ordinem eorum, qui aut ipsi fontes fuerunt, aut primi scientiarum diuinarum aut humanarum riuuli, diligenter

Artes & scientiæ plerunque discũtur imitatione.

genter considerant. Breuiter omnia omnium disciplinarum principia, ad certam ideam, certumque modū componuntur: ideoque necesse est exemplar sibi propositum habeant.

Ars benefaciendi est difficilis.

Quæ cùm ita sint, scientia bene faciendi, quam nobis hodie Propheta proponit, tantò ceteris difficiliorem, quantò minùs naturæ solius viribus eam possumus assequi; naturæ, dico, tam corruptæ, & deprauatę, (sicut quilibet nostrum in semetipso facilè experitur) vt & alię, non sine imitatione & exemplo addiscitur. Nescitis Ethnicos præter virtutes purgatiuas, politicas, & eas quæ sunt animi iam purgati, etiam ponere virtutes heroicas, & exēplares, licet in paucis, in quas aliorum oculi debent esse infixi, ad eas quantum in se est imitandas? Propterea prædicant sanctitatem Phocionis, seueritatem Bruti, constantiam Socratis, pudicitiam Lucretiæ, fidem Reguli, innocentiam Pythagoræ, patientiam Anaxarchi. Interim reuera nemo est inter illos, qui sincerum & perfectum bene agendi exemplum nobis præbere poterit: perfectissimi enim & immaculatissimi mille maculis, mille defectibus, non tantùm reprehensione, sed & punitione dignis fuerunt obnoxij. Porrò sicubi laudem merebantur, voluerunt potiùs videri admirabiles, vt singulares in seipsis haberētur, quàm alijs imitabiles. Hinc illi vultus constantes nunquam mutati, nunquam sibi dissimiles. Diuturna illa silentia, docēdi genus cum tanta authoritate, abstinentiæ illę magnæ. Christus noster, Auditores, qui solus sine peccato est, & qui vitam duxit communem, seseque ad imperfectum vestrum voluit accommodare, esurijt, sitijt, laborauit, afflictus est; dolores, tædia, pauores sustinuit; tempore mortis vultu palluit, conturbatus est, lachrymatus & lamentatus est: Christus inquam, solus fuit, & est, & semper erit exemplum omnium eorum, qui piè viuere, virtutem amplecti, & bene operari sibi proposuerunt. Vna virtus sine alia non est perfecta: & proinde nec exemplaris: solæ itaque virtutes Christi exemplares sunt, qui solus omnes virtutes inter se connexas habuit. Non legistis in Scripturis; *Apprehēdent septem mulieres virum vnum?* Exemplar nulli subiacere debet

Virtutes gentilium sunt imperfectæ.

Christus verū exemplū eorum qui volunt bonum facere.

Esa. 4.

debet correctioni: alioquin excusandi essent scribæ, qui scribentes apographum, ad imitationem autographi mali, malè transcribunt. Omnis homo, solo Christo excepto, laborat aliquo vitio, aliquem habet næuum, aliquem defectum. Solus dico Christus defectū aut maculam non habet: speciosus est corpore inter filios hominum, speciosus anima super Angelos. Solus itaque Christus nostra idea est, & nostrum exemplar: qui propterea, cùm inuisibilis esset, factus est visibilis; vt illum oculis vestris videre, manibus vestris contrectare, & operibus vestris imitari possitis. Quando Deus tantùm erat, erat quidem exemplum vestrum, sed tunc sequi & imitari Deum debuissetis. quem si imitati nō essetis, forsan excusari potuissetis: eum enim imitari, quem non videmus, licet actiones eius in creaturis conspiciantur, erat impossibile, aut valde difficile. intelligitis quid dicam? Factus itaque Deus est homo, spiritus caro, ex Verbo in mente, Verbum in charta, Verbum in voce: voluit scribi, voluit prædicari, voluit inter nos conuersari, nobiscum edere, bibere, viuere, & pro nobis mori. vt si illum non imitemur magis simus inexcusabiles. Ecce Spiritus sanctus, qui eum nobis imitandum proponit, qui donat eum nobis exemptum, aut (vt meliùs dicam) formam & exemplar; *Inspice & fac secundùm exemplar quod tibi in monte monstratum est.* Ecce ipsum Christū qui dicit; *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Et D. Paulus; *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*: & cum hoc profundissimo sensu; *Conformes fieri imagini filij eius.* Scio quidem vos nunquam imaginem Christi perfectè expressuros, sed & hoc scio, nullam imaginem reperiri in mundo tam formosam, vt non formosius sit prototypon, ad cuius similitudinē facta est. Id quod pictoribus & sculptoribus est imago vera & viua, è qua tanquam ex typo seu exemplari cælo in marmore, aut penicillo in tabula excipiunt figuram illam, quam aut sculpūt aut depingunt, idipsum idea est, & simulachrum mentale Deo; natura verò omnibus hominibus in omni re quam operantur. Ars itaque non poterit vnquam naturam plenè perfecteque assequi. Etsi optimè pinxit Apelles, aut

Solus Christus sine defectu est.

Quomodo inexcusabiles simus non imitantes Christū.

Exod. 25.

Ioan. 13.

1 Cor. 4. 11.

Rom. 8.

Idea pulchrior est ectypo.

Ars naturam nunquam assequitur.

aut Zeuxis, etsi optimè sculpsit Lysippus, aut Praxiteles: nunquam tamen aut spiritum, aut vitam, aut motum suis operibus dare potuerunt. Imitatur quidem ars naturam, sed non assequitur, vt æquiparetur, vel fiat æqualis. Fieri itaque necesse est, vt exemplar in mente fabricatum, quod est quasi modulus artificis, sine comparatione longè excedat, perfectiusque sit opere externo, quod oculis nostris ad illud expressum & figuratum cernitur. Quis negat multò plura concipere posse intellectum, quàm lingua potest effari? & linguam plura dicere, quàm homo potest facere? Habetis manifestissimum exemplum in Oratore Ciceronis, in Principe Xenophontis, in Republica Platonis. An vspiam inueniatur Respublica, Princeps, vel Orator, qui omnibus illis dotibus & perfectionibus præditus est, quæ in sapiētum illorum hominū mentibus finguntur, formanturque? Non inuenitur. Neq; tamen iccirco frustra laborârunt: mens enim eorum non est docere, qualis sit, aut esse possit perfectus Orator, bonus Princeps, quieta Respublica: sed tantùm monstrare, qualis debeat esse: cum opinione, vt quantò propiùs accedat quis ad hanc ideam, aut saltē quantò minùs longè aberret ab ea Orator, Princeps, aut Respub. tantò sit perfectior, tātoque perfectius exemplum ab hominibus in terris cēseatur. Et Deus ipse, qui condidit hanc tam pulchram mundi machinam, cum venusto hoc superficiei terræ pauimento, cum aureo illo cælorum tecto, cum pretiosis istis montiū columnis, cùm latis & perspicuis illis Lunæ, Solis & stellarū fenestris, putatísne quòd formosiorem habuit in mente sua diuina ideam, ea quæ foris cernitur, & ab eo producta videtur?

——— Pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similíque in imagine formans.

Hic mundus, qui videtur, creatus, ille creans est; hic transitorius, ille æternus; hic nec animatus est, nec viuit, ille ipsa vita est. *Quod factum est, in ipso vita erat.* Vt autem faciliora dicamus, & nostro instituto conuenientiora, Moyses monstrauit Iudæis diuini amoris ideam, cùm dixit illis; Deum amandum ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus. Non ignorauit

Idea diuini amoris, quā Moyses ostēdit Israelitis.

tamen

tamen hoc mandatum perfectè impleri non posse, nisi in cælo: sed vt illis calcaria adderet, eosque ad amandum Deum quàm ardentissimè possent, incitaret, hæc proposuit, præcepitque. Et Christus similiter quando dicit; *Estote perfecti, sicut pater vester cælestis perfectus est* non vult nos obligare ad culmen illud diuinæ perfectionis; sed docere vult illum scopum nostrum esse debere, vt cogitemus semper, nos non posse nimis esse perfectos: ideoque requiri vt quotidie progrediamur in perfectione, vt quàm proximè liceat ad diuinā perfectionem accedamus. Denique & D. Paulus Ecclesiam tam formosam, tam candidè lotam, ornatam, sine macula, sine ruga introducens, non aliud proponere voluit, quàm ideam quādam illius Ecclesiæ triumphantis, quæ est in cælo: vnde hæc descendit, quæ militat in terris, cùm satis superque cognitum sit, spatiosum hunc agrum nunquam esse sine zizaniis; ouile hoc nunquam sine lupis; rete hoc nunquam sine piscibus mortuis; domum hanc sine falsis fratribus. Deut. 6. Matth. 5. Ephes. 5. Ecclesia militans malos & bonos habet.

Sufficit itaque mihi hodie, vt intelligatis per Christum, quales esse debeatis, si ad bonitatis perfectionem adspiretis: debetis enim in tota vita vestra, & in exordio, & in progressu, & in consummatione, non dico esse pares, sed similes saltem & conformes exemplari, hoc est, Christo. *Vt occurramus in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, inquit B. Paulus. Intelligitis Auditores? Non loquitur hîc Apostolus Ephesiis in hac sublimi Epistola de ætate Christi corporali: non enim peruenit Christus ad terminum illum in hominum æstimatione tam felicem, nouies nouem annorum, sed ne ad metam quidem humanæ vitæ ordinariæ peruenit, imò fortè in medio illius mortuus est: non sexaginta, non quinquaginta, non quadraginta, sed triginta tres annos aut circiter natus: sed loquitur Paulus de ætate Christi mystica, de cursu vitæ illius sanctissimæ, culmine certè & mensura omnis perfectionis. Neque enim fuit, neque esse potest plenior & perfectior hac, etsi reperiatur longior, vt Nestoris aut Mathusalæ. Dicere voluit itaque Paulus; Siue breuis sit, siue longa vita nostra, quoad annos huius seculi, vnusquisque nostrum, siue sit incipiens, Ephes. 4. Quæ sit plenitudo ætatis Christi.

siue proficiens, siue perfectus (modò quis talis inueni-
atur) debet in omnibus & per omnia vitæ Christi in
operibus suis conformari : vt cùm dies magni illius
iudicij aduenerit, Deusque ectypum nostrum cum suo
typo, figuram nostrã cum sua imagine voluerit con-
ferre, non repudietur; sed laudetur & commendetur.
Qui conformis est Christo, quod satis est vixit, Chri-
stiani mei, etiamsi in ipso iuuentutis flore occidat,
quia breui temporis spatio totum cursum suum ab-
soluit. Qui Christo conformis non est, viuat quam-
diu velit, nimis citò morietur: frustra enim vixit
quamdiu vixit.

Ah animæ meę charissimæ, intelligentes nunc, qui
& quales esse debeatis, erubescitis scio, dum considera-
tis, quàm longè adhuc abestis ab illa idea, in quã ocu-
los semper dirigere necesse est : sed bono animo esto-
te, contendite in posterum quantum in vobis est, ne
tam dissimiles Christo sitis, quàm nunc estis. Incipi-
am à capite, & nummum hunc ab vtroque latere de-
pingam, attendite precor, & me patienter audite.

Dissimilitudo quæ est inter Christum & nos. Crastina luce, Auditores, Christus se humiliabit,
vt fiat homo fragilis, mortalis, passibilis, mille subie-
ctus miserijs, abiectus, vilis, seruus, *Formam serui acci-*
piens; & nos, & nos volumus esse æterni, mori nun-
Philip. 2. quam, nihil pati, semper dominari, nulli seruire, ab o-
mnibus seruiri. Quis nostrum est, qui in semetipso se
se humiliat? qui se nihil esse arbitratur? imò quis est,
qui cum alijs in communi viuens collegio, se ceteris
non præfert, se ceteris digniorem non æstimat? Di-
cam quod turpius est (si dicere liceat) quis nostrũ est,
qui non maioris facit honorem & dignitatem suam
quàm ipse Deus? Videtísne, verbum illud quod semel
Esa. 42. 48. de ore Dei processit, *Honorem meum alteri non dabo*,
ab omnibus hominibus in casu, vbi de honore agitur,
vsurpari, & sibi applicari haud aliter, quàm si ipsi Dij
essent? Non constat sibi homo, cùm ei vel minima ir-
rogatur iniuria: oportet ipsi cum vsura restituatur
honor: nolo, inquit offensus, vel apicem vnum ho-
nori meo detrahi. *Honorem meum alteri non dabo*. O
intolerabilem superbiam. Christus offensus est, tu re-
us offensionis: & ille se humiliat, venit in domum

tuam supplex & abiectus, veniam orat, in pacem tecum redire desiderat. Si hoc pudore te non afficiat, quid tandem afficiet? Christus factus est caro, hoc est, mollis, tener, tractabilis, mansuetus, mitis: & nos duri, superbi, elati, imperiosi, rigidi manemus & inexorabiles. Christus elegit sibi matrem virginem purã, immaculatam, castam vt columbam: & nos aut matrem aut nutricem nolumus nisi adulteram, prostitutam meretricem, nouorum dico magistrorum Synagogam, qui se volunt Ecclesiam nominari; de quibus B. Ioannes; *Dicunt se Ecclesiam esse, & sunt Synagoga Satanæ*: & reiicimus Ecclesiam sanctã, virginem simul & sponsam Dei, immaculatam, & sine errore. Christus noluit nasci de die, splendente sole, & mundo illucescente; sed de nocte cùm tenebræ obscurabant omnia: (ô nox beata, mille diebus clarior; *Nox illuminatio mea in delicijs meis*,) at nos noctem odimus, nemo in tenebris vult latitare, omnes volunt videre lumen, etiam lanio, sutor, & textor, quærunt omnes in his quæ fidei sunt, *cur, quare, & quomodo*? Natus est Christus non ætate perfecta, non corpore grandi; sed paruulus, multis annis Mariæ & Iosepho subditus. Quis est qui hodie maiorum suorum disciplinam recipit, eique volens subijcitur? vnusquisque noua cõminiscitur dogmata, quilibet vult esse magister, nemo discipulus: Non reperitur eius ætatis infans, cui lacte opus est, omnes præsumũt solidis se cibis idoneos. hoc est, profundissimorum Christianæ Religionis secretorum se capaces gloriantur. Ex hoc fonte dimanant noui illi Catones, omnium sanctorum Doctorum rigidissimi Censores; omnium Conciliorum vniuersalis Ecclesiæ, imò Dei ipsius Aristarchi. Christus in proprijs ædibus non est natus, sed in terra aliena, tanquam peregrinus & extraneus. Heu quòd nemo inueniatur inter nos, qui se peregrinum arbitratur in hac vita: trãsitus ex hac vita in cælum peregrinatio esse iudicatur: ideoque non nisi à paucis perpenditur: cogitatur solũ quomodo quàm diutissimè hîc, tanquam in charissima, dulcissimaque patria viuere liceat. Christus inter duo iumenta positus est in præsepio: Vos omnes iumentis similes eratis, propter peccatum; at iumen-

Apoc. 2.

Psal. 138.

Psal. 48.

tis inutilibus, vt equis & mulis. Efficiamini nunc iumenta Christi, iumenta sancta, humilia, simplicia,
Psal.72. & dicite; *Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Inuolutus est pannis lineis: Vbi, vbi nunc est innocentia per linum significata? Videtísne omnem hominem lunæ sordes contraxisse? hunc luxuria, illum auaritia, ambitio & auaritia omnes pariter coinquinauit. Angeli in natiuitate Christi tripudiant, canunt & festum diem agunt. Ah quando erit dies illa, in quà, ob vestram per veram pœnitentiam regenerationem, audiam illud gaudium, quod erit Angelis in
Luc.15. cælo, quo de Christus loquitur in Euangelio? Veniunt pastores ad hoc gaudium, vt Christum visitent: Quis vestrum hîc non mouebitur, si modò veri sitis Christiani? Venerunt pastores inopes, reliquerunt charos greges suos, qui errant in mille desertis, vt lætitiam excitent ob natum filiolum, ob nostrorum fratrum conuersionem. Videtis quoties hîc congregatur
Genes.25. Ecclesia, & tamen non oritur gaudium. Rachel quidē dolores partûs sentit, sed nondum parturit. Enititur Ecclesia, & quantum in se est, tanquam pia mater la-
Galat.4. borat, vt pariat, & dicit Germanis meis; *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.*
Apoc.12. Sed partum non potest edere. Non legistis; *Et clamabat parturiens, & cruciabatur vt pareret?* Hic est cruciatus Ecclesiæ sanctæ, Christiani, quæ nihil intermittit, nihil non facit, vt ouem ad ouile reducat, sed illa fugit: imò non fugit, non; sed in lupum transformata, furibunda in Pastorem dentes acuit, eumque persequitur. Vidistis vnquam ouem pastorem suum di-
Cant.1. laniare? *Filij matris meæ pugnauerūt aduersum me.* Heu, Domine, aspira quæso & adiuua vltimum hunc Ecclesiæ conatum, dirige illum ad salutem charæ mihi Germaniæ, nimis iam diu seductæ, fascinatæ, & sub prætextu Euangelij Christi incantatæ.

Luc.2. Circunciditur Christus in ætate sua tenera, octo dies iam natus. Quàm rari sunt, fratres mei, qui non dico in pueritia, sed ne in iuuentute, imò ne in virili ætate, in prauis suis affectibus, in vitijs, in animi perturbationibus circunciduntur? Quisque expectat senium, imò circuncisionem hanc in ipsum mortis tempus

pus differt, cùm decumbit, lecto hæret affixus, cum loquela illum destituit, cùm peccare diutius non potest, cùm te ô miser peccata deserunt, non tu peccata, non tu peccata. Præsentatur Christus in templo per manus Virginis cum summa reuerentia: & beata illa mater Dei non respuit benedictionem magni illius Sacerdotis Simeonis. O Tridentum, in Germania nostra, quę magna pars mundi est illius, in quo nomen Christi celebratur, quis quæso templorum nũc status est? quis sacerdotum? imò quo loco apud Germanos est ipsum Sacerdotium? cultus templi? honor Dei? euersa & exusta sunt templa, desolata sunt loca pia, prouētus ablati, direpta ornamenta, occisi Sacerdotes, exterminati Episcopi, nomen Pontificis seu Papæ, quo non solet magis esse venerandum, etiam in ore puerorum exsibilatur, & exploditur. Carole Quinte, à te solo, tanquam à nouo Cyro, mysticus populus Israëlis Ecclesiæ restitutionem expectat. Non est hoc opus alterius Principis terreni, tua solius Cæsar dignum est gloria: tu defensor es Catholicorũ, tu Hæreticorũ domitor.

Christus puer adhuc persecutionem sustinuit, & in Ægyptũ fugit, haud aliter, quàm si in illa tenera ætate sese defendere non potuerit. O Tridentũ, qui huc nondum peruenit, nondum cum incipientibus Christi scholam ingressus est. Necesse est, necesse est vt nonnunquam persecutioni cedamus, iræ locum demus; non omni hora resistere, non omnem iniuriam vindicare. Iudicate nunc, quotusquisque vestrũ hoc agit? Nondum Christianus esse cœpit, qui non cogitat sibi persecutiones esse in mundo sufferendas: neque ille, qui iniuriam iniuria vlciscitur. Christus crescebat ætate & sapientia. O miseros nos, qui cùm vnũ opus bonum fecimus, nobis videmur esse perfecti. Procedite, procedite Christiani. *Quæ retro sunt obliuiscens*, ait Paulus, *& in anteriora me extendens*. Ceterùm non debemus crescere, sicut solet phantasma, quod crescere videtur, & ad cælum aliquando pertingere: cùm tamen nihil nisi quædam sit apparentia. ecce hypocritæ, qui non rarò videntur hominibus sancti, interim in oculis Dei sunt abominabiles. *Iesus autem proficiebat* primò *apud Deum*, deinde *apud homines*. Deseruit

Qui nondum Christiani esse cœperunt.

Philip. 3.

Luc. 2.

patrem (putatitium) & matrem, & inuentus eſt in Templo, inter Doctores, de rebus diuinis diſputans: quis eſt, quis eſt, qui vt ſeruiat Deo tam animoſus eſt, non dico vt matrem, non vt patrem, ſed vt concubinam, amicum, ſeruum velit derelinquere? Eſt hoc
Matth. 18. Chriſtiani? *Si pes, ſi manus, ſi oculus te ſcandalizauerit,* inquit Chriſtus, *erue eum, abſcinde, & proijce abs te,* ne Deum offendas. & nos tam infirmi & puſillanimes ſumus, vt minimam peccandi occaſionem vitare nolimus, ne peccemus? Chriſtus ad Iordanem venit, &
Matth. 3. à Ioanne baptizatus eſt: quis autem, aut quæ inter nos eſt, qui in myſtico Iordane è duobus fontibus Ior & Dan profluente, hoc eſt, ad ſacratiſſimam confeſſionem vocalem pœnitentiæ, quæ à pœnitente & cõfeſſore dependet, accedit, vt per abſolutionem Sacerdotis à peccatis ſuis expietur? Chriſtus quadraginta di-
Matth. 4. ebus & noctibus ieiunauit, atque ita tres aſſultus tentationum Diabolicarum ſuperauit. Non miror profectò Chriſtiani, quòd Diabolus ſemper victor à vobis redeat, non tertia vice, ſed prima de vobis triumphãs: quia Chriſti arma non habetis, continentiam ſcilicet, abſtinentiam, & ieiunium. Quò nunc Tridentum deuotio ieiunãdi & Quadrageſimam Catholico more obſeruãdi: Quãdo Chriſtus vnquam vixit niſi pauperrimè? at Chriſtiani volunt lautis frui dapibus, vina bibere pretioſa, omnia habere q̃ delicatiſſima; adeò vt etiam cùm ieiunãdum ſit manifeſtiſſima gulæ ingluuies, vnà cum ambitione maxima deprehendatur.

Et quæſitorum terra pelagoque ciborum
Ambitioſa fames, & lautæ gloria menſæ.

Transfiguratus eſt Chriſtus, & gloriam ſuam in
Matth. 17. Mar. 9. monte manifeſtauit. Nos transfiguramur quidẽ quotidie, ſed ex filijs Dei, filij Diaboli, ex cæleſtibus terreni, ex ſanctis peccatores efficimur: & in humilitate noſtrarum miſeriarum oſtendimus, quàm indigni ſimus hac gloria, vt Chriſtiani, hoc eſt, fratres Chriſti & cohæredes cæli nominemur & ſimus. Chriſtus publicè concionabatur, & quamuis legem ſuam docebat,
Ioan. 7. nihilominus dicebat; *Mea doctrina nõ eſt mea.* At Concionatores noſtri, capitis ſui ſomnia concionantur, doctrinas tradunt nouas, à Scriptura & à ſenſu Eccle-

ſiæ ſanctæ alienas. O miſera Germania non deueniſſes in hoc barathrum, ſi præſcripſiſſes, aut ſaltē adhuc præſcriberes tuis Concionatoribus, vt in prædicando Christum imitarentur. Faciebat Christus opera ſtupenda, quibus doctrinam ſuam corroborauit. Ah Domini mei, dolendum ſanè eſt, quòd nos ipſos ſemper defendimus illis verbis, quibus Christus Phariſæos, non Apoſtolos ſanctos excuſauit: *Quæcunque dixerint vobis ſeruate & facite; ſecundùm verò opera eorum nolite facere.* Non ſufficit vt Concionatores Chriſti dicant tantùm; ſed neceſſe eſt vt faciant: nō verba tantùm, ſed & opera requiruntur. *Cœpit Ieſus facere, & poſtea docere: potens in opere* priùs, & poſtea *in ſermone*, inquit Lucas. Bona vita, boniqꝫ mores ſunt opera illa magna, & ſtupēda illa miracula, de quibus Christus forte loquebatur, cùm dicebat; *Et maiora horum faciet.* Per bona opera ſua non minùs, quàm per efficacia verba Apoſtoli mundum ad Christum conuerterūt; per eadem, per eadem quoque Iudæus, Turca & Hæreticus conuertetur, ſi nos priùs intus, deinde foris reformemur. Propter doctrinam hanc, & propter opera hæc admiranda, Synagoga & Principes populi Chriſtum odiſſe cœperunt: adeò, vt eum tādem in crucem rapuerint. O vos beatos Domini (quorū ſtatus ſtatus perfectionis eſt, vt omne imperfectum perfectum faciatis) cùm ad hunc terminum perueneritis, vt digni odio, perſecutione & morte pro Chriſto toleranda efficiamini. *Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis.* Fortè iam gaudium noſtrum incepit, quis ſcit: videtisne manifeſtos hoſtes foris, intus verò falſos fratres? *Foris pugnæ, intus timores.* Ingreſſus eſt Christus Hieroſolymas tanta cum pompa palmarum Dominica; tamen non deſijt miſerrimę ciuitatis ruinam deflere. Ecquis hodie aut vir aut fœmina reperitur, qui calamitatem maximam, in qua nunc eſt infelix Eccleſia, deplorat? exiguus honor priuatus, exiguum cōmodum facit, vt publicarū ærumnarum obliuiſcamur. Quot præterea reperiuntur paſſim ſanniones impij, qui rident & irrident commune malum Reipublicæ Christianæ? *Sed qui habitat in cælis irridebit eos.* Patres Sanctiſſimi, vos, vos ſaniores eſto-

Matth.23.
Prædicatores non tantùm verbis, ſed & factis docere debent.
Act.1.
Luc.24.
Ioan.14.
Matth.5.
2 Cor.7.
Pſal.2.

te: vos saltem vosipsos indignos iudicate, qui ad altare Domini accedatis. *Inter vestibulum & altare* cum
Ioel. 2. suspirijs orate; *Parce Domine; parce populo tuo.* Qui non videt hanc ruinam, talpa cæcior est; qui videt & non plorat, cor habet lapideum, non carneum. Christus in
Matth. 21. templo vendētes & ementes inuenit, qui Domini domum in latronum speluncam verterunt, factoque flagello ex duris funibus, tanquam furore percitus, eos templo exturbauit. Quid faciunt Germani mei? templa, altaria, Sacramēta cum horribili desolatione prostituerunt: adeò, vt non immeritò dici possit, hanc
Dan. 9. Matth. 24. desolationem præludiū esse illius Antichristi, de qua in Daniele, & in Matthæo scriptum est. Sed huic tantùm coronæ loqui malo. Iniuria Dei, Domini mei, & templorum irreuerentia, heu, quantoperè creuerunt! Simon emit, Giezi vendit, Ozias ambit. Nolite, nolite tantos abusus diutius in Ecclesia ferre. Est quædam misericordia esse crudelem; & est quædam crudelitas
Ex abusibus nascuntur hæreses. esse misericordē. Tollite pestem hanc, quamdiu enim morbus iste regnabit in Ecclesia, tamdiu crescent & nascentur hæreses: ex abusibus namque nascuntur hæreses; in abusibus crescunt. Auferre abusus, & extinguentur hæreses.

Ioan. 13. Humilitas & charitas Christi. Christus lauit Apostolorum omnium, etiam Iudæ traditoris pedes. O quæ humilitas, ô quæ charitas. Docet nos hîc Christus primò fratris nostri ferre imperfectionem: deinde non satis esse, vt quis humilis sit & beneuolus amicis, sed & necesse esse ita tractare inimicos, vt eos nobis reddamus amicos. O durissima corda, ô corda nostra plus quàm adamantina: quàm longè absunt ab illa teneritudine, & charitate Christi Iesu? Captus est Christus, flagellatus est, & pro salute nostra occisus est. Quis nostrum pro salute fratris sui, non dico vitam aut honorem, sed vel minimum nummum velit exponere? Non possum tamen non maximopere gaudere vobiscum Pastores sancti, qui ad imitationem Christi, Pastorum Principis, in congregatione vestra Archangelis, qui vobis semper assistunt, plena, non tantùm opes & honores, sed propriam vitam impendere statuistis, vt oues errantes, quas lupus rapax aliorum negligentia sustulit, saluentur,

tur, & ex belluarum dentibus eruantur. Christus pro crucifigentibus se Deum orauit: orate & vos Patres, non dico pro vestris tantùm persecutoribus, sed pro persecutoribus quoque Christi. *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Hæc est oratio Domine, qua hi ministri tui sancti te deprecantur. Pater ignosce Germaniæ, quia boni & fideles ad te suspirant sine intermissione: alij capti sunt quasi columbæ, & nesciunt quid faciunt. Christus moriens animam suam Deo Patri comendauit. Viuamus & nos sic omnes, vt morientes securè animas nostras Deo commendare possimus. *Sed quis est hic, & laudabimus eum?* Militibus vestimēta sua reliquit, & latroni paradisum donauit. Hæc est vera liberalitas, quæ Christianis conuenit, omnia erogare, nihil sibi reseruare: animam Deo reddere, corpusque terræ, & fortunas cui vult relinquere. Sed rarissima est nunc inter Christianos hæc liberalitas. Christus non tantùm mortuus, sed & sepultus est, vt doceret vos, peccatis esse moriendum, nec moriendum solummodo, sed & sepeliēdum, ita vt nunquam denuo ad peccandū reuertamini. Ideo semel tantùm mortuus est, vt ait Apostolus. *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur.* O summum dedecus, ô ignominiam non ferendam: vix aliquis peccata sua confessus est, & statim eo ipso die ad blasphemias, ad crapulam, ad omnem vanitatem reuertitur. vix mulier absolutionem impetrauit, & confestim ad pompas, ad amores, ad lasciuiam redit. *Canis reuersus ad vomitum, & sus lota in volutabro luti.* Quicquid Christus & viuus & mortuus fecit, & passus est, id omne fecit & passus est ad gloriam solius Dei, & nostram salutem. Hæc omnium virtutum Christi summa est, hæc admiranda eius opera, hæc facta eius heroica. Sed vela contrahamus, & materiam nostram hîc concludamus.

Luc.23.

Eccli 31.

Vera Christiana liberalitas.

Rom.6.

2 Pet.2.

Maximam hanc, Auditores, in hoc Ecclesiæ choro vocum dissonantiam, quæ est miseriarum nostrarum fastigium, vnde originem traxisse arbitramini? malam dico humorum in mystico Christi corpore temperiem, pestiferam illam febrim, quæ tādem adducit, nisi Christus pietate motus veniat, & stet supra eam,

Vnde tanta in fide nata sit dissensio.

ſicuti in domo Simonis fecit, hoc eſt, niſi ſuperet noſtras miſerias cum ſua miſericordia, & cum bonitate ſua noſtras vincat iniquitates; Vnde exiſtimatis natas iſtas diſcordias in rebus fidei, inteſtinas rupturas iſtas, iſta ſchiſmata, quæ durant vſque in diem præſentem? niſi ex eo, quòd oculos noſtros neq; in Deum, neque in animarum ſalutem; ſed in ambitionem, in auaritiam, in vanam gloriam, in contentionem plerique coniecerunt? ex eo quòd cedere nunquam, vincere ſemper voluerũt? quod φιλαρχίαν & φιλονεικίαν (vt verbis vtar Gregorij Nazianzeni) ſibi propoſuerunt? Proteſtantes audite quæſo; oro vos omnes, quod olim Paulus Philippenſes orauit. *Si qua conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatiũ charitatis, ſi qua ſocietas ſpiritus, ſi qua viſcera miſerationis: implete gaudium meum, vt idem ſapiatis, eandem charitatem habentes, vnanimes, idipſum ſentientes. Nihil per contentionem, nec per inanem gloriam.* In his duobus verbis veſtra poſita eſt medicina. *Nihil per cõtentionem, nec per inanem gloriam.* Introibit Chriſtus in vos, ſicut domum Simonis ingreſſus eſt. Si volueritis vos humiliare, & veritati cedere, ad eius ingreſſum fugiet mors, veniet vita; cedet febris, redibit ſanitas, atque hoc modo vocum erit conſonantia: humores temperabuntur, & futurum eſt, vt cum gloria nominis veſtri Eccleſia priſtino ſtatui ſuo reſtituatur. Quieſcamus pauxillum, deinde magnifica quędam de domo Simonis ad cõmunem vtilitatem adferamus.

Philip. 2.

TERTIA PARS.



INTROIVIT in domum Simonis.] Quòd ſi neceſſarium ſit omni ad bonitatem & pietatẽ aſpiranti, vt Chriſtum ſequatur, eiuſque veſtigijs inſiſtat, oportet, vt quò Chriſtus ingreſſus eſt, eò & ipſe ingrediatur. Cùm Chriſtus itaque in domum Simonis introiuerit, qui extra domũ hanc eſt, pertinaciterque introire negat, certus ſit, quòd nunquã ad bonitatem perueniet. O quàm pulchra hîc myſteria producere, & quàm longè poſſem digredi, niſi ad telæ meæ filum ſi-

Non poteſt eſſe bonus, qui cum Chriſto nõ ingreditur in domũ Simonis.

lum finiendũ oculos dirigerem. Simon hic B.Petrus est: scitis enim Christum, cùm primò illũ alloqueretur, dixisse; *Tu es Simõ filius Ionæ, tu vocaberis Cephas: quod interpretatur Petrus.* Qui itaque non est in domo Petri, aut qui cùm foris sit, non contendit vt ingrediatur, hic non est cum Christo: lõgè est à Christo: fieri potest vt Christianus sit nomine, sed non est Christianus merito. Meministísne in Luca duas stetisse naues ad littus maris Galileę; Christum verò non in aliam, quàm in Petri nauim descendere voluisse? *Vidit Iesus duas naues. Ascendit autem in vnam nauem, quæ erat Simonis.* Et quod plus est, voluit vt gentes, quæ in altera naui erant, in hanc Petri nauim, in qua ipse erat, transirent: atque ita hæc in altum ducitur, alia manet in littore. Vt manifestè intelligant omnes, Christũ odisse diuisiones & schismata: iccirco vnam tantùm habet Ecclesiam electam, & præ ceteris dilectam, hoc est, Ecclesiam Romanam, Diuo Petro fundatam & dedicatam. Erant olim duæ Ecclesiæ, Hebræorum vna, altera Gentilium. Christus tanquam lapis angularis, qui duos parietes connectit, eas Ecclesias coniunxit. *Duos populos condens in vnum,* inquit D.Paulus. Imò prisca illa Christianismi ætate, post tempora Martyrum, postquã Imperatores iam Christo fauere, & in eum credere cœperunt, erant quasi quinque Ecclesiæ: in summo namque honore & pretio erant quinque Patriarchæ, vt scitis. Tandem tamen necesse erat, vt impleretur oraculum Esaiæ: *Erunt quinque ciuitates iurantes per Dominum Deum exercituum. Veruntamen ciuitas Solis vocabitur vna.* Paulatim itaque alię quatuor defecerunt, & sola Romana remansit, tanquam matrix, mater & magistra Christianæ Religionis: ita vt qui extra hanc Ecclesiam, extra hanc fortunatam Petri domum viuit, cælestium gratiarum Christi particeps esse, beneficiumque salutis minimè possit obtinere.

Ioan.1. Luc.5. Romana Ecclesia diligitur à Christo. Ephes.2. Esa.9. Qui nõ est in Ecclesia Romana, nõ potest esse particeps Christ gratiæ.

Germania mea, nolo dicere, verba mea nihil profutura, fructum nullũ allatura: nam si hoc mihi persuasum esset, parcerem linguæ meæ, nec frustra verba facerem. Oriens in quo olim omnes scientiæ, omnesque artes floruerunt, qui tanto tempore caput fuit Religionis,

ligionis, simul & Imperij, postquam domo Petri exiuit, & se domum constituere voluit, heu quantas in calamitates incidit; ruit, & in manus Barbarorum incidit. Nolo hîc miserãdam Græciæ ruinam amplificare, ne Sacro huic Concilio, quod inconsolabiliter iacturam, quam quotidie sanctissima hæc domus facit, deplorat, materiam doloris exaggerem, doloremque dolori, & afflictionem afflictioni addam. Sed sufficit obiter attigisse, vt tibi sit exemplũ. Vereor enim ne & tibi Germania simile quid tandem eueniat, & quidem tantò peiùs, quantò fides Ecclesiæ Græcæ prior fuit Latina. Nos enim filij Græcorũ sumus, quoad fidem Christianam; sed tu Germania mea filia Romana es: non ab alijs, sed à sola Roma & fides tua, & Imperium tuum, & omnis tua magnificentia dependet: ita vt nesciam quomodo hæc in Petrum ingratitudo ante oculos Dei diu possit absque graui flagello obuersari. Quàm vellem, Tridentini, me hodie in meditullio esse Germaniæ: sed postquam hîc sum in portis illius (non enim Tridentum solum, sed Ecclesia Tridenti cõgregata particularis Germaniæ porta est) videns tot Germanos omni hora hàc transeuntes, venientes & abeũtes, habensque optimam occasionem, quam mihi Epistola suppeditat; *STa in porta & prædica verbum:*] sperare prorsus volo, auram verba mea in mediam Germaniam allaturam.

Omnis excellẽtia Germaniæ ab Ecclesia Romana dependet.

Hier. 7.

Nõ est sub Sole natio, quæ magis domo Petri, eiusque defensioni obligata est, quàm Germania. Nolo ego iam distinguere populos Germaniæ, omnes istius plagæ Septentrionalis habitatores [Germanos voco, etiam Francos & Anglos. Omnes enim hi ex magna illa Germania, tãquam ex equo Troiano prodierunt. Omnes itaque Germani isti, vt verum loquar, idque apertè & manifestè: (hoc enim innuere videtur Propheta cùm dicit, *PRædica verbum in porta,*] hoc est, apertè; non simulãdo aut dissimulando; non auribus seruiendo, sed candidè, sincerè, perspicuè) Omnes illi Germani, dico, à quo doctrinam & institutionem Christianam acceperunt, nisi à Se de Romana? Eleutherius certè Pontifex in Angliam misit Fugatium & Damianum, qui primi Anglorum Apostoli fuerunt, quique

Germania quomodo Ecclesiæ Rom. obligata.

Primi Apostoli Germaniæ, & à quibus missi.

quique primum illorũ Regem Lucium conuerterunt, eum cum tota insula baptizantes. Postea misit illis sanctum illum Germanum, verè Germanum, candidum, sincerum, pium, qui illos ab infinitis erroribus ad Ecclesiæ Romanæ fidem doctrinamque reuocauit. In Scotiam misit Palladium, qui ibidem tanto cum fructu Euangelium prædicauit. Nicolaus Papa in Bulgariam misit Paulum & formosum. Clemens primus in Franciam misit Dionysium Areopagitam, Pauli Apostoli discipulum. In hanc nostram Germaniam, cuius nomine nunc ploramus & suspiramus, cui propriè gloriosus ille titulus Germanicus debetur, S. Petrus ab Alpibus ad Rheni ripas Sanctos Maternum, Eucharium & Valerium ablegauit, inuictos Euãgelij Christi Antesignanos. Conon siue Cuno Papa Chilianum misit in Germaniam, qui tot ciuitates, atque inter alias quoque Herbipolim Christo reconciliauit. Gregorius tertius deinde Bonifacium, Burchardum, VVilibaldum misit: & Papa Zacharias cùm intellexisset maximos fructus quos D. Bonifacius triginta sex annis prędicando fecisset, adeò vt iam totam Thuringiam & Sueuiam vsque in Frisiam, vbi martyrio coronatus est, ad veritatis agnitionem perduxerat, ardens & ille concionandi & nominis Christi propagandi desiderio, ad preces illius elegit Archiepiscopalem sedem Coloniæ Vbiorum, quam Agrippinam vocant. At Leo deinde Tertius, petente id Carolo Magno, quem ille Imperatorem coronauerat, Saxoniam nimis saxeam & duram, Heluetiamque ad Christi fidem conuertit. Quid? Suetia & Gothia amplissimæ Septentrionis regiones, an non sub Ludoico Pio, Caroli Magni filio, opera eiusdem Leonis Tertij ab Ansgario seu Anschario (vt quidam scribũt) Abbate Corbeiensi Christi Euangelium receperunt? cumque à puritate fidei ad veterem idololatriã essent relapsæ, nónne industria Sigfridi Eboracensium Archiepiscopi restitutæ & confirmatæ sunt? Alexander Tertius misitne tandem Roma Archiepiscopo Vpsaliensi duplicem crucem †, in cuius virtute Dæmones, à quibus infelix ille populus in erroribus suis detinebatur, eijceret? Et vos Tridentini vnde hũc Diuum vestrum tutela-

Polyd. Virg. lib. 2. hist. Anglic.

Alij Gregorium secundum ponunt Anno 716.

tutelarem, hunc tam celebrem Patronum vestrum S. Vigilium, qui semper vigilauit, & adhuc pro salute vestra diligentissime vigilat, vnde, inquam, accepistis, nisi à Sede Romana? nónne fide Romanus fuit & sanguine?

Germania habet Imperium ab Ecclesia Rom.

Sed ne historiam texere vobis videar, testor vos Germani, dicite mihi, vnde Maiestatem Imperij accepistis? cui illam acceptam fertis, per quam nomen vestrum tantopere inclaruit, & propter quam omnes vobis nationes inuident, nónne à Romana Ecclesia, idque sub Gregorio Quinto? Certè armorum vi non comparastis, alijs nationibus virtute bellica non ademistis: sed Roma vobis donauit. Negare non potestis. Vultis igitur Germanicæ vestrę nobilitati, in qua tantopere gloriamini, hanc ingratitudinis notam inurere? vultis eam hac æterna macula aspergere, quam totius Oceani aqua non abluet, vt contra domum Petri, contra Ecclesiam Romanam, cui nolitis velitis semper deuincti estis, conspiret, eique pessima quæque machinetur? Quantum ad me, nunquã vt id credam induci potero. Non vosipsos tantùm, sed omnem totius mũdi nobilitatem cõtaminabitis: quia nec Francia, nec Italia, nec Hispania aliud suæ nobilitatis principium, aut aliud familiarũ suarum semen agnoscit, præter solam Germaniam. Magnus ille Pipinus, vnde suam ducit originem Christianissima Regum Franciæ domus, fuitne Germanus? Regia Hispanorum familia, quæ in Libyam vsque imperium suum hoc nostro seculo extendit, an non primum progenitorem suum agnoscat Richardum Visigothum Germanum? Antiquarum nostrarum in Italia familiarũ nobiles, vt sunt Ordelafi, Collalti, Turriani, Varriani, Malatesti, Mãfredi, Galassi, Montefeltri, Viscõti, Gonzaghi, Pichi, Pij, nónne Germano creti sunt sanguine? Fons perennis & Oceanus nobilitatis est Germania, quæ splendore suo illustrat, abundantia sua inundat, & gloria sua totã Europam nobilitat. Nescitis magnum illum Imperatorem Tiberium, cùm filium ex vxore sua suscitauerat, inquirentem & deliberantem quod nomen illustre, gloriosum, & tali filio dignum illi imponeret, quo cùm adolesceret ad expeditiones magnas

Nobiles familiæ in Hispan. Francia & Italia suã à Germanis ducunt originem.

gnas & gloriosas excitaretur, non inuenisse inclytum magis, quàm nomen Germanici? Sed & quot postea fuerunt Imperatores ambitiosi & gloriæ cupidi, qui cum proprio nomine saltem cognomine Germanici appellari voluerunt: vt qui non ignorabant nobilitatem Germanicam multis parasangis celebriorem, præstantioremque semper fuisse Aphricana & Asiatica. Iccirco ne dubitare quidem volo, quin sui memor, etiam à magno illo Carolo, splendore splendoris sui, ducta, ad domum Petri, ad Ecclesiam Romanam, reuertetur, illam agnoscet, adorabit, proteget, vt iam antea sæpissimè fecit: opes, vitam, filios, Imperium ipsum, & omnia quæ habebat, pro salute Ecclesiæ Catholicæ periculo exponens, & veluti murum & antemurale hostibus obijciens. Moriar licet si modò hoc videro: beatum enim me iudicarem. Proposueram ne latum culmen à materia nostra digredi, & ecce nimiùm digressus sum, ignoscite mihi. Ich lieb die Teutsche Nation/dañ sie ist Einfaltig/Redlich/Nit Schalckhafftig/nit Betruglich. Summa deuotio qua prosequor domum Petri, & summum desideriũ quo flagro erga Germanicæ nationis salutem, cuius ruinam videre me videor, nisi breui reuertatur, & sanctum hunc senem agnoscat, me, quò non decreueram, rapuerunt. Ad aliud mysterium magis generale venio, attendite.

INtroiuit in domum Simonis.] Simon, Christiani, obedientem significat. *Melior est obedientia quàm victimæ.* qui collum suum obedientiæ iugo non subijcit, pacem cum Christo non potest habere. Velle viuere suo modo, sine fręno, sine lege, sine superiore, idque sub prætextu Christianę libertatis, singulis horis præfectis suis, siue Ecclesiasticis, siue secularibus obstrepere, Christo minimè placet. Ideo fugit huiusmodi homines. Scitis autem quò vadit? ad quos se recipit? quibus suam impertitur gratiam? *INtroiuit in domum Simonis.*] Simon, Christiani, significat obedientem. Ne Medicus quidem accedit ad infirmum, nisi suis præceptis obediat: iudicat eum phreneticum, derelinquit eum, curare non vult, pro mortuo habet, si eius monita audire non velit. Obedire necesse est, obedire necesse est. Terrenus Adam sua inobedientia mundum

Quid Simon significet.
1 Reg. 15.
Obedientiæ necessitas.

Obedientia signum est filiorum Adæ.

dum vniuersum perdidit: cælestis Adam sua obedientia rursum restituit. an non illud argumentum sit Diui Pauli? Rebellare itaque, & non obedire, mos est filiorum Adę, non fratrum Christi: qui vult esse Christi, discat obedire. Non pugnant inter se, Docti, obedientia & libertas Christiana: imò non potest esse liber libertate Christiana, nisi priùs obedientiam Dei, & sanctæ matris Ecclesiæ, quinetiam secularis potestatis, amplectatur. Intellexit hoc Ethnicus, qui dixit; *Ideo legum serui sumus, vt liberi esse valeamus.*

Quid sit libertas Christiana.

Scitis, Auditores, quid sit libertas Christiana, quæ nostrô hoc æuo tam malè exponitur, & hominibus tanto cum animarum periculo inculcatur? vnde tot oriuntur tumultus, tot pullulant seditiones, tum contra Religionem, tum contra Imperium ipsum, quæ duo sunt quasi axes & poli mundi, qui si aut ambo, aut saltem alter eorum (vnus enim alium post se trahit) loco dimoueatur, necessariò ruunt omnia, quæ in mundo sunt? Quid ergo libertas hæc sit, dicam breuiter. Est nobilissima & felicissima conditio statûs, toti humano generi per mortem Christi oblata, qua tamen non gaudēt neque fruuntur, nisi ij soli, in quos Christi beneficium deriuatur, id est, homines Christiani, non tantùm nomine, sed re & meritis ipsis: quę conditio, & qui status in eo consistit, quòd quemadmodum sine Christo captiui erant peccati, mortis & Diaboli, sic nunc per Christum liberi sunt, aut, vt veriùs dicam, liberati. Christus namque propriè solus liber est, & liberator: nemo autem præter illum (vt dicit Leo Papa) liber est verè & propriè, sed liberatus. *Qua libertate Christus nos liberauit*, inquit S. Paulus. Vnde vox illa *libertus* nata est, qua in priori epistola ad Corinthios, capite septimo Paulus vtitur. Quis autem finis est huius liberationis? *Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi in sanctitate & iustitia, coram ipso omnibus diebus nostris.* Iccirco & Paulus quemadmodum dicit; *Lex spiritûs vitæ, quæ est in Christo, liberauit nos à lege peccati & mortis*: Ita etiam dixit; *Liberati à peccato, serui facti estis iustitiæ: & sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc* &c. Sed notandum

Gal. 4.

Luc. 1.

Rom. 8.

Rom. 6.

hîc eſt neceſſariò, quòd quantumuis verus Chriſtianus liber ſit à ſeruitute peccati, & à vinculis mortis, tanquam reuera factus ex iræ filio filius gratiæ & benedictionis, frater Chriſti, & cohæres æternæ vitæ: non tamen iccirco plenè liberatus eſt, vt non regnet etiam in eo fomes peccati, qui quaſi ab antiquo peccato natus, peccatorumque nouorum origo & ſeminarium non ſemel à D. Paulo peccatum appellatur: neq; ſimiliter liberatus eſt à morte animæ, ita vt iam non poſſit denuo mori, quomodo denuo poteſt peccare: quia peccatum ſpiritualis mors eſt. Quātum verò ad mortem corporis, nullo inde pacto liberatus eſt: inuiolabilis enim diuinæ ordinationis neceſſitas eſt, vt homo moriatur, ſiue iuſtus ſit, ſiue iniuſtus. *Statutum eſt hominibus ſemel mori.* Verum quidem eſt, Chriſtiano mortem aut pœnam non eſſe, aut multò leuiorem, quàm fuerat antea, ſemperque fuiſſet, ſi Chriſtus non veniſſet: & hoc ſenſu poteſt homo dici liberatus, adeò vt ſanctus Paulus dicat Chriſtum mori voluiſſe, vt etiam nos à timore mortis liberaret. *Vt per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, & liberaret eos qui per omnem vitam timore mortis erant obnoxij ſeruituti.* Intelligitis hæc? Ex his omnibus liquet, non adeſſe rationem, ob quam tantoperè poſſimus de libertate noſtra gloriari, quantoperè noſti gloriantur Neoterici. Maior enim erat abſque dubio libertas Adami ante peccatum, quàm nunc eſt Chriſtiani etiam perfecti. Quantum enim ad corpus, Adamo non erat moriendi neceſſitas: quantum ad animam, non habebat fomitem alicuius peccati intrinſecum. Nos communiter vtrique ſumus obnoxij. Quare omnis homo, quantumuis perfectus ſit Chriſtianus, mille ſubiacet miſerijs & neceſſitatibus, à quibus omnibus Adamus liber erat & immunis. Omittamus ea quæ ſunt corporis, quæ animę ſunt tantùm conſideremus. Opus etiamnum eſt homini inſtructione, correctione, admonitione, legibus, imperio, præceptis, conſilijs, poteſtate & dominio cui pareat. Omnia enim hæc illi ſunt inſtar fręni, quo coërcetur, ne exorbitet, ne peccet, dum in membris ſuis habeat (vt diximus) quem Adamus non habebat, peccati fomitem: cui reſiſtere

Quomodo intelligēdum hominem liberatū à vinculo peccati & mortis.

Heb. 9.

Heb. 2.

Libertas Adami maior quàm quę eſt ſub Euangelio.

sistere quanti laboris, quantæque difficultatis sit, Diuus Paulus, omnium nostrûm personam induens, in semetipso demonstrat; & quilibet etiam iustus in se quotidie experitur.

In quo libertas Christiana non consistat.

Sed expectare vos video, vt audiatis in quo libertas hæc Christiana seu Euangelica consistat. Age igitur hoc explicemus. Primò non consistit in eo, quòd potes absque vlla difficultate omne genus peccati committere: est enim ea libertas naturalis arbitrij nostri communis Turcis, Iudæis, & omnibus hominibus alijs. Omnis enim homo per se facere potest peccata, quæcunque vult. Hæc est libertas naturalis, indigna Christianæ libertatis nomine. Secundò, neque in eo consistit, quòd potes omne bonum operari sine difficultate, si tu solus opereris: imò ne quidem vnũ opus bonum facere potes, sine difficultate, si tibi soli faciendum sit. Scis quid Paulus dixerit; *Video aliam legem repugnantem legi mentis meæ. Caro concupiscit aduersus spiritum: & spiritus* &c. *Non quod bonũ volo, hoc ago* &c. Ideoque Apostolus non hanc militantem Hierosolymam, sed illam triumphantem libertatis titulo condecorauit. *Quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra.* Tertiò non consistit in eo, quòd Christianus præter solum Decalogum nulli est alteri rei obligatus. Omnis enim status, omnis gradus, omnis vocatio (vt Paulino vtamur vocabulo) suas habet speciales obligationes: neque officijs suis deesse possunt absque peccato. *Væ mihi*, dicit Paulus, *si non euangelizauero.* erat enim concionator. Maritus, *non habet potestatem sui corporis, sed vxor.* Vxor, *non habet potestatem sui corporis, sed vir.* Quartò non consistit libertas Christiana in eo, vt liceat homini in vna vocatione existenti indifferenter ad aliam transilire, cuicunque alteri sese immiscere, falcemque suam in alienã (quod aiunt) absque peccato messem mittere: Dicit enim S. Paulus, mulierem post promissionem, aut votum continentiæ etiam vidualis Deo factũ, damnationem incurrere, si nubat. *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerũt.* Quintò non consistit in eo, quòd credendo tantummodo in Christum liber sis ab omni timore diuinæ iustitiæ; adeò vt peccata tua, quot & quan-

Rom.7.
Gal.5.
Gal.4.
1 Cor 9.
1 Cor.7.
1 Tim.5.

quanta ea sint, incredulitate tantùm excepta, nunquā tibi sint imputanda, hoc est, vt nulla eorū sit apud Deū ratio: Paulus enim manifestissimè contrarium docet: *Vos in libertatem vocati estis; tantùm ne libertatem in occasionem detis carnis.* Et pòstquam opera carnis enumerasset, concludit; *Qui talia agunt, Regnum Dei non possidebunt.* Quocirca pòst hortatur; *Cum timore & tremore salutem vestrā operamini.* Denique libertas hæc in eo posita non est, quòd neque Ecclesiastica, neque Secularis potestas peccantem te, & enormia scelera perpetrantem punire possit, quodque tibi licitum sit illis aduersari, rebellem te illis præbere, ne puniaris; sed dicas; Seruus Dei sum, nolo subiectus esse humanæ potestati. Paulus enim perspicuè satis hunc tuum errorem arguit, cùm dicit: *Si malè feceris, time. Dei enim minister est, nec sine causa gladium portat.* Licentia est hæc vestra, Auditores, non libertas.

Gal.5.

Philip.2.

Rom.13.

Vis itaque dicam, in quo consistat hæc nostra libertas Euangelica siue Christiana? In hoc solo, quòd habentes gratiam Dei, & charitatem illius, si simus veri Christiani, & non nomine tenus, quia Deus nos amat, & nos illum, cum gratia illius per Christum vincere possumus omnia impedimenta, quę nos à bono abstrahunt, & expedire nos ab omnibus occasionibus, quæ ad malum pelliciunt. Libertas itaque hæc nostra fundata est in charitate & gratia Christi. Hinc est vt quantò magis homo quotidie crescat in gratia & charitate, tantò magis soluatur à laqueis peccatorum, & à mortis vinculis. atque hoc modo quotidie fit liberior, fit enim magis ad bonū omne faciendum malumque fugiendum promptus & expeditus; minùs verò secularibus & mundanis rebus implicatur, minùs à carne retardatur: ideoque calidior & feruentior efficitur ad seruiendum Deo, & in eius seruitio perseuerandum. Atque hæc est vera libertas, omnibus Regnis & Imperijs gloriosior. O vos beati Anachoretæ, vos Monachi & Virgines Deo consecrati, qui procul ab hominum turba, procul à mundo, mundique negotijs remoti, ab omnibus laqueis soluti, & ab insidijs quas nobis struunt Dæmones magis quàm nos securi, in societate Angelorum gustatis, quàm dulcis est &

In quo consistat libertas Christiana.

Vera libertas Christiana.

chara seruitus Dei, omni profectò liberrima libertate liberior. Quis itaque tam perfrictæ frontis erit in posterum, Auditores, vt dicere audeat, diuitias mundi contemnere, omnibus renuntiate, mente & corpore cum gratia Dei virginitatem conseruare, voluntariè propter amorem Dei in monasterio includi, in eremo viuere, & continua pœnitētia carnem refrenare, cum libertate Christiana pugnare? Quis non potiùs dicet hæc eam adiuuare, & diutius conseruare, dum quis sese abstrahit à carnis huius delicijs, à malorum hominum consortio, à mundo, ab omnibus tricis & impedimentis, quæ à seruitio Dei, in quo (vt diximus) chara hæc nostra libertas consistit, reuocant atque deterrent?

Obedire superioribus, nō repugnat Christianę libertati.

Hæc si vera sint, (vera autem esse nemo negare potest) manifestum etiam & indubitatum est, obedire superioribus, potestatique Ecclesiasticæ atque ciuili subijci, nullo modo libertati nostræ contrariari. hæc enim obedientia, hæc obligatio, hæc subiectio non tantùm non obest, sed plurimum etiam prodest, omni in Christiana libertate viuere cupienti. humilitas enim timore legis illum deprimit, & cum reuerentia erga Dominum suum mortificat eum, & refrenat, neque patitur vt insolescat. O quantò facilior est & expeditor via salutis subditis, quàm Dominis! Quamobrem nullus vnquam inuentus est animus pius, qui non sponte sua maluit obedire, quàm imperare; subesse quàm præesse. Quî fiet itaque vt debitum obedientiæ tollat Christianam libertatem, si ad æternam salutem, quæ non confertur, nisi liberis, nos adiuuet? Scitis quibus hæc superiorum obedientia Christianæ libertati contraria videatur? Rebellibus, seditiosis hominibus, rerum nouarum & in Rebuspub. mutationum cupidis: qui ex agnata sibi superbia & ambitione non ferunt se superiores, qui interim reuera sunt vilissimi, infelicissimi, & miserrimi omniū qui sunt in mundo serui, contemptissimaque mancipia. Serui sunt suorum affectuum, passionum, animorumque perturbationum, à quibus, tanquam à crudelissimis tyrannis reguntur, & tanquam à furijs infernalibus agitantur. An non quotidiana hoc verum esse nobis teste-

Via salutis facilior est subditis quā superioribus.

testetur experientia? Hac de causa Petrus & Paulus, primi Euangelicæ libertatis præcones, toties, & tanto cum feruore nobis obedientiam superiorum Ecclesiasticorum & ciuilium commendant. *Obedite præpositis vestris.* *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita esto.* *Serui subditi estote in omni timore dominis, non solùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis.* *Reddite omnibus debitum, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal.* *Subditi estote non tãtùm propter iram, sed & propter conscientiam.* Mutua est inter Dominos & subditos Christianos obligatio. Dominorum est, laudabiliter regere: subditorum est, voluntariè, fideliterque obedire. Sed beati clientes illi sunt, saltem quoad Deum, si Dominis officium suum malè facientibus, & aut negligenter nimis, aut nimis seuerè imperantibus, ipsi suo muneri non desint; sed propter amorem Dei debitam illis præstant obedientiam. In eo namque meritum illis non exiguum repositum est. Testatur hoc S. Petrus; *Hæc est gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniustè.* *Quæ enim est gratia, si propter peccatum colaphizati suffertis? sed si bene facientes patienter sustinetis, hæc est gratia.* Hem quò me vertam? Non videtis, Auditores, quàm exigua, imò penè nulla sit clientum erga Dominos obedientia? ideo perit Dominorum quoque in subditos amor & beneuolentia. Atque hinc nascuntur simultates, odia intestina, factiones occultæ & manifestæ, quæ in publicas seditiones, tumultus & bella perpetua tandem erumpunt. Nolo hîc laudare Dominos, (non enim hic locus est laudandi, sed reprehendendi) sed dico illud esse intolerabile, & inexcusabile, quòd populus hac misera ætate nostra tam insolens factus est, vt nullos ferat superiores, sine freno velit viuere, Dominũ nolit agnoscere, obedientiæ, legumque iugum in omnibus, & per omnia capitaliter oderit. Hęc est illa scintilla, quæ tantum incendium excitauit: quod quãdo extinguetur, nouit Omnipotens. Huius inobedientiæ fructus fuerunt turbæ rusticorum, & popularium in Nobiles, quarum tu meminisse potes Tridentum, seditiones; tantæ hominum cædes, Anabaptistarum coniurationes, tot exercituum sanguis miserè profusus. Huius

Heb. 13.
Rom. 13.
1 Pet. 2.
Rom. 13.

Mutua obligatio inter subditos & Dominos.

1 Pet. 2.

Obedientia inter subditos sublata est.

Fructus inobedientiæ.

inobediẽtiæ fructus ſunt etiamnum maximæ diſcordiæ, quæ partim naſcuntur in Chriſtianiſmo, partim creſcunt: tumultus & ſummorum Principum bella, quæ cum magna voluptate paſcunt Turcarum Imperatoris oculos, qui quaſi in pace poſſidens, & gubernans totum Orientem, cui penè ſolus dominatur, ſperat ſe, non ſua virtute aut fortitudine, ſed per noſtras diſcordias manibus & vnguibus illis rapaciſſimis, quibus quod ſemel corripit, nunquam relinquit aut extorqueri ſibi patitur, in exiguam illam quæ reſtat illi Occidentis partem, breui inuolaturum, & occupaturum eſſe.

Fortitudo Germanorũ. O Germani, vos quondam ſoli cum inuicta illa & inuincibili concordia ſuperbiam huius Tyranni refrænaſtis; dici vix poteſt, quantoperè Germanorum fortitudini Chriſtianiſmus vniuerſus priſcis temporibus fuerit obligatus. Quam vnquam victoriam de hoſtibus ſuis reportarunt Chriſtiani, ſine Germanorum militum ſubſidio? imò quam non adepti ſunt Germanorũ auxilio? At nunc per diſcordias veſtras, ex inobedientia tam erga Religionem, quàm Imperium natas, Orientis Tyranno portas vltro recluditis & aperitis. Quis noſtrum ignorat in omni magno exercitu fortitudinem ſemper & victoriam Germanicæ nationi attributam? & quæ cauſa? propter obedientiam. Hiſpano tribuitur diligentia, Gallo audacia, Italo ingenium, Germano verò datur laudabilis ordo & obedientia: atque in hoc ſolo poſita eſt omnis belli & expeditionis victoria. *Vir obediens loquetur victorias*, inquit Scriptura. Hanc ob cauſam Turca olim non metuebat Italos, aut Hiſpanos: ſed ſolos Germanos metuit, ad ſolum nomen Germanicum ſæpiſſimè expalluit. At poſtquam iam intellexit Germaniam in ſe eſſe diuiſam, rebellare & tumultuari, factam inſtar illius Hieroſolymæ, de qua ſcriptũ eſt; *Ciuitas illa Hieruſalem ſemper rebellat; ſeditiones & prælia concitantur in ea*: neque Germanos ampliùs, neque alias nationes reformidat. Idcirco nunc venit ſignis & vexillis explicatis, tam ſecurus de victoria, quam eſt certus de noſtrorũ diſcordia. Non auditis in aëre tot armatorum hominũ ſtrepitum, vix mare omnia capiet

In quo conſiſtat belli victoria.

Prou. 21.

1 Eſd. 4.

capiet vela, & terra vix alendis tot exercitibus sufficit, cælum tot sagittarum capax non est. Orate, orate Deum omnes, vt Germania ad obedientiam vel tandem postliminiò reuertatur.

ET rogauerunt illum pro ea;] inquit Euangelium. Germania, Christiane, Germania febricitans hæc mulier est. & meritò febricitans; non enim infirmitas alia reperitur, quæ tantum debilitat hominem quantum febris. Nescitis febrim etiam Leonem, animalium omnium ferocissimum & fortissimum consumere & necare? O quanta est debilitas Germaniæ. Non est nunc eadem quæ solet; mutata est, facta est instabilis & languida. Videtisne quomodo titubat, quomodo cęspitat, vix pedibus subsistit, arterię pulsus languet, robur & fortitudinem amisit, plus quam Hercules vel Atlas Cæsar noster laborat, vt eam sustentet, fulciat, ne corruat. *Peccatum peccauit Hierusalem & instabilis facta est*, inquit Propheta Olim miles Germanus terror erat mundi: vnus Germanus decem Turcis præualebat, decem centum trucidabant, & centum mille fugabant. Nunc sors vniuersa est. Germania Turcis facta est fabula Deus Germanis nũc immisit cor pauidum & meticulosum, ita vt ad solũ nomen Turcicum terga vertan, & instar leporum fugiant. Quæ causa? Diuisio. Agite itaque Germani, antiquũ & celebre nomen vestrum recordamini. Germani appellamini, estote veri Germani, seruate germanitatem, fraternitatem, charitatem, concordiam. Non est alia natio in orbe terrarum, quæ tot habet fraternitatis indicia & signa, quot inter vos conspiciuntur. cuiusmodi sunt simul prandere & cœnare, in vna eademque domo, de vno eodemque cibo, in vna mensa, ex vna patina, ex vno eodemque scypho, sine vlla suspicione vel nausea dulciter bibere; simul in Ecclesia sub diuino officio cantare; vno, eodemque more vestiri, cum tanta sinceritate inuicem in plateis, si quando vnus alteri fit obuius, salutare; cum tanto candore dexteras iungere; similitudo vultuum, corporum æqualis pulchritudo, summa filiorum vestrorũ quam diuersis in ædibus inter se colunt familiaritas. Hæc sunt illa Germanitatis vestræ symbola, vnde, ni fallor,

Similitudo inter Germaniã & socrum Petri.

Debilitas Germanorũ.

Thren. 1.

Exhortatio ad vnionem Germaniæ.

Signa fraternitatis in Germania.

lor, Germanorum nomen contraxiſtis. Heu quàm indigna itaque & vobis & germanitate veſtra res eſt, in Religione & Imperio, à quibus omnia alia concordiæ vincula dependent, velle diſſidere, & diſcordes eſſe, hoc præſertim tempore tam neceſſario, vt non fuerit vnquam occaſio melior aut glorioſior ad concordiam conciliandam & ſtabiliendam, quàm nunc offertur.

Quando quæſo vnquam maiori cum laude veſtra, & cum vberiore totius Chriſtianiſmi, qui à vobis dependet, fructu, concordiam reſtaurare poteritis, quàm hoc tempore, quo communis omnium hoſtis nos arma capere, & pro Deo, pro Chriſto, pro corpore, pro anima, pro fortunis, pro vita, pro filijs, pro vxoribus pugnare compellit? Si moriendum ſit, quæ mors poterit eſſe glorioſior? ſi vincendum, ô quæ victoria? æterna ſanè, & ab omnibus ſcriptoribus celebranda. Domini mei, & vos omnes, qui hîc adeſtis, meminiſtis opinor vos aliquando legiſſe magnas ſæpe Aſiæ, Africæ, & Europæ partes, ab exigua Germanorum manu occupatas, & ſuo imperio ſubiugatas eſſe. Gotthi ſoli quid non potuerunt? Poterítne igitur plus digitus vnus, quàm tota manus? manus ſola plus, quàm totum corpus? Gotthi ſubegerunt aliorum Regna, faciliúsne igitur poterunt Germani Imperium Chriſti contra Turcas defendere? Armis, concordia, virtute maiores eorum, patres, aui, proaui, ataui, tanta obtinuerunt, & ſibi ſubiecerunt, poterúntne eodem modo & noſtri coætanei, eadem defendere & contra externam vim tueri? Nihil requiritur, niſi vt velint. Quoties ad arma conclamarunt, vt ſe contra fluminum inundationes defenderent? contra ruinas montium, contra cæli tempeſtates ſe tuerentur? & nunc Turcarum violentiæ reſiſtere non poterunt? nunc magnanimitas, nunc fortitudo, nunc animus deerit ad iuratos hoſtes ſuos, qui ſe Imperium ablaturos, qui omnia ferro & flãma ſe deuaſtaturos, qui Danubium ſimul & Rhenum ſanguine tincturos minantur, debellandos? Si Germania voluerit, victoria noſtra eſt. nulla expeditio difficilis erit, ſi Germania maneat in fœdere. Si Germania volet, poſſumus quicquid volumus.

lumus. Liberè loquor, patres, fratres, filij, matres, sorores & filiæ. Salus Christianismi in Germanorum sita est concordia. Qui itaque fouet discordiam in Germania, is author est multorum malorum: eius culpa perit Religio, libertas, status, vita, sanguis noster, nostrorum filiorum, nepotum & pronepotum. Non est potentia in mundo tam magna, quæ diuisa & dispersa non labefactetur. * Euphrates fluuius tam formidabilis, cùm Cyri Regis indignatione in trecentos esset alueos diuisus, nescitis quod permeabilis etiam pueris est redditus?

Salus Christianismi vnde depẽdeat.

Herodo. lib. 5. Gynden dicit à Cyro diuisum in 360 alueos.

Quid multis, Germani? ego quidem publicam desidero Christianismi salutem, & vnà cum illa gloriam quoque vestram, honorem vestrum, & vestram excellẽtiam appeto. Quam ob causam clamo; Pax, Pax; concordia, concordia: estote nobiscum in Religione, estote cum Cæsare in Imperio, imò nobiscum in Imperio, & cum Cæsare in Religione. Indissolubile vinculum est Religionis & Imperij. Imperium quidem ruere potest stante Religione, sed Religio non potest vacillare, nisi vacillet simul Imperium. Quomodo mundus credet vos fideles esse Imperio, si non sitis fideles Religioni, vnde natum est Imperium, & quicquid habetis? Non meministis quàm præclaro inuento Constantinus probauit milites suos, qui fideles essent, qui infideles, cùm edictum illud publicari iussit, vt qui Cæsarem sequi vellent Christo renuntiarent; qui verò Christo vellent adhærere, à Cæsare recederent? Qui vt religiosi & pij respondebant se Cæsarem libenter præ Christo contemnere, hos sibi charissimos habuit; hos Barones, hos auratos Equites creauit: econtrariò qui, vt fideliores esse viderentur, se Christum eiurare, & amore Cæsaris Idola velle adorare iactitabant, hos prudentissimus Cæsar traditores, & Imperij, & suæ Maiestatis, esse iudicabat. Fieri non potest, inquit sapiens ille Imperator, vt Christum negent, & meo simul fideles sint Imperio. O verbum Constantino dignum. Redite, redite Germani ad concordiam, & ad obedientiam Religionis, matris vestræ, Ecclesiæ sanctæ, quæ vos expectat: amplectimini fidem Catholicam, renuntiate hæ-

Vinculum inter Religionẽ & Imperiũ.

Astutia Constãtini in probanda suorũ fidelitate.

Pia exhortatio ad Germanos, vt redeant ad Ecclesiam.

resibus: quod nisi feceritis, Christus vobiscum non est, nec erit vnquam. Nunc, si vnquam antea fuit, tempus est, vt vnum tantùm corpus, vnam solam Ecclesiam faciamus. Ecce Concilium, quod tanto tempore desiderastis, vt ad concordiam reuocemini. Ecce vnus Iulius Tertius, vnus Carolus Quintus, vnus Pontifex, vnus Cæsar: imò ecce Christus in vno & in altero, in dignitate Pontificia, & in Maiestate Imperatoria. Venite, venite ad obedientiam huius Concilij: venite sine astutia, sine dolo; venite simpliciter, nō potest non summæ laudi & gloriæ duci Vniuersali credere & obedire Ecclesiæ. Introite in domum Simonis, cantabimus & gaudebimus, festum diem celebrabimus, & primum locum vobis attribuemus; saltem vt & nos pro Germanis habeatis, vt veterem Petrum vestrum agnoscatis. *BOnas, bonas facite vias vestras, & studia vestra.*] Ceterùm duo adhuc mihi omnibus vobis in genere dicenda sunt, Christiani; deinde vos cum benedictione Dei dimittam.

QVARTA PARS.

Excusatio Authoris.



EQVVM profectò erat, Auditores, vos in hoc die vocaliori tuba excipere; salutare vos cum gaudio, & omnibus gratulari ob medium nauigationis vestræ cursum peractū. Postquam tamen tam illustres Soles, lumen in se contineant suum, & minimè huius cæli stellulæ incumbat vobis nunc splendere, (si modò splēdere poterit alijs, qui per se non lucet) cùm mos nauigantium sit libentiùs ad lumen stellarum, quàm æstum Solis iter instituere, nolui vobis deesse: sed facere quod ijdem nautæ solent malui. ij enim cùm vident nauem secundo vento, serena aura & tranquillo mari feliciter velificari, plaudentes & sibi gratulantes exclamant; felix iter, optata aura, fausta nauigatio. Eodē modo & ego vobis dico, Tridentini mei, omnia vobis fauent, procedite, & progredimini vt hodie incepistis. Ecce portus in conspectu est, potestis illum eminus salutare. Pascha in procinctu est, omnia peccata vobis remittentur, percipietis gratiam Dei, pignus

gnus æternæ vitę. Videtísne omnia nunc reflorefce re? Ecce craſtino die Angelica celebrabitur Annunciatio. *Bonas, bonas facite vias veſtras, & ſtudia veſtra.*] Oportunè admodum ſolennis hic dies in medium Quadrageſimalis incidit obſeruantiæ, cuius ſolennitatis hodie Vigilias agimus: Annunciationis ſcilicet Chriſti Natiuitatis ab Angelo Virgini factæ, læti nūcij cælitus allati, vt ſi quis afflictione corporali ſit defatigatus, ſpirituali lætitia recreetur: & quem planctus pœnitentiæ humiliauit atque mortificauit, hunc lætus nuncius illius aduentûs, qui tollit peccata mundi, & erigat & conſoletur. *Mœror in corde viri humiliabit eum*, inquit Scriptura, *& ſermone bono lætificabitur.* Hactenus, Auditores, locum in vobis habuit ſpiritualis mœſtitia: At nunc verbo hoc, quod meritò Euangelium, hoc eſt felix legatio, ſeu lætum nuncium appellatur, refocillabimini. O fortunatum verbum: *Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus, quem dies diei eructauit*, quem Angelus Virgini nunciauit. *Deus venit in mundum peccatores ſaluos facere.* Verbum hoc, dum filius Dei venturus Virgini nuntiatur, promittit reis indulgentiam, captiuis redemptionem, libertatem ſeruis, lumen cæcis, & vitam mortuis. Verbum hoc dum Incarnatio Chriſti prædicatur, iuſtos ſpe cæleſtis vitæ exhilarat; Infernum territat, Angelos lætificat; exornat, nouoque ſplendore cælum & terram illuſtrat. Et quis inter nos eſt, quem in afflictionibus ſuis tantæ dulcedinis verbum non conſolabitur? Dauid ſola ſpe huius annunciationis, quam ille ſecundùm promiſſionem Dei expectabat, tanto gaudio delibutus eſt, vt anima illius gaudio iſto quaſi paſceretur, ipſeque totus diuina conſolatione perfuſus, diceret; *Memor eſto verbi tui ſeruo tuo, in quo mihi ſpem dediſti. Hæc me conſolata eſt in humilitate mea.* Quale itaque & quantum meritò noſtrum debet eſſe gaudium, quæ exultatio, & quales deliciæ noſtræ, cùm perpendimus nos eos eſſe, quibus hæc bona noua, hoc lætum nuntium tot ſeculis antea promiſſum, tot ſeculis expectatum, tot ſeculis deſideratum, nunc tandem reipſa exhibitum eſt? O noſtrorum temporum felicitas. an nō feliciſſimum hoc noſtrum tempus vobis eſſe vi-

Oportunitas feſti Annunciationis B. Mariæ in Quadrageſima.

Prou. 12.

Bona noua Chriſtiani nunciantur.

1 Tim. 4.

Pſal. 118.

felicitas & infelicitas nostrorum temporum.

se videatur, in quo per Christum plenitudinem gratiæ, & omne bonum accepimus? Sed & ab altera parte, heu nimis infelix est, propter intolerandam ingratitudinem hominum, ad quorum salutem Saluator mundo datus est. Felix plenitudo temporis, in qua Deus filium suum misit peccatoribus. Infelix plenitudo temporis, in qua peccatores gratiam liberatoris nõ agnoscunt. Annũtiatur salus populo perdito, & contemnitur: promittitur desperatis vita, illi autem spernunt eam: venit Deus ad homines, at illi non mouentur. Quæ hæc est infelicitas? quis stupor? quis lethargus? Sed scio quæ causa sit cur inæstimabile Redemptoris nostri beneficium homines non sentiant; quia scilicet damnum & periculum suorum peccatorum non sentiunt. Qui namque per verum & intimum cordis dolorem, ex peccatorum suorum consideratione contractum, priùs non est mortificatus, lætitiam annunciationis huius Christi aduentûs sentire non potest. Cui grauitas infirmitatis non est cognita, vtilitatem quam adfert illi & Medicus & medicina, quomodo poterit cognoscere? Vos gaudium hoc experimini, vos, inquam, qui iam antea contrito corde & spiritu contribulato graues peccatorum vestrorum sensistis aculeos; vos qui ob offensiones in Deũ estis compuncti; vos qui longo huius miseræ, & laboriosæ peregrinationis exilio estis afflicti; vos qui vitam vestram anteactam defleuistis, cùm adhuc laqueis mortis & periculis inferni eratis implicati; vos qui tantis malis circunuenti & circundati, in omnem mundi plagam oculos emisistis, vt modum, viamque vos liberandi inueniretis, & didicistis præter Christum non esse alium liberatorem. O quanto cum cordis iubilo, quanta cum lætitia & plausu accipietis vos gratum hoc Euangelium de Filio Dei, quod oleum gaudij dat pro luctu, & pallium laudis pro spiritu mœroris? hoc est, vt Prophetam interpretemur, finem miseriarum adfert, & miseros reddit sine fine beatos.

[...]are beneficium aduẽ[...] Christi [...]n cognomus.

[...]ales Chri[...]ni qui gau[...]m Euan[...]ij accipi[...]

Esa. 61.

Agite, agite Tridentini, estote hilares, & gaudete in Domino *Bonas facite vias vestras & studia vestra.*] Viæ sunt opera, studia sunt cogitationes & affectus, à qui-

[...]cessarium vt homo [...]rmet co-

à quibus opera deriuantur. Qualia namque sunt studia nostra, tales sunt & actiones nostræ. Vtraque oportet reformare, omnia namque deformata sunt, omnia egent reformatione. Cogitationes nudæ etiam de rebus malis, inquantum sunt opera vel actiones intellectûs, ex se, hoc est natura sua, malæ non sunt; sed quando coniunctum habent actum voluntatis, ita vt oblectetur homo non tantùm in cogitatione, sed in ipso malo, quod est obiectum illius, nunquam possunt esse laudabiles, nunquam bonæ. *Derelinquat impius viam suam*, dicit Esaias, *& vir iniquus cogitationes suas.* O quanta malignarum cogitationum, odiorum, inuidiarum, æmulationum & inimicitiarum in cordibus nostris farrago est? *Vt qud cogitatis mala in cordibus vestris?* Quot cogitationes ambitiosæ honorum & dignitatum? *Introiuit in eos cogitatio, quis eorum esset maior.* Quot cogitationes carnales de rebus Venereis, inhonestis, impudicis, luxuriosis? *Sensus & cogitatio hominis proni sunt ad malum ab adolescentia sua.* Quot cogitationes auaræ, de annona grauanda, de frumento, vino, alijsque rebus necessarijs recondendis, dum pretium augeatur, & pauper inopsque pereat? *Vsquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ?* Quot cogitationes otiosæ, superfluæ, quæ in aëre fundatæ sunt, & circa res vanas atque inanes versantur? *Deus scit cogitationes hominum, quia vanæ sunt.* Hæc sunt studia, quæ bona facere Propheta iubet, ex quibus opera nascuntur etiam emendanda. *BOnas, bonas facite vias vestras & studia vestra.*] Cogitate nouas cogitationes, Christiani, & nouas vias ambulate. Imitamini sanctos Magos, qui *per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.* Vestra regio cælum est. Aberrastis à regia via, peccatores; didicistis malè ambulare viam quà venistis; studuistis in corruptis scholis, sub peruersis præceptoribus, qui vos perniciosa quæque docuerunt. Reuertimini, reuertimini per aliam viam: discite saniora. In schola carnis studuistis? *Sapientia carnis inimica est Deo?* Scholam mundi frequentastis? *Sapientia mundi stultitia est coram Deo.* Sub ferula Diaboli militastis? *Diabolus ab initio mendax est, & pater mendacij.* In his scholis didicistis auaritiā, luxuriam, ambitio-

Cogitationes & opera sua.

Esa.55.

Cogitationes malæ in cordibus hominum.

Matth.9.

Luc.9.

Genes.8.

Hier.4.

Psal.93.

Matth.2

Rom.8.

1 Cor.3.

Ioan.18.

Scholæ ma-

d discēdam bitionem. O pessima studia. *Abominabiles facti sunt in* am salutis. *studijs suis*, inquit Propheta. Videtísne quàm graui Psal. 13. odio & ira Deus hæc studia detestetur? *Egredietur vt* Hier. 4. *ignis indignatio mea, & non sit qui extinguat propter malitiam studiorum vestrorum.* Venite, venite ad Christū, hristus erexit scholā in hoc mundo, in qua præegit. qui ludum litterarium in hoc mundo erexit, in quo bonas litteras & scientias profitetur; eius doctrinam audite. Ter vobis quotidie prælegет; manè mortificationem carnis docebit, ne aduersus spiritum insurgat. *Offerte manè victimas.* Meridie ostendet contem- Amos 4. ptum rerum temporalium, ne altus dies mundanæ Psal. 53. prosperitatis vos decipiat. *Ab altitudine diei timebo.* Vesperi tradet præcepta humilitatis, vt cùm venerint horæ tenebrarum, Princeps inferni aduersum vos nō Ephes. 6. præualeat. *Aduersus mundi Principes & rectores tenebrarum harum.* O felicem scholam, ô beatum Præceptorem. Qui malè didicit, ante omnia falsam doctrinam debet dediscere, vt addiscat veram. Tollite, tollite ignorantias istas malæ dispositionis, peruersos habitus, qui animabus vestris impressi sunt: deinde totó Quid sit studium. pectore doctrinæ Christi vestri omnes incumbite. Illud est studere. Quid enim est studium, nisi vehemens animi ad scientiam, ad artem, ad opus aliquod applicatio? *Studeo sine offendiculo conscientiam habere ad De-* Act. 24. Quale debet esse studium Christianorū *um*, inquit S. Paulus. O præclarum studium, dignum tali Apostolo. Studete, studete & vos: omnes cogitationes vestras eò dirigite, vt habeatis conscientiam mundam, puram, & coram Deo vos non reprehendentem. Hæc summa est omnis boni studij, hic finis. Omnes quidē appetunt scientiæ dulcedinem; sed fastidiunt amaritudinem, hoc est, studij laborem. Sed non potest, Auditores, quispiam sapere, qui non priùs studuit. Quo lōgiùs itaque in via virtutis progressi estis, eò diligentiores & studiosiores estote, cauentes ante omnia ne deficiatis. Nautę omni vtuntur arte, nec vllis parcūt laboribus, quando plenis velis onusta nauis mercibus ad ostium portûs delata, ingressum parat; ne post tempestates perpessas, post tot labores exantlatos, felici nauigatione seruata, in scopulum impingat, omnesque operę & impensæ dicto citiùs in ipso quasi portu pereant. Et qui in stadio currunt, vel tunc

salтem

ſaltem,cùm ad metam propemodum peruenerunt,aut equum calcaribus incitant, aut alas pedibus addunt. initium enim & mediũ curſus,quantumuis ſit velox, nihil prodeſt, niſi ad deſtinatum præmij ſignum, alios præuertentes primi perueniant. Idem quoque familiare eſt his,qui in agone certãt: robur enim ſuum in extremo actu potiſſimùm oſtendunt, contendentes quantum poſſunt, tunc inſigniores ictus dare, vt victoriam ab aduerſario ſuo reportent.

Sed ne digrediamur à Chriſto noſtro, quem vobis hodie ideam & exemplar propoſui: videtiſne & illum in fine vitæ ſuæ maxima virtutis ſuæ dediſſe documenta, maiora omnibus ijs, quæ in Euangelijs deſcribuntur: Non hîc mihi ſermo eſt de magnis illis miraculis, vt quòd paralyticum iam triginta octo annis decumbentem ſanauit, quòd cæcum natum illuminauit,quòd Lazarum quatriduo ſepultũ & fœtentem reſuſcitauit: ſed loquor de operibus ſanctis, in quibus non tantùm eſt admirabilis,ſed & imitabilis. In eius poſitum erat poteſtate velle mori, aut non velle. & tamen procidens in faciem ſuam, orat Patrem cum maximo feruore. O ſummam humilitatem. Captus ab armatis militibus,reprehendit Petrum gladium ſtringentem, vt eum defenderet. O raram conſtantiam. Percuſſum Malchum ſanat,eique auriculam reſtituit. O magnam charitatem. Oſculandum ſe præbet Iudæ traditori, quem tamen ſe traditurum non ignorabat. O immenſam patientiam. Alapa ei impingitur,& benignè impingentem admonet. O infinitã bonitatem. Iniuſtè accuſatur, & tacet. O altiſſimam prudentiam. Adiuratur per Deum, & reſpondet. O ſanctam religionem. Crucis ſupplicio damnatur, & iniquiſſimæ ſententiæ patet. O incredibilem obedientiã. Siti moritur, & non bibit, O nunquam auditam continentiam. Maledicitur,& benedicit. O plùs quàm humanã magnanimitatẽ. Chariſſimam matrem ſuam commendat Ioanni. O ſolicitam pietatem. Latronem donat paradiſo. O liberalem magnificentiam. Magnum illum ſpiritum cum clamore valido, vt oſtenderet ſe pro vobis voluntariè mori, emiſit. O fortitudinem heroicam, imò plus quàm heroicam. Tota vita Chriſti,vt

Ioan.5. Ioan.9. Ioan.11. Matth.26. Luc.22. Ioan.18. Matth.26. Mar.15. Ioan.19. Matth.27. Mar.15. Ioan.19. Luc.23. Heb.5.

Vita & mors Christi exẽplar nostrũ. sti, vt iam antea vobis ostendimus, continua morum est disciplina: mors verò illius omnium virtutum flos est, & omnis perfectionis exemplar. Iccirco Paulus dicebat, *se nihil scire nisi Christum, & Christum quidem mortuum, & Christum quidem crucifixum.* (1 Cor. 2.) Ad imitationem itaque Christi, qui tam fuit studiosus & diligens, vt semper aliquid singulare ad salutem & eruditionem vestram faceret, (videtísne Prophetam eius studia admirari, cùm dicit; *Annunciate inter gentes studia eius?*) (Psal. 9.) vos quoque Auditores paucis istis diebus, qui studijs & laboribus adhuc dicati sunt, omnibus neruis & viribus vestris contendite, vt verè boni efficiamini: crescite in ieiunijs, feruete in orationibus, in concionibus audiendis perseuerate, incipite peccata vestra confiteri, manus vestræ dandis eleemosynis fiant liberaliores; cessent iræ, inuidiæ, maledicentiæ, succedant in eorum locum mansuetudo, æquitas, fraterna charitas: vt omni virtutum genere exornati ad sanctum altare Christi in hoc Paschate accedere, & infinita gratiarum cælestium liberalitate frui possitis. (Regula & modus studij Christiani.)

Sed ne prolixior sim, paucis vobis, Christiani, regulam, modumque studij vestri exponam. Scientia enim rerum non tam difficilis in se est, quàm artem modumque studendi inuenire. (Septem gradus necessarij ad studiũ incipientiũ.) I. Primum itaque elementum huius studij est, vt omnem curam, omnem diligentiam, omnem potentiam & sciẽtiam vestram eò cõuertatis, vt plenam cognitionem omnium peccatorum, omniumque defectuum vestrorum consequamini. Hinc enim est, quòd paucissimi artem bene viuendi discunt, quia magistri volunt esse, antequam prima didicerunt huius scientiæ elementa: dum aut certa quædam sua vitia, eaque magna, non animaduertunt; aut, quod peius est, ijs raras quasdam virtutes prætendunt. II. Secundò requiritur, vt resistatis pro viribus proprijs & naturalibus inclinationibus, & ad malum propensionibus. Singuli enim habent suas, imò omnes omnibus sumus obnoxij. Sed in hac materia eodẽ modo se res habet, quo elementa in corpore mixto, in quibus vnum semper prædominatur. Illi itaque inclinationi, quam quilibet in semetipso sentit alijs maiorem & vehementiorem, siue illa sit ad auaritiam,

titiam, siue ad superbiam, siue ad luxuriam, vt potissimùm resistat, studere, operāque dare oportet. ea enim deuicta, ceteras minores vincere facilimum est. Tertiò volo, vt omni industria caueatis, ne vnquam ampliùs Maiestatem Dei offendatis, semperque eam opinionem habeatis, vt si in iram illius incideritis, vestris viribus eius gratiam denuo vobis demereri non possitis; cumque vita hominis tam periculosa sit & incerta, nunquam securi sitis de reconciliationis tempore. Quòd si autem Deo non reconciliemini, necesse esse, vt omnibus cum laboribus, quos in hoc mundo facere potestis, ad inferos descendatis. Quartò necesse est, vos semper dolere de omnibus offensis & peccatis, quæ in præcedenti vitæ periodo perpetrastis. Non opus est huic dolori modum statuere, laxate habenas & indulgete illi quantum velit: dolete quantū, & quamdiu potestis. nam post omnem pœnitentiam vobis possibilem, nondum certi estis, vos satisfecisse, Deum vobis peccata condonasse, aut vos plenè Deo reconciliatos esse. Hæc securitas & indubitata certitudo, quæ omnem aufert timorem, non potest nisi per specialē haberi reuelationem; Deus autē eam non nisi perquàm paucis solet reuelare. Quintò, pro viribus elaborandum est, vt castigetis & mortificetis quinque sensus illos exteriores, qui sine aliqua disciplina omni bestia sunt ferociores, minusque tractabiles, nullā admittentes moderationem. Hæ sunt quinque fenestræ, per quas mors ingreditur, vt inquit Propheta. Oportet igitur claudantur, opus est hîc custodia atque freno: si namque non custodiantur & coërceantur, non admittunt vt homo doleat de peccatis præteritis, sibique caueat de futuris. Sextò, præparare vos, summaque animi fortitudine armare debetis, ad ferendas omnes aduersitates, omnes tribulationes, omnes huius mundi assultus: nihil enim tam vtile est ad refrenandos sensus nostros, quàm fortunæ aduersitas & inconstantia. qui nisi has impugnationes sæpe experiantur, insolescunt, haud aliter quàm milites in otio & pace viuentes. Septimò & vltimò volo, vt tāquam pestem, imò tanquam infernum ipsum fugiatis omne consortium eorum, qui aut præbent, aut præbere vobis

III. IIII. V. Hier. 9. VI. VII.

possunt peccandi occasionem : imò enitendum semper est, vt conuersemini cum his, qui vobis & meliores sunt & sanctiores. Contendite & studete non tantùm à peccatis, sed & à defectibus esse alieni. paulatim enim ab his ad illa, quasi per proximos gradus peruenitur. & quis nostrum est, qui ignorat, eum qui peccatorum venialium curā non habet, facilimè in mortalia prę cipitem ruere. Cùm septem hos gradus ascendistis, ad metam vestri studij peruenistis.

Studiū proficientium.

I. Quòd si deinde exiguo tempore magnos facere progressus volueritis, sanctam Christi Crucem humeris vestris excipite. Dexterum huius Crucis brachium est, renuntiare affectibus, & nolle sequi nostra desideria, quæ plerunque contra salutem animæ nostræ militant. Sinistrum est, non amare quæ sunt huius mundi temporalia. Caput verò est, omnem carnalem erga parētes, fratres, filios, cognatos & amicos affectionem exuere. Pedes denique sunt humiliari Deo, & nihil se esse in illius conspectu profiteri.

II. Secundò, ad studium proficientium necessarium est, vt perpetuò reminiscantur infinita ista beneficia, quæ acceperunt, & adhuc quotidie à dulcissimo nostro Christo Iesu benedicto accipiunt. O quàm efficax est viua illa recordatio, quòd Christus tantopere pro nobis humiliatus est in sua incarnatione, & quàm potens est aduersus nostram superbiam remedium? quòd tantam toto vitæ suæ tempore sustinuit inopiam, contra nostram auaritiam: quòd tantos dolores in morte sua passus est, contra nostras voluptates & luxurias? Has, aliasque virtutes Christi recordari, efficacissima sunt vitiorum nostrorum remedia.

III. Tertiò, necesse est vt assiduè studeamus orationibus: non possumus semper orare lingua & ore, sed mentem possumus semper habere ad Deum eleuatam, & hoc est orare sine intermissione. Date operam viri & mulieres, vt cùm aliquantulum temporis à negotijs secularibus vobis concedatur liberum, bonam illam intentionem, quæ in habitu est, in actum producatis: eleuate corda vestra ad Deum quotiescunque licet, & dicite; *Domine commendo tibi spiritum meum*, imò non meum, sed tuum. miserere huius tuæ creaturæ: peccaui, ignosce mihi; vellem

lem non peccare, adiuua me. Quartò studendum est, IIII.
vt nonnunquam in orationibus percipiamus aliquem gustum cęlestium illarum consolationum & dulcedinum, quas nemo nouit, nisi qui iam antè gustauit. Caro sum ego non spiritus. Vos in carne non estis, sed in spiritu, Patres sancti, narrate vos Tridentinis meis, quomodo anima in illo feruore euisceratur, quomodo deficit, extra se rapitur, languet, moritur, & quomodo mortem hanc teneriùs quàm mille vitas diligit. *Sed secretum Regis abscondere bonum est.* His Tob.12.
modis proficientium studium est instituendum: sed in his nondum quiescendum, vlteriùs est progrediendum.

Studium illius, qui in statu perfectionis est, in eo Studium perfectorum.
præcipuè positum est, vt totus homo ignito quodam accendatur desiderio Christi gloriam exaltādi & pro- I.
pagandi: vt operibus & verbis id agat, id consequatur, vt totus mundus Christum honoret, amet, cognoscat, credat, obediat. Atque hic primus huius studij gradus est. Secundus est, vt inflammetur eximia in proximū II.
charitate: non vt vnū amet hominem, & alterū non; sed vt omnes & singulos sicut semetipsum. Omne malum alterius ducat esse suum, ideoque illi condoleat: omne bonum alterius existimet suum, ideoque illi congratuletur. *Gaudete cum gaudentibus, flete cum* Rom.12.
flentibus. O detestanda inuidia, quæ ridentibus alijs lachrymaris, & lachrymantibus alijs rides. Tertius gra- III.
dus est, vt studeamus Deo semper in omni fortuna, siue prospera siue aduersa sit, gratias agere, nunquam intermittamus Deum in omnibus operibus suis laudare, illum admirari, illum in omnibus iudicijs suis, semper quidem secretis, sed semper iustis, glorificare. Quòd si porrò iustus & perfectus homo nonnunquam in peccatum incidat, agat Domino gratias, & in semetipso dicat; Deus permisit vt caderem, ne me extollerem aut superbire, sed vt debilitatē meam agnoscerem, vt resurgendo gloria illius mihi magis innotesceret, vt gratiam illius pluris quàm hactenùs facerem, vt in posterum cautiùs ambulem: vt diligentia mea damnum, in quod per tepiditatem meam prolapsus sum, resarciam. *Succurre lapsis Domine, succurre* Gratiarum actio adsit cū homo perfectus cadit.
 pœni-

pœnitentibus : quia diuino & sancto iudicio tuo, quòd peccaui mysterium est. Restat vltimus Studiosorum Dei
IIII. gradus; neque enim quindecim gradus scalæ templi superare volumus. Oportet itaque semper in id studere, vt permaneat in timore Dei, sese indignum, inutilemque seruum Dei censeat; & corde contribulato, spirituque contrito, etiamsi in summo perfectionis staret fastigio, etiamsi certò sciret se in sancto illo electorum Dei esse numero, magis quàm vnquam antea humiliato & tremente animo confiteatur, se peccatorum omnium, qui sunt, aut vnquam in mundo fuerunt, primum esse & maximum. Reuera namque peccatum non est vllum ab alio factum, quod non & tu facere potuisses, nisi Deus vnam manum capiti tuo impositam, alteram pedibus substratam habuisset: atque hoc modo te protexisset. *Nullum enim peccatum est, quod vnquam fecerit homo, quod non facere posit alter homo, si desit Creator, à quo factus est homo,* inquit sanctus Augustinus.

Auguſt. in Soliloq. cap. 15.

Finem orationi facturus sum, Tridentini mei: attendite; *BOnas, bonas facite vias vestras, & studia vestra.*] Ecce Christus quomodo author est & consummator vestræ fidei, sic author quoque est & consummator vestrorum studiorum. O Christe, in quot & quàm contraria studia hac infelici ætate nostra diuisa est Ecclesia? Et tamen omnes vnam tantummodo lucem, vnum baptisma, vnum Deum, vnam spem, habemus, & vnum spiritum tibi seruiēdi teque diligendi. Debebamus vnius esse fidei, in vno sensu, in vna voce, in vna charitate, in vna concordia, in vna obedientia, & tua & tuorum ministrorū. Etsi puluis sim & cinis, vnum tamen hoc dicere audebo. Tu es Dominus Vniuersi, tamen frater noster fieri dignatus es. Tu primus omnium nostrorum Germanus es. *Rogo te Germane compar,* coniunge hanc disiunctam germanitatem, ô dulcissime frater, renoua hanc confraternitatem, vt omnes in vna viuamus domo, in domo tua Domine, in domo Petri à te electa, & tibi dilecta. Aspice sanctam Ecclesiam tuam, quàm grauiter infirmetur, quam confusi & malè temperati sint illius humores. Hinc hæreses sacrilegæ & impiæ: illinc abusus

Oratio Authoris ad Deum, vt vniat Christianiſmum in domo Petri.

Philip. 4.

intolerabiles, qui omnes homines offendunt, propter quos sanctissimum nomen tuum à Turcis & Iudæis blasphematur. Tempus est, tempus est Domine, vt recorderis, te pro salute illius mortem obijsse. Hodie facto vespere, vt testatur Euāgelium, multa & magna miracula fecisti: at vnum hoc solum miraculum a te hodie flagitat sanctum hoc Concilium, (ecce ministri tui nudis capitibus, flexis genibus, oculis lachrymarum plenis) vt malos & noxios istos humores digeras, corpus hoc mysticum sanes, & Ecclesiæ tuæ interitui vicinæ, feruorem illum spiritûs, quem donasti illi cùm primùm nasceretur, restituas. Audi & exaudi Domine preces seruorum tuorum. *Non in iustificationibus nostris prosternimus facies nostras, sed in miserationibus tuis multis & magnis.* Cognoscimus Domine, & confitemur ad confusionem nostram, & gloriam tuam, quòd nos ministri tui non sumus digni, per quorum manus magnum hoc mundi Chaos componi debeat: sed ne patiaris saltem, vt malis nostris meritis tot animæ pereant & condemnentur. Voluisti nos esse ministros tuos, sanctifica etiam nos, vt ipsi sanctificati nomen tuum in omni lingua & populo deinceps quoque sanctificemus. Tunc enim & Turca & Iudæus venient, adorabunt te, & pedum tuorum vestigia lambent. *Qui viuis & regnas cum Deo Patre, in vnitate Spiritus sancti Deus, per infinita seculorum secula. Amen.* Dan. 9.

CONCIO DE ADMIRABILI GENTIVM AD SANCTAM CHRISTI FIDEM VOCATIONE.

Habita Romæ, in Palatio Apostolico, in atrio Constantini, præsente D. N. S. Papa Pio Quarto, feria sexta Dominicæ tertiæ Quadragesimæ, Anno Incarnationis Christi M.D.LXII.

IN EVANGELIVM DE SAMARITANA.

PROOEMIVM.



QVEMADMODVM fideles pastores, cùm iam planos, patentesque campos deserunt, & greges in montem ad virentes herbas agunt, oues iam longo itinere fessas in vnum compellunt, & ad fontem, si quis occurrat, vt se refocillent, sistunt: vnde canticu illud Dauidicum fluxit; *Dominus pascit me, in loco pascuæ collocauit me, super aquam refectionis educauit me*: sic sancta mater Ecclesia cum pastorali sua misericordia & diligentia conspiciens gregẽ Christianum, in media hac quadragesimali obseruantia carne potiùs, quàm spiritu defatigatum, (*Spiritus promptus est, caro autẽ infirma*) hodie nos ducit ad limpidissimum fontem, iuxta quem Princeps pastorum sedet cum Samaritana; vt quiescamus paulisper, & nos pura hac aqua refocillemus: vt sic recreati cum Christo resurgamus, & montem illum sanctum Dei, ad semper

Psal.22.

Mar.14.

ſemper vernantia vitæ æternæ paſcua læti atque alacres aſcendamus. *Domine apud te eſt fons vitæ. Aperi Domine theſaurum tuum, fontem aquæ viuæ, vt bibamus nos & filij noſtri, & populi & iumenta noſtra. Nos enim populus tuus & oues paſcuæ tuæ.* Salutemus B. Virginem. *Aue Maria.*

Pſal 35. Num. 20. Pſal. 78.

PRIMA PARS.



OSTQVAM inopinatò, & præter omnem voluntatem meam, vt in arte dicendi minùs exercitatus, in hac ſacra die, quæ prima eſt inter ſextas Martij ferias, quo menſe ver incipit, & ſolus noſtra initium ſibi ſumpſit, fortè & mundus fabricatus eſt, ad magnificum hoc atrium, quod ab Imperatore illo, quo ſanctiorem non habuit Eccleſia Chriſtiana, nomen ſortitum eſt; in quo primus noſter ſedet Hierarcha, qui vt Vicarius Chriſti meritò Sanctus Pater appellatur, venerim, & hanc cathedram aſcenderim, vt explicem diuinum illud Euangelium, quod in vocatione & cõuerſione gentium ſub apoſtata hac Samariæ, continet gratiam & beneficia gentilitatis. Myſterium profectò quod omnibus nobis, qui tunc immundi habebamur, & in ſacris litteris in comparatione filiorum Iſrael canes appellabamur, omni fauo & melle dulcius, omni theſauro meritò debet eſſe pretioſius. Neſcio profectò vnde hanc concionem auſpicabor, vt ad obediendum vobis me præparem, Beatiſſime Pater, niſi à ſumma admiratione de Chriſto noſtro; *Quid eſt hoc? quid eſt hoc?* Domine mi, Ieſu mi, quæ eſt hæc tua actio? quæ ſunt illæ amoris ſcintillæ, quæ in ſancto hoc Euangelio è pectore tuo exiliunt: Ecquod ignitum hoc incẽdium, quod in corde gentilis huius Samaritanæ excitas? Quanta cum prudentia beneuolentiam illius, & attentionem captas? quanta cum eloquentia attentam retines? quanta cum arte profundiſſimorum tuorum conceptuum illam reddis docilem? Quàm appoſitis metaphoris illã à terrenis ad cæleſtia ſubleuas? Quàm efficacibus exemplis inſtruis? Quàm doctis rationibus perſuades? Quanta cum energia moues & trahis?

Argumẽtum Euangelij de Samaritana.

Quãtis cum promissionibus eam extra se rapis? Quanta cum gratia illam amantem tui facis, illam transformas, tibique propriam efficis? *Mirabilis facta est scientia tua Domine; Confortata est, & nō potero ad eam.*

Psal. 138.

Septem dialogi inter Christum & Samaritanã.

Septem sunt, Sanctissima Corona, inter Christum & hanc Samaritanã dialogi: tres de aqua bibenda, duo de vitæ illius arcanis, & duo de altissimis Religionis nostræ mysterijs: quos si omnes pro sua profunditate vellem explicare, ne septem quidem id concionibus præstare possem. In primis quinque colloquijs Christus proponit, & mulier respõdet, muliebriter quidem initiò, donec capax fit diuinorum sensuum: sed cum admiratione audiretis quid postea respõdeat, & quantum profecit, si mihi tantum excurrere liceret. In duobus vltimis, tanquam iam & sanctissima & doctissima facta, illa prior interrogat, & disputat de duabus rebus è fundamẽto Theologiæ, quod est cultus diuinus, primum prçceptum naturç, legis, & gratię, desumptis. Et Christus, qui illam nunc sibi in fide, annulo illo aureo, *Mulier crede mihi.*] sponsauerat, ad singula dilucidè respondet, exponitque illi & reuelat sacrosancta illa secreta, quibus digna non erat incredula Synagoga: quæ nunc absque vlla causa, & contra omnem rationem ab illo discesserat, iamque diuortium fecerat. Beata Samaritana, (neque enim quo nomine dicta fueris, sat scio, vt illo expresso te in hoc Vaticano viua mea voce prædicem) ô Samaritana dico, tu inter illã gentem perfidam es, quasi ouis inter lupos; quasi columba inter aquilas rapaces, quasi rosa inter spinas, quasi pyropus inter carbones extinctos, quasi stella in densissimis tenebris. Non laboro vtra sanctior fuerit, túne an Chananæa: sed hoc dico, si Chananæã oportuerit tam acerbè à Christo tentari, vt instar grani sinapis attrita, inclytã suam virtutem perfectiùs ostenderet, tu econtrariò sortita es animum tenerũ, & quasi nobilem, quem non fuit necesse affligi: imò mille præuenta benedictionibus dulcedinis, quibus alij facilè fierent insolentiores, tam prudenter diuina vti gratia potuisti, vt non te solam & filiam, vt illa Chananæa, seruaueris; sed populũ, ciuitatem, & totam prouinciam ad fidem Christi pertraxeris. Audistísne aliquan-

Ioan. 4.

Apostrophe ad Samaritanam.

quando Delphinum alios pisces in rete trahere? ecce Delphinus est hæc Samaritana, quæ tot populos in mari iuxta scopulos per infinita fallacis huius mundi pericula errantes, efficacibus verbis ad beatum Euangelij rete inuitauit & attraxit. Quæ autem libertas dulcior esse potest, felici illa & iucunda sub Christo captiuitate? Non opus est huic Samaritanæ nostris laudibus; quare nec Christus illam laudauit. *Laudent eam in portis opera eius.* Sed & hoc quæro, an vobis exigua laus esse videatur, Christum, cùm postea obiectū illi fuit ab impia ista gente, quòd Samaritanus erat, non iniuriam sibi factam duxisse, non negasse, tacuisse, cōsensisse? & quod amplius est, in docta illa parabola seminecis, qui de Hierusalem in Iericho descenderat, & in latrones inciderat, à quibus ad mortem vsque sauciatus erat; eum qui curam illius miseri gerebat, qui eum sanabat, non Iudæum, sed Samaritanum fuisse? Quis enim est qui infirmum Adamum, cum toto illius genere, quod præceps in mortem ruebat præsentissimam, sanauit, nisi Christus Dominus noster? O vere Samaritane, pie nostrarum animarum custos. *Custos quid de nocte? custos quid de nocte? Samaritanus ille purißimus*, dicit magnus ille Doctor Petrus, nostrorum Lombardorum gloria.

Samaritana Delphino cōparatur.

Prou.31.

Luc.10.

Esa.21.

Magister Sent.

Christus noster, Domini mei, in omnibus suis operibus est admirabilis. Quare Propheta quidam non ineleganter dixit, eum inter alios titulos habiturum per quandam excellentiam nomen *Admirabilis. Vocabitur nomē eius Admirabilis.* Admirabilis est, quia cùm nascitur homo, Deus est: cùm infans prodit, perfectus est homo; cùm circunciditur, sanctissimus est, & tamen peccatori similis; cùm disputat in Templo cum Doctoribus, confundit illos, & tamen litteras non didicit; cùm in Ægyptum abit, omnia prosternit idola. In conuersatione sua diuina operatur humanitus, & humana diuinitus; quando moritur sine peccato pro peccatoribus; quādo resurgit gloriosus, & tamen palpabilis; quando ascendit in cælum, non in ictu oculi disparens, sed quasi in montem paulatim ascendens, vt oculos eorum, qui illum intuebantur, pasceret. O Christe, ó Christe. Sed super omnia mirabilia

Esa.9.

mirabilissimus est modus ille, quo cum tam dexterè, tamque feliciter peccatorũ salutem operatus est: peccatorum dico, non hominum communium, sed immundarum, incircuncisarumque gentium, Chananæorum, Samaritanorum, Scytharum, Thracum, Afrorum, Romanorum, Græcorum, Barbarorum: qui omnes erant Idololatræ, impii; athei, qui Deum non cognoscebant, qui nec ritus sacros, nec ceremonias habebant: qui sine vlla lege, naturali excepta, viuebant. Horum omnium populorum typus est hæc Samaritana, hodie sine Scripturis, quasi naturalibus rationibus & sensibilibus exemplis ad fidem Christi conuersa: idque non in ciuitate mœnibus cincta, non in arce aliqua arte aut natura munita, sed sub dio, in patenti campo, iuxta fontem, qui non alibi forsitan, quàm in illa regione, Apulia nostra sicciore, aliquo esset in pretio.

Apostrophe ad Piũ quartum. *Memor ero Raab & Babylonis*, Pater sancte. *Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic.* Recordetur nunc Sanctitas vestra pulcherrimã illam

Psal.86. & super omnia, quæ in mentem homini venire possunt, visionem, quæ in principio nascentis Ecclesiæ Christianæ die quodam, hora circiter sexta, benedicto illi seni S.Petro dubitanti, & secum perpendenti, an Cornelium illum Centurionem, eò quòd miles erat Romanus, & incircuncisus, ad fidem Christi assumere deberet, cęlitus fuit ostensa: linteum illud dico serpentibus, viperis, pantheris & vermibus plenum: quatuor funibus è cælo in terram demissum, deinde è terra in cælum denuo assumptum: quo tempore au-

Act.10. dita ter illa vox est; *Macta & manduca: quod Deus purificauit, tu ne commune dixeris*: & non mirabitur videns & audiens in Euangelio, non illum Centurionem Cornelium nobili cretum sanguine, celebrem militum Italorũ in ciuitate Cæsarea præfectum, non alios eius fortissimos cõmilitones, nec paucos istos genti-

Ioan.12. les, qui primi ductoribus Philippo & Andrea ad Christum venerunt: sed quod maius est, sceleratas, vilissimas gẽtes Samarię in oculis Dei immundiores quàm illę feræ bestię in mensis populi sui, eadem hora sexta, tam benignè in gremium gratiæ Dei recipi, perque fidem

fidem & deuotionem mystico sanctę Ecclesię corpori tanta cum misericordia inseri. *Faciam in deserto viam, & ponam in sicca terra flumina, & glorificabunt me bestiæ agri, dracones & struthiones.* Non legistis hæc in Prophetis? Quemadmodum igitur ante aduentũ Christi Deus tanto odio gentes repudiauerat, vt sanctus ille Pater dicere non sit veritus; *Diuidens seculum in sortes duas, elegisti tibi vnam populi tui, relinquens aliam gentibus.* Et S. Paulus prædicauerit; *Annuntiamus vobis ab his vanis cõuerti ad Deum viuum, qui fecit cælum, terram, mare, & omnia quæ in eis sunt: qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas:* Ita in hoc tempore gratiæ & salutis his bestijs campi, his mundi gentibus magis quàm dracones, struthiones & cameli exosis, Christus ipse fons fontium, Deus de Deo; secundùm præscientiam Dei, quæ est ineffabilis; secundùm cõsilium illud, quod est immutabile; secundùm illam voluntatem, quæ est omnipotens; secundùm illã bonitatem, quæ est infinita; secundùm illas promissiones, quæ non fallunt, immensam aquarum suarum copiam largitus est, terramque illam Samariæ prius desertam & incultam inundauit; quæ aqua deinceps in omnes gentes est deriuata. Samaria prima omnium irrigata est. nescitis scriptum esse; *Eritis mihi testes in Iudæa & Samaria, & vsque ad vltimum terræ?* verba sunt Christi ad discipulos. Quot quæso, & quantæ quæstiones exortæ sunt in Christianismo, Domini mei, ex hac gratia, & ex hoc beneficio, quod Christus præstitit gentilitati? Cur illam antea repudiauerat? cur postea elegit? Vter dignior fuit, Iudæus an Ethnicus? Vtrum præstantius fuit, circuncisio an præputium? Vtra lex maioris erat authoritatis, Mosaica an Euangelica? Cur Euangelium appellatum sit lex fidei, & Mosaica lex, lex operum? An meritum consisteret in fide, an in operibus, an verò in vtroque? An opera pugnarent cum gratia? An Ethnicus potuit saluari sine circũcisione, & Iudæus sine fide? An Ethnicis tanti ponderis fuit lex scripta in cordibus, quanti Iudæo lex scripta in tabulis? An vnà cum Euangelio necesse fuerit legem obseruare, an potiùs ad splendorem magni illius Solis exiguum illud lumen fuerit extin-

Esa. 43.

Act. 14.

Christ⁹ aquas suas primò in Samaria distribuit.

Act. 1.

Quæstiones natæ ex gentium conuersione.

extinctum? Cur ex omnibus gentibus elegerit Deus populum illũ Iudaicum, numero exiguo, & in medio orbis habitabilis constitutum, cùm alijs non esset aut melior aut sanctior? Cur ita reiectæ sint omnes aliæ nationes, cùm tamen Deus Pater sit, & Dominus omnium hominum, qui pro infinita suarum misericordiarum abundantia omnes saluos vult fieri? Quomodo Iudæos semel electos, postea potuit salua sua præscientia reprobare, & semel reprobatos Ethnicos, stante sua iustitia, potuit denuo eligere? Quomodo infidelitas Iudæorum locum dedit Ethnicis, qui ex hac occasione in illorum honorem subintrarũt, quasi diuinæ misericordiæ sinus fuerit angustior, quàm vt saluo Iudaismo gentilitatem capere potuerit? Quomodo misera illa Synagoga, cuius diminutio fuit plenitudo gẽtium, (vt ipsis D. Pauli verbis vtar) nunquam squamas ab oculis auellet, nunquam à mentis illa cæcitate liberabitur, quamdiu omnes bestiæ campi, omnes mundi gentes, in ouile Christi non introierint, quasi ambæ istæ nationes non possint simul illuminari: quę tamen pariter saluabũtur: cùm omnibus collectis vnum erit ouile, & pastor vnus? Quomodo verum est, plenitudinem gẽtium in Ecclesiam ingressuram, & totam gentem Israëliticam saluandam, cùm vsque in hodiernum diem in vtroque populo infinitam hominum multitudinem sine gratia Christi discedere videamus, quibus non datur dies illos attingere, quibus promissum est illud beneficium, quòd omnium cæcorum oculi aperientur, lumenque videbunt?

Responsio ad quęstiõcs natas inter Iudęos & Ethnicos.

O Paule, ô Paule; ô mundi Magister, ô Iudæorum domitor, ô gentium illuminator. Non ignoratis, Domini mei, Spiritum sanctum D. Paulum iudicem in hac causa cõstituisse, quam ob causam tanto cum animo in campum hunc descendit, tanquam arbiter inter circuncisos & præputiatos electus, & in sublimi illa ad Romanos Epistola, quam D. Petrus ait esse difficilimam, omnes istas quæstiones soluit, atque determinat. Et quidẽ rationi maximè fuit consentaneum, cum hanc suam sententiam in scriptis diuulgare, Romæque capiti totius mundi tunc, & pòst capiti quoque

2 Pet. 3.

que totius Ecclesiæ Christianæ, ex duobus his populis Iudæis & Ethnicis collectæ, dedicare. Nolo hic illi Epistolæ explicandæ diu inhęrere, id tantùm dixisse satis erit: D. Paulum quinque in hac Epistola agere, vt has lites componat. Primò condemnat omnes, quia omnes sunt rei. Vtrumque populum inter se committit, ambos facit æquales, & ostendit omnes esse peccatores, vt omnes seipsos agnoscant, & nec Iudęus in lege, nec Ethnicus de ratione naturali aut philosophia glorietur, & superbiat. Atque ita à peccatis proprijs & particularibus, tanquam à riuulis paulatim ascendit ad inuestigâdum amplissimum illum, & maximè communem corruptionis humanę naturæ fontem, peccatū scilicet originale, per quod omnes homines ęqualiter constituti sunt filij iræ, & mortis æternę rei: ita vt mera gratia sit, quicquid fauoris Deus homini cuicunque, Græco, Latino aut Barbaro præstat, nec vllum hîc valere meritum. Secundò, necessitatem gratiæ Dei per Christum pro dignitate sua amplificat, probatque aliud medium ad humanam naturam, quæ tota erat rea, iustificandam non fuisse, præter vnum hunc Christum: quodque ob hanc causam ab æterno fuerit prædestinatus, qui pro salute totius mundi incarnaretur, vnde & doctrina illius diceretur Euangeliu, hoc est, lætum, seu bonū nuncium: quia omnibus hominibus ab Oriente vsque in Occidentem salutem annunciaret: Iudęis quidē primò, deinde & Gentibus. atque hîc doctam illam ponit inter Adamū & Christum antithesin, qua pulchrior in nullo reperitur Oratore contentio Tertiò, plurimis argumentis simul iunctis & congestis ostendit nobis, per Christum à peccato & morte liberatis, totis viribus laborandum esse, ne vnquam denuo peccemus: ne tantæ gratiæ ingrati inueniamur. quod quidē fit credēdo primùm, deinde & operando: quia per fidem venimus ad opera, & per bona opera in fide confirmamur. Non ignorare vos arbitror, quàm doctè ratiocinetur hic Apostolus de fidei simul & operum valore & dignitate: ex qua illius disputatione nostro hoc exulceratissimo seculo tot natæ, & quasi ab inferis reuocatæ sunt hæreses. Quartò demonstrat, quid potuit lex ante hanc grati-

Quinque agit Paulus in Epistola ad Romanos.

I. II. III. IIII.

gratiam, & quid non potuit. Potuit enim docere, minari, terrere castigare, orare: sed non potuit aut iustificare, aut saluare. Post gratiam docet legem prorsus esse inutilem, licet vt Synagoga cum aliquo honore sepeliretur, in principio aliquamdiu, iuxta loca & tempora, aliquo modo permitteretur, donec Euangelium fuit promulgatũ: quo promulgato, lex facta est

V. fidelibus perniciosa. Quintò & vltimò (scitis enim, Romani, veteres Comœdias quinque tantùm actus habuisse, quem morem Paulus, tanquam scriptor artificiosus imitari voluit, vt sublimis hęc sua doctrina maiori cum voluptate & diligentia legeretur) quintò itaque dico, humiliat Ethnicũ, monetque vt Iudæum agnoscat suã esse radicem, & non efferatur in illum, aut illi insultet, licet multi illius stirpis rami sint fracti: sed consideret semetipsum, qui fuit oleaster inutilis, & insertus est in bonam & frugiferam oleam: stet igitur in continuo timore, si enim Deus oleæ domesticæ non pepercerit, fortè nec siluestri parcet oleastro. O Deum immortalem, quàm diuina, quàm plena mysterijs est hæc Epistola? Quid hîc non aut obiter attingit, aut latiûs explicat de Præscientia, de Prædestinatione, de Vocatione, de Iustificatione?

Tria debent mẽtibus nostris firmiter inhærere.

At summa horum omnium potissimùm in tribus consistit, quibus anima nostra non secus quàm nauis anchora debet confirmari. Primum est; neminem à

I. se solo extra corpus Christi, quod est Ecclesia, siue Iudæus sit, siue Ethnicus, quotquot etiã bona opera fecerit, posse vnquam diuinã iustificationis gratiam promereri: alioquin enim Deus debitor esset illius, & iniustus meritò, si non daret, appellandus. Secundũ est;

II. diuina iudicia esse inscrutabilia, & temeritatem esse æterno dignam supplicio, in conclaue diuinorum secretorum importunè intrare, & scire velle, cur Deus hunc elegit, & illum reprobauit: cur hunc priùs vo-

III. cauit, illum postea. Tertium est, omnem hominem sibi certò persuadere debere, quòd bene operando in gratia Dei, tandem in fine in prædestinatorũ numero recensebitur; & econtrariò qui malè viuit, & in malo vsque ad finem perseuerat, hunc in numero damna-

Rom. 3. torum constituendum. Vox enim hæretica est, *Esto*

animus

amus mala, vt veniant bona. Videte, Domini mei, quanti momenti est conuersio gentium, è qua nata est tanta doctrinarum altitudo.

Sed reuertor ad nostram gentilem Samaritanam. Optimè profectò & verissimè dicit S. Ioannes, cuius Euangelij verba singula sunt ponderanda, Samariam mediam esse inter Iudæam & Galilæam: Galilæis, vt scitis, multum fauebat Christus, vnde Iulianus Apostata Christum Galilæum solet appellare, & moriens dixit; Νενίκηκας γαλιλαῖε; *Vicisti tandem Galilæe.* Iudæi legem Moysis habebant. *Nos Moysis discipuli sumus.* Inter duas has leges, nouam & veterem, Euangelicam & Mosaicam, ratio erat naturalis in Ethnicis; qui nec hanc habebant, nec illam: sed capaces erant vtriusque. Eat nunc & dicat quicunque velit, Christum noluisse nisi paucos admodum sibi charos saluos facere. Non tam cõmunis est Sol, nec tam generalis ros & pluuia, quam cunctis patet hominibus gratia Dei per Iesum Christum. Non ego iam loquor de tempore legis, sed de tempore Euangelij. Christus incarnatus est pro omnibus, mortuus est pro omnibus, Euangelium suum iussit annuntiari omnibus: cur itaque non vult omnes saluos fieri? *In veritate comperi* (dicit ille magnus S. Papa Petrus) *quia apud Deum non est acceptio personarum: sed in omni gente qui operatur iustitiã acceptus est illi.* Quòd si hodie in propria persona venerit ad Samaritanos, omnium quas mundus habebat gentes antiquitus sceleratissimas, quæ olim sua impietate Deum adeò irritarunt, vt leones siluis excitos in eorum ciuitatem miserit, vt incolas deuorarent: ite & legite libros Regum; ipsi vos iudicate cuinam deerit illius gratia, nisi homo sibi ipsi desit, vt saluari possit? Qui non saluatur, non habet cur de Christo conquetur, sed cõqueratur de semetipso, incuset semetipsum. *Vita in voluntate eius, vindicta tantùm in indignatione eius. Alienum opus eius, peregrinumque ab eo.* Sol non potest non splendere, & ignis non potest non calefacere: sic & Christus ex seipso non vult nisi saluare. *Saluator omnium hominum, maximè fidelium.*

Mysteriũ Samariæ inter Galilæam & Iudæam sitæ.

Ioan. 9.

Christus vult omnes saluari.

Act. 10.

Rom. 2.

4 Reg. 17.

Psal. 29.

Esa. 28.

1 Tim. 4.

Diuina Maiestas, attendite, quæ quando placuit ei vniuersam hanc mundi fabricam creauit, cùm alijs anima-

Deus dedit homini animum & mentem, & cur.

animalibus eam esse naturam voluerit, vt cursus vitę illorum in linea recta finiretur, (scitis enim sensum circulariter super se non ferri) solum hominē, quem cōdidit, vt terrenus esset Deus, voluit animo & mente præditum esse: quę mens cùm circulus sit & sphęra intellectualis, quomodo & ipse Deus circulariter voluitur & circumgyratur, vt cùm Deus sit principium & Alpha suum, etiam ad illum vltimò reuertatur, cumque Omega suum faciat. vt in eo fiat immortalis & beatus, quemadmodū Deus ipsa est immortalitas, & beatitudo ipsa. Quòd si Adam non peccasset, aut si pro se solo peccasset, & non pro natura nostra, non esset difficile, neque per intellectum, neque per affectum hunc circulum perficere, & intelligendo, amandoque perfectè cum Deo vniri. Sed post peccatum illud commune, quod omnes corrupit & debilitauit, nō possumus absq; nouo auxilio, brachio nostro tam languido, aliam, nisi breuissimam lineam describere: ita vt res tantùm huius seculi, quæ breui spatio terminantur, & nos secū in mortem abripiunt, diligamus. Quòd si quandoque circulum facere tentemus, non tamen ad Deum extendimus, sed incuruamus amorem nostrum in nosmetipsos, & per turpe illud philautiæ vitium, omnium virtutum pestem, nosipsos nobis idola facimus. Circulariter autem gyrari in cælum, vnde descendimus, & vniri Deo, qui nos creauit, tam infirmi quàm modò sumus, non possumus, & nobis tanquam ex nobis est impossibile;

Impossibile nobis est nostris viribus reuerti in cęlum.

——*Reuocare pedē, superasque euadere ad auras,*
Hoc opus, hic labor est.

Spiritus vadens & non rediens, inquit Propheta. Iccirco omnis Ethnicorum Philosophia, Italica, Ionica, Stoica, Academica, Peripatetica, non alium habuit finem, quàm quomodo circulus hic sit faciendus, & quomodo cum Deo, cuius factura sumus, vniri debeamus. *Genus enim Deorum sumus*, inquit Poëta ille Gręcus, quem D. Paulus alibi citauit. Naturaliter enim omnis homo aspirat ad beatitudinem, exceptisque Epicuri de grege porcis, non fuit quispiam Philosophorum, qui beatitudinem in rebus humanis positam esse cogitauit. Sed ô Deus, ô Deus, Philosophi de hac diui-

Psal.77.
Omnes Philosophi cogūtur doceri à Deo, eique copiungi.
Act.17.

diuina nostra felicitate, de hoc orbiculari reditu nostro frustra loquuntur, & quasi cæci de coloribus, sic de illo iudicant; nec fundamentū habuerunt ad hunc circulum perficiendum, aut opere exprimēdum. *Euanuerunt in cogitationibus suis*, ait D.Paulus. *Non hos elegit Dominus*, (dicit Baruch) *neque viam disciplinæ dedit illis*. Ecce, ecce Magister mundi huius, ecce Christus, qui non i...meritò de semetipso dixit; *Nemo venit ad Patrem, nisi per me*. *Hic adinuenit omnem viā disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus cōuersatus est*, dicit Spiritus sanctus. Neminem inter vos esse existimo, quem latet illud naturæ miraculū, quod vt memorabile quid narrat D. Augustinus, se oculis suis vidisse, pretiosum scilicet magnetē illum, annulum ferreū ad se attraxisse, & annulus ille traxit alium, qui tertium se rapuit, atq; ita deinceps, donec virtute primi annuli magneti adhærentis, longa catena ex annulis istis coierit. Non possum vobis huic loco magis appositum exemplū proponere. Deus est magnes, homo ferrū est. Christus & magnes simul est & ferrum, quia Deus est & homo. Virtute itaque Christi omnis homo Deo, licet eminus, coniungitur, & Deus se contrectandum dat omni hominum generi, quantumuis scelerato, idque Christo mediante. Adam separauit nos à Deo, stella nostra fuit retrograda. Christus est noster ascendens, felix noster horoscopus, & is qui nos Deo iterū coniungit. Ecce perfectus circulus. Non potest fieri circulus sine centro: ecce Christus centrum est, inter Deū & hominem medius est. *Vnus est Dei & hominum mediator Christus Iesus*. Meritò centrū omnibus amabile, omnibus admirabile, licet paucis cognitum. Nihil desideratur in Christo, quàm vt cognoscatur: quando enim cognoscitur, quando gustatur, papę, omnes post illum currunt, omnes regna, thesauros, voluptates, parentes, vxores, filios & vitam ipsam fastidiunt: omnia propter amorem Christi relinquunt, & deserunt. Videtísne quid olim fecerint Imperatores, Reges, Philosophi, Oratores? Meministísne Petrum & Andream reliquisse retia sua, vnde vitæ suæ necessaria petebant? Matthęúsne quęstuosum reliquit

Rom. 1.
Baruch 3.
Ioan. 14.
Baruch 3.
Magna magnetis vis.
Adami & Christi contrarij effectus.
1 Tim. 2.
Christus cognitus desideratur.
Matth. 4.
Matth. 9.

telonium? & hæc Samaritana quasi stolida & amens
hydriam suam reliquit ad fontem, & ad ciuitatem
properauit, neque erubuit dicere turpitudinem suam,
à Christo sibi reuelatam, instar ebriæ, & quæ amore
Ioan.4. Christi impos erat mentis. *Venite, venite & videte*
hominem qui dixit mihi omnia quæ feci.

Christus vult ab omnibus cognosci. Hæc itaque ars est, vt tandem ad materiam meam
veniã, qua vsus est Christus erga Ethnicos, erga omnes
qui eum non cognoscunt, neque tanquam Galilæi
per Euangelium, neque vt Iudæi per legem, vt non
maneat incognitus ne quidem siluis, qui omnibus
vult esse cognitus, & adorari ab omnibus, non in ci-
uitatibus tantùm, sed vbique se offert, se monstrat, se
videndum præbet. Vult cognosci non tantùm cogni-
tione speculatiua, sed & practica: vult gustari, vult
nos sua dulcedine satiari. *Si tamen gustastis, quàm sua-*
1 Pet.2. *uis est Dominus*, inquit S. Petrus. Mel peculiarem habet
saporem ab omnibus alijs saporibus diuersum, ideo-
que non tam per Philosophiam, quàm per gustum co-
gnoscitur. *Gustate, gustate* priùs, deinde *Videte quàm*
Psal.33. *suauis est Dominus*, dicit Dauid. Et cùm gustastis dici-
Psal.118. te; *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori*
Psal.18. *meo. Desiderabilia super aurum & lapidẽ pretiosum mul-*
Ratio naturalis peccato Adami nõ est extincta. *tum, & dulciora super mel & fauum.* Ratio naturalis
per antiquum illud peccatum non omnino est perdi-
ta, neque vnquam etiam totius mundi peccatis perde-
tur aut extinguetur: etsi non habeat à semetipsa gu-
stum illum, vt confestim eorum quæ in Christo sunt
dulcedinem queat percipere: quod vides in Samarita-
na, quæ initiò vix extremis labijs suis infinitam Chri-
1 Cor.2. sti dulcedinẽ gustauit; *Animalis enim homo non percipit*
ea quæ sunt spiritus Dei: stultitia enim est illi. postquam
Christum si gustemus sequemur. tamen data est illi gratia delibãdi, postquam vel pau-
lulum ore suo excepit, cùm labra illius erãt humecta-
ta, & dulcedinem Christi cœpisset masticare, quando
factum est vinum bonum, licet non omnino facta
est insensibilis, mille tamen catenæ non potuerunt
illam coërcere, quò minùs moueretur, quò minùs
curreret, quò minùs ad Christum volitaret, haud ali-
ter, quàm saxum ad centrum descendit, quàm aër lu-
cem appetit, quàm terra sicca pluuiam desiderat. Hoc
est

est quod magnus ille Tertullianus dicere voluit, cùm exclamat: *O testimonium animæ naturaliter Christianæ.* Natura non potest te facere Christianum, gratia est quæ te Christianum efficit. sed natura à gratia illecta sese inclinat ad Christum, consentit illi, delectatur illo, & sese oblectat. Hoc est quod quærebam, (dicebat apud semetipsam) sed ex me cogitare huius dulcedinem nunquam potuissem: quis enim ad tantam celsitudinem per se posset pertingere? Ecce ex improuiso mihi apparuit, idque magno meo cõmodo. Tibi gratias ago Domine, tibi benedico quàm possum maximè, pro singulari hoc beneficio, quod tu mihi exhibuisti. Hoc modo intelligitur dictum Pauli; *Cùm gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt.* Obseruatio legis diuinæ non est opus naturæ, sed supra naturam est: sed quando natura iuuatur à gratia, bene operari tam conforme est naturæ, quàm peccare naturæ contrariatur. Non audis; *Condelector legi Dei secundùm interiorem hominem?* Si nihil faciat natura, quis virtuti locus relinquitur? si natura faciat omnia, quid opus est gratia? Si gratia non sit opus, cur venit, vt moriatur, Christus? Si gratia sola requiratur, vt quid tot conciones, tot exempla? Deus iubet nos laborare vt opera bona faciamus, quod argumentum est naturam non esse mortuam, & tamen omnis labor noster inanis est, nisi adsit gratia. Ecce prima laus datur gratię. Non potest homo suis viribus super se ascendere; diuinam itaque gratiam agnoscite. Auxilio enim illius ascendit, & diuinus efficitur. Sed nec virtutem humanæ naturæ despicite, vel negate. Venit Christus ad Samaritanam, iuxta fontem aspicit illam. Ecce gratia præuenit; Samaritana auscultat, eique credit, quod ne Iudæi vnquam fecerunt, licet infinita illius conspicerent miracula. Necesse ergo est vt sequatur liberum arbitrium. Sed ad Euangelium veniamus.

Non naturā, sed gratia facit Christianum.

Rom. 2.

Obseruantia legis diuinæ non est opus naturæ.

Rom. 7.

Vinculū naturæ & gratiæ.

VEnit Iesus in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar.] Præuenit Christus Ethnicos, quia non potuit ab illis præueniri. *Inuentus sum à non quærentibus me: palàm apparui iis, qui de me non interrogabant. ERat autem ibi fons Iacob. Iesus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic super*

Ioan. 4.

Esa. 65.

fontem : hora autem erat quasi sexta. Venit ergo mulier de Samaria haurire aquam.] Ecce tempus, ecce locus, ecce occasio. *Mollißima tempora fandi.* Ecce omnia disposita sunt, quæ ad hoc miraculum requiruntur. O admirabilis, ô incredibilis Dei sapientia, quàm prudenter omniũ rerum vteris ministerio? imò quàm promptè omnia tibi ministrant? Tibi omnia viuunt, te omnia sentiunt, te omnia intelligunt, tibi omnia loquũtur, tibi omnia respondent, vt tibi obediant. omnia enim te Dominum suum agnoscunt & profitentur. Non legisti? *Vocat ea quæ non sunt, tanquam sint, & dicunt; Ecce adsumus?* Hæc est illa diuina prouidentia, Pater Sancte, quæ vt omnipotens facit omnia quæ vult, & tamen expectat oportunã occasionẽ; suauiter & cum tanta dexteritate salutem nostram operatur, modo cuilibet conueniente: vt qui nulli viro aut fœminæ vim inferre consueuit, aut quemquam violenter cogere. *Attingit à fine ad finem fortiter*, tanquam fortis & expertus iaculator, *& disponit omnia suauiter*, tanquam optimus œconomus. O quàm magnus œconomus? ô quàm prudens dispensator, & quàm bonus gubernator noster Deus, & mundi nostri rector est? quomodo se cunctis nouit accommodare, & blandiri omnibus? Quoties Christus captauit occasionem de Regno suo loquendi? de gratia sua, de suis mysterijs, de suis Sacramentis, de vinea, vino, oleo, sale, igne, terra, saxis, spinis; de medicis, & medicina, de lilijs, pascuis, agnis, ouibus, margaritis, thesauris; de luce, de stellis, & quid multis? de herbis, quæ crescunt in hortis disserendi? Meministísne menti, anethi & cumini? Non est quicquam in mundo paruum aut magnum, quo Christus non vtitur in sublimi illa Philosophia sua, plena parabolis, apologis & hieroglyphicis. Ecce hodie subseruit illi aqua huius fontis: venerat enim mulier hæc ad aquam hauriendam. An ignoretis quid S. Paulus dixerit? *Omnibus omnia factus sum, vt omnes lucrifacerẽ.* O Paule, O Paule: sed ô Deus, ô Deus; ô Christe, ô Christe, à te Paulus hanc tam variam conuertendi homines artem didicit. Tu per stellas attraxisti ad te Astrologos; per voces Angelicas simplices pastores; retibus & hamis piscatores; & publicanos ex ipsis

Omnia seruiunt Deo.

Rom. 4.

Deus se omnibus accommodat.

Sap. 8.

Omnia seruiunt Christo in sua philosophia.

2 Cor. 9.

Mirabilis ars qua vtitur Deus in saluandis hominibus.

ipſis vocaſti telonijs: plebem ſanandis infirmis; Scripturis allegãdis Doctores ad te inuitaſti; per magnam illam Eclipſin Dionyſium Areopagitam, celebrem illum Philoſophum, in ciuitate Solis; & per ſignum victoriæ in aëre exhibitum, ἐν τούτῳ νίκα, armatum in prælio Conſtantinum Imperatorem conuertiſti. Lætare auis peregrina, quæ hodie veniſti ad aquas; & tam feliciter ab aquis illis viuis, quæ non videntur, ſed abſconditę ſunt in petra, (*petra autem erat Chriſtus*) capta es. O petra, ô aqua, ô fons pretioſe, ô aqua vitalis, ô fons perennis. 1 Cor.10.

ERat autem ibi fons Iacob,] inquit B. Ioannes, fons viuus, fons limpidiſſimus, fons benedictus, fons omnium fontium. Rectè fons Iacob, fons amoris, fons Iacob amantis, qui pro formoſa illa Rachele bis ſeptem annos ſeruiuit, quod tempus nihilominus breuiſſimum illi videbatur, propter ſummam amoris magnitudinem. Quis autem tanto vnquam amore fœminam dilexit, quanto Chriſtus Eccleſiam? Mortua eſt Rachel in partu vnius filij, quem ex Iacob conceperat. Chriſtus, ne Eccleſia tot ſuis filijs grauida abortiret, ipſe in Cruce pro illa mortem oppetijt. Ite, ite & amores comparate; & quis vnquam amans hoc magnum amoris exhibuit argumentum? Hic itaque fons eſt, fons Iacob, Chriſtus noſter. Samaritana noſtra venit vt hauriat aquam è fonte terreno, & confeſtim (ô beata ſors) in hoc fonte cęleſti mergitur. Non eſt hic fons, Roma, ſicut fontes alij, eſt fons ſpiritualis, & è templo corporali, è templo corporali ipſius Dei, ſcaturit. *Soluite templum hoc*, dicit Chriſtus. *Hoc autem dicebat de templo corporis ſui*, ait Ioannes. *In quo habitat corporaliter omnis plenitudo diuinitatis*, vt Paulus aſſerit. O Iudęa, cur non adoraſti in templo hoc? cur non bibiſti è fonte hoc? non recordaris; *Et continuò exiuit ſanguis & aqua?* ſanguis ad redimendum, aqua ad bibendum. O fons admirabilis. Hic eſt ille fons, Pater Sancte, qui currit in ſilentio, vt ait Scriptura: *quia Spiritus eius vbi vult ſpirat, & neſcis vnde venit, aut quò vadat.* Oritur in Paradiſo tanquam filius Dei, aſcendit de terra tanquam filius Mariæ: doctrina ſua mundum irrigat, & ſancto ſuo Baptiſmo cuncta

Chriſtus fõs amans Eccleſiam.

Ioan.2.

Col.2.

Ioan.19.

Eſa.8.

Ioan.3.

Vbi oritur hic fõs Chriſtus, & eius effectus.

cuncta abluit & purificat; quatuor efficit in quatuor Euangelijs flumina; in sanguinem instar aquarum Ægypti, in passione sua conuertitur, & in Solem per resurrectionem mutatur. O fons, ô fons.

Perpendite nunc quæso, qualis hæc aqua sit, quæ hîc propinatur? In hoc mundo est gratia, in altero gloria. Non auditis; *QVi biberit ex aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ viuæ salientis in vitam æternam.*] O quàm diuina & mystica est aqua hæc? illic descendit, hîc ascendit, inde est fluxus, hinc est refluxus. Quòd si fieri posset, vt in profundissimo inferni loco lapsus iaceres, aquæ huius impetu in cælum raperereris. Non potest in inferioribus quiescere; vnde venit, illuc necessariò reuertitur, ad abyssum scilicet æternitatis diuinæ, ad sedem Dei & Agni, ad cælestem Hierusalem. illic restinguitur omnis nostra sitis, quia illic omne nostrum desiderium replebitur & satiabitur. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Ah nobiles aulici, ah sectatores curiæ, qui huc confluxistis, vt hoc manè me audiatis: vtinam Deus nobis omnibus vel minimam aliquam felicis huius fontis guttulam largiatur, dum currimus, miseri, & omni studio quærimus aquas huius mūdi, quæ non satiant, (Nam

Quò plus sunt potæ, plùs sitiuntur aquæ)

vt sitim nostram extinguamus. O aquæ pestilentissimæ, Domini mei, non fontium, sed paludum, aquæ crassæ superbiæ, aquæ turbidæ iniustitiæ, aquæ amarę odij & inuidiæ, aquæ mortuæ otij & negligentiæ, aquæ putride luxuriæ, aquæ malè sanę auaritiæ, quamdiu quęrimus ditescere officijs & beneficijs, mytris & sacellis onerari, magnis affinitatibus & amicitijs muniri; vtinam dico dum hæc quærimus, hanc gratiam præter omne meritum nostrum inueniamus. vtinam in hoc fonte crystallino, in sanctissimis Christi vulneribus, in amore & gratia illius mergamur, atque in vitiosa siti inordinatorum appetituum nostrorum recreati extinguamus omnem cupiditatem rerum externarum, vt sunt diuitiæ, honores, carnales voluptates; nulliusque rei fames aut sitis, nisi solius Christi, nobis oboriatur. Ille sit noster amor, noster thesaurus, nostrum desiderium, omne bonum nostrum.

Psal. 16.

Aquæ huius mundi perniciosæ.

Domini mei, loquor nunc vobis, admoueamus manum pectori. Nos illi ſumus, per quorũ miniſterium aqua largiſſima gratiarum Dei, vnde populus bibat, deriuari deberet, vt in ouibus noſtris ſitis rerum mundanarum reſtinguatur. Non videtis in Epiſtola, Moyſen & Aaronem eos eſſe, qui ſaxum virga percutiẽtes aquarum inde torrentem eliciunt? Et quos repræſentant Moyſes & Aaron, niſi Sacerdotes, & quidem Sacerdotes maiores, hoc eſt, Prælatos? *Moyſes & Aaron in Sacerdotibus eius.* At nos ipſi (pró dolor) non minùs quàm populus ſiti morimur. Atque vtinam nos in ſpiritu ipſo populo non ſimus ſicciores. Vbi ſunt lachrymę noſtræ: vbi dolores in tanta afflictione Eccleſiæ? vbi pœnitentia: vbi orationes: vbi planctus: vbi ſuſpiria? hæ ſunt aquæ. Vbi deuotio? vbi bonorũ operum exercitium: vbi rerum diuinarum guſtus interior? vbi ſpiritus? vbi diuini amoris flamma? vbi charitas proximi? vbi bona exempla? vbi ſimplicitas? vbi in veſtitu frugalitas: vbi in victu parſimonia? vbi in diſtribuendo iuſtitia? vbi in condolendo miſericordia? vbi fides in verbis? vbi ſinceritas in corde? vbi magnanimitas in operibus? Ego quidem ſcio peccato Moyſis & Aaronis, cuius meminit hodierna Epiſtola, incredulitatis nimirum eorum, quæ tantoperè diſplicuit Deo, cauſam & occaſionem præbuiſſe graue peccatum populi; in diffidẽtiam enim lapſi, de bonitate Dei deſperarunt ſancti illi duces, quia videbant exercitum tam ſceleratum. An non & ſacra Scriptura manifeſtè ſatis teſtetur Moyſen, cùm populus vitulũ aureum adoraret, ira ſuccenſum tabulas legis à Deo acceptas in terram abiectas comminuiſſe: O quàm periculoſa res eſt bonum Prælatum populum habere contumacem & inobedientem? At infelici hac noſtra ætate mundus contrariũ iudicat: credit enim omnia peccata ſua noſtris ab exemplis dimanare, haud aliter, quàm ſi baſiliſci eſſemus ſolo noſtro intuitu eos veneno noſtro inficientes. Auferamus, auferamus ab illis hanc excuſationem, aut proteſtationem, ſiue ea vera ſit, ſiue ficta: vt illi fiant ſancti, nos ſanctiſſimi: ſi mali ſimus, reddamur boni; ſi boni, meliores. Nemo poteſt in hoc mũdo nimis eſſe ſanctus. *Qui ſanctus* eſt,

Pſal. 98.

Aquæ hominis Chriſtiani.

Apoc. 22.

est, sanctificetur adhuc. Sanctificemur, sanctificemur; reformemur, reformemur. Quid est reformatio, nisi mundi in pristinam formam reductio? Sed quæ prima est Christianismi forma? vt à Sacerdotibus tanquam Christi ministris omnis virtus & sanctitas in populum deriuetur: iccirco sal terræ, & lux mundi nominamur. Ad hanc reformationem vos omnes, sacri Principes, inuito. Percutite petram virga vestra, & videte quæ miracula per vos Deus operabitur. Non fuit virga Moysis, Pater Sancte, quę hodie miraculum hoc fecit, sed virga fuit Aaronis. Non fuit virga militaris, sed fuit virga Sacerdotalis. Et quæ fuit virga Sacerdotalis, nisi oratio? Sacerdotum est orare pro populo. *Inter vestibulū & altare plorabunt Sacerdotes; Parce Domine, parce populo tuo.* Hoc itaque est petram percutere, Christum pulsare. *Petite, pulsate, orate, oportunè, importunè.* Non audistis in Epistola quæ hodie lecta est; *Loquimini ad petram, & illa dabit aquas?* Ad orationem, ad orationem Domini mei Illustrissimi & Reuerendissimi, & hæc petra benedicta sentiens se omnipotenti hac virga percuti, tantam dabit aquarum copiam, vt bibamus nos, bibant nostri filij, bibant cameli nostri, & nostra iumenta. O Roma, tunc tandē & hæretici, & Turcę conuertētur ad Christum, vbi nos viderint tales, quales fuere primi illi Patres nostri, quorū laboribus, sudoribus & sanguine nos viuimus. *Alij seminauerunt,* (Domini mei) *& nos in eorum labores introiuimus,* ait Euāgelium. Petrus & Paulus pro nobis laborarūt, laborauerūt omnes Apostoli, Martyres, Confessores & Virgines. Si fruamur seminatis, colamus & conseruemus agrum: si bibamus vinum, honoremus vineam. Heu, heu quàm neglecta iacet terra spinis obducta & tribulis, quàm misere dissipata est vinea? *Exterminauit eam aper de silua, & singularis ferus depastus est eam.* Videtísne quàm desolata iacet Ecclesia? Non loquor de ijs quę amisimus, sed de his quæ nobis adhuc remanserunt. Circumducite in circuitum oculos, & videte, vbi sint excelsę illæ & sublimes cedri, quæ licet in terris stabant, cælū ipsum tamen attingebant, magnos illos dico Sanctos & eximios Doctores? Vbi sunt illæ vites, quæ per vniuersum

Prima forma Christianismi.

Virga sacerdotalis Aaronis aquā è petra produxit, non Moysis.

Ioël.2.

Num.20.

Ioan.4.

Psal.79.

ſum mundum palmites ſuos extendebant, quæq́ue ob hoc non arbores, ſed arbuſta vocabantur, homines nimirum deuoti, ſimplices, plebeij, amore Dei inflammati, qui tot, tamq́ue pia reliquis fidelibus virtutum præbebãt exempla? Vbi ſunt illæ propagines, quę vnà cum illis ſuccreſcebãt? Anachoretas puto, Monachos, & ſacras Virgines, qui lõgiſſimè à ſeculo remoti, cum tanto ſanctitatis odore viuebãt? Sed & abſque Dauidicis illis metaphoris loquamur. Vbi ſunt Principes illi tam religioſi, Prępati illi tam rari, Doctores illi tam fideles, Sacerdotes illi tam continentes, & plebs tam deuota? Vbi ſunt? vbi ſunt? Tota vinea malè habet, tota, tota. *Exterminauit eam aper de ſilua, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam.* Scio per vnum Turcas, per alterũ Hæreticos intelligi: ſed noſtra in vtroque notatur incontinentia, & vita noſtra ſpurciſſima. Quis ſcit, Domini, ſi Dauid luxuriam & incontinentiam noſtram aprum de ſilua, & ſuperbiam noſtram vocet ferum ſingularem? Ceterùm ſit vt volet, ſi nos tales non ſimus, ſufficit propter peccata noſtra Turcas, tanquam apros ſilueſtres, qui dentibus ſuis omnia cõuellunt, & pedibus ſuis conculcant, infeſtare quotidie maria, opibus Chriſtianiſmũ, & Chriſtum ipſum animabus ſpoliare. Et quod plus eſt, Hæreticos pro ſingulari ſua feritate odio plus quàm Vatiniano in Romanã curiam accẽſos, omnia Regna in Chriſtianiſmo perturbare, populum quotidie magis magisq́ue ab obedientia Eccleſiæ Romanæ, quæ omnium Eccleſiarum mater eſt, abducentes. Videtíſne eos viſcera noſtra penetrare. & nõ poſſumus eorum reſiſtere furori. Negare non poſſumus, negare non poſſumus, omnia mala in Eccleſia Chriſti nata ex nobis, ex noſtris peccatis, heu, nimis magnis, nimis manifeſtis, nimis ſcãdaloſis: quæ iram Dei & in nos, & in vniuerſum populum, per nos prouocarũt. Tempus itaque, tẽpus eſt, vt hæc agnoſcamus & reſipiſcamus. *Ecce tẽpus acceptabile, ecce dies ſalutis.* 2 Cor.6.

O quàm magna erit gloria tua, tam in cælo quàm in terra, Papa Pie Quarte, qui in Concilio hoc Tridentino oſtendis ſanctam Romanam Eccleſiam veræ fidei Magiſtram, & qui in nobis, qui tonſura ſumus inſigniti clericali, vel manibus palpari facis, eandem Ec-

clesiam etiam esse normam vitæ sanctæ, quæ nouit abusus tollere, bonis reddere præmia, & malos castigare. Hîc priori parti finem imponamus. Indulgeat mihi Sanctitas Vestra breuem respirandi morulam, vt quæ restant commodiùs prosequar.

SECVNDA PARS.

Ioannes horarũ & temporum obseruator.

IESVS *ergo fatigatus ex itinere sedebat sic super fontem: hora autẽ erat quasi sexta*] Inter omnes Euangelistas, sanctissime Pater, nullus tam diligens, tam in obseruandis horis diei curiosus est, quàm Sanctus Ioãnes. Videtur esse Astronomus, qui tenens Astrolabium in manu, & horologium in mensa, Solem obseruat. & ne fallat eum tempus, dum stylum aut pennam accipit, propria vngue omni hora ducit lineam. Non

Ioan.5. recordatur Sanctitas Vestra verborum illorum; *Exultate*

Ioan.4. *tate ad horam in luce eius? Venit hora, & nunc est? Sal-*

Ioan.12. *uifica me ex hac hora mea? Nondum venerat hora eius. In-*

Ioan.2. *terrogabant qua hora melius habuisset? Heri hora septima*

Ioan.7. *reliquit eum febris.* Et in Apocalypsi videmus eum di-

Ioan.4. midiæ quoque horæ rationem habuisse. *Factum est*

Apoc.8. *silentium in cælo quasi media hora* ὡς ἡμιώριον. Est Aquila, Domini aquilæ proprium est Solem intueri. Cubicularij Solis sunt horæ, vt Poëtæ fabulantur, quæ tempus obseruant & custodiunt. Dicant falsi Astrologi quicquid velint, & superstitiosis suis obseruationibus temporum, dierum & horarum demonstrent, animas nostras cælestium corporum motibus esse subiectas: quæ tamen corpora (vt norunt fideles) creata sunt, vt nobis seruiant, non vt dominentur Chri-

Christus Dominus est temporis.

stus noster sine controuersia extra omne tempus est, ante omnia tẽpora, post omnia tempora, & omnibus temporibus dominatur. Ideo & in Euangelijs legimus, quòd omni tempore, & in omni hora res maxi-

Omni tẽpore & hora Christus magna operatus est.

mas operatus est. Summo manè venit ad templum, vt doceat; hora tertia mortis sententia damnatur; sexta crucifigitur; nona magnam illam animam emisit; vndecima de cruce deponitur; duodecima in monumẽtum infertur. Hora prandij Magdalenam conuertit,

hora cœnæ ſanctiſſimũ corporis & ſanguinis ſui Sacramẽtum inſtituit. Decima hora vocat S. Andream, ſeptima ſanat filium Reguli; ante prandium ſocrum Petri liberat à febribus; paulò poſt prandium Petrum creat vniuerſalem Eccleſiæ paſtorem. Paulò poſt cœnam iuit in hortum, vbi & captus eſt: media nocte fortè reſurrexit; & in crepuſculo diei tribus Mariis apparuit. Quid vultis ampliùs? Voluit oſtendere Chriſtus, ſe non pendere à temporibus, ſed à ſe dependere tempora. Quamuis autem Ioannes, qui illum deſcribit vt filium Dei, & æterni Patris ſapiẽtiam, in omnibus actionibus eius tam religioſis obſeruator eſt temporum, (pars enim prudentiæ humanæ eſt, temporis habere rationem; vnde legitur, *Reprobata eſt parabola ſtulti, quia non loquebatur in tempore.* Et Chriſtus ſuis dicit Nazarenis; *Tempus meum ſemper eſt paratum, tempus veſtrum nondum venit*) credendum tamen eſt, quòd in hoc Sole, in hoc motu temporis & horarum noſtrarum Euangeliſta tanquam Aquila volans animum ſemper intendit in magnos illos circulos, quos diuinum illud cõſilium, increata & incarnata illa Sapientia, Sol ille Iuſtitiæ Chriſtus nõ tam homo mortalis, quàm Deus æternus ſuper omne tempus deſcripſit, dum ab Oriẽte natiuitatis ſuæ tẽporalis gyrat in Occidentem mortis pro nobis aſſumptæ, & recurrendo ad ſummum cælum, ad æterni ſui Solſtiti ſplendores illos vnde in has terras deſcenderat, reuertitur. Non legiſtis de hoc myſtico Sole in Salomone; *Oritur Sol & occidit, & ad locum ſuum reuertitur: ibique renaſcens gyrat per meridiem, & flectitur ad aquilonẽ, luſtrans vniuerſa in circuitu pergit ſpiritus, & in circulos ſuos reuertitur.* O profundum myſterium. Hæc eſt itaque hora ſexta, quæ eſt altiſſima diei; tempus illud, in quo Sol ſolis Chriſtus à morte reſuſcitatus, in cælũ aſcendit, tanta cum gloria, & tanto cum mundi feruore, vt omnia per Euangelium (quod rota dicitur à Propheta; *Rota erat in rota*) inflammari & ardere viderentur. Ea hora cœpit ſe ſubducere à Iudæis, & gyrare ad frigora Aquilonis, hoc eſt, ad Ethnicos, vt ſe nonnihil refocillaret, poſtquam iam circuncisi per incredibilem ſuam inhumanitatem illum & in corpore fatigarant,

Eccli 20.
Ioan. 7.
Eccles 1.
Quæ ſit hora ſexta.
Ezech. 1.

garant, & in animo illi fastidium mouerant. Non legistis; *Plenus sum?* & post pauca; *Laboraui sustinens!* Quando verò postea Sol ille descēdere incipiet, quando ante secundum aduentum suum stupenda signa & prodigia è cęlo in terrā mittet, hora erit septima, (quę enim Hebræis est sexta, nobis Italis est decima octaua, & proinde Hebræis meridies, ita vt Sol altiùs ascendere non possit, sed necessariò descendat) qua hora sanabitur Iudęa à sua incredulitate, cui magna cum ratione in Regulo dictum est; *Nisi signa & prodigia videritis, non credetis.* Age igitur, *Fessus animo, lassus corpore.* Quemadmodum antea prohibuerat Apostolis; *In ciuitates Samaritanorum ne intraueritis:* & quemadmodum dixerat mulieri Chananææ, se non nisi ad filios Israël missum: ita rursus, vt eos ad æmulationē prouocaret, tanta illorum ingratitudine irritatus, tam iusta indignatione accensus, amorem suum à Iudæis abstractum aliò conuertit. *Vos non populus meus, & ego non ero vester Deus. Vocabo non plebem meam, plebem meam; & non dilectam, dilectam; & non misericordiā consecutam, misericordiam consecutam. Prouocauerunt me in eo qui non est Deus, & ego prouocabo eos in eo qui non est populus.* Hinc illa sunt verba Apostolica; *Vobis quidem oportebat prædicari verbum Dei. Sed quoniam repulistis illud, & indignos vos fecistis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes.*

Esa.1. — Quando erit hora septima — Ioan.4. — Matth.10. — Matth.15. — Ose.1. — Rom.9. — Deut.32. — Act.13.

Ecce campus peculiaris, quem dicit Euāgelium Iosepho à Iacobo patre in hęreditatē datum. *IVxta prædium quod dedit Iacob Ioseph filio suo.*] Non audis quomodo Dauid hoc ipsum de Christo verbis æterni Patris interpretatur? *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam?* Dixit aliquando Christus Iudæis: *Si isti taceant, lapides clamabunt.* Ecce illud nunc adimpletum. Ethnici, Samaritani lapides paulò antè erant stupidi & insensibiles. Pòst videbis eos mutatos, audiesque illos laudibus & gloria Dei cælum ipsum complere. *IPsi audiuimus & scimus, quia hic est verè Saluator mundi.*] *Potens est Deus de lapidibus suscitare filios Abrahæ.* Hi qui nunc sunt saxa & lapides, erunt aliquando filij Abrahæ, Isaac & Iacob: qui venient ad mysticum Iosephum Christum, qui relictus est hæres & Do-

Quod sit prædiū Iosepho à patre datū. — Psal.2. — Luc.19. — Ioan.4. — Matth.3.

& Dominus præclari fontis huius, & proprij fratres illius tam crudeliter illum ex inuidia tractabunt. Reuocate in mentem ficum illam infructuosam, cui maledixit Dominuns, & confestim exaruit. Erat hoc quasi sermo mutus, & quasi absque voce loquela, tanquam si ficus dicere voluisset, oportere Synagogam extirpari, & iusto Dei iudicio eradicari: ne autem hortus Domini remaneret vacuus, per gratiam Dei Gentes in illum transplantari debere, quę suo tempore fructum suo Domino non contemnendum essent reddituræ. Phenenna elato animo superbijt: ea reiecta assumpta est Anna. Vasthi insolens facta est & proterua, eligitur eius loco Hester. Oliua facta est sterilis, ecce insertus est oleaster. Vinea Israël, dum expectantur vuæ, fecit labruscas, ecce vites nouellæ succreuerunt, quæ ingentem dulcissimarum vuarum producent vindemiam. Romana curia, audi hæc, nota, sta in specula tua, considera casus tuos, & bonitate Dei caue ne abutaris. *Si enim naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat*, vt inquit Paulus. Tu eras labrusca, facta es vitis: oleaster eras, & facta es olea. O quam facilè posses in primam originem tuam degenerare; & locus tuus, quem præter naturam, ex mera gratia obtinuisti, si ingrata sis, quàm nullo is negotio posset in aliam gentem transferri?

Fici à Christo maledictæ significatio.

1 Reg. 1.

Rom. 11.

Sed non possum his diutius inhærere, vt qui ad fontem expector. *IEsus autem sedebat sic super fontem.*] Meministis Domini mei illius loci Dauidici; *Benedicite Deo de fontibus Israël.* Qui sunt isti fontes Israël, nisi Moyses & Prophetæ, è quibus tanquam ex inexhaustis fontibus, infinitæ laudum Dei hauriuntur materiæ. Nescitis & sanctos Christi Apostolos fontes vocari mysticos? Duodecim illi fontes cum septuaginta palmis in Helim, vbi castrametati sunt Hebręi, quid aliud sibi volunt? Apud Poetas & Oratores quoties legitur, fontes eloquentię, fontes scientię, fontes eruditionis, fontes ingenij? Quemadmodum sanè nulla aqua communiter dulcis appellatur, nisi aqua fontis: vnde & in Poesi Dauidica sumpta est illa trãslatio de fonte huius dici, quem Moyses è duro saxo elicuit; *Eduxit mel de petra.* Non ignorare vos puto, nusquam

Psal. 68.

Fontes Israël qui sint.

Exod. 15.

Deut. 32.

nusquam legi quòd Moyses mel è petra eduxerit; sed propter nimiam eius suauitatem aqua hæc mel appellatur. Sic omnis doctrina sana & vtilis meritò appellatur aqua fontis, & authores ipsi fontes nominantur. Qui autem fontes inter Ethnicos celebriores reperiuntur summis illis Philosophis, magistris & capitibus suæ Philosophiæ? quales fuere in contemplationibus Pythagoras, in actionibus Socrates, in vtrisque Plato; in discendi, docendique methodo Aristoteles. Non legistis in Cicerone; Philosophiæ fontes aperire? Ab illo fonte & capite Socrate? Sed & si cernamus eos, qui lumen fidei non habent, dum oculis suis debilibus & infirmis nequeunt immensum illud lumen Dei videre, ad speculum Philosophiæ recurrere, & in eo lumen illud contemplari, non tibi Philosophia meritò fons appellanda videtur? Qui non potest in Solem ipsum intueri absque visus læsione, an non ad aquas fontis recurrat? Hic, hic est fons super quem Christus sedebat. *SEdebat super fontẽ.*] Super Philosophiam, super lumen naturale, super rationem humanam, quæ radius est & diuinæ sapientiæ riuulus. Lux sedet super colores, forma sedet super materiam, cælum sedet super terram? An non & in sacris Scripturis legamus diuinam sapientiam sedere super hominem, aut in homine? *Anima iusti sedes est sapiẽtiæ.* Et de Spiritu sancto scriptum est; *Sedit super singulos eorum.* Ita Christus super doctrinam Philosophorum sedebat. Naturæ lumini, lumen gratiæ adiunxit; oculis intellectus speculum fidei proposuit. O quanta cognitio Græcis & Barbaris per Euangelium accreuit? *Eratis aliquando tenebræ* Philosophi, *nunc autem lux facti estis per Christum Dominum nostrum.*

Fõtes Ethnicorum.

Qui fidẽ non habet, contẽplatur Deum speculo Philosophiæ.

Sap. 7.

Act. 2.

Ephes. 5.

SEdebat sic super fontem, sedebat sic super fontem.] Et quam lucem, Pater Sancte, quam cognitionem rerum diuinarum (vt verum fateamur) habuere Philosophi? Nescierunt eius essentiam, quòd est trinus & vnus; nec eius potentiam, quòd mundum de nihilo creauit; nec eius sapientiam, quòd omnia gubernat, nec capillus vnus sine ipsius prouidentia de nostro capite decidat; nec bonitatem illius, quòd non dedignatus est istis temporibus pro nostra salute hominem induere,

Exigua lux Philosophorum de rebus Diuinis.

duere,& incarnari; nec eius misericordiam,quòd tam facilè peccata dimittit; nec eius iustitiam, qui grauissimè castigat eos, qui pœnitentiam aspernantur. De homine, de vita & felicitate illius semper philosophabantur. Quid scire potuerunt, qui nec cælum, nec infernum, nec pœnam, nec gloriam post hanc vitam crediderunt? Qui æternitatem nostram in solo nomine & fama construebant, nec de animarum immortalitate certi aliquid statuere potuerunt: qui de resurrectione corporum tot mouerunt dubia, & de migratione animarum in alia atque alia corpora nescio quid non risu dignum fabulati sunt? Ecquid de mundo ipso, cuius tantos se Philosophos esse gloriabantur, intellexerunt, cùm non potuerint vnquam demonstrare mundum fuisse semper; & tamen capere non potuerint aliquando interiturum? Quodque absurdius est, maior eorum pars eius fuit opinionis, omnia vel à casu esse, vel à fatali necessitate. De Ideis, quarum celebriores inter illos tam fuere curiosi, quid scire potuerunt, cùm ne iota quidem de æterno Verbo, Idea, archetypo, & omnium formarum intelligibilium in diuina mente exemplari intellexerint? Quòd si veritatem Idearum non comprehenderint, quomodo scire potuerunt, quid sit, & quomodo operetur natura; cùm ea non operetur sine seminali ratione in materia; & ratio seminalis pendeat à ratione elementari, & elementaris à cælesti, & cælestis ab intelligibili, intelligibilis denique ad ideali? Angelorũ quam habuere notitiam, cùm nunquam scire potuerint primam inter bonos & malos Angelos differentiam, neque ratione naturali vnquam eò peruenire potuerint, vt casum Luciferi, qui tot Angelos in Dæmones conuertit, crediderint? De virtutibus & vitijs nostris, quam habuere scientiam, si lucem peccati originalis non habuerint? quod tamen in primo homine corrupit & contaminauit non vnã personam, sed totam humanam naturam; vnde continua illa pugna inter carnem & spiritum nascitur, & tãta diuinæ gratiæ necessitas exorta est, sine qua gratia nõ modò difficile est, sed & impossibile naturam sanare, studiosè viuere, peccatum fugere?

Vnde oriatur necessitas diuinæ gratiæ.

SEdebat

SEdebat sic super fontem, sedebat sic super fontē.] Christus noster tanquam Sol radijs suis percutiendo & repercutiendo, aquas illas sic mouit, vt Philosophi, qui antea erant in seipsis tam elati, tam superbi, tandem trementes cum summa humilitate infirmæ naturæ debilitatem cognoscere, & omnipotentis gratiæ virtutem adorare cœperint;

Sicut aquæ tremulum labris vbi lumen ahenis
Sole repercusso, aut radiantis imagine Lunæ.

Tremuerunt primi Philosophi ad Deum conuersi.

inquit Poëta. Quomodo tremuerunt illi Dionysij, Hierothei, Iustini, Aristides, Quadrati, Pāphili, Apollinares, Arnobij, Clementes & alij Philosophi, qui in illis principijs ex varijs sectis ad Christum conuersi sunt? quomodo inquam tremuerunt ad lumen illud magnum Euangelij, in quo cæcitatem suam & tenebras, in quibus versati erant, abyssumque miseriarum suarum viderunt & agnouerūt? Erant priùs quodammodo diaphani, deinde facti sunt luminosi, tandem etiam radijs suis per omnia scintillando, scribendo, loquendo & doctrinam Christi docendo, mundum ipsum illuminarunt.

SEdebat sic, sedebat sic super fontem.] Vnus fons sedebat super alium: fons sapientiæ diuinæ super fontem sapientiæ humanæ. *Fons sapientiæ Verbum Dei. Nónne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? SEdebat sic super fontem.*] Non potuisset aliter cōmodè mundū ad sese attrahere, si nō priùs cōuertisset Philosophos, qui erant quasi frena homines quocunque volebant circumducentia. Iudæi signis & miraculis, Ethnici sapientia & philosophia regebantur. Quomodo Christus in omnibus confudit Iudæos, ita non destitit in omnibus etiam confundere gentiles. *SEdebat sic super fontem, sedebat sic super fontem.*] Dominabatur Philosophiæ, possessionem in ea cepit, conciliauit inter se Philosophos, cōculcauit Philosophastros, & bonos Philosophos ad se pertraxit. O vocula hæc *sic*: quanti ponderis est hoc loco, Domini mei? *SEdebat sic super fontem, sedebat sic super fontem.*] Sedebat cum tanta Maiestate, cum tanta authoritate, cum tanta ratione. An non sit rationi consentaneum, terram se cælo inclinare, sensum intellectui, hominē Deo? sic & æquum est

Eccli 1.
1 Cor. 1.

est humanam sapientiam sese inclinare diuinæ. Et quæ est sapientia diuina, nisi Christiana? cùm etiam certum sit Christum tantò præstantiorem esse Moyse, quantò est vnigenitus filius patrisfamilias, quouis infimo in ædibus suis mancipio. Christus Moyse superior.

SEdebat sic super fontem.] Cum tanto honore fontis, & cum tanto commodo illius, qui super eum sedebat. Honor & dignitas rerum naturalium, Philosophi, hæc est, vt summum inferioris iungatur infimo superioris. Intellectus autem noster coniunctus, quid aliud est quàm intellectus patiens seu passibilis, qui est prima quædam materia cum intellectu agente copulatus, qui est quasi forma in ipsis intelligibilibus substantijs? O quanta itaque dignitas & gloria Philosophiæ est, cum fide, quæ principium est intelligendi, & secreta diuinæ sapientiæ penetrandi, coniungi? *Nisi credideritis, non intelligetis.* Ideo infames æstimati sunt Luciani illi, Porphyrij, Celsi, Libanij Philosophi imò Sophistæ, quia Philosophiæ præcipuum honorem detraxerunt, cùm Christum à puteo repellere voluerunt: & omnes illi magni Philosophi, quibus datum est videre magnum istud lumen, beati sunt habiti, eò quòd vel exiguum tātæ sapientiæ radium participarunt. Honor philosophiæ est, cū Deo coniungi. Esa. 7.

SEdebat sic super fontem, sedebat sic super fontē.] Philosophiæ fons nō est vnus, sed tres fontes sunt. Meministísne trium fontium seu puteorum in Genesi, quorum vnus dicitur puteus visionis, alius puteus abundantiæ, tertius puteus iuramenti? Puteus visionis est Philosophia rationalis, quæ acuit ingenium, & instruit intellectum, ad verum à falso, syllogismū à paralogismo discernendum. Puteus abundantiæ est Philosophia moralis, è quo fluunt copiosa morum ciuilium, monasticorum, œconomicorum & politicorum flumina. Puteus iuramenti est Philosophia naturalis, quæ comprehendens res omnes creatas & naturales quasi iurat, infinitamque virtutē nostri Creatoris testificatur. Tres putei Philosophici.

Christus noster *sedebat super fontem.*] Non super hunc aut illum fontem, sed simpliciter super fontem. super omnem fontem, vt purgaret fontem visionis ab omni errore; vt ampliaret fontem abundantiæ, virtu- Christus sedet super omnes fontes.

tumque Christianarum redderet capacem; vt fontem iuramenti consecraret, quò secreta sapientiæ super omnem naturam penetraret. *SEdebat sic super fontem.*] Ecce noster Salomon, qui de rationali Philosophia in Prouerbijs, de naturali in Ecclesiaste, de morali in Cãticis philosophatur & scribit. *Et ecce plus quàm Salomon hic.* Quæ naturalis Philosophia vnquam tradita est sublimior ea, quæ est in Euangelio Ioannis, quæ tanta cum sapientiæ altitudine loquitur, & tam prolixè de Domino naturæ, super nubes, super cælos, super Angelos, & super Archangelos disserit? Quæ perfectior vnquam audita est Philosophia moralis, ea, quã tradit in suo Euãgelio Matthæus? qui de Christo tanquam homine disputans, omni populo cuncta humanæ vitæ præcepta tradidit? Quæ vnquam Philosophia rationalis lecta est acutior ea, quam Marcus in suo monstrat Euangelio, qui tanta cum ratione in ipso principio hanc prophetiã de Angelo; *Ecce mitto Angelum meum qui præparabit viam ante faciem tuam*; cum vita Angelica Ioannis baptistæ; *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini*, coniungit, vt ex his duobus præmissis, concludat, eum fuisse dignum præcursorem Christi, super Angelos per naturam, super omnes homines per vitæ sanctimoniam. *SEdebat super fontem, sedebat super fontem.*] Habent sapiẽtes huius seculi fontem alium, è maxilla Samsonis manantem: qui significat historias, narrantes fortitudinem & prodigiosa Heroũ facta. Hæc enim historica cognitio, neque ad Philosophiam naturalem, neque ad rationalem, neque ad moralem, vt pars, pertinet. Quæ autẽ historia vnquam scripta est elegantior illa, quæ in Euangelio Lucæ contexta est; qui cum ordine & diligentia historiographo digna à principio vsq; ad finem vniuersam Christi vitam commemorat; mortem quoque illius, resurrectionem & ascensionem prosequitur, & in Apostolorũ Actibus principia, progressusque nascentis Ecclesiæ coronidis loco subijcit?

Philosophia Christi naturalis.

Matth. 12.

Philosophia Christi moralis.

Philosophia Christi rationalis.

Mal. 3.

Mar. 1.

Sapiẽtes huius seculi suos habent fontes.

SEdebat super fontem, sedebat super fontem] Christus noster. Non sedebat iuxta fontem, non procul à fonte; sed *super fontem*. In ora fontis, supra petram putei, ita vt qui videre velit fontem, simul videat & Christum:

ſtum: imò priùs Chriſtum, quàm fontem, priùs authorem fidei, quàm magiſtros Philoſophiæ. *Puteus* (Philoſophiæ, ô homo) *altus eſt, nec in quo haurias diuina habes,*] ſine fidei adminiculo. Ideo Chriſtus ſedet ſuper fontem. *Vt dum credis quæ non capis, credendo ſis idoneus, & capias: quia ſi non credis, nunquam capies, & minùs idoneus remanebis.* O verba D. Auguſtini meritò notanda. *Fides mundat te, vt intellectus impleat te.* Et paulò pòſt; *Quod credimus, debetur authoritati: quod intelligimus, rationi. Authoritas rationi viam parat, ratio ad intellectũ cognitionemque perducit.* Non eſt hoc vinum aqua miſcere, quod Propheta reprehendit: ſed eſt aquã in vinum ad imitationem Chriſti cõuertere, cùm ſcilicet ſimpliciter credimus, & poſtea quod fide credimus, ratione defendimus. Fides facit vt credamus, & poſtea Philoſophia quod creditur facit intelligere, nõ eſſe incredibile quod credimus. *SEdebat ſuper fontem; ſedebat ſuper fontem.*] Non opus erat Euangelio Philoſophia, neutiquam: & tamen quis commemorare poſſet, quantopere curſum ſuum accelerauit per Orientem Athenis in illo Areopago, in Aſia per Indiam inter illos Brachmanos, & Gymnoſophiſtas: deinde & hìc in noſtro Occidente quam facilem viam inuenit ad Druydes in Frãcia, ad noſtros Oratores & Poëtas in Italia? O quàm iucundum fuit videre Philoſophiam ſe ſubmittere fidei? Oratores credere piſcatoribus? Logicos & Mathematicos ab iſtis ſimplicibus hominibus perſuaderi? O quanta Chriſti gloria fuit Scytham & Barbarum colla demiſiſſe, ad fidem tam aſperam & difficilem, cum tanta reuerentia ſuſcipiendum: Aſianum tam delicatum & mollem ſuas delicias, ſuum luxum deſeruiſſe, omnibus voluptatibus huius vitæ renunciaſſe, ſola ſpe vitæ æternæ, quæ in Euangelio promittebatur? Africanum tam vafrum, tam aſtutum, tam ingenioſum, tam ſimpliciter piſcatoribus illis, qui in ſimplicitate verborum doctrinæ Chriſtianæ veritatem annuntiabãt, credidiſſe? *SEdebat ſic ſuper fontẽ, ſedebat ſic ſuper fontem.*] Et ecce fons noſter factus eſt mare: quemadmodum paruus ille lapis factus eſt mons magnus, & impleuit vniuerſam terram. Non legiſtis in Daniele; *Lapis factus eſt mons magnus,*

Præcedere debet fides, ſequi Philoſophia.

Philoſophia iuuat fidem.

Dan. 2.

magnus, & impleuit vniuersam terram? Fons paruus creuit in fluuium magnum, dicit alio loco Scriptura, *& in aquas plurimas redundauit*. Eheu conditionem huius temporis, nunc mare in exiguum flumen conuersum est. Heu quas in angustias redacti sumus? Vt nihil dicā de Africa, vbi sunt omnes Ecclesiæ totius Asiæ? Vbi est Ephesus, Smyrna, Pergamus? Vbi est in Oriente Antiochia, prima sedes Petri? Vbi est Alexandria B. Marci cathedra? Vbi est Hierosolyma terra illa sancta, quam Sanctorum pedes calcarunt? vbi Christus salutem nostram in suo sanguine operatus est? Vbi est Thessalonica? vbi omni æuo propter Solis colossum celebris illa Rhodus? Vbi Roma nostra secunda Constantinopolis? Sed reuertamur in nostram Europam. Vbi sunt vicinæ ciuitates Bellogradum, Buda, Strigonia, Alba regalis? Hei, hei mihi, eloquar an sileam? Vbi est tanta fides quæ erat in chara nostra Germania? in Anglia? in Scotia? in Borussia? in Pannonia? Hei mihi, hei mihi, hei mihi tertiò, in quo periculo versatur Christianissima Francia, quæ toties & armis & litteris hanc sanctam Apostolicam Sedē, totamque Religionem Christianam defendit? Non immeritò forsan de nostris hęreticis dicere possumus, quod olim Christus dixit de Samaritanis; *Leuate oculos vestros, & videte regiones quia albæ sunt iam ad messem*. Auertat tamen Deus, ne aliquando dicamus; *Leuate oculos vestros & videte regiones, quia aridæ sunt iam ad ignem*. Sed nolo serenum hunc diem flebili perturbare tragœdia.

Hest. 10.

Mare nostro tempore factum est flumen.

Ioan. 4.

ECce venit mulier de Samaria haurire aquam.] Christus expanderat retia, vt caperet volucres, & ecce hæc est præda, quam expectabat. Hac vna columba capta, capiet mille alias. *MVlier da mihi bibere.*] Volebat quidem animæ illi infirmæ, languidæ & siti propè enectæ potū dare, & hoc potu vitam restituere. Sed aqua Christi est verè aqua illa, quæ est principium generationis, quæ filios Dei producit. *Initium vitæ hominis aqua*. Terra mater communis est hominum, aqua verò mater hominum Christianorum. Non est hæc paruı æstimanda, nec alij cuiquam, nisi cum maximo desiderio petenti propinatur. *Sitientes venite ad aquas*, ait

Gratia est aqua Christi.

Eccli 29.

Esa. 55.

ait Propheta. *Si quis sitit, veniat ad me & bibat*, ait Euangelium. *Esurientes impleuit bonis*, canit sanctissima Virgo. Hinc Christus beatos nominat, qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Vt igitur Christus mulierem hãc disponat, vt sitim in illa accendat, sitiensque illa hanc aquam cupidè flagitet, incipit cum illa sermone conferre, & humanissimè tanquam Deus gratiarũ & hominum omnium amabilissimus, cum illa colloqui. Qua de re locutum arbitraris: de bibendo. Infirmis nullus sermo gratior est, quàm si quis de aqua fontis bibenda loquatur. Sed & ægrotantes somniant nonnunquam se limpido ex fonte bibere, & se sanatos arbitrantur. Mulier, inquit Christus, fessus sum, meridies est, & Sol vergit in occidentẽ. longum iter emensus sum, vehementer sitio, veni ad fontem hunc; Da mihi quæso bibere. Meministis credo alio quoq; tempore Christum seipsum ad prandium apud Zachæum in arbore sedentem inuitasse. *Descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Et in Apocalypsi, nónne sæpe se ipse ad cœnam nostram inuitat? *Ego sto ante ostium & pulso: aperi mihi. Si quis aperuerit mihi, introibo ad illum & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* O animæ mihi charę, nimis dulcis, nimis humanus & ciuilis est Christus noster: conuiuit nobiscum, sed vult vt & nos conuiuamus cum illo. aquam suam nobis offert, sed & vicissim aquam nostram cupit sibi propinari.

Ioan. 7. Luc. 1. Matth. 5.

Colloquium Christi cum Samaritana.

Luc. 19.

Christus nobiscum prandere & cœnare cupit.

Apoc. 3.

MVlier da mihi bibere.] Domini mei, si amorem respicias, liberalissimus omnium qui possunt excogitari amator est, & tamen in eodem amore distribuendo non est in mundo Princeps illo auarior. Liberalitas eius nota est, vnigenitum enim filiũ suum dedit, quia nos amabat. Fatetur hunc ex nimio suo amore nobis datum. *Propter nimiam charitatem qua dilexit nos, proprio filio suo non pepercit.* Videte nunc illius auaritiam; Non vos participes facit amoris sui, nisi & vos amorem illi vestrum reddatis. *MVlier da mihi bibere.*] Mercator sum, inquit Christus, & vos homines estis mercatores: in negotiando datur & accipitur, *Da & accipe*, inquit antiquus ille sapiens. Æquum est, vt qui dat, accipiat. Ego tibi tantum do ex meis, tu mihi aliquid redde ex tuis. *MVlier da mihi bibere.*] Ego sitio

Deus est liberalis amator, sed auarus amoris postulator.

Rom. 8.

Aqua Dei donatur & venditur.

te, fidem tuam, amorem tuum, salutem tuam, ne patiare vt anima mea deficiat. *Da mihi bibere.*] Aqua mea quidem donatur, quia est gratia, & non merces: debet tamen à vobis ex parte vestra emi & comparari, quia (vt scitis) omni pretio est pretiosior. Omni auro huius mundi non potest emi, omnibus operibus quæ potest homo facere hunc thesaurum nemo potest mereri: sed ardenter illum desiderare, & quicquid homini possibile est facere, vt acquiratur, hoc demum est emere & comparare. Non legistis; *Venite & emite. Suadeo tibi emere aurum probatum?*

Apoc. 3.

MVlier da mihi bibere.] In nuptijs sponsus omnes suas diuitias, honores suos omnes sponsæ impertitur. sed & sponsa vicissim quantumuis inops est, aliquid saltem in amoris sui testimonium reddere consueuit. Ego te mihi sponsam elegi, dedi tibi omnia quæ dare potui, dedi tibi memetipsum, te naturæ meæ feci participem, à te autem nolo aliud amoris tui indiciū, quàm; *da mihi bibere.* Non fiūt nuptiæ, nisi cum consensu communi: consensus hic forma est vtriusque & carnalis & spiritualis matrimonij: hoc à te peto anima mihi charissima, ne mihi hoc vnum neges oro; *Da mihi bibere.* Domini mei, non legimus Christum in hoc Euangelio bibisse, vel comedisse iuxta fontem hūc Samaritanū: imò cùm Apostoli ex vrbe, vbi emerant commeatum, reuersi inuenissent illum lassum & defatigatum, cumque inuitassent, vt se nōnihil edendo refocillaret, *Rabbi manduca.* respondit ille se alium habere cibum manducandum, quem illi non intelligebant. *EGo,* inquit, *habeo alium cibū, quem vos nescitis. Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, & perficiā opus eius.*] Cùm itaque dicit; *Mulier da mihi bibere,* aliū profectò potū intelligit, quàm aquā illam materialem & terrenam, quæ ex hoc fonte, siue puteo scaturiebat, vnde filij, nepotes, serui, familia & pecora Patriarchæ Iacob olim biberant. Sitis eius erat spiritualis, & proinde aqua quam postulabat spiritualis erat. Quando mulierem hanc Samaritanam conuerterat, quando illam gratiæ suæ capacem fecerat, quando illi reuera persuaserat se esse Messiam, filium Dei vnigenitum, qui è cælis in terram venerat, qui homo factus erat,

Sitis Christi qualis fuerit.

erat, vt gentes saluas faceret omnes in se credentes, quando vidit eam relicta hydria in ciuitatem properare amore ebriam, fide & spe in Christum plenam, quasi vitæ prioris pertæsam, quasi pœnitentem, quasi in aliam mulierem mutatam, quasi non ampliùs secundùm litteram, sed secũdùm spiritum Samaritanã, animæ suæ, salutis suæ, cordis sui veram custodem; quando, inquam, hæc Christus vidit, confestim & fames & sitis in eo extincta est, abundè illi satisfactum est, contentus hoc solo nec de potu ampliùs, nec de cibo cogitauit. arbitrabatur se nunquam cum Iudæis delicatiùs aut splendidiùs pransum esse, quàm hîc cum Samaritana, vbi sine cibo & potu manducauerat, biberatque ad satietatem. Videte itaque quanta cum arte hoc symbolum, hoc symposium præparauit. nihil nõ tentat vt paulatim animam huius mulieris ad hunc potum disponat. Primò imbuit illam rebus fidei, quæ sunt inuisibiles, idque insigni illa ratiocinatione de differentia aquæ huius mundi & aquæ diuinæ. illas dicit sitim non restinguere, has præseruare ne opus sit nobis aliunde potum petere: cùm irrigatos nos, humectatosque tam intus, quàm foris semper conseruet. *OMnis qui biberit ex hac aqua, sitiet iterum: qui autem biberit ex hac aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.*] Inde reuocat illi in memoriam turpitudinem vitæ anteactæ, & ostendit illi miserrimum statum, in quo nunc erat cõstituta, vt eam suauiter ad pœnitentiam pertraheret; dicẽs eam quinque maritos habuisse: signum profectò magnę incontinentiæ, & vt insatiabilem suam libidinem expleret, nunc instar meretricis sexto non marito corpus suum prostituere. *VAde voca virum tuum. Quinque viros habuisti, & hunc quem habes non est tuus vir.*] Postea docet modum & locum, quomodo & vbi Deum posset placare; dicens eum posthac non oblectari vitulis & agnis, sed puro corde & spiritu contribulato. nec Iudæorum tantummodo illum & Samaritanorum, sed omnium nationum esse Deum. ideoque omni in loco eum adorari posse. omnes eum homines creasse, & velle vt omnes salui fiant. *DEus spiritus est, & eos qui eum adorant, in spiritu & veritate oportet adorarę.*

Ars Christi in conuertenda hac muliere.

Nam & Pater tales quærit, qui eum adorent in spiritu & veritate.] Reuelat illi secretum, fore breui vt exeat de Iudæa vera doctrina religionis, quæ in vniuersum orbem terrarum diffunderetur, vt omnis homo posset adorare Deum in puritate fidei, & æternam salutem cõsequi. *MVlier crede mihi, venit hora, & nunc est, quando neque in monte hoc tantùm, neque in Hierosolymis tantùm adorabitis Patrem. Salus ex Iudæis est. Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus.*] Vltimò viam illi salutis demonstrat, viam præsentem & futuram, meriti & præmij, gratiæ & gloriæ, quando illi manifestis verbis ostendit, & sine vlla parabola, vocem illam ad mundum amore sui inflammandum idoneam. *Ego sum qui loquor tecum.* Quæ verba tanquam plena spiritu, imò spiritus & vita ipsa, ab illo vitali æterni Verbi fonte profluentia, per aures ad cor, imò ad medullam animæ penetrarunt; adeò vt immemor suijpsius facta est diuini amoris præda per Christum, relictisque omnibus in ciuitatem properauit. Apostola facta & Euangelista, imò typus totius Ecclesiæ, quæ quasi mater inuitat omnes ad salutem: hoc vnicè desiderans, ne vel vna pereat anima, cùm Christus mortuus sit pro omnibus, prædicansque gloriam Domini, tot gentes ad Euangelium pertraxit. *REliquit mulier hydriam suam, & iuit in ciuitatem, & dixit illis hominibus; Venite & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcunque feci.*]

Samaritana facta est Apostola & Euãgelista, & typus Ecclesiæ.

Ah, frater mi Sol, gaudeo quidem tecum, quòd incipis sororem tuam Lunam vincere, quæ præteritis diebus tenebris obscuræ noctis lucem diei superabat. sed cur hodie tam velociter curris, & currum tuum tanta cum celeritate circumducis, vt cogas me in hac mea nauigatione ante tempus vela contrahere, & in terram descendere, licet ad metam itineris, quam mihi proposueram, nondum peruenerim? Concludam tamen, Auditores, sed patienti stomacho feretis, si paulò sim prolixior, quia tardè nimis incepi. Rubigo non est ferro naturalis, sed in cultro aut gladio ex hominum negligentia nascitur: iccirco multo labore abstergitur, antequam ferrum ad pristinum splendorem suum reuertitur. Vitium, peccatum, cæcitas, & vt ve-

Malum non est homini naturale.

vt generaliter loquar, omne malum homini non est naturale: humana namque natura creata est iusta & innocens; sed malum omne per negligentiam Protoplastorum in omnibus nobis contractum est. Ecce Christus noster venit, vt panopliam pro vniuerso humano genere instrueret, ferrum nostrum, hoc est, animos nostros rubigine vitiorum obductos poliret. Deus tantummodo largiatur nobis, vt cùm extersi & politi sumus, perque veram cognitionem & diuini amoris ignem pristinus in nobis splendor est restitutus, rubigine rursus noua non maculemur, nec ad priores affectus nostros, ad priora vitia, ad mores huius seculi reuertamur. Hæc mulier prudens & fortis nunquam rediit ad hydriam suam, quam semel reliquerat. Discite Romani, qui nunc peccata vestra confessi estis, (neque enim credo vos cõmunem imitari plebem, & confessionem vsque in finem Quadragesimæ differre) discite, inquam, Samaritanam imitari, antiqua peccata, & hydriam relinquere. Nolite, nolite reuerti ad hydriam semel relictam. Progredimini, progredimini, & non reuertamini. *Laui pedes meos, quomodo iterum coinquinabo eos?* O quot fuerunt in illis Ecclesiæ initijs, qui magnis istis Philosophis Christianis iam factis persuaserunt, vt ad hydrias suas redirent, ad Philosophiam reuerterentur, & fidem desererent. *Reliquit mulier hydriam, reliquit mulier hydriam.* Sic & Iudæi ad Iudaismum reuerti non debuissent. *O insensati Galatæ, currebatis aliquando bene, sed quomodo conuersi estis iterum ad elementa egena? Quis vos fascinauit non obedire Euangelio?* Pater Sancte, priusquã ad finem me præparem, decem verbis tuam Sanctitatem placet compellare. *Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi.* Christus noster sponsus est, sponsus humanæ naturæ, sponsus fidelis animæ, sponsus Ecclesiæ Sanctæ. Tu amicus es sponsi percharus, qui audiens hodie vocem illius, qui tãto cum amore, tantaque cum gratia potum exigit, meritò debes gaudere, eò quòd oblata est tibi optima hæc occasio, vt ostendas in hac siti illius, quòd eum diligis. Hæc Christi sitis non fuit exigua illi afflictio, Pater

Quid sit relinquere hydriam.

Cant. 5.

Gal. 3. 4.

Apostrophe ad Pontificẽ.

Ioan. 3.

Christus in cruce non de morte, sed siti conqueritur. Sancte. Scis eum in Cruce non de dolorũ & tormentorum grauitate, non de morte ipsa conquestum, sed de intolerabili sua siti. *Sitio, Sitio.* Quid agis, quid agis Domine Iesu? de Cruce siles, & de siti clamas? O si diligas illum Papa Pie, fac vt bibat. Ah quantopere dilexit te Christus noster, Pater Sancte, quàm tenerè te amauit, quàm charus illi amicus es? Beatus es, si secundùm proportionem tu Christum diligas, quomodo Christus dilexit te. Meministíne paucos illum ante annos tibi soli inter tot Dominos, qui tecum

Luc.14. erant, in hoc Palatio dixisse; *Amice ascende superius?* Et quia illius dicere est facere, fecit te superiorẽ omni-

Hier.1. bus populis & Regnis, vt Sanctitas vestra, *Et euellat, & destruat, & dissipet, & disperdat, & ædificet, & plantet:* Quid potuit tibi facere, & non fecit? Hodie igitur cùm sitiens postulat Ecclesiæ, omni animæ, omni homini potum, dicens; *Da mihi bibere.* nónne omni cura & diligentia id saltem ages, vt sitim restinguat? Quantum in te est, conare & effice vt bibat. Sed caue diligenter, ne illi iuxta consuetudinem antiquam detur accetum & fel nostrorum abusuum; sed aqua limpida & recens diu desideratæ reformationis, vt labra

Ioan.19. sua refocillet, & non dicat; *Consummatum est.* Neque ad æternam omniũ nostrûm ignominiam scribatur; *Et noluit bibere.*

Pontifex spõsus est, spõsa verò vniuersalis Ecclesia. *Qui habet sponsam, sponsus est.* Etiam & Vestra Sanctitas sponsus nominatur: & videte quę sponsa vestra sit: An incognita? an inops? an deformis? Est Ecclesia Romana, prima inter omnes Ecclesias, & ipsa Ecclesia vniuersalis, cuius Roma caput est. Omnis Episcopus suæ Ecclesiæ sponsus est. Sanctitati vestrę tota Ecclesia est demandata & concredita. Dicite, dicite & vos ad magnam hanc vestram Ecclesiam, & dicere vestrum sit etiam facere, dicite, quòd sititis: dicite, vt detur vobis bibere; *Mulier da mihi bibere.* Prælati, sitio in vobis doctrinam eminentem, quia non desunt, nec deerunt vnquam hæreses in Ecclesia, & necesse est illis resistere. Principes & Reges, sitio in vobis fortitudinem & magnanimitatem ad defensionem fidei; quia non sumus securi, neque de hæreticis, neque de Turcis. Et quid poterunt Concilia, nisi per brachium

secu-

ſeculare ſubditi ad illorum obſeruantiam cogantur? Religioſi, ſitio in veſtris monaſterijs conſtantiam, ne ſanctos iſtos carceres fugiendo, vagando, apoſtatando deſeratis. Barones, ſitio in vobis pacem & concordiam, ne vnus aduerſus alterũ foueat inimicitias. Nobiles, mercatores, ciues, plebeij, ſitio in vobis bonam, piam & laudabilem vitam: quia peiùs hodie viuitur inter Chriſtianos, quàm inter Turcas. Infractæ ſunt leges, violatæ ſunt conſtitutiones tam Pontificiæ, quàm Cęſareæ. Nolo vt ſic progrediamini. Volo vt vita mutetur in melius, volo vt omnia reformentur, tam in Principibus, quàm in ſubditis, tam in Clericis, quàm in laicis. Pater Sancte, hæc ſunt quæ à Sanctitate Veſtra mundus expectat: omnes boni bibere deſiderant, ſatis diu expectarunt, diutius non poſſunt, clamant & vociferantur; *DA mihi bibere.*] Tot ſunt inter Hæreticos Catholici, quibus non licet ſacrificium Miſſæ audire, tot ſunt Chriſtiani à Turcis in ſeruitutem abducti, quibus vix conceditur Crucis ſe munire ſignaculo. Tota Italia ſerpit lolium, imò peſtis hæreſeos. Omnes, omnes vna voce clamitant, imò Chriſtus ipſe in illis vociferatur, Papa Pie, Papa Pie; *Da mihi bibere.* Hoc eſt officium Pontificis, Pater ſancte, hoc officium Pontificis Pij. Quid ſibi vult nomen Pij? quid? niſi religioſum ſignificat? Pietas propriè cultus Dei eſt, & ad quem pertinet hic cultus, hæc defenſio, hæc religionis propagatio, niſi ad Dei Vicarium? Non tantùm Chriſti hominis, ſed & Chriſti Dei Vicarius es. Ad hunc cultum, ad hunc cultum tantopere & per hæreticos forinſecus, & per malos Chriſtianos intrinſecus labefactatum accedat Veſtra Sanctitas, eumque ſummo cum ardore & conamine priſtino nitori reſtituat.

Pontifex Dei Vicarius.

Mulier hæc Samaritana paululum tantùm illuminata, nihil priùs Chriſto proponendum duxit, quàm de Religione & cultu diuino; *PAtres noſtri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, quia Hieroſolymis locus eſt vbi adorare oportet.*] Ah Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi Domini mei, quæ noſtra eſt hæc impudentia, vt ſine pudore diuini cultus curam & rationem tam exiguam habeamus? nos, nos inquam, qui ſumus

Christiani? qui sumus religiosi? qui sumus Prælati? Cùm & ipse Pythagoras Ethnicus in aureis suis carminibus, si tamen ipsius sint, dixerit; *In primis venerare Deos*. Quòd si plurale vertas in singulare, nescio an quid dici possit sanctius, cùm & primum præceptũ Decalogi diuinum cultum nobis commendet. Hæc, hæc prima sit vestra cogitatio, hoc primum vestrum studium, hæc prima & potissima diligentia, vt plebs Deum reuereatur, Religio proficiat, fides propagetur. Sacerdotio annexus est principatus temporalis, non Sacerdotium principatui. *Primùm, primùm quærite Regnum Dei & iustitiam eius*. Conseruare iustitiam, pacem, abundantiam, pertinet ad politiam temporalem: conseruare cultum Dei & Religionem, pertinet ad Hierarchiã spiritualem. In Hierarchia Ecclesię triumphantis nullũ est aliud exercitium, quàm perpetuò laudare Deum; in hac saltem militante curandum, vt ante omnia colatur idem Deus & honoretur, non tantùm exteriori cultu, sed & interiori, fide, spé & charitate, *De corde puro, conscientia bona, & fide non ficta.*]

Prima nostra cogitatio qualis esse debeat.

Luc. 12.

1 Tim. 1.

Nolo hîc ad hæreticos sermonem conuertere, tum quia illi aquam aliam non bibant, quàm contradictionis; tum etiam, quia hîc non sunt præsentes. Quòd si adessent, intrepidè, vt soleo, dicerẽ illis, quod Christus hodie dicit Samaritanæ; *VOs adoratis quod nescitis.*] Hæreticus enim Christum sibi fingit, qualem velit: fidem, Religionem, cultum sibi cõminiscitur, pro suo arbitrio. Indubitatum vobis sit, quòd qui ex semetipso recedit à vera Dei Ecclesia, glorietur in Scripturis sacris quantum velit, paulatim etiam à vero Dei cultu recedit, & nescit miser, quò vadat, aut quid faciat. Sed loquar potiùs de nobis, & de nostris Catholicis, qui licet adoremus Deum in veritate, & non in mendacio, quia per gratiam Dei in vera sumus Ecclesia, doctrinam veram, fidem veram, & Religionem habemus veram, nescio tamen an adoremus illum in spiritu; *DEus spiritus est*, dicit hodie Christus. *Et eos qui Deum adorãt, in spiritu & veritate adorare oportet.*] Ah vereor ne quidam sint ex eorum numero, de quibus dicitur; *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè à me est*. Tantùm externus cultus apud nos reman-

Hæretici bibunt aquam contradictionis.

Matth. 15.

remansit, internus penè totus periit. Non est spiritus, non est spiritus: sumus omnes vites frondosæ absque vuis, absque vino, plenæ pampinis, plenæ frondibus. O quantus est inter nos hypocritarum numerus, qui sine fine ingeminant orationes, qui tundunt pectora, gemũt & suspirant, pleni interim sunt vsuris, rapinis, libidinibus, superbia, auaritia, omnique immunditia? Siccine colitur Deus? *In spiritu, in spiritu*, Romani. *In veritate* contra hæreses: *in spiritu* contra hypocrisin. *In veritate* contra Ethnicos, *in spiritu* contra Iudeos. *In veritate* rectę cognitionis, *in spiritu* ardentis deuotionis. *In veritate* puræ fidei, *in spiritu* sanctæ charitatis. *Cui seruio in spiritu meo*, dicit sanctus Paulus, meministisne? Non sufficit cultus exterior, requiritur cultus interior; ille corporis est, hic spiritûs.

Deus quomodo debet adorari.

Rom.1.

IN spiritu, in spiritu.] Homo nõ est hoc corpus tantùm, imò tota hæc moles quæ videtur minima pars hominis est: homo verus est interior, est anima, & animæ quidẽ superior illa pars, seu portio, quæ spiritus & mens appellatur. Si Deus ab homine sit adorandus, nõ sufficit cultus corporis: non, non. necessarius est cultus animæ, spiritûs, mentis. *In spiritu, in spiritu*. Diuitiæ non sunt pars hominis, instrumenta sunt, quæ seruiunt homini: nam & Ethnici Philosõphi diuitias appellant *Organa felicitatis*. Omnia nobis data sunt à Deo, cum omnibus oportet vt Deo seruiamus. Sed quę pars nostrî est melior, & qua magis Deo sumus obligati quã ceteris, hæc, hęc precipuè, & ante omnia diuino cultui est dedicanda. *In spiritu, in spiritu*. Placent mihi templa, altaria, lumina, sacræ vestes, incensa, Cruces, thuribula, imagines, argentea, aureaque Ecclesiæ vasa: Vox Iudæ est; *Potuit vnguentum istud venundari, & dari pauperibus*. Sed omnia hæc ad diuitias pertinent, non ad spiritum. *In spiritu, in spiritu*. Laudo cantica, hymnos, organa, voces musicas, externam reuerentiam, peregrinationes, genu flexiones, ieiunia planctus, pectoris tunsiones. Sunt hęc omnia ceremoniæ, testimonia fidei & reuerentiæ interioris, in sacris litteris commendata, & à patribus nobis tradita. Interim hæc omnia sunt quasi sacrificium, quod Deo à corpore & ex corpore nostro offertur, ideoque

Corpus minima pars hominis.

Quomodo & quibus rebus Deus colendus.

Matth.26.

Chri-

Christus dicit nec illud sufficere: necesse est vt etiam accedat sacrificium spiritûs. *In spiritu, in spiritu.* Qui aliter facit, non adorat, sed adulatur. Absit, absit ista pestis adulationis: simus adoratores, non adulatores. Existimatis hoc cultu Deum oblectari? Et si subinde delectetur hoc adulationis obsequio, an non displicebit perpetuùm? Quid enim est adulator, nisi derisor? *Deus non irridetur, Deus non irridetur. Qui habitat in cælis irridebit eos.*

Qui non adorat in spiritu, non est adorator, sed adulator.

Gal. 6.

Psal. 2.

IN spiritu, in spiritu.] Domini mei charissimi, pessimè conueniunt ceremoniæ sanctæ, & opera prophana; signa religiosa, & animus sceleratus; actus humilis & mens superba; via cælestis & vita terrena; non bene cohærent verba liberalia, & manus auaræ; oculi pij & cor crudele; caput reuerendum & conuersatio vilis; professio sacerdotis & vita militaris; Deus in ore & Diabolus in corde; crux in pileo figurata in capite, & crucifixus sub pedibus. Quæ mens, quis animus Religionem tam fictam & simulatam non detestabitur? *In spiritu, in spiritu,* nisi velimus parietes dealbati, & sepulchra depicta nominari. Non reprehendit Christus ceremonias, non templa, non imagines, non psalmodias, nec aliquem cultum visibilem. Heu mihi, vt quid vident oculi mei, & in vrbe, & extra vrbem Romanam, post exortam hanc hæresin tantas mutationes, tantos defectus, tantum diuini cultus decrementum? Vos scitis altaria, & Ecclesię Romanæ, quòd hęc dico cum summo animi mei dolore & ęgritudine. Vultis Domini mei facere, vt nulla sit querelarum causa? Scitis quem cultum velim ablatum & abrogatum? cultum qui nobis ipsis impenditur, cultum nostræ carnis, nostri honoris, nostræ vanitatis, nostrarū deliciarum, pomparum, auri, argenti, serici, in vestibus, in mulis, in cubilibus, in mensis. huic cultui modum statuite; hic enim est, qui mūdum offendit, inimicos irritat, amicos à nobis reddit alienos. De cultu verò diuino dicat hæreticus quicquid velit, oportet nos esse solicitos, vt Ecclesiæ sint bene instructæ, altaria splendeant, cantica nōn deficiāt, digna tamen Ecclesia Dei, non theatris conuenientia; obseruentur ceremoniæ, Sacerdotes in clericali habitu & tonsu-

Qualis cultus tolli debeat.

tonſura incedant; Sanctis & veris reliquijs, imaginibus eorum qui vt amici Christi gaudent cum illo in cælis, deuotio & reuerentia debita habeatur. Et quæ Religio fuit vnquam, aut esse potest sine cultu exteriore, atque viſibili? ſed neceſſe eſt, vt cultui illi exteriori reſpondeat interior. Et hoc eſt quod Christus dicere voluit, quia non videbat hunc cultum neque inter Iudæos, neque inter Ethnicos, neque inter Samaritanos. & nunc venerat in terras, vt cultum hunc per vniuerſum orbem diffunderet. Optarem, Domini mei, nos omnes tam deuotè viuere, vt omnis populus noſtro exemplo ædificetur. *Vt videant bona opera vestra*, inquit Christus. Sed & hoc optarem, nos oſtẽtare paulò minus, & eſſe paulò maius: ne ſimul & videamur & ſimus hypocritę. *Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua*, inquit Christus. Matth. 5. Matth. 6.

Sed propter frequentiã populi, quem adeſſe video, placet nonnihil digredi, & de cultu illo exteriore verba facere: qui quidem cultus vnico & generali verbo Ceremonia nũcupatur. Scitis (vt hinc incipiam) cur pectus tundatur? ceremonia eſt ſumpta ex Euãgelio: *Stans à longè percutiebat pectus ſuum*. quia teſtatur homo ſe agnoſcere peccatum ſuum in illo nido, in illo corde fotum, non extrinſecus vel à ſtellis, vel à fato, vel à prædeſtinatione, vel à præſcientia prouenieus; ſed intus à voluntate, à malis cogitationibus natum. *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, furta*, &c. Scitis cur genua flectamus, cur proni in terram procidamus? ceremonia eſt ab ipſo Christo in horto vſurpata: non meminiſtis; *Procidit in terram*, ait Euangeliſta Matthæus; & Lucas, *Poſitis genibus*. Fit autem in ſignificationem humilitatis & reuerentiæ, vt quando homo intuetur primò Deum, deinde ſemetipſum, in illa reflexione dicit & quidem omni merito, Quis es tu? & quis ſum ego? Hac cogitatione vileſcit ſibi ipſi, ſe peripſema & nullius pretij ducit, indignum putat qui cælum intueatur. Iccirco cadit in terram & dicit; *Tibi laus, tibi gloria, nobis autem improperium & confuſio facierum*. Scitis cur cantetur in Eccleſijs? antiquiſſima eſt inter Christianos ceremonia, cuius mẽtionem facit Plinius in Epiſtola ad Traianum; Canunt antelucanos

Cur pectus tundamus. Luc. 18. Matth. 15. Cur genua flectamus. Matth. 26. Luc. 22. Cur cantetur in Eccleſijs.

lucanos hymnos Christo Deo. Et in Euangelio legimus; *Et hymno dicto exierunt.* vox enim hymnus sua natura cantum includit. excitat autem cantus hic animum diuinis officijs occupatum ad iubilandum, & spiritualiter in Deo exultandum. Neque vllo tempore magis iubilandum est, quàm cùm Deo seruimus: cui seruire regnare est. *Exultabunt ossa mea cùm cantauero tibi*, dicit Dauid. Et D. Paulus; *Psallam spiritu, psallam & mente.* Heu mihi, heu mihi, quàm manifestè liquet hinc nihil nobis reliquũ esse, pręterquam; *Vitis frondosa Israël: Vitis frondosa Israël*, vt inquit Propheta, fortè de nobis locutus. Cur putatis Sacerdotibus tonsuram radi, nisi vt habeant caput patens cælo, ad recipiendum diuinos influxus, tanquam liberi & expediti ab omnibus superfluarum curarum, quæ per capillos significantur, impedimentis? Sed eheu plures in capitibus nostris curæ, pluraque secularia voluuntur negotia, quàm stellæ lucent in firmamento; imò quàm arenę sunt in littore Oceani, dicere debebam; sed Prophetam defraudare nolui, qui fortè sub typo Niniues de nostra Roma dixit; *Plures fecisti negotiationes tuas, quàm stellæ sint cæli.* Et cur existimatis (vt hîc finem faciam) nos demissis ad talos vti vestimentis, quibus & terram verrimus, nisi vt significemus nos pompam huius mundi, luxumque & superbiam omnem, quam tanti faciunt homines seculares, detestari, & pro nimo ducere. Sed quotidiana (prô dolor) experientia nos docet, signum signato esse contrarium. Nimis, eheu Pater Sancte, nimis sumus pomposi, nimis deliciosi, vani nimis. Corrige & emenda hæc omnia in nobis, ne post hac simus carnales, sed spirituales. *In spiritu, in spiritu.*

Mar. 14. | Psal. 70. | 1 Cor. 14. | Osee 10. | Cur Clerici tondentur. | Nahum 3. | Cur Religiosi longas vestes gerant.

Nescitis Patres Diuum Paulum Romanos cõmendare eximio isto præconio; *Vos in carne non estis, sed in spiritu?* Ah si nunc Romã veniret, quid putatis diceret? *Spiritu cæpistis, videte ne carne cõsummemini.* Quid? fortè diceret quod olim scripsit Galatis; *Vellem apud vos esse, & mutare vocem meam, quia confundor in vobis.* Diceret expressis verbis (si modò agnosceret nos & pro suis haberet, tantoperè mutata est Romę Christianę vitę formula) *Qui in carne sunt, placere Deo non possunt. Si quis*

Rom. 8. | Gal. 3. | Gal. 4. | Rom. 8.

Si quis ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. Domini mei, *Deus ſpiritus eſt*, quamuis *Verbum caro factũ eſt*, non tamen in carnem mutatum eſt: Iccirco & illum in ſpiritu adorate, vt quemadmodum caro facta eſt per ſanctiſſimam illam incarnationem inſtrumentum, non pars Dei; ita cultus iſte exterior ſi non generetur in ſpiritu per redundãtiam vt in perfectis, ſaltem non aliud eſt quàm inſtrumentum aptum ad ſpiritum in vero cultu interiore excitandum, quod fit in iis qui incipiunt & proficiunt. *In ſpiritu, in ſpiritu.* Iudæo & Ethnico non alia de re quàm de ſpiritu erat diſſerendum, toti namque caro erant. *Neque ſi ſpiritus eſt audimus*, legiſtiſne? At boni Chriſtiani, etſi vnum cum alio coniungant, carnem tamen parui pendunt, niſi adſit & ſpiritus: & exemplo excepto vanum coram Deo & inutilem æſtimant cultum carnalem ſine ſpirituali. Ioan. 4. Ioan. 1.

Ad finem propero, Pater Sancte, neque enim volo modeſtia & patientia veſtra abuti, cum Sanctitas Veſtra tanto me tempore benignè audierit. Dulciſſime Ieſu, humaniſſime Samaritane, ſanctiſſime Iudæe, incola mundi, communis homo, vniuerſalis Deus, qui non dedignatus es tam prolixè cum muliere Samaritana ſermocinari, & cibi & potus ex nimio ſaluandi hanc animã deſiderio obliuiſci, erat enim perdita. non contenta ſiquidem viris quinque, vt turpem ſuam libidinem expleret, iam tandem facta erat meretrix, ſeu concubina; Ethnicorũ more credens, fornicationem non eſſe peccatum. Clementiſſime Domine, nos fortè peiores ſumus illa fœmina, qui cùm tanto lumine doctrinæ tuę Euangelicæ, quæ nos ſemper è terra ad cælos, à carne ad ſpiritum ſubleuat, donati ſumus; contemnimus nihilominus te, qui vnicus es animarum noſtrarum ſponſus. Ecce præda ſumus quinque ſenſuũ huius corporis, nec vlli rei ſtudemus præterquam vitæ carnali. & quod peius eſt, idipſum facimus cum ambitione, & cum auaritia. iuncti ſumus adultero, qui non eſt ſponſus amoris, ſed author mortis; non medicus, ſed homicida; qui eſt Diabolus, non Deus. Domine, tu vis omnes homines ſaluos fieri, te ad bibendum cum omnibus inuitas, potum à ſingulis po-

Inuocatio ad Ieſum.

ſtulas, ſed dare tibi non poſſumus, niſi tu prior dederis nobis. *Da quod iubes, iube quod vis.* tu exigis ſpiritum, & nos ſumus caro; tu poſtulas aquam, & nos ſumus lutum. Da nobis, da nobis ſpiritum tuum, da nobis aquam tuam, purga lutum noſtrum, mortifica carnem noſtram, fac nos ſpirituales, fac diuinos.

Pater Sancte; *PVteus altus eſt, neque in quo hauriamus habemus.*] Et cuius tanta ſunt apud Chriſtum merita, vt ſufficiant ad gratiam illius comparandam? Quid itaque faciemus, Domini mei? O Virgo benedicta, ô Mater, ô Filia, ô Sponſa, ô Mulier quæ emolliſti durum, viciſti fortem, quę genuiſti Deum; Pontifex Pius, qui officio & miniſterio filij tui fungitur in his terris, quàm poteſt humilimè te rogat, & orat, corde magis quàm ore dicens; *O pulcherrima inter mulieres, da mihi bibere.* Ora filium tuum, vt amore tui languido ſpiritui meo vel paululum gratiæ ad bibendum propinet, & vt ad publicum Eccleſiæ beneficium, communémque tranquillitatem hanc tantæ contradictionis aquam, quæ ſalutares puteos ouium tuarum turbat, in aquam pacis & concordiæ commutet; vt illum omnes in vna fide, ſpe & charitate cum ſpiritu puro & ſincero abſque vllo doctrinæ errore, vitæque macula adoremus. Amen

Inuocat Author B. Virginem.

Cant. 1.

CON-

CONCIO IN FESTO ANNVNCIATIONIS B. MARIAE VIRGINIS.

DE INCARNATIONE CHRISTI.

Habita Venetijs, in Ecclesia Sancti Marci, Anno M. D. XXXIII. Præsente Serenissimo Principe Andrea Gritti, omnibusque Illustrissimis Dominis.

IN EVANGELIVM.

Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatē Galilææ.

PROOEMIVM.



SI immensus ille Deus tanquam seuerus & iustus, antiquis temporibus illis sancta sua præcepta dederit homini, ne peccaret; rationi consentaneū erat, eundem vt misericordem & clementem, postquā homo iam peccauerat, temporibus saltem posterioribus & nouis remediū quoque salutis conferre. Quapropter hodie interueniente Angelica legatione, altissima sic disponente prouidentia, desponsata Maria Virgine, & in arcano thalamo sanctissimi ventris operante Spiritu sancto, desideratissimis inter Deum æternum & hominem mortalem celebratis nuptijs, Vnigenitus filius summi Patris inuiolabiliter incarnatus est; de Spiritu sancto, vt esset sine peccato; ex Virgine, vt ceteris esset similis peccatoribus; iustus inter iniustos, vt saluaret; beatus inter miseros, vt glorificaret. Mysterium certè tuum, ò ex-

celsa Respublica, quæ in hoc die augurij tam læti à maioribus tuis fundata, meritò festum diem agis, propter felix hoc nũcium è regione tam longinqua, è cælo in terram allatum. Fuit hoc profectò certissimum felicitatis & libertatis tuæ tam honoratæ, qua iam frueris, prognosticum, gloria & optatus omni tempore, omnique ætati splendor. Salutemus B. Matrem intactam, semperque Virginem, quæ prima fuit, cui cælestia & spiritualia Incarnationis Christi communicata sunt gaudia. Offeramus illi ipsissima Archangeli Gabrielis verba, cùm nulla alia oratio possit illi vnquam esse gratior, nec vobis Venetis debeat esse familiarior aut charior, postquam Maria sit Aduocata vestra, sub cuius protectione viuitis & regnatis. *Aue Maria, gratia plena &c.*

AVE.

O noua Eua.

MARIA.

Stella maris hominibus,
Mare amarum Dæmonibus.

GRATIA PLENA.

In omnes generationes,
In omnes homines.

DOMINVS TECVM.

Tuus olim sponsus,
Tuus hodie filius.

BENEDICTA TV IN MVLIERIBVS.

O Mater,
O Virgo,
O Sponsa,
O Innupta.

ET BENEDICTVS FRVCTVS VENTRIS TVI IESVS,

Saluator mundi,
Benedictio omnium gentium.

SANCTA MARIA.

Tota pulchra,
Tota munda,

qui

Qua post Deum nihil sanctius.

MATER DEI.

Fons fontis,
Sol Solis,
Monstra te esse Matrem.

ORA PRO NOBIS PECCATORIBVS.

Vt filij mortis viuamus ob gratiam tui.

NVNC ET SEMPER.

In præcipiti sumus,
Tua ope semper egemus.

AMEN.

Fiat ô Aduocata nostra,
Fiat ô Domina nostra.
Vt qui dixit tibi Aue,
Dicat tandem nobis; Auete.

PRIMA PARS.



IN hoc tepescente gratissimi Veris tempore, benigna mater Natura, quasi terram cælo nouo quodam Matrimonij genere cõiungens, spatiosum hunc mundi campum nouo fœtu, nouaque implet generatione: ita vt reuera omnia quæ hactenus & in terra, & in aqua, & in aëre mortua videbantur, modò reuiuiscant. Ecce, Serenissime Princeps, Illustrissimi Domini excelsę huius Reipub. Senatores, quàm oportunè & quàm iusta ratione Sancta Dei Ecclesia ab infinita illa Spiritûs sancti sapientia in diuinis suis officijs erudita, & gubernata celebrat hoc anni tempore mysterium Incarnationis Dei, in ventre Virginis, idque interueniente Gabrielis Archangeli legatione: vt omnis fidelis nouo hoc tempore noua impleatur spe, se per hanc Sanctissimam Christi, fructus terræ illius beatæ Virginis Mariæ, generationem, per supercælestem eiusdem Spiritûs sancti virtutem, posse gratuitò renasci ad vitam, quantumuis filij mortis nascamur omnes. O Venetiæ, quo iure hoc sanctissimo die ta-

Sancta Ecclesia oportunè celebrat Incarnationem Christi in vere.

cere poterimus, aut qua ratione celare nouum & magnum hoc nuntium, tanto cum animi affectu à patribus, auis, attauisque in mille generationibus desideratum? Bona noua nulli occultanda sunt. *Hæc dies boni nuntij est*, dicebant leprosi illi, *si tacuerimus & noluerimus nuntiare vsque manè, sceleris arguemur. Venite potius & nuntiemus in aula Regis.* O lætum nuncium, O felicem, faustumque diem. *Venit Deus in castra, venit Deus in castra.*

4 Reg. 7.

1 Reg. 4.

Cùm Arca Dei descendisset in Silo, scitis quanto gaudio perfusus est totus Israëlitarum exercitus; clangebant buccinæ, pulsabantur tympana, resonabant tubæ, totus aër intremuit, montes & colles exultârunt: ait enim Scriptura; *Vociferatus est Israël clamore magno, ita vt personuerit terra.* Audiere tumultum, rumores & applausus illos Philisthæi, & quò priùs insolentiores fuerant, magisque superbi ac fastuosi aduersus pauidum & peregrinum populum illum, eò per *Arcæ*, quæ iam in hostium suorum castra venerat, præsentiam (ô improuisa & insperata mutatio) facti sunt timidiores: abiectaque animi arrogantia, pressi malis, & peiora metuentes in fugam se cõiecerunt. *Fugiamus Israëlem. Væ nobis, non fuit tãta exultatio heri & nudiustertius. Venit Deus in castra. quis nos saluabit de manibus Deorum istorum sublimium?* An non & vos Christiani coràm videatis, (vt secreta Dei erga nos beneficia detegamus) etiamnũ Dęmones per Philisthęos designatos, populi Dei iuratos inimicos contremiscere, & ab obsessis corporibus recedentes dicere; *Iesu, scimus quia tu sis sanctus Dei: sed quid venisti ante tempus torquere nos?* Euge, euge lætemur & exultemus; *Dæmones credunt, & contremiscunt.* In fugam versi sunt communes inimici nostri, lætemur omnes. Vos Sacerdotes, qui estis exercitûs nostri Duces, cantate & psallite, date classicum, conuocate populũ, instituite diem festum, indicite solennem festiuitatem, publicam & generalem: accendite faces, cremate thura, fument altaria, ornate templa, alternate choros, cum Angelis ipsis vicissim modulamini. Psalteria, Citharæ, Organa, Decachorda, ceteraque instrumenta musica omnia simul consonent, vt gratias agant infinitæ bonitati

1 Reg. 4.

Dæmones figurati p Philisthæos tremunt Christo incarnato.

Matth. 8.

Iacob. 2.

Dei, qui in ventre B. Mariæ Virginis hodie dignatus est incarnari, vt miserum hunc mundum, planè tum perditum, saluaret. *Venit Deus in castra, venit Deus in castra.* Illud est nuntium quod annuntiatur omnibus hominibus, magnis & paruis, senibus & iuuenibus, Græcis, Latinis & Barbaris. Christus est Arca & Arcus, Arca testamenti, & Arcus pacis. Arca fortis, Arcus formosus. Arca ex ligno terreno, sed incorruptibili. Arcus ex aëre & nubibus, sed colorum tam variorum atque venustorũ, vt nihil pulchrius vnquam humanus viderit oculus: hoc est, vt vno verbo dicam; Homo, sed absque peccato; Deus, sed visibilis, sensibilis, speciosus, in vtraque natura formosus, venit in propria persona, vt nobiscum habitet. *In terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Baruch 3.

Nullo non anni tempore, Domini mei, & die & nocte nostrum est ter Sanctum illud nomen Dei laudare, benedicere, exultare, eique gratias agere. *Benedicam Domino in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* Psal. 33. At hic dies Annunciationis Angelicæ, non aliis certè debet, quàm huiusmodi occupationibus transigi. postea quam in illo tanta cum charitate iacta sint salutis nostræ fundamenta. Quomodo nos vnquam saluare potuisset Christus, si mortem pro nobis non obijsset? Obire autem pro nobis quî potuit, nisi priùs de nobis nasceretur? Nasci verò qua virtute potuit à nobis, nisi priùs inter nos generaretur? Qua denique ratione potuit generari, sine cognitione & consensu Genitricis? O sanctissimam, o millies benedictam ab Angelo Mariæ factam annunciationem. *Ecce concipies in vtero & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Nouum faciet Dominus super terram,* inquit Propheta, *Mulier circumdabit virum.* Ecce quomodo ad promissionem alludat, *Mulier, sed intacta; Mater, sed Virgo; in vtero, sine semine, circumdabit zona carnis, virum scientia, puerum ætate, plenum gratia, natura Deum, persona Verbum, nomine Iesum, cognomine Christum: Deum de Deo ante secula, & simul hominem de homine in seculo natum.*

In die Annunciationis feruentiùs Deo benedicere debemus, quàm in diebus alijs.

Annunciatio Angeli erat necessaria.

Hier. 31.

Ceterùm magnitudo huius mysterij singulariter admirabilis, & mirabiliter singularis, quod hodie an-

nunciatur B. Virgini, Virgo narrat Ecclesiæ, Ecclesia prædicat Iudçæ, è Iudæa diffunditur fama ad omnes gentes, & strepitus, susurrusque ab hoc mundo supero dimanat vsque ad Inferos; adeò vt Rex ille superbus, humani generis Tyrannus sibi, suoque regno metuat, quasi pterritus ab hoc Emanuele nostro, cui dicit Deus; *Accelera, spolia, detrahe, festina prædari*) magnitudo, inquam illius mysterij tam plena est Maiestate, tantaque gloria adornata, vt nullà vnquam lingua illam perfectè exprimere, nullum vnquam ingenium gloriari potuerit, quòd illam pro dignitate sua cōceperit. tam longè susperat omne ingenium, omnes cogitationes, omnem eloquentiam. Quid poterit vnquam dicere mutus de Verbo? terra de Cælo? peccator de Saluatore? homo de Deo? Tam grandæuis senioribus quid noui, à iuuene quid graue, in tanta Auditorum corona, quid sublime in tanta temporis angustia, digna cum eloquentia vnquam prædicabitur? Nemo itaque vestrum sibi persuadeat, me mihi non ab oculos proposuisse vbi loquar, de quo loquar, & qui sint quibus loquar. Sed præterquā quòd obedientia, quæ tanto debetur Senatui in re tam ardua, imperfectum exilitatis meæ excusare debeat, etiam in hoc glorior, quòd vincor à Maiestate & splendore huius Annunciationis Angelicæ, eò quòd tanta sit Christianæ religionis excellentia, vt solum eius exordium, nec à me, nec ab alio quopiam intantum prędicari possit, quantum mereatur. Est enim exordiū hoc, opus, per quod Deus ad publicam mundi salutem manum extremam imposuit ceteris omnibus suis expeditionibus; supremū fastigium gratiæ naturæ contulit; vltimum amoris signum mundo demonstrauit; & coniungens quàm arctissimè potuit in vnitate personali Verbum suum, per quod fecit omnia, cum homine, propter quem fecit omnia, Principium dico cum fine, & finem cum principio, vna tantummodo ducta linea, magnum illum Vniuersi absoluit circulum, extra semetipsum quasi ab Alpha productū, & in semetipsum tanquam Omega terminatum.

Esa. 8.

Materia Incarnationis est ineffabilis.

Excellentia Religionis Christianæ in quo consistat.

Non animaduertitis Salomonem, quo sapientiorem non vidit hic mundus, quanta cum admiratione hanc

hanc Incarnationem Christi in vtero Virginis contempletur? dicit enim, iuxta translationem illam, quę forte multorum Doctorum iudicio magis conuenit cum lingua Sancta, quàm nostra vulgaris; *Tria sunt mihi difficilia, & quartum penitus ignoro. Viam Aquilæ in cælo, viam colubri super terram, viam nauis in medio maris, & viam viri in adolescentula.* O verba tanto Sapiente digna. Christus, Christus est hæc Aquila in cælo, hæc nauis in mari, hic coluber in petra, hic vir in adolescentula. Aquila fuit, quando euolauit in altum, & percutiens alas siue pennas ventorum in cælum ascendit. Nauis, cùm triginta tribus annis in hoc procelloso mari agitatus, omnibus ventis persecutionum expositus est. Coluber, cùm in crucem raptus, & postea sub petra sepulchi recōditus est. Vir fuit in adolescentula, cùm hodie in ventre Virginis seu adolescentulæ Mariæ, simul & fœcundæ & incorruptæ, perfectus est homo conceptus. Quomodo, inquit Salomon, hæc tria cognosci poterunt? quomodo Christus in cælum ascenderit, cùm tamen sit corpus? quomodo mortuus quieuerit in sepultura, cùm sit Deus? quomodo tot calamitatibus, ærumnis & tormentis exagitatus sit, cùm beatus semper fuerit? *Tria sunt mihi difficilia, tria sunt mihi difficilia.* Hæc sunt illa tātę difficultatis mysteria. *Sed quartum penitus ignoro, quartum penitus ignoro.* Ecce quartum, *Viam viri in adolescentula.* O Domine, quis secretum illud poterit penetrare? Tu infans es in Maria, idem tamen & vir es sapiētia, gratiaque perfectus. Cęlum non deseruisti, & tamen in propria persona in terram descendisti; non mutatus es, & tamen carne indutus es; tu purus spiritus es, quia Deus es, & tamen carnem habes & ossa, quia idem es & homo. Priùs homo non eras, & tamen idem es. *Tu autē idem ipse es, tu autem idem ipse es. Et quartum penitus ignoro.* Quomodo fieri potęst, vt pater nascatur ex filia, æternitas in tempore, Maiestas ex seruitute? Quomodò à natura segregata est culpa? à conceptione peccatum originale? à partu dolor? *Semitam ignorauit auis, nec intuitus est eam oculus vulturis,* inquit Iob. Sed mysteriū hoc ratione humana metiri nolumus; oculos enim habet noctuę, cùm diuina vult contemplari, ratio: audaci

Quanta cum admiratione Salomon Incarnationem Christi contēplatus sit.

Prou. 3.

Christus est aquila, nauis, serpens, vir in adolescētula.

Psal. 101.

Iob 28.

Incarnationis mysteriū non ratione

humana, sed fide confide-fanda. daci & animosa fide, oculis Aquilæ intuentis Solem, & non cæcutientis illud inspiciamus. *Vbi abundauit delictum, ibi superabūdauit gratia.* Non requirebatur hîc

Rom. 5. minor gratia, quàm vt Deus ipse descenderet ad sananda vulnera nostra, à tāto iam tempore putrefacta: totus enim mundus præceps in æternam mortem ruebat, nisi hoc amoris miraculo vita recuperata fuisset. Et quis vnquam poterit eloqui, quàm abominandus & intolerabilis ille fœtor fuerit, quem putrida nostra vulnera, fœda nostra cadauera, nosipsi, inquam, miseri & in peccatis nostris mortui in nares Dei exhalabamus? At tu dulcissime Iesu, instar mystici vulturis

Iesus mysticè vultur. (ô auis peregrina, sacrosanctum diuinæ misericordiæ symbolum) famelicus, & nostram carnem appetens, è summo cælo in hæc inferiora descendisti, nostris miserijs pasci cupiens, vt eas in te assumens, ab ijs nos redderes immunes: atque ita in nobis inueniens mortem, eam in te recepisti, nobisque vitam reddidisti.

Ioan. 1. Hodie, hodie locum habet illud; *Et Verbum caro*

Philip. 2. *factum est, & habitauit in nobis.* Et illud; *Exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens.* Hodie impletum vi-

Psal. 48. dimus illud; *Simul in vnum diues & pauper.* Et illud;

Ioan. 3. *Ascendit in cælum qui descendit de cælo, filius hominis, qui est in cælo.* Hodie, Magnifici Domini, Deus descendit in hominem, & homo ascendit in Deum. Vna eademque persona est Deus & homo. Vna eadēque per-

Mysteriū Trinitatis renouatur in Incarnatione. sona descendit & ascendit. Hîc mysterium sanctissimæ Trinitatis renouatur. Trinitas, Auditores nobilissimi, tres personæ sunt in vna substantia. Deus incarnatus est vna persona in tribus substantiis.

Omnes festiuitates Domini, quæ pro viribus nostris, non pro dignitate sua in memoriam & reuerentiam magnorum mysteriorum Christi, quibus nostrā salutem operatus est, celebrantur, eiusdem sunt honoris, omnibus vna eademque conuenit deuotio, vnus

Vnum mysterium non saluauit nos sed omnia simul cultus, idem studium, par pietas & obseruantia: Quis enim tam stupidus est, vt putet nos vno, & non potiùs omnibus simul mysterijs saluatos esse? Si Christus in vita sua nobis non reliquisset virtutum exempla, & nobis doctrinam suam non tradidisset; si in morte sua nobis non dedisset aduersus morbos nostros

reme-

remediũ,& pro peccatis nostris non satisfecisset, quid profuisset incarnari? quid item nasci? & nisi resurrexisset à mortuis, quæ erat nobis vtilitas, quòd tanta pro nobis tormenta sustinuerat? Principium tamen omnis boni nostri, porta salutis nostræ, virtus totius Euangelij, & radix omnis nostræ spei est, quòd Angelus descendit de cælo ad Mariam Virginem; vt æternum consilium de humani generis reparatione iam tandem in lucem prodiret, & reipsa filius incarnaretur. Qui non credit annunciationem hanc, neque natiuitatem Christi, neque doctrinam, neque miracula, neque vitam, neque mortem illius vnquam credet. Qui verò hanc crediderit, facilè credet omnia reliqua. Hoc mysterium omnium est maximum, radix & origo omnium. O felicem legationem. Hæc solennia sunt æterni Patris, qui hodie nuptias Filio suo celebrauit. Hæc solennia sunt Filii, qui hodie in sacro Mariæ templo naturam humanam æterno sibi iunxit matrimonio. Hæc solennia sunt Spiritûs sancti, cui propriè & peculiariter opus Incarnationis Christi attribuitur. Hæc solennia sunt gloriosæ Virginis, quæ hodie à Patre in filiam, à Filio in matrem, à Spiritu sancto in sponsam assumpta est. Hæc solennia sunt Angelorum; hodie namque initiũ habuit ruinæ magnæ illius aulæ cælestis reparatio. Hæc solennia sunt omnium hominum, quia hodie primus lapis missus est in fundamentum, ad Ecclesiam sanctam ædificandam in qua genus humanum cum Deo reconciliaretur. Quid multis? Vsque ad Infernũ horum solennium lætitia descẽdit: Patres enim qui in Limbo detinebantur, viderunt iam exordiũ suæ, ex obscuro illo carcere, liberationis appropinquare. O felicissimũ diem.

Incarnatio principiũ nostræ salutis.

Qui incarnationẽ Christi non credit, nihil credit.

Annunciationis festiuitas qualis.

Hodie lux de cælo in terram descendit, hodie *Verbum caro factum est*, hodie panis Angelorum factus est panis hominum, hodie feliciter cœptum est terminari nostrum cum Deo negotium, impleta sunt Patrum desideria, Prophetarum clamores exauditi sunt: venit Dei filius vt fiat noster frater, noster socius, vt nobiscum in hac lachrymarũ valle peregrinetur, vt amore illius præsentiæ corroboratos non pigeat nos duri vitæ huius itineris, donec cum illo ad cælestem patriam

In Annunciatione terminatur lex.

perueniamus. Venetiæ, hæc Annũciatio omnium est seculorum præcedentium dioptra, hæc Annunciatio terminus legis est, hæc Annunciatio omnium rerum est clausula. Breuiter, quemadmodum in aureis istis catenis, quæ dependēt ex collo Equitum eorum, quos, O Serenissime Dux, Sublimitas vestra solet hodie creare, sic annulus annulũ capit, vt omnes inter se iuncti sint, omnesque à primo depēdeant; sic omnia Redemptionis humanæ mysteria, quæ simul efficiunt vnum ditissimum, ornatissimumque Ecclesiæ monile, admirabili diuinæ prouidentiæ magisterio atque arte simul connexa & cōcatenata sunt; omnia tamen ab hac cælesti legatione, ab hoc *Missus est*, tanquam à prima origine dependent. Ab hoc inquam, *Missus est*, quod Beatus Lucas describit, & in hodierno sub Missa legitur Euangelio.

Omnia redēmptionis mysteria dependent ab Annunciatione.

Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth.] Magnifici Veneti, illud *Missus* statum Christianismi introducit. Scitis enim Missam esse insigne, gloriam, honorem & dignitatem totius Christiani cultus & religionis. Duæ legationes hîc sunt, vna facit Filium Dei de cælo in terram descendere, alia eundem Filium ad æternum Patrem suum è terra in cęlum ascendere. Scio vos, sancti Sacerdotes, qui sanctum hoc altare cingitis, meminisse verborũ, quæ in secunda Sacrificij parte recitantur. *Offerimus præclaræ Maiestati tuæ de tuis donis ac datis hostiã puram, hostiã sanctam, hostiam immaculatã.* Hæc est Missa, hæc est Missa. *Missus, Missa : Missus, Missa.* Animaduertitis relationem & consonantiam verborũ; *Missus & Missa*? Si non fuisset illud *Missus*, nec *Missa* quidem esset. Missus, Missus; Missa, Missa. Vtrumque in vsum nostrum est, & Missus, & Missa. Missus verò est à Deo ad nos, at *Missa* à nobis ad Deum. Æquum autem erat vt homo priùs acciperet à Deo, quàm Deus ab homine. Nullus enim homo dare potest Deo, nisi ipse priùs à Deo acceperit. Audi Prophetam Regium; *Quæ de manu tua accepimus, tibi offerimus Domine.* Quid quæso habebas tu munde miserrime? quid offerre Deo volebas tu, qui totus eras immundus, quod non statim fuisset repudiatum ab illo seuero Iudice, à Deo illo magno & formi-

Missa insigne & honor cultus Christiani.

Relatio Missi & Missæ.

Nemo potest dare Deo nisi priùs acceperit à Deo.

formidabili? Non meministi qua indignatione, qua nausea, quo stomacho insectabatur & repellebat incensa, agnos, vitulos, aliaque veteris Testamenti, quæ immundus ille populus offerebat, sacrificia? *Ne offeratis incensum frustra; abominatio est mihi; plenus sum, quis quæsiuit hæc de manibus vestris? Qui immolat bouem, quasi qui interficiat virum: qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem. Qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat. qui recordatur thuris, quasi qui benedicat Idolo.* Quando verò locum habuit illud *Missus*? quando Maria Virgo legationi consensit, quando sanctissima hęc verba protulit: *ECce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum:*] quando consensu hoc dato Christus incarnatus est, vixit postea, mortuus est & resurrexit pro nobis, venitque Spiritus sanctus, vt picturam veterem & obscuratam lumine nouæ, legem & Prophetas doctrina Euangelica & Apostolica renouaret, e uestigiò locus datus est *Missæ*, exordium sumpsit Christianum illud Sacrificium, quod ascendit in conspectum Domini, quo Deus propter incredibilem suauitatis odorē oblectatur, in quo denique tota gloria nostra consistit. *Missus, Missus.* O verè omnibus amabile & admirabile Euangelium, Missionem dico & Legationem Angeli ad Mariam Virginem, quæ est principium, semen & radix omnis nostræ spei, origo nostræ fidei, signum amoris Dei erga nos, ignis ad diuinæ charitatis flamma nos accendēdum. Audite, audite attenti Domini; Fabrica mundi huius externi, quæ videtur, & quam omnes admirantur, sex diebus à Deo perfecta est: dicit enim Moyses; *Compleuit Deus die septimo opus suum quod fecerat.* Quod attinet ad propagationem rerum, & maximè ad numerum electorum, propter quos facta sunt omnia quæ facta sunt, cōsummatur de die in diem vsque ad fine huius seculi. *Sustinete modicū, donec impleatur numerus fratrum vestrorum*, dicit B. Ioannes in Apocalypsi. Gloria verò non implebitur, nisi in consummatione seculi. *Iudicabit in nationibus, implebit ruinas.* Sed in hoc Incarnationis Christi mysterio impletus est mundus gratia, & omnis plenitudo naturæ erat ad illā ordinata: plenitudo quoque gloriæ ex eadem gratiæ plenitudine orie-

Esa. 1.
Esa. 66.
Quando locum habuit Missus & Missa.
Genes. 2.
Apoc. 6.
Psal. 109.

Ioan.1. orietur. *Gratia pro gratia. Plenum gratiæ & veritatis; de cuius plenitudine nos omnes accepimus.* Ideoque plenitudo temporis nominatur. *At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium factum ex muliere.* Et quis ignorat Christum appositè feria sexta natũ, & fortassis etiã hora sexta, in qua peccauit Adam, vt cõuenienter impleretur circulus gratiæ, & vltro citroque sibi responderent peccatum commissum & expiatum? *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei.*

Gal.4.

Rom.11.

Primus status naturæ humanæ.

Ante legem Mosaicam infelix natura nostra nec per semetipsam agnoscebat, nec ab alio audiebat infirmitatis, qua premebatur, grauitatem. Cæca, surda, insuper & muta quasi stupida & insensibilis in peccatis suis permanebat. *Peccatũ non cognoui, nisi per legem. Peccatum non imputabatur, cùm lex non esset. Vbi non est lex, nec præuaricatio.* Adeò misera & infirma, languens & vicina morti, nec medicum, nec medicamentum vt sanaretur inquirebat. Is primus erat hominis status.

Rom.7. Rom.5. Rom.4.

Secundus status humanæ naturæ.

Cùm scriptam habuit legem, cœpit oculos aperire, & videns in hoc scripto, tanquam in bene terso speculo, heu, intellexit quàm periculoso in statu versabatur: sensit peccatum suum, quod lex acuebat, mouebaturque quòd quotidie de malo in peius prolabebatur. Scio vos non ignorare hæc verba; *A mandatis tuis intellexi. Per legem cognitio peccati.* Etsi verò peccatum sub Moyse cognouerit, voces tamen Prophetarũ, qui spem sanitatis pollicebantur, non audiebat. Quòd si audisset vel vnum verbum de pio illo Samaritano, qui venturus esset, vt vinum & oleum vulneribus infunderet, duosque tanti pretij denarios promeret, hoc est, duas naturas, humanam & diuinam nostræ saluti impenderet, sine dubio in cælum vsque exclamasset; *Veni Domine, veni & noli tardare. Relaxa facinora plebi tuæ.* Habetis secundum statum.

Psal.118. Rom.3.

Tertius humanæ naturæ status.

Post Moysen Prophetæ viua voce concionabantur, inuitabant, exhortabantur, animabant. Per hunc modum morbum viuaciùs adhuc sentiens ob temporis diuturnitatem, nõ potuit diutius moram perferre, audiensque quòd Vates promittebant hunc Christum liberatorem, & humani generis Saluatorem, impatienti quodam æstu desiderij sanari tandem cupiebat. Ah miseri nos, eò quòd

quòd natura nostra nimis arroganter aperit oculos suos, quasi lymphatica, nimisque curiosè audet considerare (quod nefas est) Aduentûs Christi tarditatem. Tot iam anni sunt, tot transiere secula, in quibus semper hic Messias, hic Deus homo, hic Christus nobis promissus est, & tamen nondũ vspiam apparet. Quotidie dicitur mihi, *Citò veniet salus tua. Cras erit vobis salus. Mittam vobis Saluatorem Adhuc modicum, & veniet desideratus cunctis gentibus. Si moram fecerit, expecta eum; Citò veniet, & non tardabit.* Interim morbus crescit, & medicus non venit. Hęc natura nostra submurmurans dicebat, cœpitque prorsus de salute sua desperare, & indignata superbiorque facta quàm vnquam antea, hoc vti prouerbio cœpit; *Manda remanda, expecta, reexpecta.* quasi non ampliùs iam infirmaretur, os non aperiebat ad lamentandum, ad misericordiam implorandũ, ad peccata confitendum; imò in semetipsa prę̨sumens de viribus suis sicut priùs, existimabat se optimo esse loco, cùm reuera esset pessimo. Non legisti, Docte, superba illa, fastu & arrogantia plena verba, quæ dixerunt olim Iudæi; *Quæcũque dixerit Deus, faciemus? Quæcunque dixerit Deus, faciemus?* Quid sibi volunt hæc verba, nisi hoc? Præcipiat tantùm Deus quicquid voluerit, executionem nobis permittat: potestas non deest nobis, volũtas prompta est ad obediendum, tantùm suam nobis aperiat voluntatem, cetera & posse & velle in manu nostra sunt: non stabit à nobis quò minùs faciámus; ab illo stat, quòd nõ præcipit. *Deest qui iubeat, non deest qui faciat.* O superba & indomita corda. Quantò veriùs & piè magis, Magnifici Domini, dictum est à sanctissimo illo Patre; *Domine da quod iubes, & iube quod vis!* Ideo non confitendo infirmitatem suam, non agnoscendo peccata sua, obmutescendo coram Deo, & recusando in conspectu eius humiliari, non solùm sanari non poterant, sed semper moriendo homines oberrabant. Obscura enim peccati nox, & mortis vmbra, cursum continuabat suum. Crescebat infirmo & culpa & pœna, quemadmodum omnibus ægrotantibus communiter noctu dolor ingrauescit. *Nocte os meum perforatur doloribus*, clamat infelix ille.

1 Reg. 11. Aggęi 2. Esa. 19. Abac. 2.

Esa. 28.

Superbia & arrogantia Iudæorum. Exod. 24.

Age

Gal.4. Age igitur? *Ecce venit plenitudo temporis.* In hoc nouissimo tempore,cùm nulla salutis spes superesset, (principium enim remissionis est, cognoscere miseriam suam,& misericordiam postulare. *Miserere mei* Psal.50. *Deus*, ait Dauid. *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco*) cùm Deus tam graui efferuescens ira omnibus Prophetis & oraculis, quæ antea in populo Dei abundabant,silentium imperauerat, In hoc profundissimo altissimoque silentio, tanta erat taciturnitas, quanta esse solet media nocte, cùm silent omnia. In hac, inquam, extrema & periculosissima generis humani negligentia, cui totus ferè mundus erat immersus, paucis iustis exceptis, qui quotidie vociferabantur ad Dominum; *Excita Domine potentiam tuam,& veni,& magna nobis virtute succurre*: ecce venit Christus noster à lumine cæli, ad tenebras huius mundi, à beatis sedibus in hanc lachrymarũ vallem, è sinu patris in ventrem matris. *Dum medium silentium tenerent omnia, &* Sap.18. *nox in suo cursu iter perageret, omnipotens sermo tuus Domine à Regalibus sedibus venit.* O tempus verè beatum.

An vnquam potuerit tempus magis idoneũ ad insinuandum morbum, ad humiliandum infirmum coram medico, ad disponendum illum, vt sponte ac volens medicamentum accipiat inueniri? Si virtutem medici respicias, omne tẽpus cõueniens erat, nec vnũ alio conuenientius: infinita enim virtus, qualis est illa Dei, nullis temporum momentis vel circunstantijs alligatur. *Neque herba,neque malagma sanauit eos; sed sermo tuus, Domine, qui restaurat vniuersa.* Si verò infirmum intuearis, ecce quantam vtilitatem attulit tempus hoc,& tãta Christi nostri dilatio? Cõuicit mundum infirmitatis suæ, peccati sui, ignorantiæ, impotentiæque suæ: conuicit illum imperfectionis Mosaicæ legis, obscuritatis Prophetarũ, necessitatis gratiæ. O felicem dilationem, ô felicissimum Aduentũ. Non ignorabat Dominus filios Adæ natura sua ad ingratitudinem inclinatos. Vt igitur tantæ ingratitudinis, qualis futura erat,tale ac tantum beneficiũ non agnoscere, tolleretur occasio, voluit istud beneficium differre vsque in nouissimam diei horam, cùm iam inclinata erat lux diuinarum rerum cognitionis; quando iam

Virtus Dei non indiget oportunitate temporis.

Sap.16.

Genus Adæ ingratum.

do iam propter iniquitatis abundantiam calor & feruor sanctæ charitatis planè refrixerat; quando iam nō ampliùs apparebant Angeli Dei, qui hominibus loquerentur, vt olim consueuerant; quando Prophetæ & Patriarchæ nasci desierant; quādo peccata erant talia, vt Dei patientiam vicisse viderentur; quando denique genus humanum in omnibus & per omnia derelictum nequaquam potuit vel à se vel ab alio adiuuari. Quid peius poterat excogitari? O beata occasio, quæ per infinitas miserias nostras infinitissimam nobis Christi misericordiam reuelauit. *Superabundauit gratia, superabundauit gratia.* Nolite gaudere in peccato, gaudete in gratia, quæ peccatum puniuit, & peccatorem liberauit; quæ mortem occidit, & mortuos resuscitauit.

Miseria nostra ad cognitionem Christi nos adduxit.

Rom. 5.

Ecce venio, ecce venio, inquit Filius Dei: vt cognoscatis quod ego sum qui vos adiuui: qui vos seruaui, qui sine me omnes perieratis; *Ego Dominus; manus mea fecit hæc omnia. Mihi flectatur omne genu.* O sapientem Medicum, ô Medicum charū; ô nos felices infirmos, qui in manus tuas incidimus, qui nos in tanta rerum desperatione tam facilè, tam securè, tam benignè sanasti. Dicam hîc, quod dicunt Medici; Citò, Tutè, Iucundè. Citò tanquam potens, tutè tanquam sapiens, iucundè tanquam diligens. Tibi, tibi Domine gratias agimus, qui post tantam moram, tanto cum strepitu, tanto cum apparatu, tanta cum pompa gratiarum, doctrinarum, miraculorum, tanto denique cum comitatu præcedentium & sequentium populorum venisti, omneque silentium, primum, secundum, & tertium interrupisti. Per te namque omnis homo primò agnouit miserum in quo erat statum. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea;* ecce ruptum est primum silentium. Per te omnis homo didicit sua deflere peccata; *Ecce enim iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.* Vides turbatum secundum. Per te omnis homo auxilium implorauit; *Miserere mei, Fili Dauid, anima mea malè à Dæmonio vexatur:* hoc modo interruptum est tertium. Nónne meministis Christiani, & iuxta litteram, &

Psal. 39.

Deut. 32.

Philip. 2.

Christus medicus.

Psal. 50.

Psal. 37.

Matth. 15.

iuxta mysterium omnes infirmos ad Christum, tanquam verum medicum morborū omnium tam corporum, quàm animarum accurrisse? Cæci, muti, surdi, Dæmoniaci, contracti seu paralytici, omnes pura fide cordis, & sincera oris confessione, scientes se aliter sanari non posse, ad gratiam Christi confugerunt. Quin etiam & claudi, reiectis in humeros cruribus, & manibus in pedes conuersis corpus per terram trahentes, quàm commodissimè poterāt ad Iesum reptabant, certi quòd verbo illius sanarentur. Agite, agite

3 Reg. 19. Illustrissimi Domini. *Grandis nobis restat via.* Cum venia vestra hìc parumper quiescam necesse, est priusquam vlteriùs ad huius mysterij explicationem progrediamur: opinor enim exiguum esse quod dictum est, si cum his, quæ adhuc dicenda sunt, conferantur.

SECVNDA PARS.

Luc. 1.



ISSVS est Angelus Gabriel à Deo, in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatā viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid: & nomen Virginis Maria. Sic incipit Euangelica historia. Omnis legationis dignitas atque excellentia (vt scitis vos omnes Amplissimi Domini, qui in hoc excelso loco sedetis) à quatuor potissimùm dependet; à Maiestate scilicet Principis, qui legat; à dignitate Nuncij, qui legatur; à qualitate eorum ad quos legatio mittitur; & à magnitudine causæ quæ tractatur, & ob quam legatio instituitur.

Dignitas omnis legationis pendet à quatuor rebus.

I. A Deo legante.

Nolo hìc multa in medium adducere de Deo, qui Legatum hunc mittit: quicquid enim de illo dici potest, id omne magna illius Maiestate indignum est. Est enim non solùm inenarrabilis magnus ille Deus, sed incomprehensibilis quoque, inæstimabilis, inuestigabilis. Quid quæso dici poterit de immenso illo Domino, cuius substantia est vnitas, cuius persona est Trinitas, cuius magnitudo est immensa, cuius natura est bonitas, cuius volūtas est æquitas, cuius vita est felicitas, cuius ætas est æternitas? Iure igitur optimo,

si oculi

si oculi nostri importunè volentes Solis globum intueri obscurentur, mentes quoque nostræ cæcutiunt, si quando audeant curiosè nimis se occupare cognitione Dei, cuius immenso splendori Solaris ista lampas collata, non est aliud, quàm scintilla, maximis illis flammis, quæ in consummatione seculi mundū purgabunt, comparata. De æternæ tamen pacis Nuncio, de Legato hoc fideli, tantaque authoritate pleno, hoc est; de Angelo Gabriele aliquid dicturus sum.

Angeli Sancti, scio inter vos inuidiam aut liuorem nullum esse, generaliter tamen de omnibus simul Ordinibus vestris me dicturum proposui. Non vos latet Domini mei, Spiritum sanctum etiam Christo nomen hoc Angeli tribuisse. *Vocabitur magni consilij Angelus.* Ioannes quoque Baptista, nunquid Angelus appellatur? *Ecce ego mitto Angelum meum.* Sed & de S. Stephano memoriæ proditum est, quòd Angelo similis visus est. *Intuebantur vultum eius tanquam vultum Angeli.* Ex quibus omnibus liquet, inueniri non potuisse nomen dignius & excellentius, ad magnos illos Heroas condecorandos, hoc nomine Angeli. Spiritus enim illi Angelici imagines sunt, & simulachra primæ illius mentis, specula pura, splendida, immaculata, Deiformia: in quibus non contemnenda pars admirabilis illius pulchritudinis Dei manifestissimè relucet. Hinc momentum quidem mortalitatis habent; sunt spiritus, incorporei, agiles, subtiles, semper motiui, & semper mobiles; indefessi summi illius Principis ministri. Non opus est illis pane, non vestibus, non somno, non vehiculo, non auro, non gemmis. vident nullo intermedio faciem Dei, in qua omnia præterita, præsentia, & futura relucent: sine manibus, sine pedibus magnam hanc cæli vertunt machinam: vnde vita mundi huius inferioris tota dependet, nec sciunt, nec possunt fallere, nec vicissim falli possunt. O verè excellens Angelica natura. *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos flāmam ignis.* inquit Dauid. Spiritus sunt, ac proinde potentes; ignis sunt, atque ideo amantes; ministri sunt, iccirco vigilantes & seduli, assumptaque à Domino suo authoritate cùm mittūtur, præter dona sua naturalia, mirum

II. Ab Angelo legato.
Inter Angelos non est inuidia.
Angeli nomē honoratum
Malach. 3.
Act. 6.
Angeli quid sint.
Psal. 103.
Excellentia Angelicæ naturæ.

in modum crescit etiam, augeturque virtus & gratia, quæ in illis est. Quid enim arduum, quid præclarum, quid excellens in sacris reperitur litteris, cuius pars aliqua non fuerunt Angeli? Si Iacob sit in contemplatione, & videat mysticam illam scalam, ecce adsunt ascendentes & descendentes Angeli. Si Esaias concionari velit populo, ecce adest Angelus, qui carbone viuo purgat eius labia. Si tres pueri in ardentem mittantur fornacem, ecce adest Angelus, qui orantes & canentes liberat. Si Tobias excæcatus sit, ecce absque opera Angeli nunquam visum recipit. Si Agar rebellis Dominam suam fugiat, ecce nunquam reuertetur nisi ab Angelo priùs admonita. Sāctus ille Loth quomodo incendio Sodomæ subtractus est? an non per Angelum? Quis Petrum eduxit è carcere, nisi Angelus? Eliam Prophetam quis pauit præterquam Angelus? Quis primus fuit Christi resurrectionis testis? an non Angelus? Angeli seruierunt Christo in deserto, Angeli corroborarūt illum in horto. Angeli gloriam eius in Ascensione prædicârunt. O Angeli Sancti. Væ hominibus, Veneti, si non custodiātur ab Angelis. Arguunt homines cùm peccant, docēt eos cùm errant, adiuuant eos cùm periclitantur, consolantur eos in tribulationibus, incitant eos ad pœnitentiam, à mille vitiorum generibus eos deterrent atque abstrahunt; in dubijs consulunt, ad diuinum amorem alliciunt. Quid multis? etiam Antichristus habiturus est Angelum suæ custodiæ demandatum. multò enim peiora facturus esset, quàm faciet, si benedicti huius Angeli fręno non compesceretur. Nec ignoratis Angelum apprehendisse Dæmonium infeliciter illius nuptæ mulieris, & religasse illud in desertis superioris Ægypti. Sed & Angeli, an non in magno illo prælio Diabolos cælo exturbarint? Perpendite itaque quales & quanti sint Angeli, cùm etiam Dæmones, qui tam potentes sunt & astuti, illis resistere non possint, sed artes omnes, omnesque vires suas, si cum illis congrediantur, amittant: Sed vela contraho, nolo hìc esse prolixior.

Angelorum officia & beneficia.
Genes.28.
Esa.6.
Dan.3.
Tob.5.
Genes.16.
Genes.19.
Act.12.
Mar.16.
Matth.4.
Luc.22.
Act.1.
Antichristus habebit Angelum custodem.
Tob.8.
Apoc.12.

MIssus est Angelus Gabriel à Deo.] Consilio vnius Angeli mali mundus perijt, legatione vnius Angeli boni

boni restituetur. Angelus ille malus qui consuluit Euæ, non erat missus, sed semetipsum ambitiosè ingerebat. Bonus Angelus non venit ad Mariam à semetipso, sed à Deo missus est. *Missus est, missus est Angelus Gabriel.*] Continere me nō possum, Domini mei, sapientia & doctrina ornatissimi, quin huic loco paululum immorer. Nunquam mundo maior exhibita est gratia, ea quæ hodie affulsit, Incarnationis scilicet Dei. Æquum igitur erat, vt cùm Angelorum munus esset, eam annunciare, vnus ex præcipuis illis, Deoque gratissimus ad eam annunciādam mitteretur. Redemptio hominum ruinarum Angelicarum etiam erat reparatio. Credámne igitur, cùm Christus omnium hominum fuerit nobilissimus, & ad reparandas ruinas illas dignissimus, Gabrielem Angelum non fuisse inter omnes nobilissimum, & ad hanc obeundam legationem præstantissimum? Ecquod opus ab æterno factum est, quod difficilius fuit ad credendum opere Incarnationis? Necessarius igitur erat, vt adderetur legationi authoritas, testis, isque non vulgaris, sed qui haberi poterat præstantissimus. Testis hic fuit ipse Legatus, qui fidem faceret Virgini. Oportebat igitur vt Virgo agnosceret eum esse vnum ex primis & nobilissimis Angelis. In hac Incarnatione ardentissima Dei charitas præter omnem mensuram nobis est exhibita; erat igitur, si non necessarium, saltem conueniens, vt vnus ex Seraphim, qui toti flagrant amore Dei inflammati, eam annunciaret. Præterea si tam diuturna tamque grauis inimicitia esset inter Deum & hominem, cuius quæso erat mediatorem inter duas partes istas agere, ad reparandam amicitiam, nisi illius Angeli, qui Deo erat coniūctissimus, inter quem fortè & Deum ipsum nullus alius erat medius? Porrò si opus istud fuerit nouum, inauditum, & admiratione plenum, cuius officium erat illud tractare, nisi Angeli alicuius, ex his, qui ceteris Deo sunt magis familiares, & secretorum Creatoris participes? Denique si Virgo super omnes choros Angelorum erat exaltanda, an non honestum erat, eum Angelum legari, qui illi futurus esset proximus, immediateque super alios omnes in cælesti curia vicinus? O Gabriel, ô

Genes. 3.

Multis rationibus probatur, Gabrielē vnū ex præcipuis Angelis fuisse.

Quid significet Gabriel.

Gabriel. Quid sibi vult Gabriel in lingua sancta? Gabriel idem Hebræis est, quod fortitudo Dei. Deus non eget Angelorum fortitudine, cùm ipse sit per semetipsum infinitè fortis, & omnipotens: sed pulcherrimum, artificiosissimumque opus alicuius Architecti, aut pictoris, vis & valor artis eius solet appellari; in eo enim ingenij, cæli & penicilli eius cernitur excellentia. Euge, euge in Gabriele hodie experti sumus, quid & quantum possit Deus. per eum namque viam strauit hodie ad reconciliandam terram cum cælo, ad satisfaciendum iustitiæ, ad demonstrandum misericordiam ad superandum peccatum, ad expugnandum Diabolum, ad domandam mortem, ad debellandum Infernum, ad liberandum genus humanum, ad saluandum mundum.

III. authoritas legationis à præstātia personæ ad quam legatio mittitur.

Ceterùm quid volumus, aut (vt appositè magis loquar) quid possumus de præstantia Mariæ Virginis, ad quam magni Dei hic Angelus missus est, in tanta temporis angustia prædicare? Vides quantum verborum apparatum præmittat Lucas, antequam ad sanctissimum huius Reginæ nomen perueniat? Primò refert eius professionem, quòd erat *Virgo*; deinde statum, quòd erat *desponsata*; tertiò genus illius commemorat, quòd præclara, antiqua & nobili *Dauidis stirpe* est *procreata*; nominat eius patriam, *Nazareth*; nominat & sponsum eius *Iosephum*; tandem pronunciat dulcissimum & iucundissimum nomen *Mariæ*; quod post nomen Iesu omnia nomina superat, cùm nullũ aliud reperiatur, quod tantam excitat in piorum animis deuotionem, quod tam efficaciter mouet peccatores ad pœnitentiam, quod tantæ est inter Christianos consolationis: cùm interim quinque tantùm sit litterarum MARIA. quod nomen sancta Dei Ecclesia ob prædictas causas non sine magno mysterio Angelicæ inseruit salutationi; *Aue Maria gratia plena.* Domini mei, credite mihi, cùm dulce illud nomen Mariæ auditur, lætantur Angeli, fugiunt Diaboli, & Deus, si dicere liceat, inclinat se, vt nostras preces audiat. O sanctissimum nomen omni plenum dulcedine, æterno dignum honore, dignum vt semper & corde, & ore in omni nostra necessitate inuocetur. Non ita exerci-

Nomen, Mariæ sanctissimum.

tus inimicorum visibilium, Auditores mei, machinas bellicas, & armatas militum legiones timent; sicut inuisibiles nostri inimici, aëreæ istæ potestates, Principes isti tenebrarum metuunt, formidantque potentissimum illud nomen Mariæ. Sciunt enim illam ipsam esse, de qua scriptum est; *Ipsa conteret caput tuum.* Sciunt eam esse, quæ clauo tempora Sisaræ perterebrauit, quæ gladio caput Holopherni abstulit; ideoque cùm nomen eius audiunt, vt fumus dispa- rent, atque euanescunt. *Sicut fluit cera à facie ignis.* Beatus qui puro illud corde inuocat. Christiani, imitemini virtutes illius, si eius auxilio atque fauore gaudere volueritis. Vidistíne vnquam, homo, rapacem Aquilam, aut aliam quampiam auem carniuoram in raptum vnguibus pullum rostrum vt laceret exerentem? Quantumuis magnum concites strepitum, fugiet quidem, sed si nihil præter inanem strepitum videat, audiatque, mox reuertetur, & pullum deuorabit. Ad eundem planè modum, cùm Diabolus te vir, te fœmina, vt prædam vnguibus premit suis, strepitum concitas, vociferaris & clamas, *O Maria*, nomenque illud sæpe ingeminas; mox pauens, tremensque fugit, & te deserit: tam subitò expauescit teterrimus ille Dæmon. Ceterùm si aliud nihil in te viderit, si animaduertat te à mala vita non resilire, si consideret te Mariam ore tantùm nominasse, vt eum terreas, confestim sagitta velociùs reuertitur ad te deuorandum. Nec immeritò, tantam enim Dominam inhonestasti, & eius abusus es nomine; vsurpans tibi nomen illius, & in eius castris non militans; non aliter atque milites qui stipendium accipiunt ab vno exercitu, & tesseram habent alterius. huiusmodi, vt scitis, præpilatis hastis obiiciuntur, aut palo alligati sclopis sagittísve vt proditores confodiuntur.

Nomen Mariæ Dæmonibus formidabile.

Genes. 3.

Iudic. 4.

Iudith 13.

Psal. 67.

Simile.

NOmen itaque *Virginis Mariæ.*] Non aliud merebatur nomen hæc Virgo, quàm vt diceretur Maria. Maria enim idem est, quod stella maris. Primò enim vt stella sine aliqua sui læsione splendoris suæ radios foras emittit, sic Maria inuiolata sua Virginitate concepit, peperitque dulcem suum Filium. Radius nulla re claritatē stellæ maculat, aut offuscat; nec Christus

Maria idem quod stella maris.

vſquam in matre Virginitatis honorem minuit. O verè ſtella, mundum illuminans, Angelos viuificans & homines; ſplendens in cælo, penetrans vſque ad infernum, coruſcans in terris, calefaciens non tantùm corpora, ſed & animas, & quidem animas omnes, peccatorum pariter & iuſtorum, peccatorum ad pœnitentiam, iuſtorum ad perſeuerantiam. An ſimilem ſtellam mundus vnquam viderit? Hæc ſtella fouet omnium virtutum ſemina, omne lutum peccatorum exiccat, lacunas omnium vitiorum purificat. Stella deinde maris: Mundus hic mare eſt, mille importunarum tentationum ventis expoſitum, ſcopulis infinitorum periculorum, qui non videntur & proditionum plenum; piratis, latronibus, & hominibus ſceleratis mille Dæmonibus fortè peioribus, infeſtum. O Christiani, ô ſocij, ô ſocij, omnes nauigamus: intueamur, intueamur hanc occidentalem ſtellam, ne in hac periculoſa nauigatione pereamus. *Qui nauigant mare, enarrant pericula eius.* Qui verò ſtellam hanc ſequitur, credite mihi, non errat: qui Mariam in corde circumfert, perire non poteſt; qui à Maria defenditur, ambulat ſecurè; qui Mariam habet ducem, huic certa & indubita ſpes eſt, quòd in æternæ vitæ portum tandem nauiculam ſuam appellet.

Mundus mare eſt.

Eccli 43.

Aue maris ſtella, Dei mater alma. Meminiſtis credo dictionis Hebraicę עַלְמָה quæ lingua Punica ſignificat Virginē, Latina verò Sanctam. Vnde Virgilius dixit, *Alma parens, Alma Ceres*; & Cicero, *Alma fides.* Hæc, hæc eſt illa Alma, illa Sancta, illa Virgo Maria, eſt illa Prophetę iuuencula, illa virgo abſcondita; hoc eſt, à nullo viro cognita, quæ hodie operante Spiritu ſancto de puriſſimis ſuis ſanguinibus filium Dei concepit, qui in ventre illius humana carne aſſumpta, homoque ſimul & Deus exiſtēs, verè factus eſt Emanuel; hoc eſt, *Nobiſcum Deus.* Non audis Euangelium Lucæ, quod nunc interpretamur? *QVod enim ex te naſcetur ſanctum, vocabitur filius Dei.*] Non legiſti Euangelium Matthæi; *Quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt*; Non meminiſti iſtius dicti Ioannis; *Verbū caro factum eſt*? Illud, illud ipſum eſt Emanuel. Non eſt nomen appel-

Offic.3.ex Ennio.

Luc.1.

Matth.1.

appellationis, sed substantiæ. Non erat Christus proprio nomine dictus Emanuel, Iesus proprium eius nomen eràt, quemadmodum & ego non proprio nomine vobis homo, sed Cornelius appellor. Ceterùm sicut nomen naturale definitiuum nostræ substantiæ est homo Ἀνθρωπὸς, sic nomen quod propriè, diffinitiuè, & ad amussim substantiam Christi exprimit, non est illud Deus, neque illud Homo, sed Emanuel, Deus & homo. *Nobiscum Deus.* Perpendite quæso Veneti, qualis sit mater hæc, quæ talem & tantum genuit filium? O Maria, O Emanuel, o Mater, o Fili, ô benedicta Mater, ô benedicte Fili, non benedictus tantummodo, sed ipsa benedictio. *In te benedicentur omnes gentes. Tu eris benedictio,* בְּרוּכָה ait textus Hebraicus. *Hoc autem totum factum est,* inquit Matthæus, postquam arborem generationis Christi delineasset, *Vt adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem, Ecce Alma, ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, quod est interpretatũ, nobiscum Deus.* Domini mei, examinate & discutite lectionem Epistolæ, quæ canitur hodie, Epistolæ non Apostolicæ at Propheticæ, imò Euangelicæ, Propheticæ, & Apostolicæ. Esaias enim non minùs est Euangelista & Apostolus quàm Propheta. A seculo non est auditum, Docti, Virginem concepisse, Virginem peperisse, Virginem post partum inuiolatam permansisse. A seculo non est auditum, Deum ex muliere natum esse, hominem factum esse, inter homines conuersatum esse. Hæc sunt signa, hæc prodigia, hæc miracula sunt, quæ hodie dat Dominus ad confusionem illius Regis Idololatræ, qui vt non glorificaret Deum Israël, ne in conspectu tanti exercitûs Idola, quæ ipse adorabat, vilescerent, impietatem suam velo simulatæ religionis tegens, instar Herodis, in illo sanguinolento conuiuio, in quo caput Baptistæ amputatũ est; cùm Propheta diceret, *Pete signum quodcũque volueris,* vt certus sis, quòd à manibus duorum istorũ Regum liberaberis. Respondente superbo illo & impio; Nolo tentare Deum, signum non petam. *Ecce dabit Dominus ipse vobis signum,* ait Propheta. *Ecce Virgo con*

Per nomen Emanuel qd intelligatur.

Deus dictus est Emanuel.

Esa. 7.

Signũ ab Esaia prędictum.

cipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel. Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum. O signū super omne signum. conceptio Virginis & Incarnatio Verbi Dei. Optimè dicit Vates; *In profundum inferni, & in excelsum suprà.* Verbum enim in carne Filius Mariæ descendit de cælo in terram, de terra in Infernum, spoliauit Limbum, eduxit inde sanctos Patres, denuo in nostrum mundum ad superos reuersus est, ascendit in cælos, portamque cæli terræ filijs aperuit, & milites suos introduxit, vt pares Angelis pleno omnigenis gaudijs Regno fruātur. An vnquam simile signum visum vel auditū sit: Si illud facturus sit Dominus (vult dicere Propheta) ô Rex superbe & impie, pro salute populi sui contra Diabolum, qui factus est Tyrannus, perpende an non impræsentiarum promptus sit ad liberandum eundem populum à manibus duorum ministrorū eius, à quibus miserrimè in hac obsidione affligitur & exagitatur. Quid times? Duo titiones extincti sunt, Reges isti, qui præterquam quòd fumigāt, nocere nulli possunt. Esto securus, crede, execrare & confringe Idola, & deuoue te Domino. *Quia non est impossibile apud Deum omne verbum.* Et hæc liberatio, quam modò videbis, sit tibi typus & figura illius, quæ in fine seculi à pijs omnibus expectatur.

Luc. 1.

Ceterùm tempus quod mihi prescripsistis, Illustrissimi Domini, paululùm prorogandum est, si volueritis vt vobis hoc loco sublime quoddam mysterium cōmodè exponam: quod si bene intellexeritis, viam vobis sternet ad intelligentiam totius negotij, quod hîc à Deo per Angelum cum Virgine peragitur. *Ecce dabit Dominus ipse vobis signum.* Antiqua illa & originalis Adami culpa, duo mala nostro generi attulit; spoliauit duabus maximis rebus, quas pacificè sine vllius contradictione possidebat. Primum spolium est, quòd eripuit omnibus nobis immortalitatem, fecitque nos morti obnoxios; non dico fecisse vt mori possimus, sed vt necessariò mori debeamus. Si Adam non peccasset, mors nunquam Paradisum intrare fuisset ausa: erat enim in illo lignum vitæ. Mox verò vt peccauit, omnes in illius transiuimus potestatem.

Adami culpa duplex malū nobis attulit.

Sic enim dixerat Deus protoplasto; *Quacunque hora comederis, morte morieris.* Quod postea confirmauit Apostolus, *Statutum est*, inquiens, *hominibus semel mori.* Secundum spolium fuit, quòd de summo nos honoris gradu deiecit, illaque dignitate priuauit, qua eramus omnes quasi secundarij Dij, Deoque similes. Non venit in mentem illud Geneseos; *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Et, *Ad imaginem Dei fecit illum, masculum & fœminam creauit eos.* Ad imaginem quidem Dei remansimus, ideoque liberum arbitrium habemus. Ad imaginem verò & similitudinē Dei iam non sumus. Imago discolorata est, inueterata est, obscurata est; lineæ quidem remansere, sed eminentiæ perierunt, sumus potiùs vmbræ quàm veræ figuræ. *In imagine pertransit homo*, inquit Dauid: nec iniuria, quia si mores nostros intueamur, similiores sumus bestijs, quàm Deo: Imago refertur ad essentiam naturalem, similitudo ad virtutem moralem. Illa remansit, hæc perijt. *Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Dixi in corde meo de filijs hominum, vt probaret illos Deus, & ostenderet similes esse bestijs.* Hoc est principium & fundamentum totius nostræ fidei, totiusque nostræ Religionis; Christum scilicet debuisse totam naturam nostram, omnia spolia, omniaque damna restituere. Non credebat illud mundus, non credebat Iudaismus, non credebat gentilitas. Ecce Deus vt fidem faciat, vt tutiùs omnes credant, dat signum; *Ecce dabit Dominus vobis signum*: quòd scilicet Christus nasceretur à Virgine, quæ Virgo maneret, incorrupta & incontaminata in omnibus & per omnia, ideoque sine aliquo peccato, Spiritu S. interueniente. dat etiam manifestissimum mundo signum, quòd liberabit etiam eum à morte, facietque homines immortales, quales conditi sunt ab initio. Qui radicem tollit, certúsne est quòd arbor nunquam in posterum denuo germinabit? Peccatū radix mortis est. *Et per peccatum mors*, ait Apostolus. Hodie, hodie Christus abstulit peccatum: genitus enim est in ventre matris Mariæ, & tamen caro matris quæ gignit, & caro filij qui gignitur, vtraque est mundissima,

Genes. 2. Heb. 9. Genes. 1. Psal. 38. Psal. 48. Eccles 3. Rom. 5. Peccatum radix mortis.

sima, sanctissima, immaculatissima. Iccirco nequidem vmbra peccati est. Non enim hic inuenitur concupiscentia carnalis, quæ mater est; nec semen viri, quod huius peccati pater est. Intelligitis quid dicam? Destruet, destruet mortem, Christiani, suo tempore, estote bono animo, iam enim cœpit peccatum & in semetipso, & in matre sua perdere. Et vt verũ fatear, mihi quidem videtur, quòd antequam nasceretur, clausus adhuc vtero matris multò alacriùs, quàm Ioannes Baptista cùm exiliret in vtero vetulæ matris Elizabeth, tanquam armatus & potens insultauit, minatusque est morti, & Inferno mortis domicilio. *O* *mors, ero mors tua, morsus tuus ero Inferne.* Non legistis, *Antequam sciat puer vocare patrem & matrem, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram Rege Assyriorum? Oportet, oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.*

Osee 13.
Esa. 8.
1 Cor. 15.

Veniamus ad secũdum spolium, quod est honoris. Vocabamur enim antea filij Dei. Christus qui erat filius Dei naturalis, factus est filius hominis, remãsit nihilominus filius Dei, & vtrumque nomen vsurpauit. testatur hoc nomen Emanuel, vt iam antea didicistis. An non hoc perspicuum satis signum est, quòd nos etiam remanentes quidem homines, vt sumus, vocabimur tamen ex dignitate, & erimus in veritate filij Dei, si non naturales, saltem adoptiui, conformes imagini ipsius Christi, qui filius est naturalis & primogenitus? *Filij Dei dicetur vobis; Filij Dei vocabuntur. Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Vt filij Dei nominemur & simus. Conformes fieri imagini Filij eius. Cùm apparuerit, similes ei erimus. Vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Quid vultis manifestius? *Ecce dabit Dominus ipse vobis signum, ecce dabit Dominus ipse vobis signum.*

Homines filij Dei sunt, si non naturales, saltem adoptiui.
Ioan. 1.
Ioan. 3.

At postquam Christiani sint cultores Sanctissimæ Trinitatis, volumúsne, Serenissime Dux, O Andrea Gritti, ornamentum & splendor excelsæ huius dignitatis Ducalis, volumúsne, inquam, numerum facere ternarium, & tertium signum addere? *Ecce dabit Dominus ipse vobis signum.* Tertium natura nostra damnum per peccatum progenitorũ nostrorum Adami & Euæ

Tertium damnum quod

& Euæ incurrerat. Cùm enim antea homo incommoditatem aut molestiam nullam in aliqua re inuenisset, postquam peccauerunt protoplasti, propter maledictionem terræ, omnes & magni & parui mille cœperunt calamitatibus, molestijs & incommodis affligi: fuitque necesse, vt omnes & singuli in sudore vultus sui panem comederẽt. Sic enim ait Dominus; *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea: spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. In sudore vultûs tui vesceris pane tuo.* Oportebat itaque Christum, vt plenè, perfecteque se humani generis Redemptorem ostẽderet, vltra mortem & ignominiam, etiam has miserias, has calamitates tollere, nosque primæuo statui abundantiæ atque felicitatis nostrę restituere. Non legistis itaque apud Prophetas, Deum promittere se per Christum nos ducturum in terram beatam, melle & lacte fluentem? Fidelis est, quod promisit reipsa prętabit: *Ecce signum, ecce signũ;* ipse in infantia sua comedit lac & mel. *Butyrũ & mel comedet. Butyrum & mel comedet.* Persona Christi veri comedit iuxta litteram lac & mel, cibum infantium tenerum, delicatum, voluptuosum, dulcissimum, suauissimũ. Persona verò Christi mystici, corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia Christiana, spiritualiter comedet in cælo lac & mel; fruetur abundantia omnis boni desiderabilis, cæli & terræ. Bonum enim terræ adumbratur per lac, bonum verò cæli per mel intelligitur. *Butyrum & mel comedet, butyrum & mel comedet.* O charissimi Domini mei; *Ecce Virgo concipiet & pariet filium.* illud est primum signum, quod est immortalitatis. *Et vocabitur nomen eius Emanuel;* secundum illud recuperatæ prioris dignitatis nostræ signum est. *Butyrum & mel comedet.* Istud tertium signum est, futuræ scilicet vitæ felicis & beatæ. *Inebriabuntur ab vbertate domûs tuæ, & torrente voluptatis potabis eos.* Quid ni? quid ni Veneti? Ideo Christus discipulis suis dicebat in Euangelio; *Ego dispofui vobis mensam, vt edatis & bibatis in Regno meo.* Agite igitur, compensata sunt damna nostra. Ecce primitiæ gloriæ quam per Christum expectabamus. Virginitas Matris signum est, quòd sublato originali peccato & propagatione

natura per Adamum incurrit.

Genes. 3.

Esa. 7.

Quid sit butyrum & lac comedere.

Tria signa futuræ nostræ immortalitatis.

Psal. 35.

Luc. 22.

gatione hominum cessante, mors destruetur. Coniunctio Dei & hominis signum est & arrha, quòd homines cælum ingredientur, similesque Deo futuri sint. Eum enim in finem Deus factus est homo, vt homo vicissim fieret Deus. Infantia huius hominis Dei, & Dei hominis, qui in terris inter nos natus est, de vberibus matris lac suxit purissimum, & super omne lac & mel dulcissimum: quod argumentum est, nos homines perfectos & maturos factos, *In mensura ætatis plenitudinis Christi*, & in cælum translatos, diuinitate & humanitate Emanuelis fruituros. Illud est mel, istud est lac. Quid est lac, nisi puritas floris? Quid est mel, nisi ros cæli? vtrumque optima carnis substãtia, naturæ vi cocta, & ad subtilitatem redacta. Ecce mel, ecce lac. *Mel & lac sub lingua tua*. Virgo benedicta, Deus & homo in carne tua. In lingua, quia Verbum; sub lingua, quia absconditum. *Ideo fauus distillans labia tua*; quia mel & lac sub lingua tua. Non est mirandũ, Virgo, te tam dulcem esse & suauem, cùm tam plena sis Christo, qui totus lac & mel est. *Gustate, gustate & videte quàm suauis est Dominus*. O generosæ & nobiles Dominæ, quæ hodie huc ad solenne hoc festum, in quo cum benigno fauore huius Virginis fundatæ sunt Venetiæ, venistis, discite virtutem, sanctitatem, humilitatem, & bonitatem Mariæ imitari. hæc cura, hic labor vester sit. Hic est honor, hic cultus quem à vobis expectat, vt illam vobis exemplum & speculum vitæ proponatis: vt vos in cogitationibus, in verbis, in actionibus ad eius ideam componatis. Videtisne illam Deum ipsum suis virtutibus in amorem sui pellexisse? Hæc erant eius pigmenta, hi fuci, hæc ornamenta, hæc odoramenta. *Odor vnguentorum tuorum super omnia aromata*, Maria. Quidam vngunt se vt plagis suis medeantur, quidam vt debilitatem ossium & neruorum consolident, alij alias ob causas vel necessitates: At tu ô dilectissima Sponsa Dei, ad meras delicias vncta es. Tu paritura eras Vnctum inter omnes vnctos, ideo & tu vncta es; *Præ omnibus participibus tuis*. O quàm gratos odores spirant vnguenta tua Maria in domo Domini, in Ecclesia Christi tui? *Repleta est domus ex odore vnguenti*. Tu exspiras odorem

Ephes. 4.
Cant. 4.
Maria dulcis & cur.
Psal. 33.
Cant. 4.
Maria vncta est, cur, & quomodo.
Psal. 44.
Ioan. 12.



rem nardi, thuris, myrrhæ, vineæ florentis, campi herbis & floribus Maio mense pleni, montis Libani, Mandragoræ & Balsami. O suaues odores, ô diuina fragrantia. Humilitas tua, ô Virgo, nardus est; deuotio tua thus; mortificatio carnis tuæ myrrha; lætitia & spiritalis diuinæ mentis tuæ iucunditas vinea florens; plenitudo omnis virtutis tuæ campus plenus est floribus. Mons Libanus euaporãs fumos gratissimos tua est Virginitas, quæ non aperiens glebas tuas, æternum vaporem virtutis Dei exhalauit. Mandragora sublimitas contemplationis est, quæ oculos tuos sępe ad charum & dulcem somnum inuitauit. Balsamum est illa tua sanctificatio talis & tanta, vt post Deum nil fuerit te sanctius. O Virgo, ô Virgo; ô Aue, ô Aue, ô sine Væ, ô plena gratia. *Aue Maria gratia plena.* Inuenisti gratiam apud Deum. *Ecce concipies in vtero & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum.* Hoc est mysterium, Illustrissimi Domini, hæc est ratio legationis. Oro vos, vt interea dum legationis huius materiam ad consolationem vestram expono, sitis attenti: dilucidus ero & perspicuus, nec tamen prolixus.

Odores B. Mariæ.

TERTIA PARS.



INGENS profectò fauor est, & quam non expectaueram gratia, Serenissime Princeps, quam Celsitudo Vestra mihi exhibere dignata est, inclinans se in solio, & mittens ad me Magistrum Ceremoniarum, cum mãdatis, vt diceret mihi, Concionarer quamdiu placeret, nec orationem meam intempestiuè abrumperem, aut mutilarem, etiamsi hora iam transierit. Magnam hanc esse beneuolentiam agnosco, nec ignoro hanc gloriam mihi multos inuidere, vel eò magis, quòd nunquam de tua Celsitudine mea humilitas bene merita est. Sed gratitudinis loco, cùm me non sufficientem fatear, qui remunerem, hoc agam, vt auriũ suarum, totiusque Magnifici huius Senatûs, qui tam attentè me audire dignatus est, patientia non abutar. Clarissime Domine Petre Zeno, postquã non dedigna-

dedignatus es me in filium tuum quasi adoptare, tu magno huic Principi natiua tua eloquentia pro me gratias agito; cùm illi ob singularem virtutem tuam ipsis tuis maioribus sis charior.

Incarnatio Christi tria includit mysteria.

Sed ad rem. Generatio Christi quæ fit hodie in vtero Mariæ Virginis, Reginæ nostræ, & peculiaris vestræ, Domini Veneti, Aduocatæ (non enim deerit vnquam vobis vmbra illius protectionis) includit (vt paucis multa dicam) hæc tria mysteria. Primum est Conceptio corporis illius delicatissimi, quomodo Spiritus sanctus obumbrauit, fouitque sanctum illum Paradisum (sic iuuat hoc loco vetrem B Virginis appellare) aut per modum tactûs vt gallina; aut obtutus vt struthiocamelus, aut alio singulari modo, illi soli noto & proprio, ex omnibus membris benedictæ huius Virginis in locum geniture traxit, elicuitque purissimum, delicatissimumque quem habebat sanguinem: & ex eo in momento, sine vllo tempore formauit, cumque omnibus lineamentis suis (quod in alijs infantibus quadragesimo tandem die fieri consueuit) figurauit tenerrimum illud tam dulcis puerulì corpusculum. cuius vox est; *Et in ventre matris figuratus sum caro.*

I mysterium. Sap. 7.

II mysteriū. Secundum mysterium est Creatio animæ Christi, quomodo cùm esset eiusdem speciei cum nostra, coniuncta etiam huic corpori, fuerit tota mundissima, sanctissimaque, & non tantùm sine peccato, sed quæ peccare non potuit; & quod fortasse amplius esse videtur, in ipsa creatione vestita fuit tanto lumine, tanta gratia, tanta scientia: cùm animæ nostræ licet per se mundæ, corporibus tamen immersæ, euestigiò tanquam à fermento farina, sic à corrupta carne contaminantur, factæque peccati originalis reæ, etiam pœnæ obnoxiæ, per ipsos sensus tantis cum laboribus & disciplinis erudiuntur, tanquam natura sua in hoc differentes ab Angelis, nudæ prorsus instar tabulæ rudis, in qua nihil depictum est.

III mysteriū. Tertium est, quomodo ex corpore & anima ab vna parte, & ex Verbo ab altera, vnus cōstituatur Christus; cùm tamen nec vna pars forma, nec altera materia sit, imò nec hæc, nec illa pars Christi sit essentialis. ex

vna

vna enim & altera non resultat tertium, quomodo fortè de corpore & anima solet: cùm Christus non sit aliud, quàm tres istæ substantiæ simul coniunctæ, Verbum, Anima & Caro; sicut & substantia Dei non est aliud, quàm Pater, Filius & Spiritus sanctus, vno simplicissimo quasi nodo coniuncti. Hìc tres personę & vna natura, illic tres substātiæ, & vna persona. O arcana mysteria. *Quis sapiens, & intelliget hæc?* Imò quis sapiens, & perscrutabitur hęc? Cesset, cesset hìc humana curiositas, nolumus id scire, quod nec Angeli, nec Prophetæ, nec Apostoli reuelârunt. Sufficit id scire in genere, quod scriptum est vt sciatur. *Christi generatio sic erat. Cùm esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.* Vnde & in Symbolo vides quàm sobriè hac de re loquantur Apostoli. *Et in Iesum Christum filium eius vnicum, Dominum nostrum. Qui cōceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.* Sic & im Symbolo Niceno & Cōstantinopolitano, *Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine.* In ceteris ἀλλὰ θεὸς οὐ μοῦνος τοῦτο ἔχει τὸ γέρας. *Generationem eius quis enarrabit?* Mementote humilitatis B. Ioannis Baptistæ; *Non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius.* Calceamentum hoc mortalitas nostra est, quæ calceauit pedes diuinitatis illius. Scitis enim figuratè scriptū esse; *Extendam in Idumæam calceamentum meum.* O quàm bene calceus hic isti quadrat pedi, quàm bellè pes iste illo calceatus est calceo? Vide an conueniens sit ille calceus, vide an pulchra sit illa Dei & hominis, hominisque & Dei coniunctio, quæ in æternum non discalceabitur, aut dissoluetur? Quod semel assumpsit, nunquam dimisit. Cauete igitur, temeritas est, sacrilegium est, velle profundius scrutari, quàm Spiritus sanctus, cuius hæc generatio proprium opus est, voluit. *Secretum Regis abscondere bonum est.* Dicite, dicite omnes; *Christi generatio sic erat. Inuenta est Maria in vtero habēs de Spiritu sancto.* Scitis quid sit; *Generatio Christi sic erat?* Vultis vobis explicem? Genitor est Deus, Virtus formatiua est Deus, Generatus est Filius Dei, Genitrix est Virgo purissima. In hac generatione nulla interuenit concupiscentia, cogitate an peccatum interuenire potuerit?

Psal. 106.

Non inquirēdum est quomodo Christus sit incarnatus.

Matth. 1.

Esa. 53.

Ioan. 1.

Psal. 59.

Tob. 12.

Quid sit; Generatio Christi erat sic.

Christi generatio sic erat. Quomodo ab aurora exit dies, à montibus vapor, à floribus odor; sic Christus à Maria sine vlla corruptione generatus est. *Christi generatio sic erat.* Maria erat Virgo ante, & postquam genuit generando claustrum Virginitatis illius non fuit violatum: intacta etiam & incotrupta mansit post generationem. *Generatio Christi sic erat.* Natura non potuit talẽ producere generationem, totus mundus hanc admiratur, ratio non intelligit, fides sola credit, Religio adorat. Ideo Deus reuelauit, Angeli annunciauerunt, Prophetæ prædixerunt.

Christi generatio sic erat. Quando Eua de Adami costa fuit ædificata, magnum debitum contractum est inter mulieres & viros. Ecce ad coæquandum debitum illud in omnibus viris cum mulieribus, vt pares essent, & inter se iungi matrimonio possent, hæc inclyta mulier Maria, sine opere viri, ex suo solo sanguine Christum generauit, non priuatum hominem, sed communem, qualis fuit primus ille Adam. ideoque à Beato Paulo secundus Adam appellatur: maior quidem primo, cùm hic terrenus, ille cælestis sit. primus intulit in mundum mortem, secundus intulit vitam. *Christi generatio sic erat.* Adam creatus est absque viro & fœmina, Eua de costa Adami fabricata est, sine ope mulieris. nos omnes opera viri simul & fœminæ nascimur, quartus igitur modus erat necessarius, quo quis ex muliere sine viro nasceretur. *Christi generatio sic erat. Christi generatio sic erat.* Per quadraginta duos gradus ab Abrahamo ad Mariam Iosephi sponsam in Euangelio sancti Matthei linea generationis Christi descendit, & per septuaginta septem econtrariò in Luca vsque ad Deum ascendit. Christus enim respondet Moysi, qui per quadraginta duas mansiones populum Dei à seruitute Ægyptiaca liberauit, terramque promissionis ostendit. Similiter & innuitur, quòd ipse est magnus ille Episcopus, qui suo Vicario mandauit in spirituali sanctæ Pœnitentiæ foro peccatoribus septuagesies septies ignoscere. *Non dico tibi septies, sed septuagesies septies. Christi generatio sic erat.* Omnes generationes omnium præteritorum seculorũ ad hanc vnam Christi generationem erant ordi-

Debitũ quod mulieres debebant viris propter creationem Euæ, soluit Maria.

Quadruplex generatio.

Matth 18.

Omnes generationes præ-

ordinatæ. Christus erat finis omnium rerum, generatio Christi finis erat omnium generationum. Quid vlterius inquiris hanc generationem stulta & cæca Iudæa? *Stultas quæstiones & interminatas genealogias deuita.* Absoluta est & præcisa omnis genealogiæ tela, cùm iam natus sit Christus ex Virgine, filius Abrahæ Sacerdotis magni, filius Dauid Regis inclyti, natus de tribu Iuda, qui semper fuit antesignanus, & primus dux in omni expeditione, tam in transitu maris, quàm in alijs rebus arduis. *Christi generatio sic erat; Christi generatio sic erat.*

teritę ordinatæ erāt ad generationem Christi.

Tit. 3.

1 Tim. 1.

Vena putei, & verbū Angeli ad Mariam hoc erat; *ECce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum.*] Vultis videre abundantiam aquæ ex hac vena scaturientis? audite & verba Concilij; *Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & homo factus est.* Ecce quantam vim habent aquæ istæ? tollunt enim omne venenum, omnem exterminant hæresin. Tu qui dicis Christum non habere carnem nisi phantasticam & apparentem, audi; *Et incarnatus est.* Tu qui asseris Christum generatum ex humano semine, quemadmodum & alij homines generantur, audi; *De Spiritu sancto.* Tu qui doces carnem hanc à substantia matris Mariæ non abscissam, sed cælitus allatam, audi; *Ex Maria.* Tu qui nugaris maternitatem Virginis eius excludere Virginitatem, audi; *Ex Maria Virgine.* Tu qui affirmas Christū animam non habuisse, sed diuinitatem eius locum suppleuisse, audi; *Et homo factus est.* O quàm stupenda verba sunt quinque hæc? sunt quasi quinque lapides, qui sternūt omnes Gigantes. Recordarísne quòd Deus in Exodo præcipit, ne quis ad montem accedat; Si quis accesserit aut homo, aut bestia, à toto populo lapidibus obruatur? Mons noster Christus est, mons qui replet terram vniuersam. Væ qui tetigerit illum, vt violet aut iniurius sit, istis lapidibus caput eius comminuetur. Vultísne vt ego hos lapides ostendam vobis in pera pastorali sacrarum Scripturarum? Agite dum. *Erunt duo in carne vna: ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* ecce veritas Incarnationis. *Antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.* ecce mo-

Quot dubia soluātur per verba Symboli Niceni, de incarnatione

Exod. 19.

Ephes. 5.

Matth. 1.

ce modus supernaturalis per operationem Spiritûs sancti. *Sum & ego similis vobis ex genere terreno, & in ventre matris figuratus sum caro.* ecce veritas conceptionis, & maternitatis Mariæ. *Porta hæc clausa erit, & non aperietur, quia Dominus ingressus est per eam.* ecce illibata Virginitas Mariæ, etiam post partum. *Homo cum quo est Deus, dixit; Stultißimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum, & tamen noui sanctorum scientiam.* ecce vera & integra humanitas Christi. Vah, vah non possunt resistere Concilijs nec hæreses, nec hæretici. Qui aduersus Concilia potest præualere, etiam aduersus Deum præualebit. Nescis, ô hæretice, in Concilijs tantùm, & non alibi dici; *Visum est Spiritui sancto & nobis?* Quando erit dies ille Venetiæ, quo videbimus in Ecclesia Sanctum generale Concilium, quod omnibus Neotericis silentium imponet? omnia noua dogmata, quæ nunc tanto cum animarum detrimento vbique per Christianismum disseminantur, confundet? Illud, illud sufficeret, Magnifici Domini. Tunc cantarent Cygni & obmutescerent graculi. Ranæ quæ nunc rhetoricantes vbique terrarum coaxant, tunc conticescerent, & pura Ecclesiæ Romanæ matris & magistræ veritatis, sincereque Religionis doctrina audiretur, atque in pretio esset. Interea tu, ô Excelse Senatus, in prisco cultu Christi & Virginis perseuera. Et si quis in vestro Dominio, Serenissime Princeps, surrexerit & antiquæ doctrinæ, in qua nos, aui & proaui nostri educati sumus, contrarium prædicauerit, aduigilet Celsitudo Vestra, & efficiat, vt pœna vnius exemplum sit multorum.

Sap. 7. Ezech. 44. Prou. 30. Nemo potest Concilijs resistere. Act. 15.

Sed hei mihi, qui nimis longè digressus sum. *Gaude, gaude Virgo Maria, cunctas hæreses interemisti in vniuerso mundo.* Concipiens & pariens Christum, qui author est veræ fidei, qui veritas ipsa est, qui est Verbum Dei, extinxisti omnem hæresin fidei contrariam, veritati inimicam, à Verbo Dei alienam, vanis hominum persuasionibus innitentem. O Virgo benedicta; Æquissimum, & rationi maximè consentaneum est, vt sancta mater Ecclesia tum ad consolationem nostram, tum etiam ad hæreticorum ignominiam & confusionem, omni die solenni in publico Sacro, in templis,

Generatio Christi oēs hæreses extinguit.

templis, in maxima populi frequentia canat; *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis; & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, Et homo factus est.* Subiungens etiam vnde salus nostra, fides, gratia & gloria nostra nata est: *Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato; Passus & sepultus est.* O quanta mysteria sunt hæc? Omnium horum mysteriorum, Domini mei, hodie Virgo Maria per Angelum capax & particeps facta est, ideoque tanta cum arte ac diligentia illam instruxit, vt omnium gnara consensum daret.

Primò salutat illam, redditque beneuolam. *AVE gratia plena, Dominus tecum.*] Deinde attentam facit, exponens illi altum istud & sublime salutis humanæ mysterium; quæ salus per Christum perficienda iam ante omnia secula erat prædestinata. *ECce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum.*] Vltimò reddit illam docilem, docens modum super omnem modū, quo ineffabilis hæc & incomprehensibilis generatio erat perficienda. *SPiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.*] Angele benedicte, cur ita parcus & verborum tenax fuisti erga mundum hunc, vt nolueris exprimere vultum, gestus, habitum & formam in qua modestissimam hanc Dominam inuenisti, postquam diuina illa tua eloquentia, non alijs auribus quàm Mariæ digna, hanc tuam legationem absolueras? Auditores mei; humiliando sese quantum potuit coram Deo & in animo proprio, annihilandoque (vt ita loquar) sese magna hæc Regina cæli, nihil seipsam esse, & plus quàm nihil existimans, omne suum velle, omne suum posse, omne suum scire voluntati diuinæ postponens, sese tam liberaliter Deo exhibuit, haud aliter, quàm materia prima, nuda ab omni forma, omnique dispositione: contenta quoque, vt Deus operaretur in ipsa, & faceret de ipsa, quicquid diuinæ illius placeret prouidentiæ, hæc tria verba profatur; *ECce Ancilla Domini*: quæ quasi præparatio fuere ad sacrificium; deinde obtulit semetipsam alijs quinque subsequentibus verbis; *Fiat mihi secundùm verbum tuum.*] quibus prolatis cum infinito quodam miraculo, in ipso momento cælitus

Ars Angeli qua vsus est in hac legatione.

Humilitas Mariæ.

Maria offert se Deo.

est grauidata, factaque mater Dei: haud aliter quàm prolatis alijs quinque notissimis verbis, quæ Sacerdos in altari pronunciat, panis non ampliùs panis est, sed transubstantiatur; fit vera caro Christi, fit verus Filius Dei. O Maria, O Maria.

Audierat iam, vt diximus, omnia, capax omnium erat facta. Omnes Angelorum Hierarchiæ mille beatorum luminum genera in hanc sanctissimam animam, in purissimum hoc speculum per Gabrielem internunciũ instillauerant; & tamen quasi humilima, quasi illa quæ se ancillam agnoscit, non Dominam, non Matrem, non Sponsam, nec de mysterio hoc, nec de semetipsa loqui aut percunctari, imò nec hiscere quidem audet: arbitrabatur se omnium mulierum quæ in mundo erant vel maximè rudem & ignaram esse; quãuis nec Salomon, nec Dauid, nec ipse Adam sapientiores illa fuerint; in ipso principio succumbit, cedit, consentit, & obedientiam suam offert, dicens; *ECce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.*] *Non fiat mecum, fiat mihi, fiat in me, fiat de me.* Nescio quid mihi dicatur, aut quid dicam ipsa: & si scirem, scire tamen nollem. totam me Deo offero, totam me abnego; intellectus meus voluntatis meę libertati cedat. Offero me tanquam ceram mollem, paratam ad omnem formam, quęcunque imprimatur à Domino, recipiendam. Sum verè ancilla, non attollo, nec habeo meos oculos nisi ad Dominum. quocunque velit, illuc me conuerto. *Sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ, ita oculi mei ad Dominum Deum meum.* Mens & caro mea non pugnant inter sese. consentiunt inter sese, & vtraque prompta est ad obediendum: faciat tantùm Dominus, & in mente & in carne mea, quicquid voluerit.

Cogitationes Mariæ dum Angelus cum eâ loquitur.

Psal. 122.

FIat mihi secundùm verbũ tuum.] Ego me indignam fateor (nec me falli scio) hac tanta gratia; & quia ille me dignam facit, attonita planè sum & confusa, cogitans mecum quomodo vnquam ego fœmina mortalis æternum illum & immortalem Deum in vtero meo cõcipiam? quomodo immensum illũ Dei filium in hac ventris mei angustia concludam? Quid sum ego nisi puluis, cinis & nihil, si me quis conferat cum

Deo,

Deo, qui eſt Rex gloriæ, qui eſt omnia in omnibus, qui eſt creator totius Vniuerſi? Maximi viri Sancti, & ſingulares amici Dei, ad vocem illius obſtupuerũt, mortemque metuebant, cùm illos alloquebatur: & ego omnium mulierũ indigniſſima, in continua eius pręſentia, pręſentem mortem non formidabo? *Semper quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Dominum, & pondus eius ferre non potui*, ait vir ſanctus. Quid igitur fiet dę me? Magna illa diuinitatis eius abyſſus, me in momento abſorbebit, & in nihilum rediget, non aliter, quàm exigua quædam ſcintillula in mare cadens ab vndis obruitur & extinguitur. Iob 31.

Nihilominus, *ECce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.*] Hæc eſt mihi ad perpetuam quandam mortem præparatio, nunc me mundo & carni mori ſentio, obſtupeſcunt omnes ſenſus mei, de me ipſa non ampliùs ſolicita ſum. Nimis excelſus eſt illę ſtatus, quò me nunc aſſumptam video, & nimis excellens dignitas, ad quam me Dominus elegit. Saltus ille magnus, qui mihi faciendus eſt, in ecſtaſin me rapit, ab intellectu ſimul & affectu me abducit. Quis calor iſte quem ſentio? quod frigus illud, quo membra obriguere mea? quis me terror inuadit? quod gaudium illud, quo tam abundè perfundor? Papę. *ECce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.*] O quàm mihi nunc neceſſaria eſt perpetua ſanctitas, perpetua puritas, vt tãto dignè poſſim famulari filio? ne oculis ipſius diſpliceã, ne peccata mea denuo, ſicut olim peccatum Euæ, prouocent eius aduerſus omnes homines indignationem. Omnis in poſterum mundus pendet à me, humani generis redemptio forſitan à me poſſet impediri. O miſeram me, in quàm graui periculo conſtituta ſum? & quæ ſum ego, vt poſſim tantæ & Angelorum & hominum, & peccatorum & iuſtorum expectationi reſpondere? Omnium oculi in me coniecti ſunt, Domine, & quid ego potero viliſſima & inutiliſſima ancilla tua? Omnia in manu tua ſunt, poſtquam me ad arduũ hoc opus elegeris, vt per me ad homines magna tua deriuetur miſericordia, ne quæſo à me ſtet, quò minùs hic mundus redimatur. Ecce non reclamo, non contradico, non repugno.

Non possum aliud, quàm nudè, simpliciterque consentire. *ECce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.*]

ECce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbū tuum.] Non me latet acerbū & durū illud martyrium, quod post paucos dies mihi præparabitur, cùm populus me digito monstrabit, & dicet; Ecce hæc est Maria quæ ab omnibus habebatur Virgo; Iosephus hāc sibi desponsauerat; & antequam eam duxit, inuenta est grauida. Virgini teneræ, castæ & pudicę non potest quid tristius aut acerbius accidere, quàm nota infamiæ. Omnia tamen lubens sufferam, tibi, Domine, tuæque voluntati vt obediam. *ECce Ancilla Domini, fiat mihi secūdùm verbum tuum.*] Occurrunt quidem menti meę lachrymæ & dolores ineffabiles, quæ me manent cùm magnum illum Deum, quem mihi nunc filiū promittis, his meis oculis in cruce inter duos latrones pendentem & morientem videbo. Et ecce nunc dolor ille non aliter atque acutissimus gladius cor meum transuerberat: sentio clauos, sentio spinas, sentio lanceam, & iam iam illius cruci affixa sum: nihilominus non tergiuersor, non recuso: ecce prompta sum; mille alijs supplicicorum & cruciatuum generibus me offero. *ECce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.*] Angele lucis magne, magne legate Dei, persuasa sum, expugnasti me, me dedo, tibi credo, tibi gratias ago. Oro & precor Dominum meū, supplico illi quàm possum humilimè, per seipsum, per verborum suorum veritatem, (*Omnis homo mendax, Deus solus verax*) ne indignitas mea eius à me benignitatem arceat. *Dominus det benignitatem, & terra hæc mea det fructum suum. Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem mundi.* Descendat Filius Dei de cælo suo, vt liberet nos à nostro inferno. Vestiatur carne nostra, vt nos eius vestiamur Spiritu; exaltet nos in se, vt deprimamur in nobis. Vniatur cum natura nostra, vt nos cum eius Maiestate vniamur. Assumat figuram hominis, vt nos in Deum transfiguremur: sit peregrinus in terra, vt nos in cælestem patriam postliminiò reuertamur. Ne à nostris abhorreat miserijs, vt nos digni efficiamur

Psal. 115.
Psal. 84.
Esa. 45.

mur illius gloria. moriatur pro nobis, vt nos per illum, cum illo, & in illo viuamus.

Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.] Pater æterne, omnipotẽs cæli & terræ Deus, cùm primus ille pater noster Adam te peccato suo irritauit, tuamque indignationem in genus nostrum concitauit, vidisti illum nudum, miserũ & miserabilem, fugientem vultum tuum, & abscondentem se, & ironia quadam, quasi illudens illi, dixisti; *Ecce Adam quasi vnus ex nobis, sciens bonum & malum.* Immensas ago tibi gratias, quòd iram tuam deposuisti, quòd pacatior nobis factus es, videns summam nostram necessitatem. Veniat, veniat secundus Adam, promissus ille tuus Emmanuel, Adam cælestis, Christus Iesus, vnigenitus filius tuus, fiat homo, vt verè ex amore tuo solito ad gloriam & consolationem nostram dicas; *Ecce Adam non quasi vnus, sed verè vnus ex nobis; qui scit reprobare malum, & eligere bonum.* Genes. 3.

Fiat, fiat mihi secundùm verbum tuum:] Fiat, fiat caro nostra Verbum tuum, vt quisque nostrum factus tanti capitis membrum, ex ipso, in ipso, & per ipsum sciat reprobare malum, & eligere bonum.

Illustrissimi Domini, habetis finem Euangelij, & oratio quoque mea ad finem peruenit. Istud mysterium Incarnationis, miraculũ est amoris, Sacramentum verò pietatis & humilitatis. Humiliamini, humiliamini omnes quantum potestis, pij & misericordes estote in pauperes, & Deum ante omnia diligite; vt efficiamini per opera, sicuti nunc estis per fidem, viua membra Christi; tunc agnoscetis miserias vestras, tunc vitæ carnali nuncium mittetis, tunc Spiritus efficiemini, & vnus quidem spiritus cum Deo: quemadmodum Deus factus est caro, & quidem caro nostra. *Verbum caro factum est,* inquit Ioannes, & B. Paulus secum modulatur; *Qui adhæret,* inquiens, *Deo, vnus Spiritus est cum illo.* Vita carnalis, Veneti, vita dissoluta, & libidinosa nostris temporibus hæreses seminat, excrescentesque nutrit, sicut olim sectam Turcicam excitauit & fouit. Refrenate, refrenate Domini, affectus vestros; pompas, vanitates, voluptates, nugas & gulam vestram accidite & diminuite; mundanis &

Mysteriũ incarnationis est miraculũ amoris, Sacramentum pietatis & humilitatis.

Ioan. 1.
1 Cor. 6.

& carnalibus desiderijs vestris modum statuite; Ieiunium Quadragesimale obseruate, & carnem vestram mortificate, videbitisque hæreses instar nubeculæ ad aspectum Solis disparere. Tu Virgo sancta, quæ hoc die globo Solis amicta es, qui in te nubecula carnis nostræ sese inuoluit atque texit, vt oculis nostris videri posset, qui priùs erat inuisibilis, quique & te & nos simul combussisset & excæcasset, si hanc exiguam vmbram non assumpsisset; esto nostra Mediatrix, & apud Dominum aduocata, vt ab hac Excelsa Repub. quæ tantæ est in Christianismo authoritatis, in gratiam tui omnes affectus carnis eliminentur, & tota affectibus spiritûs repleatur: vt omnes alij Principes huius exemplo moti, desinant esse carnales, vitamque viuere spiritualem incipiant. Quod nobis concedat ille &c. Amen.

Apostrophe ad Mariam.

CON-

CONCIO DE IMPERIO ET AVTHORITATE CHRISTI IN MORTEM.

Habita Romæ, in Palatio Apostolico, præsente Beatiss. Patre Papa Pio Quarto, feria sexta Dominicæ IIII. Quadragesimæ, Anno M. D. LXII.

IN EVANGELIVM DE LAZARI RESVRRECTIONE, OMNIVM miraculorum maximo.

PROOEMIVM.



QVEMADMODVM celebris illa peccatrix Maria Magdalena cum lachrymis, capillis & vnguento, lauans, tergens & vngens sanctos Christi pedes, de fœtido peccatorũ, in quibus diutissimè vitam vixerat mortuam, monumento resuscitata est: sic frater illius & Marthæ Lazarus, non minùs quàm soror in anima, mortuus in corpore, nec mortuus tantùm, sed quatriduanus ac fœtens, hoc die cum stupendo miraculo, omniumque aliorum miraculorum maximo, à Christo è sepulchro cadauerum euocatur, viuus non minùs in anima, quàm in corpore: vt mundus credat vtramque resurrectionem; vnam animæ à peccato, alteram corporis à morte promanantem. Iucundum profectò nostris oculis, Beatissime Pater, spectaculum, & materia auribus nostris auditu gratissima; spectaculum resurrectionis, & vitæ communis spes, totiusque humani generis desideriũ; mate-

materia gratiæ virtutisque Christi, quæ sola nos liberat de faucibus mortis, quos culpa illi antiqua prædam obiecerat. Ita placuit Domino nostro conferre nobis hanc gratiam, vt in posterum fugiamus peccatum, occasionem & causam omnis mortalitatis. vnde in sanctitate & iustitia viuendo, vita nostra illi gratior sit & charior. Sed iuuate me precibus vestris, & pariter oremus Mariam Virginem, vt impetret mihi gratiam, cuius beneficio hanc insignem Christi expeditionem dignis laudibus queam commemorare.

PARS PRIMA.



INGENS gloria & infinitus diuinæ Maiestatis splendor, qui in cælo, in terra & in mari tam copiosè in omnia opera eius cum summa potentia creata, cum inæstimabili sapientia administrata, & cum dulcissima bonitate cõseruata effusus est, quomodo omni populo & genti in hoc magno mundi theatro naturali lumine manifestatur: ita in hoc admirabili spectaculo Christi nostri omnibus fidelibus, qui soli inter homines oculos habent spirituales, lumine fidei perspicuè satis ostenditur. Non habet tota natura pulchrius spectaculum hac magna mundi machina, nec tersius, lucidiusque speculum habet nostra fides Christo nostro Domino. Sed mundus artificium tantùm est Dei, & tanquam fabrica plena arte & ineffabilis ingenij satis arguit, non alium esse præter Deum, qui illam condidit: quemadmodum Minerua illa eburnea ostendebat se non ab alio, quàm à Phidia factam, & linea authorem suum Apellem, & vmbra Parrhasium ipso aspectu quasi demonstrabat. Attamen non illuminat oculos mentis sic, vt mediante hoc mundo Deum illum in sua natura possimus cognoscere & contemplari. Christus noster non est opus artis diuinæ, sed Verbum est, diuinæ naturæ, è corde summi illius Patris generatum. Dum itaque monstratur tanquam vera & viua imago Dei, & tamen non cognoscitur, oculos nati cæci sancto illo inungit collyrio, facit vt cognoscatur, & dicit; *Et vidisti eum: &c. qui loqui-*

Christus lucidum est speculum.

Christus docet æternum patrem cognoscere.

Ioan. 9.

loquitur tecum, ipse est filius Dei: atque hoc modo etiam mortalibus æternum Deum exhibet, vt cognoscatur. O Christe, ô Christe. *Si me cognouissetis, & Patrem meum vtique cognouissetis.* Ioan. 14.

Videt itaque Sanctitas V. Pater Beatissime, in hac magna mundi mole infatuatos pręcipuos omniũ gentium Philosophos, nec vnquam potuisse per hanc admirabilem architecturam in cognitionem Architecti venire. Econtrario in mysterijs Christi simplicissimos, ignorantissimos, maximè rudes & illiteratissimos idiotas, qui vnquam in hoc mundo fuere, Piscatores illos (qui enim rudiores & maiores idiotæ inueniuntur piscatoribus?) omnem Barbariem altissima diuinæ sapientiæ arcana docuerunt. Christiani, eleuate vos cum intellectu & affectu hodie quàm maximè potestis, ad excellentiam & Maiestatem Christi contemplandam, ad infinitam eius bonitatem admirandam. qui Christus si non venisset è mundo superiore in hũc nostrum inferiorem, vt intellectus nostros, amores & sensus nostros, imò animos nostros ab humilitate huius terræ abriperet, & in altitudinem cæli subleuaret, Deum nobis in se exhiberet, vt iam Deum in Christo tanquam in vera pictura, imò vt in vera & naturali effigie cognoscamus, certè nunquam in illius venissemus cognitionem. Ante Christum magnus ille Deus nunquam carnalibus oculis visus erat. Si Moyses, si Iacob, si Elias, si Abraham illum viderint, non nisi oculis mentis illum viderunt. *Deum nemo vidit vnquam*, inquit sanctus Ioannes. Aduenienté Christo ecce adimpletum est oraculum; *Et videbit omnis caro salutare Dei.* Omnis Iudæus, Ethnicus, Grę-cus, Barbarus, vir, mulier, iustus, peccator, paruus, magnus, omnis status, gradus, sexus, ordo his corporalibus oculis Deum pro nobis incarnatum videre potuerunt. O beatos oculos qui illum viderunt, beatas aures quæ illum audierunt, beatas manus quæ illum contrectarunt. *Quod vidimus, quod audiuimus, quod manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ*, inquit Ioannes. O dulcedo, ô amoris teneritudo. Dulcedo profectò incomparabilis (animæ meæ charæ) & pietas ad cogitandum ineffabilis est, quòd Deus ille immensus,

Margin notes: Christus facit vt Deum agnoscamus in se. — Ioan. 1. — Luc. 3. — 1 Ioan. 1. — Magna Dei bonitas quòd voluit incarnari.

sus, qui creauit homines, etiam creari voluerit inter homines; & quomodo spiritum nostrum hac carne vestiuit, ita & ipse eodem pallio tegi & incarnari non dedignatus est. Quòd si tam dulce sit illud meditari, quid putas fuerit hoc oculis contemplari? Erat Deus Maiestatis, Dominus virtutum, Rex gloriæ, qui sua immensitate omnem locum excedit, qui sua æternitate omne tempus præcedit. Et tamen ex singulari quo nos complectebatur amore ab excelso illo surgens solio, in quo tanquam antiquus dierum sedebat, adeò sese humiliauit, vt longum illud iter inire non sit dedignatus, è cælo in terram descenderit, è regione vitæ ad regionem mortis venerit, & tandem nouissimus omnium hominum factus fuerit. Non legistis; *Nouißimum virorum?* Conuersatus est nobiscum, vixit nobiscum, docuit nos, & tandem pro nobis mortuus est. O summum amorem, ô incredibilem charitatem. Quid Deus facere debuisset, vt verum fateamur, Docti, cùm homines ingrati tam impudenter in Adamo illi aduersarentur, & quasi bellum cum illo gererent, nisi vt nostrì obliuisceretur, nullam deinceps nostrî curam haberet, aut fortè semen omne nostrum radicitus euelleret, posteritatem omnem deleret, nouumque genus creaturæ conderet, à quo amaretur, debitoque obsequio coleretur? Sed amor & dulcedo eius tanta fuerunt, Christiani mei, vt post tantum, tam generale, tam publicum, & tam inexcusabile scelus nostrum, ipse etiam venerit in has terras, vt eos quæreret & consolaretur, dicens quomodo Iosephus quondam; *Fratres meos quæro: fratres meos quæro.* Fratres meos perdidi, vbi, vbi sunt? quæro eos, nec reuertar donec inuenero. Cælum, terra, Angeli, Sol, Luna, dicite mihi, vbi sunt fratres mei? Non desinam illos quærere; potiùs vitam propriam in præsens adducam periculum, citiùs moriar, quàm reuertar, priusquã illos inuenero: vt Patri meo dicere possim; *Ecce quos dedisti mihi, non perdidi ex ijs quenquam. Mortui erant, & reuixerunt: Perierant, & inuenti sunt.*

Esa. 53.

Christus quæsiuit nos instar fratrum.

Genes. 37.

Ioan. 18.

Luc. 15.

Ah Roma, audisne quanta cum amoris teneritudine hodie mortuum quærit, dicens; *VBi posuistis eum?*

Ioan. 11.

Et non

Et non expectans donec responsum accipiat, ipse venit amore totus æstuans, vt sepulchrum nostrum visitet. iubet lapidem tolli, vt fœtores nostrorum cadauerum olfaciat; & ex mera misericordia non tantùm ingemiscit, sed plangit & lachrymatur, priusquam amicũ suum Lazarum resuscitet. O felicem mortuum quem deflet Iesus: ô charas lachrymas vitam mortuo restituentes: sed ô miseriam nostram infinitam, quæ Iesum, qui fons est omnis gaudij, contristat, imò in lachrymas & luctum inducit. *Non se poterat continere Ioseph multis coram astantibus*, inquit Moyses, *eleuauitque vocem cum fletu, quam audiuerunt Ægyptij, omnisque domus Pharaonis*. Ecce Ioseph, ecce Ioseph; Christus noster plangit & lachrymatur, lachrymatur nascens. *Primam vocem similem omnibus emisi plorans*: lachrymatur ruinam Hierosolymorum prædicens; *Cùm vidisset ciuitatem, fleuit super eam*: lachrymatur moriens; *Cum valido clamore & lachrymis*. Lachrymatur & hodie, & lachrymis suis lachrymas sororum Lazari in gaudium conuertit, funebresque exequias, & diem lugubrem in iucundum festum rediuiui, lætissimamque natalem mutauit. *ET lachrymatus est Iesus,*] ait Ioannes. Non absque ratione dicebant astantes, qui charos istos oculos lachrymari videbant; *ECce quomodo amabat eum!*] Rectè *Amabat*, Domini mei, non Amauit: *Amabat, amabat*. Amabat semper, amabat perpetuò, non tantùm cùm viueret, cùm moreretur, sed etiam cùm iam mortuus erat, cùm iam fœtebat, cùm iam quatriduanus erat. *Omni tempore diligit qui amicus est. In charitate perpetua dilexi te*, anima mea, inquit Christus. Et quis vnquam vel minimam portionem perpetuitatis illius amoris nunquam interrupti, nunquam refrigescentis, nunquam extincti, qui est in Christo Iesu erga nos, digna oratione exprimet?

Christus lachrymatur.

Genes. 45.

Quoties Christus lachrymatus est.

Sap. 7.

Luc. 19.

Heb. 5.

Prou. 17.

Hier. 31.

Nolo hîc quicquam dicere de amore, quem nobis exhibuit priusquam carnem nostram assumeret, quòd ex sola sua bonitate nos creauit; creauit autem non lapides, non plantas, non bestias; sed homines, erecta ad cælum facie, tot plenos sensibus, qui quasi fenestrę sunt, per quas mundi pulchritudinem cõtemplamur, vt tantis rerum creatarum splendoribus animus ad

Amor Dei ante incarnationem.

contemplationem Creatoris, ad admirationem illius sapientiæ, ad amorem illius bonitatis, ad timorem denique æterni Patris Maiestatis excitetur. Postea per immensum lumen Prophetarum, legis & tot scripturarum denuo in nobis ignem illum, & splendorem illum, qui paulò antè penè extinctus erat, tot peccatis nostris, nostrorumque parentum obrutus, accendit. Sed tantùm dicemus de illo amoris miraculo, quod fecit cùm veniens nobiscum habitare dignatus est. O consilium ineffabile; ô inauditum exemplum; ô amor inæstimabilis. videtísne occasione tanti redemptionis nostræ beneficij sanctam Ecclesiam culpam Adami vocare felicem & beatam? eum namque in modum Christus figmentum nostrum reparauit, vt quilibet nostrum mirificè sibi gratuletur, quòd collapsum fuerit. O beata sors, ô fauor insignis, ô gratia super omnem gratiam: cùm enim omnes eramus perditi, talem & tantum nacti sumus Redemptorem, per quem multò gloriosiores surreximus, quàm antea cecideramus. Non potest exprimi amoris huius magnitudo, Christiani. Christus descendit in hanc lachrymarum vallem, in hoc miserabile exilium, vt reuocaret nos ad perpetua cælestis patriæ gaudia. Assumpsit nostram humanitatem, vt nos insereret suæ diuinitati. Vestitus est nostra miseria, vt ornaret nos sua gloria. Tot annos nobiscum voluit familiariter conuersari, vt hoc modo nos dulciter ad se cognoscendum, amandumque traheret. Esurijt, sitijt, æstuauit, friguit, vigilauit, sudauit, laborauit, fatigatus est, passus est, omnes nostras angustias expertus est, vt seipsum horum omnium experientia edoctum ad misericordiam nostræ fragilitatis incitaret. Quantas iniurias, quanta tormēta, quàm asperam & duram mortem sustinuit, vt per ea nobis integrā à malis nostris omnibus liberationem, & plenā omnium bonorum suorum conferret participationem? O benedicte Christe, omnes actiones tuæ, dum in his vixisti membris mortalibus, quàm efficacia fuere ad inflammandos animos nostros exempla? quàm salutifera ad erudiendum nos præcepta? quàm stupenda ad excitandū nos prodigia? quàm amicæ ad nos alliciendum admonitiones?

Culpa Adami cur felix dicatur.

Omnia fecit pro nobis Christus, qa nos impensiùs amauit.

tiones? quàm certæ ad nos inuitandos promissiones? quàm profundæ ad persuadendum rationes? quàm viua denique ad nos transformandos verba? Quid dicemus de Cruce, animæ meæ? quid de passione? Vincula eius nos soluerunt, sanguis eius nos lauit, vulnera eius nos sanârunt, sudor eius nos mundauit, fel eius nos edulcorauit, mors eius nos viuificauit. Quantum debebas ô homo Creatori? cogita nunc quantum debeas reparatori, qui iactura suiipsius (vt ita loquar) omnia tua damna tanto cum augmento resarciuit? Resurrexit postea, & in Cælum, vnde descenderat, ascendit, vt fiduciam nobis daret infallibilem, nos cùm membra illius simus, etiam aliquando ad illam felicitatem peruenturos, ad quam ille, qui caput nostrum est, præcessit. Misit denique charum illud amoris sui pignus, Spiritum scilicet sanctum, vt transformet nos omnes, aliosque homines efficiat: non iam ampliùs carnales, sed spirituales. vt iam non ampliùs mundo, sed soli Deo, in eius potiùs, quàm in nostro spiritu viuamus. Roma mihi charissima, quid his tot infinitæ illius charitatis argumentis amplius addi poterit, postquam omnem amorem suum in nostra pectora diffudit? Neque his contentus fuit, neque hæc sufficiunt Christo nostro, quia totus amore nostri exardescit. Cernitísne quomodo semper tot Apostolorum concionibus ad homines cognitione veri Dei illuminandos progressus est? quot Martyrum supplicijs & cædibus ad veræ cultum religionis illos corroborauit? quot Virginum turmis ad continentiam carnis accendit? quot Confessorum exemplis ad contemptũ mundi inuitauit? quot Sacramentis Ecclesiæ nos aduersus Diabolum communiuit? O quomodo tandem nos consolatus est, exaltauit, armauit, docuit, traxit, rapuit? penetrat & agitat nos verbis sui Euangelij, quę ardentibus & viuis amoris scintillis plena sunt, sub littera quasi sub cineribus abscōdita, in tepidis nostris pectoribus ignitum piæ vitæ incendium, si diligenter inquirantur, excitantia. Sed quid de alio amoris signo dicemus, quòd Christus scilicet noster omnibus nobis semper præsens assistit? Nunquam à pectoribus & cordibus nostris recedit, nisi ipse priùs negligatur, aut reijcia-

reijciatur; ostium cordis nostri pulsat semper; millies repulsam passus reuertitur; videtur quòd absque nobis viuere non potest; deliciæ sunt illi, in animabus nostris hospitari: nihil illi gratius, quàm vt placido nos illũ vultu intueamur, hilari vultu excipiamus. O immensum amorẽ, ô infinitam misericordiã, ô incomparabilem dulcedinẽ. Videtísne quàm fraterno amore tolerat peccatores? quanta cum charitate illos recipit? quàm clemeter illis indulget? quàm benignè illos corripit? quomodo illos aduersitatibus emendat? quomodo illis prosperitatibus blanditur? nihil non agit, nihil omittit, saltem vt viam modumque inueniat, vt conuertantur, bene viuant, & saluentur? An non meritò dictum videatur; *ECce quomodo amabat eum: Ecce quomodo amabat eum?*]

Deus est verus amicus noster nec inuenitur amicitia huic similis.

Eat nunc qui volet, atque phaleratis verbis exaggeret omnem beneuolentiam inter amicos huius mundi, qui vnquam inuenti sunt, etiam inter Ethnicos: apud quos vix tria paria leguntur. Fabulæ sunt, nugæ sunt omnes illorum amores & amicitiæ, si cum amore & amicitia Christi conferantur. Viden' illum te amicum appellare; *LAzarus amicus noster?*] *Vos amici mei estis? Iam non dicam vos seruos, sed amicos?* Adde huic, quòd isto tanto amore complexus est & adhuc complectitur nos, nos peccatores, nos inimicos suos, nos à quibus nullum potest sperare beneficium. Nos pleni sumus omni miseria, Christus abundat omni bonitate: nos omni amore sumus indigni, Christus super omnia maximè amabilis est, & tamen Christus tantopere nos amat, nos autem (quod omnium turpissimum est) illum odimus, ab illo abhorremus. Age Pater Sancte, non absque ratione Spiritus sanctus Beato Ioanni (qui est dilectus Domini; vnde & nomen inditum illi hoc amabile, quod significat gratiam) gloriosam huius miraculi, quo mortuus Lazarus è sepulchro viuus reuocatus est, narrationem reseruauit. Maxima namque gratia quam mundo Christus contulit hæc est, quòd infernum momordit, & mortem absorpsit. Sed & maxima grátia quam habere possunt homines ad Christum cõfidenter redamandum, ea est, vt solidè & constanter in hac fiducia de re-

Ioan. 15.

Maxima gratia mundo à Christo collata.

ſurrectione mortuorum ſtabiliantur, vnde fides æternæ vitæ deriuatur.

Sed quid myſterij latere arbitramini in illo fremitu, cuius in hodierno Euangelio fit mentio? Meminiſtíſne paulò antè in Miſſa bis dictum eſſe; *ET infremuit ſpiritu, & infremuit ſpiritu?* Fremebat Chriſtus tanquã Leo victorioſus aduerſus draconem illum infernalem, & fremuit bis, aduerſus duplicẽ mortem: *Duplam mortem ſimpla morte conſumpſit.* Non longè aberat mors, appropinquabat ad duellũ, ideo ſeſe audacter offert Chriſtus: minatur morti, inſultat morti, & mortem ad pugnã prouocat. *Infremuit ſpiritu.* Sed prima vice *infremuit & turbauit ſemetipſum.*] Secũda vice infremuit tantùm, & non turbauit ſemetipſum. Non legiſtis quòd moriturus *cœpit tædere, pauere, & mœſtus eſſe?* Ecce turbatio cum fremitu. *Spiritus promptus, caro infirma.* Infremuit tanquam fortis, turbatus eſt tanquàm fragilis: infremuit tanquam vita, turbatus eſt tanquam factus mortalis: infremuit certus de victoria, turbatus eſt, quia adhuc moriendum erat. *Si fieri poteſt tranſeat à me calix iſte.* Ne gloriare tu, ô mors, ne gloriare, quia tu illum nõ conturbaſti. *TVrbauit ſemetipſum, turbauit ſemetipſum?*] Simulauit ſe hominẽ communem, vt mors tantò audaciùs eum inuaderet, quem meticuloſum, timidum & pauidum videret: inuadensque illum ipſa interficeretur, atque ita fortitudine ſua quam ipſe occultauerat, vt videbatur, totum genus humanum liberauit. In ſecundo verò aduentu nulla vtetur arte, nullo ſtratagemate, ſola vtetur potentia: ideo nec turbabitur, nec perturbabitur quocunque modo; imò non tantùm in ſemetipſo, ſed & in omnibus nobis erit terribilis, & morti formidabilis. *Donec abſorbeatur quod mortale eſt à vita. Abſorpta eſt mors in victoria. Vbi eſt mors victoria tua?* O Chriſte, ô Chriſte, : ô expugnator mortis, ô author vitæ. Ideo dicit Euangelium, quòd alta voce clamauit; *LAzare veni foras.*] Vt ſpecimen quoddam daret illius ſonitûs terribilis tubæ, quæ ſemper in auribus D. Hieronymi inſonabat, vt ipſe teſtatur; *Surgite mortui & venite ad iudicium.* Non auditis Dauidem; *Deus manifeſtè veniet, Deus noſter, & non ſilebit?* Primus

Chriſtus bis infremuit, & cur?

Mar. 14.

Chriſtus cur turbatus.

Matth. 26.

Chriſtus in ſecundo aduentu non turbabitur.

2 Cor. 5.

1 Cor. 15.

Quid clamor Chriſti ſignificet.

Pſal. 49.

Sap.18. Christi aduentus in magno fuit silentio. *Dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter perageret*, inquit Sapientia, *omnipotens Sermo tuus Domine à regalibus sedibus venit.* At secundus aduentus cum magno fiet strepitu. *Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida. Aduocabit cælum sursum, & terram discernere populum suum.* Mugiet mare, tremet terra, obscurabitur Sol & Luna. Deus virtutes cælorum mouebit, somnum mortuorum interrumpet, innumerabiles hominũ exercitus, qui viui adhuc inuenientur, in nubes rapiet, in prædam morti dabit, & in ictu oculi ad vitam reuertentur. singulorũ causas discutiet, bonorũ pariter & malorum; hos perpetuo Inferno mancipabit, illos secum in cælum adducet. O quantus strepitus, quantus tumultus?

Psal.49. Christus in secundo aduentu magnũ excitabit strepitum.

Cur Lazarus quarto die resuscitatur.

Sed videamus an careat etiam mysterio quòd Lazarus non ante quartum diem resuscitatur. Quid putatis, Auditores, per hos quatuor dies aliud quàm quatuor tempora significari? Primum tempus fuit legis naturæ, secundum legis scriptæ, tertiũ gratiæ & Euangelij quod nunc est; quartum erit consummationis seculi, post quam nõ erit ampliùs tempus, sed sola æternitas. Tunc itaque Christus hic, tanquam omnipotens Dei filius, vitæ, mortisque Dominus, viuorum & mortuorum Iudex receptui canet, è sepulchris omnes ad iudicium vocabit, & ab omnibus nobis resuscitatis omnium actionum nostrarum rationem exiget. *Venit hora*, inquit Christus, *in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui verò mala, in resurrectionem iudicij.* Magnum illud generalis resurrectionis mysterium voluit Christus, Pater Sancte, in hoc paruo adumbrare & ostendere; paruo quidem, sed miraculoso Lazari quatriduani è monumento resuscitati exemplari. In Lazaro mortuo imaginamini omnes mortuos in sepulchris iacentes, in eius resurrectione generalem omnium ad vitam resurrectionem considerate.

Ioan.5.

Vmbra generalis resurrectionis conspicitur in resurrectione Lazari.

Quid significet vox, Erat.

ERat quidam languens Lazarus,] ait Ioannes. Quid sibi vult verbum illud *Erat?* Meministísne verbum hoc quater in principio Euangelij B. Ioannis reperiri?

In prin-

In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat verbũ: hoc erat in principio apud Deum? Nusquam verbum hoc inuenitur, vbi non significat antiquitatem. *Fuit & erit*, propria sunt temporis noui; *Fui in spiritu in Dominica die. Fuit in diebus Herodis Regis Sacerdos nomine Zacharias. Erit in nouißimis præparatus mons domus Domini. Est*; propriè dicitur de tempore æterno: si tamen æternitatem tempus appellare liceat: legitur enim; *A temporibus æternis. Ille qui est, misit me ad vos. Si non credideritis quia ego sum. Ego sum qui sum. Erat* autem, verè nota est antiquitatis: vnde legimus in libro Sapientiæ de Idolis & Idololatria: *Initiũ fornicationis exquisitio Idolorum: neque enim erãt ab initio.* vt significetur Deos esse nouos, ideoque falsos: verus enim Deus *antiquus dierum est*, & dicitur. Sic enim legitur in Prophetis. *Antiquus dierum Deus.* Et Dauid Propheta volens ostendere quòd antiquitus semper Deus Israëlis fuit cum populo, & in populo suo; *Nisi quia Dominus*, inquit, *erat in nobis.* Non dicit *fuit*, non dicit *est*; sed *erat*. Miramini fortassis, Auditores, quòd Deum æternum appellem antiquum? Philosophi quoque hac voce vsi sunt, vnde & illorum principium falsum & male intellectum natum est, quo se probare posse existimant, mundum esse æternum. *A principio antiquo non exit effectus nouus.* Age itaque primum illud *Erat* significat Verbi antiquitatem absolutè; secundum antiquitatem personæ; tertium antiquitatem naturæ; quartum antiquitatem virtutis, qua cum ab initio fecit hanc mundi machinam tam antiquam, sed non æternam. Hinc patet verbum τὸ *erat*; non semper significare æternitatem; etsi antiquitatem significet semper, vt iam dictũ est. *In principio erat Verbum.* Ecce aduersus Cerinthum & Ebionem, quòd Christus non cœpit esse vnà cum matre sua. *Et Verbum erat apud Deum.* Ecce quòd Christus non est prima, sed secunda persona in æternitate diuina. *Et Deus erat Verbum.* Ecce quòd ideo non est alterius, sed eiusdem naturæ diuinæ. Hæc enim vera constructio verborum est; *Et Verbum erat Deus. Hoc erat in principio apud Deum; Omnia per ipsum facta sunt.* Ecce hoc verbum est, de quo scripsit antiquissimus Moyses in

Ioan.1. Apoc.1. Luc.1. Esa.2. Rom.16. Ioan.14. Exod.3. Sap.14. Deus antiquus dierũ. Dan.7. Psal.123. Quid significet illa vocula *erat*, quater repetita in initio Euangelij Ioannis.

Genes.1. sua Cosmopopœia. *In principio dixit Dominus; Fiat lux; & facta est lux. Dixit; Fiat firmamentum: & factum est firmamentum.*

Infirmitas humana non est res noua, sed antiquissima.

O quàm abscondita & arcana mysteria dicam tibi de illa vocula *Erat*, Pater Sancte? *ERat quidam languẽs Lazarus.*] Non est res noua, vult dicere Euangelista, infirmitas humana: nec tantùm antiqua est, sed vetustissima & antiquissima. *Erat, erat.* Non incepit à Iubilæo, non à Transmigratione Babylonica, non à Numa Pompilio, non à Roma condita, non à temporibus Esdræ, non à Græcorum Olympiadibus, non à diluuio Deucalionis, nõ ab illo antiquiore sub Noëmo, sed ab antiquissimo cœpit mundi exordio. *Erat, erat.* Non est memoria temporis, quo non fuit. Vix creatus est homo, & infirmatus est. Non talis creatus est, sed talis à semetipso factus est. *Erat, erat. erat quidam.* Quid sibi vult vox illa indefinita, non indiuiduata, non determinata, vaga & errans, *Quidam?* Homo ille vetus & antiquus non erat homo particularis tantùm: erat homo communis; non tam persona erat, quàm natura. In illo erant omnes homines, ipse caput erat omnium, ipse omnes repræsentabat, & coram oculis Dei ipse erat instar omnium: omnes gratiæ datæ erant illi pro omnibus; si perseuerasset, perseuerassent omnes: ideoque languente illo, languerũt omnes; moriẽte illo, mortui sunt omnes. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt.* In cuius rei signum communi appellatur nomine Adam; hoc est, homo, ἄνθρωπος. Non est hic aut ille homo, sed est homo simpliciter. Quod simpliciter dico, sine addito dico. Filij Adam, filij hominis, Filius Adam, filius hominis.

Quidã quid significet.

Rom.5.

Cur primus homo dicatur Adam.

Quid sit languor.

ERat quidam languens.] Cùm audis vocabulum *languens*, consule Medicos. Languor, longus angor. Scitis quid sit angor? dolor faucium qui strangulat, quem vulgus Squinantiam vocat: Angina Latinis, à Galeno & Hippocrate συνάγχη appellatur. Cum dolore igitur qui angit, qui premit, qui strangulat, coniungite longitudine & temporis diuturnitatem, & videte quàm ingens miseria est languor. angit enim, & corpus corrumpit,

rumpit, extenuat, imò exterminat: quia enim continuus est consumit, nec vt curetur permittit. *Languor prolixus grauat Medicum,* inquit Salomon. *Perpetuus corpora languor habet.* ait quidam Poëta. Vultis autem vt paucis verbis referam vobis definitionem languoris, quæ apud Medicos inuenitur? *Est defectus virium & succi naturalis.* Quòd si commune illud peccatum Adami non sit languor, dicite quæso, quis languor in mundo reperiatur? Quid enim hic morbus hecticus, hæc phthisis (nescio quo aptiori appellem nomine) integri in homine reliquit? Maiori ex parte intellectum excęcauit, totam quasi volũtatem infecit & corrupit, partem animæ irascibilem accendit, concupiscibilem inflammauit; potentias executiuas extenuauit, oculos inuidia proximi impleuit, aures ad verbum Dei audiendum clausit, manus debilitauit, pedes in bonis operibus fecit instabiles. Os ad omne mendacium & arrogantiam promptum reddidit, cor autem impietate atque incredulitate adimpleuit. Ah, ah quid vultis deterius? *Omne caput languidum, & omne cor mœrens; à planta pedis vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas.*

Eccli 10.

Definitio languoris.

Effectus primi peccati.

Esa. 1.

ERat quidam languens Lazarus.] Illud autem boni habet hic noster languidus, quòd erat Lazarus. Adiutus à Deo. O Dauid; *Nisi quia Dominus adiuuit me, paulominus habitasset in inferno anima mea.* Non sufficiebat auxilium hominis, requirebatur auxilium Dei. Necesse erat vt magnus veniret Medicus, vbi magnus languebat ægrotus. Videte ánne adiutus sit à Deo, cùm propter magnitudinem adiutorij vsque in hunc diem (vt dictum est antea) lapsus eius felix & beata vocetur ipsa culpa. Non cantabitis itaque præ gaudio; O felix culpa?

Psal. 93.

ERat quidam languens Lazarus à Bethania.] O quàm chara & dilecta fuit Christo hæc Bethania. Quando per diem fuisset Hierosolymis, vesperi plerunque in Bethaniam reuertebatur. Meministísne? Et quid sibi vult nomen Bethaniæ, nisi domum obedientiæ? Hæc est substantia auxilij, quod Christus humanæ contulit naturæ, tam promptè scilicet, tam voluntariè, & tanta cum charitate obediuisse Patri, qui in æterno suo cõ-

Christus amauit Bethaniam.

filio determinarat, quòd pro nobis incarnaretur, & moreretur; vt satisfaceret illius læsæ in Adamo iustitiæ. *Vt facerem voluntatem tuam Deus meus volui. Holocaustum & pro peccato non postulasti, aures autem perfecisti mihi. Tunc dixi, Ecce venio.* Meritum Christi nascitur quidem ex charitate; sed vt vnum conueniat secundùm quandam proportionem cum altero, satisfactio pro peccato ex obedientia dimanauit. Quæ verò fuit ratio formalis illius peccati quod mundum damnaūit, nisi inobedientia? *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per vnius obedientiam iusti constituuntur multi,* inquit D. Paulus. in his enim duabus fidibus *La, Vt*, totum instrumentum nostræ redemptionis, superiùs, inferiusque tanta cum harmonia resonat. Adamus quoque à Deo in Bethania constitutus est, cùm mandatum illi dedit, ne de fructu vetito manducaret: sed miser ille confestim relicta Bethania abijt, & mox ex improuiso incidit in latrones, & spoliauerunt eum, & plagis impositis abierunt, eo semiuiuo relicto. Semiuiuum in bonis naturalibus, sed in gratijs gratum facientibus planè mortuum: neque tantùm in se mortuum, sed in omni sua posteritate mortiferum latrones isti reliquerunt. Æquum prorsus erat, Roma, vt qui non seruauit pactum vitæ, in mortis conditionem incideret. O beatum illum, si in Bethania cōstans permansisset. Christus noster econtrariò nunquam egressus est Bethania, nunquam deseruit obedientiam; ne Bethaniam desereret, vitam deseruit, mori quàm non obedire maluit. Sed & quam rationem subesse putatis, quòd Christus montem Oliueti & in vita, & in morte, & post mortem tantopere dilexit, nisi quia vicinus erat Bethaniæ? Ibi oleo misericordiæ sanauit nostra vulnera, & reddendo nobis oleam pacis cum Deo, victoriam pro nobis contra peccatum, contra mortem, & contra Diabolum obtinuit. Peccatum deleuit, Diabolum ligauit, mortem domuit, & hoc modo hominē iustificauit. Illud est resuscitari à mortuis ad vitam.

Psal. 39. — Rom. 5. — Adamus reliquit Bethaniam, Christus non.

ET prodijt qui fuerat mortuus,] ait Euangelista. *In ipso vita erat*, dicit idem; sed alio in loco. *Viuo ego, dicit Dominus. Deus mortem non fecit. Diligit quod fecit,* odit

Ioan. 1. — Num. 14. — Sap. 1.

odit quod non fecit. Non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. O fons vitæ, qui non in lecto vt filiam Archiſynagogi, non in feretro vt adoleſcentem iuxta Naim, ſed in ipſa domo mortis, in ipſo ſepulchro Lazarum mortuum ſuſcitas, vt oſtendas te verè in omni mortis imperio triumpharé. Optimè dixerunt ſanctæ ſorores illæ; Ezech.18.

DOmine ſi fuiſſes hîc, frater meus non fuiſſet mortuus.] Quomodo enim mors auſa fuiſſet hoſpitium vitæ ingredi & perturbare? *Regnauit mors ab Adam vſque ad Moyſen.* In Adamo mortis tyrannis incipit: Moyſes non potuit illam expugnare, ſed tu Chriſte vita vitæ illam expugnaſti. *Apud te eſt fons vitæ.* Non vnus vnius vitæ fons, ſed omnis omnium vitarum fons. Vitę naturæ, vitę gratiæ, vitę gloriæ. *Tibi omnia viuunt.* Tu non es Deus mortuus, nec Deus mortuorum: es Deus viuus, & viuorum. Ideo viuificas mortuos, & hi qui tibi adhęrent, ſemper in vita ſunt. Auditores, admirari Chriſtum, & ad eius opera obſtupeſcere, parum eſt, quia & Diaboli admirantur, & admirantes, trementesque dicunt; *Scio quòd ſis Sanctus Dei; quid veniſti ante tempus torquere nos?* Non audis B. Iacobum; *Dæmones credunt & contremiſcunt?* Sed hic debet eſſe fructus noſter, vt à credendo eleuemus nos ad ęternam vitam ſperãdum; ideoque operamur hoc ſcopo, vt poſt mortem æternùm viuamus. Hanc ob cauſam Chriſtus iſtud miraculum facit, & Lazarum mortuum reſuſcitat, vt oſtendat ſe non minùs vitæ, quàm mortis eſſe Dominum. *Vt iam nemo ſibi viuat, ſed ei, qui viuorum & mortuorũ dominatur.* Ethnici quia non cognoſcunt Deum, in omnem vitiorum turpitudinem prolapſi ſunt, & in cœno libidinis & carnalitatis iacent immerſi, quia deſperant ſe poſt mortem vnquã ad vitam reuerſuros. Non audis Paulum; *Deſperantes ſemetipſos tradiderũt impudicitijs, in operationem immunditiæ omnis & auaritiæ?* Non expectantes aliam vitã præter hanc, omnem libidinem ſuam in hoc mundo explere voluerunt. Chriſtus econtrariò, vt ſanctè, piè & immaculatè viueretis, ſecuritatem vobis præſtare voluit, vos, etſi moriamini, non tamen in nihilum interituros, ſed bonos poſt mortem vitam beatam & immor-

Rom.5. Pſal.35. Chriſtus eſt fons vitæ. Matth.8. Iacob.2. Chriſtus cur reſuſcitauit Lazarum. Rom.14. Epheſ.4.

talem recepturos, malos verò æterna morte victuros. Melius vtiliusque fortassis fuisset, quòd pater omnium nostrum Adamus in principio cùm crearetur immortalis factus fuisset: at talis factus est, vt potuerit non mori. Sed quia ratione illius peccati Christus mori voluit, melius nobis est Christo conformari, & cum illo simul mori. Non audis; *Nisi granum frumenti cadens in terrā mortuum fuerit, ipsum solum manet?* Non audis; *Si tamen compatimur, vt & conglorificemur?* Non audis; *Quod seminas non priùs viuificatur, nisi priùs moriatur?* Non audis; *Quod seminatur in ignobilitate, surget in gloria?* Sufficit Christum eatenus mortem deuicisse, quòd cùm mori priùs erat tam terribile cūctis hominibus, etiā antiquis patribus, vnde lamenta hæc; *Descendam ad filium meum lugens in infernum: Ego dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi. Circundederūt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me*; iam Christi beneficio boni non tantùm non timent mori, sed vita illis in hoc seculo nimis videtur diuturna: festinant ad aliam, desiderāt ex hoc carcere liberari & Christo in cælis coniungi. Audísne votum Pauli; *Cupio dissolui & esse cum Christo?* Non est hęc vox solius Pauli: omnium Martyrū est, omnium Confessorum, omnium Virginum, omniū Sanctorum & Sanctarum est, qui in hoc misero mundo fuerunt & sunt: clamant & vociferantur omnes cum Dauide; *Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est.* Nolo dicere, mortem deinceps non esse pœnam peccati originalis, (quod vt scitis peccatum naturæ est) etsi enim per Baptismum peccatum hoc ab omni homine auferatur, ipse tamen baptizatus filios suos in originali peccato generat: sic vt natura non in omnibus, & per omnia sit sanata, ideoque mirum non est etiam mortem post Christum in pœnam naturalem relictam esse: Quare & Paulus fortassis dixit; *Corpus quidem mortuum est propter peccatum*: sed hoc dico, etsi mors pœna sit ipsi naturæ, ea tamen persona, quæ in gratia Christi moritur, quantum ad voluntatem & electionem suam, eam non ducit esse pœnam: imò dolor & timor mortis illi in materiam & exercitium vitæ sanctę conuertitur: & quomodo hanc vitam ha-

Ioan.12. Rom.8. 1 Cor.15. Christus quomodo mortē vicit. Genes.37. Esa.38. Psal.17. Philip.1. Psal.119. Rom.8. Qui moritur in gratia Dei, ei mors non est pœna.

bet in patientia, sic aliam illam habet in desiderio. Hinc vides familiarem esse Euangelio modum istum loquendi, amicos Christi non gustare mortem; verè namque vix gustant, & extremis labijs in comparatione aliorum, qui à morte planè sunt oppressi, libant; quia veram vitam possident.

Sed his omissis, si exigua tibi, ô Roma, videatur hæc victoria, aut communis Christi triumphus, quòd hominem à terrore tam crudelis bellatricis, qualis est mors, liberauit: ecce aliam addo longè maiorem & gloriosiorem: multò enim perfectiùs nos liberabit Christus in secundo suo aduētu; quia tunc mors non tantùm non erit pœna, sed nec quicquam erit: in nihilum reuertetur, occidet, mors ampliùs non erit. *Nouißimè destruetur inimica mors.* Omnes resuscitabimur immortales: non tantùm immortales, vt Adamus; sed multò ampliùs. vides enim potentiorem esse gratiam quàm delictum; vel, vt Pauli verbis vtar, abundante delicto gratiam superabundare? Adamus erat immortalis, quia poterat non mori; sed & poterat mori: effectus enim ipse docuit eum peccasse & mortuum esse. Nos autem erimus immortales, quia non poterimus mori, quomodo nec peccare poterimus. Peccatum & mors indiuidui comites sunt, hostes nostri capitales: peccatum generat mortem, & mors auget peccatum. Christus vincet peccatum, quia faciet nos impeccabiles; vincet & mortem, quia faciet nos immortales. Nunc in tantum vincit mortem, quòd illam, habentes Dei gratiā, non sentimus vt pœnam; vincit & peccatum, vt non imputetur quasi culpa, si in illo sperantes pœnitentiam agamus. Et quot olim imputata sunt hominibus peccata, quæ vt peccata non imputantur Christianis? Infidelitas est omnium peccatorum fastigium, & propter excellentiam in Euangelio propriè peccatū dicitur, à quo tamen omnino liberi sumus & immunes, posteaquam membra Christi facti sumus. An non Christus Diabolum quoque vicerit, qui & peccati Rex est, & mortis author? imò ipse principalis inimicus est, contra quem Christus pro nobis decertauit. *Cùm fortis armatus custodit atrium suum.* Fortis hic an non Diabolus? peccatum enim & mors

In secūdo aduentu Christi mors ampliùs non erit.

1 Cor. 15.

Christus vicit peccatum & mortem, & quomodo.

Christus vicit etiam Diabolum Regem peccati.

Luc. 11.

mors arma eius ſunt, vt ſcitis: peccato vtitur contra animas, morte contra corpora pugnaturus. *Si autem fortior eo ſuperuenerit, & vicerit eum.* Ecce Chriſtus: qui eum hactenus vicit, non vt non tentet nos: qui enim non tentatur, non pugnat; qui non pugnat, non vincit; & qui non vincit, non coronatur. Voluit Chriſtus nos tentari, ſicut Patres noſtri ante Chriſtum tentati ſunt. imò quomodo ipſe Chriſtus tentatus eſt.

Diabolus ante aduentum Chriſti mundum idololatria decipiebat & ſeducebat.

Neſcis Diabolum ante Chriſtum ſeduxiſſe & decepiſſe mundum varia idololatria, quæ nunc radicitus eſt extirpata? Ideo princeps mũdi dicebatur. Perdidit illum principatum, iſtud Regnum, iſtam tyrannidem. Ante Chriſtum habebat poteſtatem vexandi quomodocunque volebat ampliſſimam corpora quorumcunque; exceptis iis, quos pro ſua beneuolentia Deus cõſeruabat. inter quos vnus fuit Iob, vt Scriptura manifeſtè teſtatur. Quòd ſi hac poteſtate nõ in omnibus corporibus vteretur Diabolus, nõ alio fine hoc faciebat, quàm vt ſuis tẽtationibus eos grauiùs vulneraret in animabus. Nunc autem, Chriſtiani, tantoperè eius poteſtas eſt acciſa & diminuta, vt ne in animabus queat nos tentare, ſine ſpeciali quadam licentia & permiſſione diuina. Sed & ſi magna hæc ſit permiſſio, & quaſi publica, nihilominus tot armis Chriſti fideles tecti ſunt, tot telorum generibus, & tãta panoplia muniti, vt nihil deſit illis, quàm voluntas (vt ita dicam) vincendi: ſi namque rem fortiter agere velint,

Arma Chriſtianorũ contra Diabolũ.

Ephes.6.

Mar.16.

Eſa.30.

Apoc.7.

de victoria ſunt ſecuriſſimi. Non legiſti de fide; *In omnibus ſumẽtes ſcutum fidei, vt poßitis tela ignea nequiſſimi extinguere?* Ignoras nomen Ieſu tantummodo puro corde inuocatum ſatis eſſe, ad millies millia Diabolorum fuganda, & expugnanda? *In nomine meo Dæmonia eijcient.* Quid dicemus de Cruce? *Pauebit Aſſur virga percuſſus.* Quid de ſigno frõtibus impreſſo? Non legiſti; *Nolite nocere terræ, neque mari, neque arboribus, quoadusque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum?* Vides præterea quàm pauciſſimi ſunt, qui in corporibus à diabolicis vexantur ſpiritibus, ſi cum tot ſceleratis peccatoribus cõferantur, qui inter nos ſunt, digni qui mille Dæmonum legionibus opprimantur.

In primitiua Eccleſia ex-

imò vides, quòd etſi in primitiua Eccleſia quaſi ordinaria

naria

naria fuerit excommunicatorum pœna à malignis spiritibus obsideri & vexari, quemadmodum in illo fornicatore Corinthio liquet, in præsentiarũ tamen non est signum tam manifestum, Diabolum tantam habere potestatem pro nutu suo, suaque libidine: sed tantùm ex speciali permissione diuina. quę permissio non semper vniformis est, sed aliquando ad pœnam & castigationem, aliquando ad exercitium tantùm: quemadmodum legimus de S. Antonio Abbate, cùm tam crudeliter à Dæmone flagellabatur, & postea dulcissimus Iesus illum inuisebat: quare bonus ille senex tam suauiter eum allocutus est; *Vbi eras, ô bone Iesu? vbi eras?* Respondit illi Saluator; *Ego præsens aderam; spectator astabam, vt viderem tuam fortitudinem, & postea tuam victoriam, tuosque honores coronarem & celebrarem.* Domini mei, hoc est ligare Diabolum, cuius mentionem in Apocalypsi facit B. Ioannes. *Et vidi Angelum descendentem de cælo, habentem clauem Abyssi, & catenam magnam in manu sua; & apprehendit Draconem serpentem antiquum, qui est Diabolus, & ligauit illũ.* Væ nobis, væ nobis, si non esset ligatus, sed omnia posset quæ vellet. Soluetur quidem, sed in fine mundi, quãdo veniet illa bestia Antichristus. Et quis scit, anne quomodo Christus est Deus incarnatus, sic Antichristus futurus sit incarnatus Diabolus? Viuamus itaque omnes nos (vt hanc materiam concludamus) ne Deus hunc Dæmonem ante finem vitę nostræ dissoluat: sed nobis viuentibus ligatum teneat, vt cum gratia Dei officium nostrum facientes, de reportanda per Iesum Christum victoria simus securiores; & lęti canamus; *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum Dominum nostrum.* Victoria de Diabolo, victoria de peccato, victoria de morte, vna est victoria; & in vna ceteræ comprehenduntur. Nam qui vicit Diabolum, vicit peccatum, vicit & mortem.

Excommunicati à Diabolo obsidebantur.

Athanasius in vita S. Antonij.

Apoc. 20.

Diabolus nunc ligatus in fine mũdi soluetur.

Antichristus Diabolus incarnatus.

1 Cor. 15.

Qui vincit Diabolũ, vincit etiam peccatum & mortem.

Nescis Patres etiam Sanctos absque peccato suo proprio & personali, à Diabolo in limbo detentos fuisse, vbi licet alia pœna non affligebantur, Deũ tamen videre non potuerunt? putas autem hanc pœnã etiam morte non fuisse grauiorem? Agite dum hanc pote-

statem

ſtatem Chriſtus Diabolo abſtulit, atque eadem opera quoque homines ab altera illa mortis liberauit. A morte, quæ ſeparat animam à corpore, liberat nos reſuſcitando. A morte quæ ſeparat animam à Deo, vnde peccatum dicitur mortale, liberat nos peccata condonando. A morte, quæ eſt pœna inferni, liberat in cælum nos ad ſe trahendo. Quæ itaque mors alia remanet, quam Chriſtianus timere debeat? *Ero mors tua, ô mors*, ait de Chriſto vaticinium. An non verum dixerit? An Chriſtus mortem non occiderit? Sed ſi mortua ſit, ô Roma, quomodo eſt mors? quomodo alios occidit? Sed audio te, ô homo, mori non velle. Si mori nolueris, neque voles credere; aut enim non erit æternę vitæ fides ſi viueremus ſemper, & nunquam moriremur; aut ſi fides ſit, debilis ea erit & nimis delicata. Quid arduum erit & magnum in Ethnicis credere ſemper victuros Chriſtianos, ſi eos mori nunquam viderint? In hoc robur noſtræ fidei conſiſtit, quòd ſcimus nos morituros, & tamen ſperamus nos ſemper victuros: quòd ſcimus nos in cineres reuerſuros, & cõfidimus nos denuo in viuam carnem reſurrecturos, quomodo Lazarus, imò quomodo Chriſtus reſurrexit, qui poſt mortem vitam viuit beatam, & ampliùs non moritur. Deſiderate, deſiderate vitã Chriſti, & meditamini ſimul illius mortem: hoc enim modo futurũ eſt, vt mortem non reformidetis: quia mors certiſſimũ vitę pignus eſt. Chriſtus mortuus arrha eſt Chriſti viui, & Chriſtus viuus remedium eſt noſtræ mortis, noſtræque mortalitatis refugium. O Chriſte benedicte. Quomodo Chriſtus nobis ſuam vitam negabit, qui noſtram mortem ſuſtinere non recuſauit? Non erat illius mors, erat noſtra; quemadmodum nec illius erat, ſed noſtrum peccatum. Non in Chriſto, ſed in nobis poteſtatem habebat Diabolus. Non piguit illum noſtra in ſe ſuſcipere mala, & ſua nobis conferre bona pigebit? Noſtra mala ſunt naſci & mori, eius bona ſunt reſurgere & regnare. *Viuo ego, dicit Dominus. Fui mortuus, & ecce ſum viuens in ſecula ſeculorum. Reſurgens ex mortuis, iam non moriar. EGo ſum reſurrectio & vita.*] *Ideo reſurrectio, quia vita. Vita corporis anima; vita animæ Deus. Ego & non alius ſum verus*

Oſee 13.

In quo conſiſtat fidei noſtræ fortitudo.

Mors noſtra pignus eſt vitæ.

Num. 14.
Apoc. 1.
Rom. 6.
Ioan. 11.
Eſa. 43.

verus Deus. Resurrectio corporũ, vita animarum, per quem resurgunt omnia, per quem viuunt omnia. Per me resurgent mortui, cui non pereunt qui moriuntur, sed mutantur in melius. QVi credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet: & omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternum.] Ioan.11.

Tibi gratias agimus, ô dulcis & chare Iesu, quòd non detrectasti nostra accipere, & tua dare. Tu nos emisti, serui tui sumus; tuum sanguinem bibimus, Euangelium tuum à te conditum hæreditatis nostræ instrumentum legimus. Tu nos creasti, tu nos redemisti. Potest quidem Dominus seruum emere, sed creare non potest. Tu fecisti vtrumque. Tu nos quod sumus creasti, tu nos tua morte redemisti. Et viui itaque & mortui tui sumus. nunquam sumus nostri, viuimus tibi, morimur tibi. Placet nobis viuere, vt tibi seruiamus; placet nobis mori, vt tecũ reuiuiscamus. *Et vita nostra abscondita est cum Christo in Deo.* Diabolus author est mortis, quia origo peccati est, per quod mors in orbem intrauit. Tu Dominus es mortis, quia mortuus aliquando nunc regnas viuus; fons es æternæ vitæ, qui de te mediante morte profluit. Idcirco ante nos mortuus es, & resurrexisti, vt nobis viam à morte ad vitam aperires, & ne timeamus semel mori, vt semper viuamus. Col.3.

Hæc est publica & firma spes Christianorũ, quòd sanabitur languidus, quòd iustificabitur impius, quòd viuificabitur mortuus, quòd odorem gratum recipiet fœtidus, quòd denique sepulchro educetur sepultus. O amantissime Iesu, ô Redempter mundi, ô Saluator animarum. Omnes simus tui Lazari, vt non dubitantes de tuo amore, tuam opem & auxilium expectemus. Nos amici tui non sumus, sed tu amicus noster es: amicus ille incomparabilis, de quo legitur; *Amicus sit tibi vnus de mille.* O dilectissime amice. Tu amasti peccatores, infirmos, mortuos, sepultos, fœtentes; tu tam tenerè nos amasti, vt etiam lachrymatus sis; tu turbatus es, tu clamasti, tu ingemuisti, tu tandem pro nobis ipse mortuus es. Ah Iesu chare, absque te nec viuere, nec sanari, nec saluari possumus. *Adiuua nos Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos, & propitius esto peccatis nostris, propter* Spes Christianorũ in quo consistat. Eccli 6. Psal.78.

nomen

Matth. 1.

nomen tuum, quod est Iesus, qui saluum facis populũ tuum à peccatis eorum. Sed respiremus, priusquam ad cetera pergamus.

SECVNDA PARS.



Omnia vera miracula cõducũt ad gloriam Dei.

NFIRMITAS hæc non est ad mortem; sed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam.] Sacer Senatus, omnia vera miracula (de falsis & apparentibus disputare Magis & arti Magicæ relinquimus) sunt ad gloriam Dei destinata, tanquam opera singularia, facta si non insolita, natura tamen sua ardua, quæ omnem virtutem & potentiam creatam excedunt; ideoque fieri non possunt, nisi à Deo, cui nihil est impossibile. Hinc non tantùm effectus vocantur mirabiles, quales videmus etiam ab occultis virtutibus & proprietatibus rerum naturalium procedere, quorum copia est apud Scriptores Ethnicos; sed verè sunt miracula, quę quasi in semetipsis, extra omnem ordinem naturæ siue per causam, siue per subiectũ, siue per modum non tantùm sapientes huius mundi, sed etiã Angelos in admirationem rapiunt. Non enim alia videtur potẽtia quàm agentis: quia nec in materia potentia passiua naturalis reperitur, sed tantùm obedientialis, nota fidelibus, ignota infidelibus. Et meritò huiusmodi opera propter excellẽtiam & raritatem illorum vocantur prodigia. Meministísne; *Nisi signa & prodigia videritis, non credetis.?* Nominantur signa, quia significant, monstrant, indicant supremam esse virtutem, à qua proficiscuntur. *Innoua signa, immuta mirabilia.* Inter omnia nihilominus miracula (vtar hac voce tanquam communiore alijs, siue signa dicas, siue prodigia) inter omnia miracula dico, quę de Christo leguntur, qui vt se verum & viuum Deum, non eius nuncium, quales prioribus seculis fuerant Prophetæ omnes, demonstraret, tot & tanta fecit, vt sanctus noster Ioannes cum pulcherrima hyperbole dixerit, si omnia descripta essent, mundum hunc libros non comprehensurum: etsi omnia plena sint infinita admiratione, hoc tamen de resurrectione Lazari habet

Miracula vocãtur signa & prodigia.

Ioan. 4.

Eccli 6.

Miraculũ de Lazaro principatũ tenet inter omnia alia.

nescio

nescio quam eminentiam; & vt verum dicam, quasi principatum obtinet. Ideo & cum tanta verborum, rerum & circunstantiarum loci, temporis, nominis, sororum, amicitiæ, infirmitatis, Iudæorum qui præsentes adfuerunt, fructûs qui inde consecutus est, & tot aliarum rerum apparatu recensetur: quæ omnia diligenter notanda sunt & obseruanda: diuino namque sancti Spiritûs artificio cōposita sunt & contexta, non alio scopo & fine, quàm vt exhibeatur & manifestetur gloria Dei; ostendatur Christus, qui est gloria, imò splendor diuinę gloriæ. Non legistis; *Qui cùm sit splendor gloriæ?* Heb.1.

Illuminauerat multos cæcos, multis surdis auditum restituerat, innumeros Dæmones eiecerat, tot mutorum linguas soluerat, tot claudos ambulare fecerat, tot paralyticos sanauerat, mare placauerat, tempestates sedârat, aquas sub pedibus indurauerat. Quis vnquam talia operatus est? Non ignoratis verba illa cæci nati; *A seculo non est auditum, quòd quis aperuit oculos cæci nati?* Et illud Christi; *Si non venissem & opera non fecissem, quæ nemo alius fecit vnquam, peccatum non haberent?* Ceterùm maximæ illi Christi Maiestati omnia hæc miraculosissima opera videbantur exigua, pauca, & ad mouendum indurata incredulæ Synagogæ corda, vt eum tanquam verum Deum adorarent, minùs apta, nisi tandem ad hoc opus progressus esset, quo se absque vllo fuco Dominum mortis, & authorem vitæ publicè ostendit. hæc enim opinio communis est à toto mundo approbata, mortuos ad vitam reuocare, solius Dei esse, ei propriū, nulli cum illo commune. *Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit.* Vnde & excellentiores illi Medici, qui tantummodo infirmos quosdam à morte præseruârunt, in Deorum numerum relati sunt. Age nunc Iudæe quid dices? Istud miraculum factum est non in obscuro aliquo angulo, non in personas externas & incognitas, non in præsentia paucorū testium; sub ipsis portis tuæ Metropoleos, in Bethania, non integro milliari distante ab Hierosolymis (distat enim stadijs tantummodo quindecim, cùm sedecim efficiant milliare, stadium autem centum viginti quinque

Opera mirabilia Christi.

Ioan.9.

Ioan.15.

Propriū Deo est, resuscitare mortuos.

1 Reg.2.

passibus cõstat) factũ est. Persona non est vulgaris. nobilis est, nomen illius omnibus cognitũ est; nec ignotæ sunt illius sorores Martha & Magdalena, erãt Dominę illius castri; Lazarus, est mortuus, qui erat vtriusque frater. Propter cognationẽ, propter vicinitatẽ, fortè multi adfuerunt antequã moreretur, post mortẽ verò infiniti Iudæi, ijque ex primarijs & optimatibus Vrbis, huc venerant, vt condolerent, & consolarentur illas Dominas: omnes isti erant præsentes, quando Christus Lazarum, non dico à morbo sanauit, sed à morte resuscitauit. Christus tantummodo de morbo illius erat admonitus; *ECce quem amas infirmatur.*] Venit hic nũcius: & cùm abijsset, dixit Christus Apostolis; *LAzarus mortuus est, & gaudeo propter vos; vt credatis, quia non eram ibi.*] quasi diceret; Scio vos esse pusillos; & quemadmodũ nouellis plantis opus est vt foueantur, & irrigentur, donec crescant: ita necesse est vt incipiens & tenera adhuc fides vestra iuuetur diuersis miraculis, vt faciliùs crescat. Id enim aliàs

Lũc. 17. à me petijstis, dicentes; *Domine adauge nobis fidem.*

Principiũ miraculi Christi circa Lazarũ. Ecce nunc salutis vestræ adest occasio: Lazarus amicus noster erat infirmus, vt ante biduum ex nuncio, quem sorores miserunt, ipsi intellexistis. at nunc dico vobis, quòd mortuus est: etsi nos litteras aut nũcium alium non receperimus, tamen certò hoc credite, & scitote, me summo perfusum gaudio, quòd hæc occasio oblata est, vt in fide cõfirmemini. Dico enim ego vobis absens, quod scire non possunt homines, nisi pręsentes: neque enim mortem illius dolere possum; ex hoc enim signo cognoscere poteritis, quòd credentes in me non estis seducti; donec maiora etiam his videritis. Eamus itaque in Bethaniam.

Hoc est principium miraculi, Domini mei. Vocabatur vt sanaret ægrotum; venit vt excitet mortuum: ostenditque verissimum esse, quòd dixerat infirmitatem illam non fore ad mortem, sed ad gaudium resurrectionis. Quis scit an non ista infirmitas hanc ob causam tantummodo Lazaro immissa sit? Deus voluit Lazarum infirmari, vt moreretur: voluit eum mori, vt resuscitaretur. Quòd si causas secundas intueamur, habet nonnunquam locum fortuna & casus in re-

in rebus humanis; sed si oculos attollamus ad Deum, nihil est fortuitum, casui non est locus, omnia sunt à Deo præuisa & præordinata. Hæc autem infirmitas non tantùm est præuisa, sed & prouisa. *VT glorificetur filius Dei per eam.*] Icciro Christus adhuc quatuor diebus expectauit, priusquam abiret, vt Lazarum videret: dum enim totis quatuor diebus mortuus iacet, manifestè videtur non fuisse syncopam, sed veram mortem. Ecquod corpus toto triduo viuere potest, & nullum vitæ, sensûs, aut motûs signum edere? Cur Lazarus nō ante quartum diē suscitatur.

Quando Christus iam appropinquaret Bethaniæ, vt miraculum hoc faceret: ecce in amoris & honoris signū illi obuiàm procedunt, primò Martha, subitò, tanquam actiua: Maria lentiùs & tardiùs, sed & vocata, tanquam contemplatiua. Scitis cur? vt ex ore vtriusque audirent omnes, qui cum hac & cum illa erant: similiter & Apostoli, qui Christo circumstabant; quòd Lazarus frater verè mortuus erat, & iam quatriduo sepultus. *DOmine si fuisses hîc, frater meus non fuisset mortuus,*] dicunt ambæ, vna post aliā. Sunt hæc quidem verba fidei; sed fidei debilis, quæ nōdum pertingebat ad cognitionē & cōfessionem diuinitatis Christi, quæ quomodo in omni loco est, ita in omni loco operatur. *Cælum & terram ego impleo.* Prouocata Martha verbis consolatorijs Christi, & catechizata sublimi illo catechismo; *EGo sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet: & omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc?*] Salutarem illam cōfessionem emisit, & eandem fidem professa est, quam antea senex ille Simon, & Petrus, & Petra. *EGo credidi quia tu es filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti.*] O Martha, o Martha, *Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater Christi qui in cælis est.* Cum hac laude, cum hac gloria & fama, quæ ab omnibus, tam inimicis, quàm amicis audiebatur, Christus processit, vt Lazarum suscitaret; & hanc fidem, hanc confessionem, quæ porta est & clauis cæli, confirmaret. Hier.23. Salutaris cōfessio Marthæ Matth.16.

Priusquam ad actum perueniāt, rogat vbi sit mortuus: *VBi posuistis eum?*] vt vnusquisque habeat occasionem videndi, & postea sint omnes testes veritatis & resur- Cur Christus rogat vbi po-

ſitus erat Lazarus, & cur lapidẽ iubet auferri à monumento.

reſurrectionis. Cùm ad ſepulchrum veniſſet, cur putatis tolli iuſſit lapidẽ? *TOllite lapidem!*] vt vnuſquiſque videret mortuũ: vt poſtquam reſurrexiſſet, dicere non poſſent, quod antea dixerant de cæco nato; *Non eſt hic, eſt alius.* Tandem tollit oculos in cælum, (ite, ite & negate ceremonias) cœpit cũ Deo colloqui, non tantùm ob hanc cauſam, vt oſtenderet ſe non operari virtute Diabolica, per artes Magicas, vt antea dixerãt Phariſæi: ſed multò magis, quia non ſufficiebant ei teſtimonia hominum, ſed & teſtimonium Dei accedere voluit, vt veritatem ſuæ doctrinæ confirmaret.

Proteſtatio Chriſti ad Patrem.

Iccirco non orat, ſed proteſtatur; Pater æterne, tuus ego ſum filius; ego hoc ſcio: ſed mundus neſcit. vt autem hoc ſciat, ecce quò deueni? volo hunc reſuſcitare. ſi non reſurgat, mundus nunquam credet me tuum eſſe filium, & ſi non credat, meritò excuſabitur. Populus hîc collectus eſt, cõuenit in vnum, & exitum rei expectat. Martha dixit illud quod antea per reuelationem tuam dixit iuxta Cęſaream Simon, & dixit omnibus id hominibus audientibus. Quidã credunt, quidam non credunt. dico quòd tuus ſum filius, quòd veni in mundũ, vt viuentes conſeruem ne moriantur, & mortuos ad vitam reuocem. Cernis quòd multi hic aſtant, qui dicunt, me poteſtatem non habuiſſe faciendi, vt hic non moreretur: ideóque miraculũ cæci nati calumniantur. dicunt enim; Quòd ſi cæcum illuminaſſem, etiã hunc Lazarum à morte pręſeruare potuiſſem: illũ enim ne de nomine quidẽ cognoueram, hic autẽ amicus meus erat chariſſimus. Res ad vltimum peruenit terminum. Scis vitam meam ad finem decurrere, mortem inſtare, in qua te glorificabo, & tu glorificabis me antequam moriar: volo vt mundus ſciat me eſſe qui ſum, vt & de gloria tua nemo dubitet. Non audis, Roma; *VT credant, quia tu me miſiſti!*] Pater Deus tu me intelligis, exhibe mundo nunc ſpecimen, da irrefragibile & tuæ & meæ veritatis argumentum. Hæc dicere voluit Chriſtus.

Clamor Chriſti.

Conuerſus deinde ad monumentum, exclamauit voce magna; *LAzare veni foras.*] Et ecce in momẽto, in ictu oculi, infernus voce Domini turbatus, metuens & expaueſcens obediuit Deo teſtimonium hono-

ris & gloriæ veritati Christi perhibens, animã Lazari eius corpori reddidit. *ET prodijt qui fuerat mortuus.*] inquit Ioannes. O miraculum miraculorum, ô verè signum manifestum, & infallibile diuinitatis Christi argumentum. Si Christus dicat se miraculum hoc de resuscitatione Lazari facere ad gloriam suam & Dei, vt mundus sciat quis ipse sit, & quòd est filius Dei, missus ab eo in has terras, expressisque verbis protestetur; Deus interim non tantùm non impediat, sed permittat vt resuscitet illum, cumque hoc testimonio probet & confirmet quod Christus dixerat, quamobrem & tot homines ad fidem illius conuersi sunt, quid dubitatis? quid amplius quæritis? cur non omnes in Christum creditis? Aut non est Deus in mundo, aut hoc miraculum factum ad confirmationem veritatis Christi, cum protestatione ad Deum, conuincit veritatem Christi. Nam si sit Deus, non potest esse testis nisi veritatis. Sed quid minora hęc quærimus? Non tantùm permisit Deus Christo, vt faceret hoc miraculum tam stupendum, quod totam Iudæam in stuporem vertit, tanquam diuinitatis suæ testimonium: sed omnes Christi inimicos, totam hanc peruersam gentem, quæ antea illi fuerat tam chara, imò præ ceteris omnibus adamata, quia Christum recipere noluit, sed eum reiecit, eum occidit, idem benedictus Deus repudiauit, tantoque odio persecutus est, vt simile visum sit nunquam. Notate & obseruate, Domini mei, quod dico. Phinees filius Eleazari summmi Sacerdotis, sanctissimo quondam zelo accensus, manu propria pugione arrepto Iudęum illum, quem cum gentili fœmina fornicantem inuenit, interemit. Factum hoc tam gratum fuit Deo, quòd propter illud furorem, quem in Iudæos ex isto scelere conceperat, remisit; occisi namque erant viginti quatuor hominum millia, & necdum cessabat plaga: sed ob hoc factum Phinees, non tantùm auertit iram suam Dominus, sed cum infinitis laudibus illum publicè extulit, voluitque nomen & gloriam eius perpetuis temporibus prædicari. Ipsi nunc inter vos iudicate, quantò maiore honore, quantoque maiore præmio digna fuisset Synagoga, quòd ex zelo Num.25.

Dei Christum occidisset, si ipse verus Deus non fuisset: præsertim cùm publicè, & in conspectu Dei dicere non vereretur; Protestor me opera hæc singularia facere, vt mundus sciat quòd cùm dico, me missum à te, non mentior, sed verum dico. Ego sum Messias ille, filius ille Dei, Deus ipse, qui ad saluandum mundum veni. At iam non tantùm non est laudata, nec præmijs honorata, sed insuper punita est, & tam graui flagello percussa, vt nec vnquam simile experta sit tum, cùm idola adorauit, cùm Moysen lapidare voluit, cùm vitulum aureum conflauit, cùm infinita impietate & sacrilegio abundauit: & quod omnium grauissimum est, mille quingenti anni transierunt, & adhuc furor ille Dei in Iudæos durat, neque signum aliquod apparet, ex quo spes aliqua posset affulgere alicuius reconciliationis. Non enim solùm non habent Regnum, non Dominium, non sceptrum, non altare, non sacerdotium: sed nec vestigium est inter illos alicuius populi. sunt inter illos confusæ tribus, nullam habent patriam, nullam certam sedem, nec Reipub. formam: circumeunt errantes, vagabundi, profugi, dispersi, & (vt Propheta ait) in quatuor mundi partes ventilati: vt non sit locus in quo calamitas, peccatum & pœna perfidæ illius gentis non sunt cognita. Vtque dicamus rei veritatē, non tantùm inter Christianos, sed & in ipsa maxima mūdi barbarie exosi sunt, abominabiles, contempti, omnibus iniurijs expositi, ludibrium & fabula facti etiam ipsis infantibus. Quid sibi vult hoc? quid sibi vult hoc, nisi omnia alia peccata ipsis esse remissa, hoc vnum nunquam remittendum; quòd scilicet Christum, qui eorū potissimùm causa venerat, quē vt redemptorē adorare, super omnia diligere, cui vt vero Deo obedire, animasque & corpora illius obsequio consecrare debebant, infideles, ingrati, iniqui, impij & verè Deo rebelles, quando per tot stupenda miracula cognouerunt, & præcipuè per hoc de resurrectione Lazari, morti tradere determinarunt, imò ipsa retradiderunt? O proditores & traditores Dei. Quid? an non verum sit Iudæos hoc miraculo magis, quàm omnibus præcedentibus motos esse, & ad coniurandum in necem Christi incitatos?

[Margin: Repudiatio & reiectio Iudæorum.]

[Margin: Miraculo hoc Iudæi moti sunt ad coniurandum in necem Christi.]

citatos? Legite B. Ioannem; *MVlti ex Iudæis, qui venerant ad Mariam & Martham, & viderant quæ fecit Iesus, crediderunt in eum. Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos, & dixerunt eis, quæ fecit Iesus. Collegerunt ergo Pontifices & Pharisæi concilium, & dicebant; Quid facimus? quia hic homo multa signa facit? Ab illo ergo die cogitauerunt, vt interficerent eum. Iesus ergo iam non in palàm ambulabat.*] O verè Diabolici Iudæi, imò Diabolo peiores. Sed quæ gloria hæc est Christi nostri, Pater Sancte? cõcluditur vt ipse occidatur, quia mortuos resuscitauit. Videte nunc ánne Christus omni ex parte verum dixerit? *INfirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam.*] Nunquam tam gloriosus fuisset per totum mundum Christus, si mortuus non esset. O igitur benedicte Lazare, ô chara infirmitas, ô felix mors, ô gloriosa resurrectio, tantæ gloriæ Christi nostri materia. *VT glorificetur filius Dei per eam. Ab illo die cogitauerunt eum interficere.*] Hoc miraculũ omnem illis abstulit incredulitatis excusationem. Tanquã conuicti enim, & in suis conscientijs confusi, non inuenientes aliud remedium, cùm prætextus religionis eos ampliùs iuuare non posset, determinârunt inter sese, eum ex oculis suis auferre, & occidere: idque eo ipso die, Domini mei, quo resurrexit Lazarus: hoc ipso hodierno die, quo Euangelium hoc legitur, (vnde manifestè cernitur, quanto cum magisterio Spiritus sanctus regit in diuinis officijs Ecclesiam) præcisè decimo quarto die ante Parasceuen. In quo mysterio aperitur secretum legis: decimo namque quarto die ante Pascha præparabatur Agnus, qui erat immolandus. Hoc die fama huius miraculi adeò per omnem Hierosolymam increbuit, vt Pharisæi & Pontifices in illo suo iniquo & verè Diabolico concilio (vnde natum est extremum Iudeæ exterminiũ) concluserint, necesse esse, vt Christus occideretur. O indigni vita, ô millies mortis rei, qui dat vitam, huic mortem decernitis? Sed à morte Christi vita nascitur. Quomodo viuetis queso, si non alia sint consilia vestra, quàm vt vitam occidatis, hostes & inimici vitæ?

Miraculũ in Lazaro factũ reddit Iudęos inexcusabiles.

Decimo quarto die ante Pascha præparabatur agnus sacrificandus.

VT glorificetur filius Dei per eam. Vt glorificetur filius

Mors Christi vocatur triumphus.
Ioan 8.
Ioan.3.
Ioan.12.

Dei per eam.] Mors benedicta, mors pretiosa. Nescitis Christum mortem suam appellare triumphum? exaltationem? gloriam? *Cùm exaltaueritis filium hominis. Oportet exaltari filium hominis.* Et iterum; *Si exaltatus fuero à terra, omnia trahã ad meipsum.* O profundũ mysterium. Nunquam Iudæi tantopere Christi gloriam amplificassent, & promouissent eum amando, quàm fecerunt eum persequendo & interficiendo. Christus exaltatus in cruce factus est tanquam centrum mundi, omnia ad sese attrahens. *Omnia traham ad meipsum: Omnia, omnia.* Et quid ad se non pertraxit Christus, Romani? Traxit Deum, qui amore illius ignouit hominibus: traxit Angelos, qui sese inclinarũt ad nostrum obsequium & custodiam: traxit cælũ, quod aperiri se nobis permisit, cùm antea tot annorum millibus clausum omnibus aditum negabat: traxit ignem, qui temperari non renuit, vt suo tempore Apostolis appareret, ad illuminandum eos, & inflammandum: traxit aërem, qui expulit Principes tenebrarum, vt Christo moriente & spiritũ suum emittente sanctificaretur: traxit aquas, quæ ad contactum vnius claui postea crucis, quem Helena mater Constantini in eas immisit, pacatæ sunt, qui mare quasi refrẹnauit, quod antea haud aliter quàm equus indomitus & indomabilis sine infinito periculo equitari, sic nauigari non poterat: traxit ad se terram, quẹ prẹ reuerentia erga illum omnem repudiauit execrataque est idololatriam, ipsaque idola in cinerem conuertit: traxit Solem, qui illo moriente ex mœrore nimio obscuratus est: traxit montes & petras, quæ scissæ sunt: traxit infernum, qui tot captiuorum animas reddidit, vt illum in cælum ascendentem maiori cum gloria comitarẽtur: traxit patres & auos ad gratiarum actionem illi referendam, pro tam liberali à pœnis suis redemptionem: traxit filios & omnium futurorum seculorum nepotes, ad cognoscendum illum tanquam spiritualis suæ regenerationis authorem: traxit homines illius ætatis ad cõpassionem tam chari Magistri, qui illos verbis & operibus viam salutis docuit: traxit iustos, ad amandum se infinitam charitatem: traxit peccatores, ad supplicandum immensæ

Christus in cruce omnia traxit ad se.

mensæ suæ misericordiæ: traxit omnium hominum corda, tanquam vnicus amorum nostrorum scopus. Quid dicam? traxit denique Diabolum immensa illa potentiæ suæ fortitudine, vt volens nolens se ante pedes illius supplex prostrauerit, timens, tremensque dixerit; *Scio quia tu sis sanctus Dei. Quid venisti ante tempus torquere nos?* Agite, agitte. *Omnia, omnia traham ad meipsum.* O Christe, ô Christe. Omnia traxisti ad te pendens in cruce, & omnia traxisti ad te virtute crucis. Matth. 8.

VT glorificetur filius Dei per eam.

Vt glorificetur filius Dei per eam.] Illustrissimi Domini, miraculum illud de Lazaro non sine mysterio reseruatū est vndecimo capiti Euangelij Ioannis. Vos scitis quòd Decas omnium numerorum terminus est & meta. Miraculum hoc excedit omnem terminum, superat omnem numerum, omnem mensuram naturæ, virtutis, intelligentiæ. Videte & aliud secretum. Totum Euangelium Ioannis, cuius (vt scitis) scopus est ostendere Christum verum esse Deum, & præcipuè filium Dei, ter septem habet capita. Miraculum de quo nunc agimus præcisè in ipsum Euangelij totius medium incidit, ante se decē habet capita, post se totidem: est enim tanquam centrum, in quo cōcurrunt omnes lineæ, è quo ducuntur omnes rationes, ad probandam Christi diuinitatē. Videtúrne vobis postquam Christus in testimonium suæ doctrinæ veritatis mortuos in sepulchris resuscitet, omnino fidem habendam (vt à capite Euangelij incipiamus) huic dicto Ioannis; *In principio erat Verbum?* an non omnino inquam credendum, illum esse Verbum illud increatum, æternū, pro salute mundi incarnatum, quod venit ad habitandum nobiscum, vt nos filios Dei, æternæque vitę hæredes faceret? cum posse mutare naturas rerum, vt aquam in vinum? vinum in sanguinē, panem in carnem? quòd potuit instituere Sacramentum baptismi in aqua, ad lauandum animas ab omniū peccatorum sordibus quas vel à parentibus vel propria actione contraxerunt? Quòd hominum secreta, quantumuis arcana, cognouit, quod in miraculo Samaritanæ ostēdit: quòd tam absens, quàm præsens potest operari, vt patet in filio Reguli? quòd sua gratia potest animas

Cur miraculum hoc de Lazaro præcisè vndecimo capite. i. in medio Euā gelij Ioannis positum sit.

Scopus Euangelij Ioānis.

Summa Euā gelij Ioānis.

hominum reficere, quomodo corpora refecit panibus in deserto; quòd sapientia illius meretur prædicari, & super omnem humanam sapientiam extolli, quod
Ioan.7. ipsum turbæ fecerunt, quæ dicebant; *Nunquam sic locutus est homo?* ita vt meritò dicere possit; *Mea doctrina non est mea*: quia non est homo similis alijs, sed homo Deus: non de homine factus Deus, vt falsi Dij gentium; sed primò Deus æternus, & postea homo mortalis secundùm verbum illius;
Ioan.8. *Antequam Abraham fieret, ego sum? Principium qui & loquor vobis. si non credideritis quia ego sum?* Quòd adorari debet adoratione latriæ, quomodo fecit cæcus natus, qui postquam lu-
Ioan.9. men oculorum ab illo accepisset, *Procidens adorauit eum?* Quòd ad illum, tanquam ad verum pastorē currere debemus, cùm animam suam posuerit, & vitam suam ad mortem dederit, vt gregem à lupo infernali
Ioan.10. tueretur. Quare inuitans oues suas dicit; *Ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Ecce finis decem capitum præcedentium, Romani. O quàm pulchrè quadrat huic fini miraculum hodiernum, quod
Mar.16. in vndecimo capite recensetur? *Sermonem confirmante sequentibus signis.* Meministísne? Duodecimò deinde narratur (ò quantò cum artificio) introitus Christi in vrbem Hierosolymitanā cum magnifico illo applausu & triupho Rege digno, populo illi occurrente cum
Luc.19. palmis & ramis olearum, puerisque canentibus; *Benedictus qui venit in nomine Domini.* An non confestim ei, qui de morte triumphârat, cum tanta authoritate, accedēte testimonio & Dei & hominum, defunctum, sepultum, fœtentem, quatriduanum, in cōspectu tantæ nobilitatis resuscitando, tantus honor, tantus triumphus, tanta solennia debebantur? Sed post solennem hanc pompam, an non Christus noster seriò & candidè suam diuinitatem ostendit in vltima illa cœna, propter humilitatem, propter charitatem, propter exemplum quod discipulis suis in lotione pedum Dominus & magister tam pauperis familiæ reliquit, omni æuo memoranda? deinde in prolixo illo sermone, tam altis mysterijs, non humanis, non Angelicis, sed verè diuinis pleno, in quo primo commemorat consubstantialitatem personæ suæ cum æterno Patre,
influ-

influxum suæ gratiæ in suos fideles, tanquam vitis in palmites; efficaciam Spiritûs sancti, quem missurus erat ad illuminandam Ecclesiam, vsque ad cõsummationem mundi; beatitudinem & felicitatem hominum, quæ consistit in eo, vt hîc per fidem, illic in cælo per gloriam Deum, & filium eius Christum cognoscamus: In morte porrò sua conspicitur infinita eius patientia, & longanimitas soli Deo digna. In resurrectione, in eo quòd clausis ianuis ad Apostolos est ingressus, quòd flatu suo Siritum illis sanctum, authoritatemque peccata remittendi & retinendi dedit, an non euidentissimè conuincatur, eum verum viuumque filium Dei esse? Hinc illa clausula Notarij, quę quasi totius instrumenti est cõclusio, legalitas illa authentica totius Ecclesiæ subscriptio; *Et scripta sunt, vt credatis, quia Iesus est filius Dei. Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scimus quia verum est testimonium eius.* O Roma, ô Roma, Ecce finis hodiernæ expeditionis. *VT glorificetur filius Dei per eam.* Ioan. 21.

VT glorificetur filius Dei per eam.] Et quæ præcedũt, & quæ sequuntur, omnia glorificant Christum, qui tãquam filius Dei hodie Lazarum de sepulchro resuscitauit. Multa mihi dicenda hîc supersunt, at subtilioribus speculationibus finis ob temporis angustiam est imponẽdus: id tantùm dicam, tempus iam postulare, vt & nos Sacerdotes, qui in hac Vrbe Romana sumus, Christum glorificemus. Nihil nobis familiarius est, quàm semper de reformatione differere, & tamen non ego solus, sed omnes mecum vident, quotidie inter nos deformationes crescere & augeri. *Propter nos, propter nos,* Domini Prælati, *nomen Christi nostri blasphematur inter gentes.* Omnis vir & omnis mulier in nostro viuendi modo adeò scandalizantur, adeò ab omni statu religioso abalienantur, vt vituperent, calumnientur, blasphement & maledicãt propter nos sanctissimum nomen Christi. Quis est ille Deus, aiũt, qui tales tolerat ministros? Sic de Christianis omnibus loquuntur Iudæi & Turcæ: sic hæretici de nobis; aiunt nos velle vocari Catholicos, & certè Catholici sumus fide, sed vbi est vita, vbi sunt opera? Ah Domini mei, ah fratres, ah Christiani omnes, omnes enim

Exhortatio ad reformationem.

Rom. 2.

cadem

eadem pice sumus coinquinati, si Christum spoliauerimus vita, mortuus enim pro nobis est, ne spoliemus eum etiam honore. si vitam eripuerimus, parcamus eius honori. Mortuus est pro nobis, glorificetur vicissim per nos, non blasphemetur.

Act. 3. Aulici, quos hîc magno adesse numero video, vt concionem meam audiatis, *Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc vobis do.* Decem verba loquar ad vestram salutem, audite me cum attentione.

Optio à Pilato data Iudæis. Matth. 27. Pilatus mouit hanc quæstionem Pharisæis & Scribis, quæ omnibus nota est & familiaris; *Quem vultis ex duobus dimitti, Barrabam an Iesum, qui dicitur Christus?* Hanc quæstionem ego quoque propono vobis. Ecce tempus nûc est, Paschatis festum præ foribus est, oportet vobiscum deliberetis, & certi quid apud vos statuatis. Necesse, necesse est vnum ex duobus eligatis, necesse est aut concubinam dimittere, aut Iesum. Quid dicitis? quid respondetis? *Quem vultis de duobus dimitti, Barrabam an Iesum, qui dicitur Christus?* Concubina

Mar. 15. Concubina comparatur Barrabæ. est Barrabas. *Erat autem Barrabas latro, & in seditione homicidium fecerat,* inquit Euangelista. O quot latrocinia, quot furta bonorum & honorum, (ô miseros vos qui hæc non animaduertitis) ô quot homicidia corporum & animarum commiserunt istæ Romanæ Concubinæ? Vnde oriuntur seditiones inter maritos & vxores, inter patres & filios? vnde iurgia & discordia inter amicos ipsis fratribus chariores, nisi ex concubinis? Agite ergo, *Quē vultis de duobus dimitti, Barrabam an Iesum, qui dicitur Christus?* Electio est libera, in vestro arbitrio est, eligere & retinere quem vultis. Ecce hîc Christus, ecce illic Barrabas. Videte quæ sit comparatio. Nolite admirari, Reuerendissimi Domini mei, iniquam hanc comparationem;

Esa. 53. *Et cum impijs reputatus est.* Nescitis illum inter duos latrones crucifixum? *Quem vultis, quem vultis de duobus dimitti!* Christus nunquam peccauit, à Barraba omnia peccata Romæ, imò totius orbis terrarum nascuntur. Christus est vnctus, ideoque totus & fama & nomine est odoriferus: Barrabas totus humano sanguine conspersus est, & nomen eius abominabile. *Quem vultis de duobus dimitti? quem vultis, Barrabam, an Iesum, qui*

dicitur Christus? Eligite quiem vultis, quem non vultis dimittite. Vultis carnem meretricis, an manducare carnem filij Dei? vultis hanc carnem quæ dat vitam æternam, aut illam quæ mortem æternam vobis conciliat? Respondete. Deliberate an accipere velitis corpus Christi & cum illo incorporari, aut illi perpetua charitate inseri; an potiùs optetis manere cũ meretrice, & vnum cadauer cum illa fieri. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo*, inquit Christus. De meretrice verò audite quid dicat Paulus; *Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur. Filij hominũ quid diligitis*, quid eligitis? *Quem vultis de duobus dimitti; Christum aut Barrabam*; peccatum an salutem? mortem an vitam? bonum an malum? Deum an Diabolum? dicam dilucidiùs, Communionem seu Synaxin, an Concubinam? Quid statis attoniti? quid dubitatis? concludite, concludite. Vos vtrumque vultis. Non, non: non potestis, non potestis. *Nemo potest duobus Dominis seruire.* Oportet relinquere Christum aut Concubinam; Christum aut Barrabam. Quid dicitis? quid dicitis? Heu mihi, heu mihi, videor mihi audire vocem eandem hîc Romæ, quæ olim audita est Hierosolymis. *Non hunc, sed Barrabam. Non hũc, sed Barrabam.* Videte exilem amorem, imò videte odium plus quàm Vatinianum, quo scelerati illi homines Christum prosequebantur, adeò vt ne proprio illum nomine nominare voluerint; Barrabam autem nominauerint. *Non hũc, sed Barrabam. Non hunc, sed Barrabam.* Non erat charissimus meus Christus apud perfidam gentem illam hoc dignus nomine: graue erat illis, ô Christe, te nominare, sed grauissimũ erit aliquando te videre. Non legisti Roma; *Grauis est nobis ad videndum?* Sed non est mihi nunc cura de Iudæo, cura mihi est de Christianis, de Aulicis Romanis. Non audent dicere, quòd Christum volũt dimittere: sed excusant se, carnem aiunt esse fragilem, castitatem nimis esse difficilem, velle se quidem, sed non posse concubinas, quibuscum tot annis vixerunt, dimittere. *O filij hominum. vsquequo graui corde. Vt quid? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* O filij hominum, ô homines terreni & carnales,

Ioan.6.
1 Cor.6.
Psal.4.
Matth.6.
Ioan.18.
Sap.2.
Psal.4.

vnde nascitur ista tanta cordis grauitas, nisi ex habitu vitioso, quem ex peccatis vestris contraxistis? Hic est lapis, qui sepulchro Lazari erat impositus. *Tollite lapidem, tollite lapidem.*] Non auditis Dauidem lamentantem, cùm eodem, quo vos nunc, hæreret luto; *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & tanquam onus graue grauatæ sunt super me!* Excutite iugum tam graue, Spiritum magnum induite, proponite Christum non dimittere. *Lazare veni foras, veni foras.*] nolite diutius in peccato, in mala & impura vita iacere; certò statuite, firmum propositum concipite, & mox aderit gratia Dei, nec erit difficile.

Quid significet lapis Lazari.

Psal.37.

O quando illucescet ille dies, in quo vos omnes alta voce, inuerso tamen sensu vociferari audiam; *Non hunc, sed Barrabam?* Iesum non dimittimus, sed Barrabam. Iesum eligimus, relinquimus Barrabam. Apage hinc Cortisana, apage hinc meretrix; nolo Christum meũ dimittere, volo cum illo viuere, volo cum illo mori. Quod dixi de Concubina, Christiani, dico etiam de Simonia. Duo enim hæc vitia, auaritia & luxuria, Romæ sunt familiaria. Facesse hinc, exi Roma & qui emis, & qui vendis beneficia. Nescitis quanta cum indignatione Petrus Simonem Magum à se reiecit & expulit, Spiritum sanctum emere volentem? Ah vbi nunc latitas Sancte Petre? veni vt expellas domo tua tot emptores. Ex his duobus vitijs, Romani, mors nascitur spiritualis. Videtísne nos esse mortuos? Vbi sunt signa vitæ, vbi arteria, vbi halitus, vbi motus? quem motum, quod exercitiũ facimus in bonis operibus? Videmúsne quòd omnes sumus otiosi, negligentes, pigri, Romanis istis delicijs immersi: quòd nemo studet nisi gulæ, nisi voluptati, nisi vt in bonis ducat dies suos? Quem sensum, quem gustum, quod iudicium, quam voluptatem habemus in rebus diuinis? in verbo Dei, in gratia illius? in vita æterna? in virtutibus? in concionibus? Cernitísne quàm parum proficiunt Ecclesiastæ? Ah fortè & pulsum seu arteriam amisimus: quia conscientia nos non mordet amplius, peccata nostra enormia non pungunt, neque cor nostrum stimulant, quia quod bonum est arbitramur esse malum, & quod malum bonum. Vtinam det nobis

Ioan.18.

Vnde nascitur mors spiritualis.

bis Dominus, ne etiam quartum malum accedat, ne opprimatur & halitus, ne pereat respiratio, ne impediatur sanctus ille diuinæ gratiæ flatus: iste enim est halitus ille de quo dicit Iob; *Donec halitus in me est, & Spiritus Domini in naribus meis, non loquar iniquitatem.* Iob 27.
Det Deus ne deueniamus ad impietatem, ad contemptum Dei, vt dicat Aulicus; *Recede à nobis, viam scientiarum tuarum nolumus. Quis est Dominus vt seruiamus ei? Dominum nescio.* Vereor ne Deus dicat nobis, quod olim Iob. *Halitum meum exhorruit vxor mea.* Iob 21. Iob 19.

Domini mei Prælati, vos oportet & Marthas & Marias simul esse, quibus incumbit Domino nostro supplicare pro hoc Lazaro, donec reuiuiscat & sanetur. Omnis bonus Christianus aut Martha est, aut Maria. Vester status vtrumque comprehendit. Orate, orate Deum ad exemplu istarum sororum. *ECce quem amas infirmatur.*] Populus tuus Romanus, Domine, tuus reuera Domine, quem tu tantoperè amas, vt super omnes alios populos euexeris, malè habet: fortè curia hæc Romana non posset periculosiùs infirmari, præsertim in rebus spiritualibus: tota carnalis facta est. Non audemus à te petere, vt eam sanes: indigni enim sumus, qui exaudiamur. sed extremam eius necessitatem tibi significamus. *Vt tua misericordia adijciat, quod nostra oratio non præsumit.* Et nos, ô Domine, nihilo meliùs valemus, sed & languemus vnà cum alijs: & nos Lazari sumus. *Vt populus sic & Sacerdos.* Forsan melior populus quàm Sacerdos. Interim serui tui sumus. *Et super nos inuocatum est nomen tuum.* Tibi placuit nos segregare in ministerium tuum. *Propter teipsum Domine, propter nomen tuum propitiare peccato nostro, multum est enim.* Non tibi commendamus fortunas & dignitates nostras, etsi omnia periclitentur; non tibi commendamus vitas nostras, etsi & eæ versentur in periculo, tum Turcis tum Hæreticis nobis insidiantibus; Tibi commendamus & animas & spiritus nostros, vt eos tibi integros inuiolatosque reddamus, & illæsi in tuas manus deueniant. *Ne tradas bestijs animas confitentes tibi.* Dicat vnusquisque nostrum hodie Domino Deo nostro; *ECce quem amas infirmatur.*] Spiritus noster est, Domine, quem amas; *Qui parcis*

Prælati & Martha & Maria sint oportet, vt orent pro Lazaro.

Hier. 14.
Psal. 24.
Psal. 73.
Sap. 11.

parcis omnibus, qui amas animas. Non magnoperè solliciti sumus de corpore, soliciti sumus de anima; ideoque nunciamus tibi, quòd spiritus noster infirmatur. Tu non facis quod alij amici, in necessitatibus non deseris nos. Tu es dulcis ille amicus, qui primus aduenis & vltimus discedis; nec vnquam discedis, nisi priùs expellaris; imò expulsus millies, tamen reuerteris. O dulcis amice, ô chare amice. *ECce quē amas infirmatur.*] Ego quidem amorem tuum non mereor, & tu sine vllo meo merito amas me, & quidem plus me diligis, quàm ipse ego: imò ego me odi, & tu me amas. iniuriam itaque faciam tanto tuo amori, si à te recessero. Oportet itaque vt dicā tibi, quòd mihi necessarius es: necessarium mihi est tuum auxiliū; necessaria tua gratia. Infirmor Domine, infirmor. Tu scis quid mihi expediat, sanitas an infirmitas, vita an mors; fac mihi prout tibi placet: sine te infirmus sum, sine te mori possum, sed sine te nec sanari possum, nec viuere.

Deus non deserit nos, nisi à nobis expulsus, & expulsus etiam redit.

ECce quem amas, infirmatur.] Polliceor tibi Domine, quòd & infirmus & sanus, quòd & viuus & mortuus tuus ero semper, nec alterius cuiusquam esse cupio: sed tuus tantùm. *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Beata conclusio, Auditores, si cetera omnia respondeant; & sic vobiscum statueritis, vt iam diximus. Ideo Christus est mortuus pro vobis, vt vos vicissim & viui & mortui essetis illius, & non ampliùs viuatis vobis, sed ipsi. Pater Sācte, ijs viuimus temporibus, in quibus necesse non est timere martyria, sed nec fortè eam meremur gratiam; ignoscite mihi; neque tēpora tam maligna sunt. Exultate, non imperant nobis Nerones, Domitiani, Diocletiani: habemus Constantinos, Theodosios, Iustinianos. Videtísne quales sint Ferdinandi nostri? Philippi nostri? Caroli nostri? Educunt gladios suos quotiescunque necesse est; exponunt regna, fortunas, vitas pro Sancta Romana Ecclesia. Sed dicite quæso, quomodo nobis pro Christo moriendum est? mortificari, reformari, vita & moribus mutari debemus. *Non decet sub capite spinoso membrum esse delicatum.* Fugiamus, fugiamus delicias, Domini Prælati, tanquam pestem. Christus aquam bibit de torrente, & nos manna & mel Hyblæum fastidimus; Quadragesima-

Matth. 26.

Differentia morū huius & antiquæ Ecclesiæ.

simale tempus ad hoc institutum est, vt agamus pœnitentiam, & nos hoc tempore voluptatibus indulgemus? Primitiua Ecclesia vix paruos admittebat pisciculos, & nos muiænas, salmones & lampetras per maria per flumina quærimus:

Et quæsitorum terra pelagoque ciborum
Ambitiosa fames & lautæ gloria mensæ.

Hæc de te fama circumfertur Romana curia: fama infamis, honor inhonestus, & illaudanda laus. Ad sobrietatem, ad sobrietatem, ad vitam frugalem, modestam, parcam aspirate. hanc amplectimini, vt possitis esse prodigaliores, liberalioresque in erogandis eleemosynis. Non viuamus precor vt Aulici, vt Cortisani. Quid Ecclesiæ cum Aula? Aula profana est, Ecclesia sancta est: simus Ecclesiastici, non Aulici; simus sancti, non profani. Doctrina Ecclesiæ firma est & solida, non est ei metuendum: cedant ei Hæretici necesse est. Vtinam non haberent quo vitam Ecclesiasticorum traducerent, quo mores Catholicorum tam ignominiose circumferrent, nobisque exprobrarent: quantos fructus faceremus: quantopere gloriam Christi nostri promoueremus? Obstrueremus ora eorum maledica, nec quid mutirent haberent. Tuum, tuum est Pater Sancte, bonis exemplis subditis præire. Christi namque vicem in terra geris. *VT glorificetur filius Dei*] per sanctitatem vestram. O si hæc præcederent, quanta sequerentur in Ecclesia miracula? Ea fierent quæ Christi temporibus facta sunt: cæci viderent, audirent surdi, ambularent claudi, mortui resurgerent. Nunc verò multiplicatis nostris scandalis, hi quibus ingens lumen rerum diuinarum inerat, excæcantur, gratiæ lumen amiserũt, facti sunt hæretici, aut saltem nutant in fide. Hi qui vocem Pontificis Romani tam promptis auribus & animis audiebant, eique tam sedulò obtemperabant, adeò obsurduerunt, vt nec terræmotibus Conciliorum & bellorum excitentur, nec vllo modo ab isto lethargo queant liberari. Hi qui velociter in via Domini tanquam cerui currebant, facti sunt claudi, nõ possunt incedere. Plebs nostra quondam tam deuota, videtis quidem vt extrinsecus valeat, sed nõ videtis quomodo quotidie viua intrinsecus moria-

Ecclesia si esset reformata, faceret miracula.

moriatur. Singulis penè diebus amittimus, non dico animas quasdam, sed integras nationes, integras ciuitates, integras prouincias. Necesse est, si velimus aliquod excellentium istorum miraculorum ad laudem & gloriam Christi nostri videre, vt reformemur. O me felicem, si meo tempore hãc mihi reformationem videre contingeret: viderem simul omnes hæreses, quæ nos tantoperè nunc affligunt, vt fumos euanescere. Sperarem insuper Sanctitatem Vestram eò quoque cogitationes suas cõuersuram, vt laudabilem aliquam expeditionem susciperet, ad fidem in Oriente propagandam; quod olim Pius Secundus decreuerat, & si vita ei diuturnior fuisset, etiam tentasset: cuius tu forsitan sancta æmulatione motus, insigne illud nomen quatuor apud Latinos litterarum assumere voluisti. Tunc ego, vt ad recuperãdam illam sanctã terram, vbi mortuus est Christus, duces belli incitarẽ, debili hoc meo spiritu tuba canerem, officium Sacerdotis in bello faciens. Tunc quomodo Thomas, qui ceteris minus constans habitus est, suis coapostolis dixit; *EAmus & nos, & moriamur cum illo.*] sic & ego verè minimus inter vos & (non ex superbia loquor, est enim vox Pauli) abortiuus, impauidus factus beneficio victoriæ Christi contra Regnum Mortis, cum magno spiritu clamarẽ; *EAmus & nos*; (animosi Christiani) *& moriamur pro illo*:] aut reddamus Christo suam patriam, suam mansionem, aut illic fortiter pro illo occumbamus. Quod nobis concedat ille ipse, Iesus Christus, mortis victor, & triumphator inferni, cui est laus & gloria in secula seculorum. Amen.

Ioan. 11.

CON-

CONCIO DE PECCATO ET POENITENTIA IN PSALMVM

Beati quorum remissæ sunt iniquitates. Psal. 31.

Habita Romæ, in Ecclesia S. Laurentij in Damaso, Anno M. D. XL I. Feria secunda post Dominicam in Passione, cùm legeretur Euangelium

Miserunt Principes & Pharisæi ministros, vt apprehenderent Iesum. Ioan. 7.

ET EPISTOLA,

De Iona Propheta, & Niniuitarum conuersione.

PROOEMIVM.



QVEMADMODVM in Euãgelio hesterno probatus & læsus Christus noster ab obstinata illa Iudæa, quæ odio instar lapidis indurata, lapides apprehẽdit, vt Christum lapidaret, non immeritò summam suam patientiam in extremum furorem conuertit, & in littera & in mysterio dorsum obuertit Synagogæ, plenus iustissimarum irarum è templo, & è populo illo incredulo exiens: sic hodie econtrariò naturalis suæ misericordiæ memor, & per semetipsum placatus, gentique illi tam perfidæ reconciliatus, in celeberrimo illorum festo,

ſereno illo vultu ſeſe rurſus ſpectandum exhibet, & vt generoſam vindictam Deo dignam de illorum ſumat ingratitudine, cum omni charitate vocem exaltat, (ſignum profectò ſingularis affectionis) omnes ad bibendum, non aquas terrenas, ſed cæleſtes inuitat; quæ quidem aquæ ad remiſſionem peccatorum in animos contritos, per ſacramentum Chriſtianæ pœnitentiæ omnibus ijs, qui à baptiſmo peccauerunt, relictum, infunduntur. Ecce hinc apparet, Roma, quàm veriſſimè dictum ſit à Chriſto; *Quis ex vobis arguet me de peccato?* & quanto cum deſiderio optat nos omnes ſui ſimiles eſſe abſque peccato? Ipſe per naturam talis eſt, nobis id non licet niſi per gratiam, non innocentiæ, ſed pœnitentiæ. Ergo ſi quis ſitit, iterum veniat, & bibat. Salutemus B. Virginem. *Aue Maria &c.*

Ioan. 8.

PARS PRIMA.

SI nemo inter vos ſit, qui naturaliter non deſiderat beatus eſſe, deſiderium enim felicitatis & vitæ, vnà cum odio mortis & miſerię, à matre natura omnibus hominibus Græcis & Barbaris, ſapientibus & inſipientibus, viris & fœminis agnatū eſt: certè Domini mei, quos huc magna cum frequentia ad me audiendum (qua in re vos laudo) confluxiſſe video, hæc mea oratio, quam de ſanctiſſima pœnitentia facturus ſum, vobis debet eſſe gratiſſima ſimul & iucundiſſima. Cùm enim omnes ratione peccati ſimus mortis æternæ rei, nec aliud habeamus medium ad iuſtiſſimam Dei placādam indignationem, eiusque furores in nos accenſos ſedādos, præter pœnitentiam, & vitæ in melius emendationē: indubitatum eſt, neminem, ſiue is vir ſit ſiue mulier, è magno hoc mari, in quo tot tempeſtatibus expoſiti, tot cum periculis nauigamus, educi, & in optatū æternæ vitæ portum induci poſſe abſque pœnitentia. Miſit quidem nos Dominus per gratiam ſuam in arcam illam myſticam, vt nos liberaret ab vniuerſali illo cataclyſmo, in quo omnia perierunt: dedit inquam nobis ſanctum baptiſma, cuius antiqua nauis illa fuit figura, haud aliter quàm ſenex ille Noë, Chriſti:

Neceſſitas pœnitentiæ.

Christi: in cuius virtute omnis homo saluari potest: sed quantum ad nos, nauis fracta est. Quis enim nostrum est, qui in illa adhuc perseuerat innocentia, in qua coram Deo constitutus est, cùm sacris vndis fuit tinctus, ex homo carnali spiritualis, ex filio terræ filius Dei factus? Omnis vir peccator est, & peccatrix omnis mulier. Omnes in aquam decidimus, & vnusquisque meritò clamat; *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.* O quàm iniquo sumus loco, Romani, aquis istis inuoluti, quę nos infernè suffocant, supernè inundant, vtrinque latera nostra contundunt, nec tempus nobis respirandi concedunt. Iesus solus stat in continente in terra firma, in ipso littore, stat & ambulat securè, nullum metuit periculum. *Iesus solus in terra*, inquit Marcus, non minùs forsitan hoc nostrum mysterium, quàm ipsam respiciens historiam. Psal.68. Mar.6.

Ceterùm cùm miseri nautæ in medio mari naufragium faciunt, nauisque vado impulsa, vel scopulis illisa rumpitur, ipsique medijs in aquis feruntur, ecquod aliud habent salutis remedium, quàm vt arrepta tabula, quàm commodissimè possunt, enatent, donec ad littus perferantur? At infelices illi, qui tabulam non habent, quia cùm non habeant cui innitantur, huc illuc à ventis & vndis iactãtur, videntque tandem sibi nullam salutis esse spem reliquam, nisi Deus per singulare quoddam miraculum illos periculo eripiat, sine quo præda manent & esca piscium. Pœnitentia, pœnitẽtia hæc post naufragium tabula est: sic eam vocat antiquissimus scriptor Tertullianus. Væ illi, qui hanc tabulam non apprehendit. Væ qui peccatorum suorum pœnitẽtiam non facit. Non audis Christum apertissimè dicentem; *Nisi pœnitentiam habueritis, peribitis?* Vt autem maius haberet pondus hæc sententia, iterum repetit eam: *Dico vobis*, inquiens, *nisi pœnitentiam habueritis, similiter peribitis.* Exemplum habemus in hodierna Epistola, ne longè panem petamus, cùm proprijs in ædibus habeamus, in illa superba Assyriorum Monarchiæ Metropoli, ab Abrahami temporibus Niniue, à primo conditore Nino, Semiramidis illius, viri potiùs quàm fœminæ, marito sic appellata. Pœnitẽtia est secunda post naufragium tabula. Luc.13.

pellata. Infinitis enim vrbis huius sceleribus Deus ad iram prouocatus (fœtor enim turpissimæ incolarum vitæ in nares eius ascenderat) eam exscindere, funditusque eradicare & desolare proposuerat. Abi Iona, inquit Dominus, & vade in Niniuen ciuitatem magnam: magnam imperio, magnam ædificijs, magnam populo, magnam peccatis, & dic illi: non me posse diutius conniuere, & parcere. vicit eius iniquitas infinitam meam patiētiam, ideoque decretum apud me est, post quadraginta dies dicetur; En campos vbi magna fuit Niniue. Et certè effectus rei minas consecutus fuisset, nisi populus admirandā, de qua, vt sit nobis exemplo, in Epistola dicitur, egisset pœnitentiā. Non est hæc historia tantùm descripta ꝓpter solos Niniuitas, sed Niniue in hac narratione typus est totius mundi, sicut & Ionas Christi. Non legistis; *Pœnitētiam egerūt in prædicatione Ionæ, & ecce plus quàm Ionas hic!* Et postea; *Signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ.* O Iona, ô Niniue, ô munde, ô Christe. Sed & interpretes Hebræi dicunt, Niniuen significare pulchrum. Quid autem pulchrius hoc mundo? Simulachrum est sensibile mundi illius idealis, intelligibilis, & exemplaris: quem cùm viderimus, dicemus, omnia quæ in his inferioribus sunt indigna esse, quæ ab oculis nostris conspiciantur. Et cur Christus venit in has terras missus à Patre, nisi vt mundo prædicaret, quòd nō erat aliud illi refugium, quàm pœnitentia? Videtis eum non aliunde conciones suas auspicatū esse, quàm à pœnitentia. *Pœnitentiam agite.* Videtis & vltimam eius doctrinæ periodū esse; *Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis; & prædicari in nomine eius pœnitentiam in remissionem peccatorum.* Quid autem Apostolis familiarius fuit, quàm pœnitentia? Diuus Petrus Simoni Mago dicit; *Pœnitentiam age ab hac tua nequitia.* Et Ioannes Episcopo illi Ephesino; *Memor esto vnde excideris: age pœnitētiam & prima opera fac.* Quid Paulus? *An ignoras*, inquit, *quia benignitas Dei te ad pœnitentiam adducit?* Sed & parabolæ illæ Christi de drachma perdita, de oue errāte, de filio prodigo, exempla Tyri, Sidonis, Sodomæ, illæ inuectiuæ tantæ seueritatis in eos qui se iustos existimabant; magna illa humanitas quam

Niniue typus mundi, & Ionas Christi.
Matth. 12.

Pœnitentia est principiū prædicationis Christi.
Matth. 3.
Luc. 24.

Non est vox familiarior Christo, & Apostolis, q̃ pœnitentia.
Act. 8.
Apoc. 2.
Rom. 2.

Omnis doctrina Christi est de pœnitentia.

quam exhibebat in cõuersando, edendo & bibẽdo cum peccatoribus, non cõtemnendo Chananços & Samaritanos, qui opinione & iudicio Iudæorum omnium hominum erant pessimi, ingens illa gratia facta Magdalenæ, adulteræ, publicano, vsurario, latroni, quid multis? omnis eius doctrina, cuius scopus est vt doceat nos humiliari, vt agnoscamus nos etiam indignos quam bibimus aqua, pane quo vescimur, & aëre in quo respiramus, dicite mihi quid aliud clamat, quàm pœnitentiam?

O pœnitentia, ô pœnitentia. Non habet Ecclesia sancta, imò non habet totus mundus aliquid te vtilius, quódve maioris est necessitatis aut consolationis. Tu saluas homines, tu exhilaras Angelos, tu placas Deum. Túne es ô pœnitentia quæ Deum contra naturam suam iratum peccatoribus ad naturalem suam clementiam reducis, placidumque illum & benignum reddis pœnitentibus? Roma, non tam accepta sunt Principibus tributa, militibus stipendia, castra medicis, noua vestimenta pueris, quàm Deo pœnitentia. Non tam vtiles sunt sepes vineis, mœnia ciuitatibus, prætenturæ munitionibus, aggeres fluminibus, quid dico? non tam iucundæ sunt moderatæ pluuiæ terræ siccæ & sitienti, viridia prata infirmis oculis, prædæ & spolia in bello capta militibus, medicinæ, postquã sanitatem operatæ sunt, infirmis, quàm est iucunda & vtilis pœnitentia omnibus peccatoribus & peccatricibus. Ideo & ipsi Dæmones te plùs metuunt, quàm canes aquam feruentem, muscæ ignem, arma fœminæ, ferulam pueri, latrones furcas & cruces. O sanctissima pœnitentia; tu, tu sola Deum glorificas; testaris enim eum solum sanctum, eum solum ab omni peccato immunem. Tu sola nos confortas, suggerens nobis spem salutis æternæ. Tu sola exhilaras Angelos, ex pœnitentibus enim eorum ruinæ restaurabuntur. Tu sola terres Diabolos, qui vti per peccatum mundi imperium erant adepti, ita per pœnitentiam eodem priuati sunt. Quis vnquam vires virtutesque tuas eloquetur, ô sanctissima pœnitentia? Tu secundum es Baptisma, quæ renouas hominem, ex oleastro facis oleam, ex hirco agnum, ex coruo columbam, ex Esau Iacob. Tu

Nõ habet Ecclesia quid vtilius pœnitentia.

Effectus pœnitentiæ.

conuertis Moabitas in Iſraëlitas, Samaritanos in veros Iudæos, canes in filios, meretrices in virgines, peccatores in homines iuſtos & ſanctos? Tu ex ſolitudinibus facis iucundiſſimos hortos, ex inferno cælum, ex terra paradiſum, ex feris homines, ex Dæmonibus Angelos. Plãctus tui, & dolores tui perpetuò gaudendi adferũt materiam. Radix tua amara eſt, ſed fructus omni melle dulcior. nihil peccatis noſtris amittimus, quod tua virtute non recipimus. Tu aufers cor lapideum, & das cor carneum; tu introducis nos per frigidam portam ſeptentrionalem, tanquam trementes & metuentes magnam iram Dei, & educis per lætam & iucundam portã meridionalem, propter infinitam clemẽtiam Dei amore illius omnino ardentes, vt qui ex irato factus eſt pius, & pater ex iudice. Et quis eſt myſticus ille Iordanis in quo mundatur lepra, fons ille Siloë qui cæcis reddit viſum, nitrum illud quod filios Dei efficit candidos, herba illa quæ mundat veſtimenta, ſcala illa Iacob per quam è terra aſcenditur in cælum, porta illa ſpatioſa in qua tot ſedent pauperes, calculus ille qui etiam prophetas purgare debuit, via illa anguſta & arcta ſalutis; piſcina illa plena infirmis, vbi cæci, claudi, paralytici, expectant Angelum aquas moturum, Angelum magni conſilij, auxilium & gratiam Chriſti; quid hæc omnia deſignant, niſi te ô ſancta pœnitentia? Non amittit nomen iuſti, ô pœnitentia, qui ad ſinum tuum, ad virtutem tuam, ad arma tua recurrit. Arma tua ſunt ieiunium, ſaccus, cilicium, oratio, ô quantas clades adferunt inferno hæc arma tua? per te vita & mors inter ſe pugnant, ô pœnitentia: moritur mors, & viuit vita: tu ſola occidis omnia peccata, tu ſola virtutes omnes viuificas. Et quis corollas & ſerta Chriſto nectit glorioſa, niſi tui pœnitentes? Peccatores coronârunt illum ſpinis, pœnitentes coronant gloria, gemmis & lapidibus pretioſis. Nos ſumus corona, Chriſtiani, magni illius Ieſu Ioſedech, Ieſu noſtri verè Ioſedech, hoc eſt iuſti & ſancti. Nos, nos dico honor ſumus & gloria Chriſti noſtri, ſi amore illius, & per gratiam eius relictis peccatis nos ad pœnitentiam conuertamus, vt efficiamur homines noui, iuſti & ſancti: ita vt æternus Pater

Figuræ pœnitentiæ.

Arma pœnitentiæ.

Pœnitentes coronã Chriſto nectunt.

aſpici-

aſpiciens nos, deinde oculos ſuos in Chriſtum conijciens, dicat; O quàm dilectus mihi eſt hic filius, qui tot mihi alios filios iuſtos & ſanctos generauit?

Auditores, videte quæſo quàm celebres duces habeamus in his pœnitentię caſtris; Ioãnem Baptiſtam, Heliam, Samuelem, Dauidem, Petrum, Aaronem, Mariam eius ſororem; Paulum, Mariã Magdalenam, qui omnes publicam, non tantùm priuatam pœnitentiam egerunt. Et quæ corona, aut quod diadema glorioſius capiti Chriſti poteſt imponi quàm quòd per illum tot pœnitentes ſaluati ſunt? quòd per illum tot & tantæ virorum mulierumque turbæ à vita peſſima ad meliorem ſunt reuocatæ: quòd totum genus humanum ſaluatũ eſt in portu, quod priùs erat damnatum in vniuerſali naufragio. per quem quotidie ſalui fiunt innumerabiles, quemadmodum & innumerabiles per ſe quotidie ruũt in propriam damnationem? Apage hinc Nouate, qui dum Chriſtum hoc honore & hac dignitate ſpolias, coronã aufers de capite illius, qua illum æternus Pater coronauit. Neſcitis illũ Hæreſiarcham dicere, poſt baptiſmum pœnitentiam eſſe ad ſalutem inutilem? O inuide, ô maligne, ô noue Iuda, ô traditor Chriſti. Neſcio profectò vter grauiùs peccauit, iſne qui Chriſtum occidit, an qui illius tollit honorem & gloriam. Noſtri hæretici eripiunt Chriſto ſceptrum, ille coronam. Sceptrum Chriſti eſt iuſtitia, corona eſt miſericordia. Noſtri itaque Deum fingunt iniuſtum, ille crudelem. Damnata eſt & extra Eccleſiam eiecta vtraque hæreſis; Chriſtus iuſtus eſt, quia non remittit peccata abſque pœnitentia. eſt & miſericors, quia ignoſcit omni pœnitenti. Iuſtitia clamat vindictam in peccatores, miſericordia petit gratiam & remiſſionem: pœnitentia media inter vtramque incedit. Nolite contendere, vnanimes eſtote & inter vos conſentite. Ecce ego vtrique ſatiſfacio, priùs reos plecto per te iuſtitia, deinde per te miſeridia eoſdem abſoluo. Ita Deo conuenit ſimul & bonitas & ſapientia, punire hominem quando peccauit, ignoſcere peccatori quando recurrit ad pœnitentiam. Quemadmodum iniuſtitia eſt ignoſcere non pœnitenti, ita ęquitas eſt ignoſcere poſt pœnitentiam. Peccatores

Duces pœnitentium.

Nouatus tollit gloriam Chriſti.

Nota. Nouatus non negauit pœnitentiam ſimpliciter, ſed remiſſionẽ peccatorum eſſe in Eccleſia: licet apud Deum eſſet.

catores absque aliqua pœnitentia absoluere, est quasi peccata fouere, & si pœnitentes iram Dei nunquam placare possent, in desperationem inciderent. Æquissimum est Deum irasci cùm peccamus, sed & æquius fortassis est, vt pœnitentia placetur. Cur dico fortassis? Æquius est, equius est sine dubio, Roma. *Deus cui proprium est misereri semper & parcere.* Scis cur proprium? Quia ignoscere & dimittere ab illo solo est, non mouetur à nobis cùm suam in nos gratiā effundit; à seipso tātùm mouetur, ꝑ infinita sua clemētia. Quando punit & castigat, id à nobis potiùs est, quàm ab illo: cogitur quodāmodo & contra suam facit volūtatem. Non legistis? *Vita ex voluntate eius; Vindicta tantùm in indignatione eius! Alienū opus eius, peregrinumque ab eo!*

Propriū Deo est ignoscere.

Psal. 29.
Esa. 28.

Simplex ista columba Ionas, Propheta Dei, missus ad prædicandum ciuitati Niniue, & denunciandum illi extremam post dies quadraginta ruinam & interitum, idque propter enormia ciuiū scelera: præuidens id quod postea accidit, fore vt incolis ad pœnitentiam conuersis bonitas Dei sententiam reuocaret, vrbique parceret, eò proficisci noluit, nesciensque quò à facie Dei fugeret, mari sese credidit. *Reorum est fugere, reorum est fugere.* Meritò vt fugientem persecuta sunt illum elementa, vt ad Dominum suum reducerent. Iccirco mare tanquam magnus centurio Dei, qui non minùs aquarum, quàm terræ cælique Dominus est, sese in illum armauit, eique tot ventorum, tempestatumque & marinarum bestiarum insidias tetendit, vt tandem comprehenderit illum, comprehensumque triduo detinuerit, donec pœniteret eum facti, & in ventre piscis veniam oraret, quem tandem Deus liberauit. Atque hoc modo ipse prior in se expertus est, quid mereatur peccatum per se, & misericordia quæ exhibetur pœnitēti per Deum. An non, Domini mei, Ionas hic valde simplex fuisse videatur tunc, quando (vt hodie legitur in Ecclesia) vidit Deum placatum, & Niniuitis reconciliatum, eò quòd pœnitentiam egerant illam seueram, sedentes in cinere, vestiti sacco, continuo triduo nec edentes nec bibentes, non homines tantùm, sed & iumenta, non plebs sola, sed & omnes nobiles, tota Aula, imò Rex ipse; ipse econtrariò

Quomodo Deus armauit mare in Ionam.

Simplicitas Ionæ.

trariò plenus zelo, sed indiscreto (ignosce mihi quęso Iona, quia tunc fortè non fuisti Ionas, hoc est columba) cœpit conqueri, & quasi cum Deo expostulare? Non immeritò dicebam Domine, minari te tantùm, non punire: tonas, & tela non mittis: stringis gladiū, & non occidis. ideo fugiens fugiebam, quia ignorabam quomodo isti populo prædicarem. Scio, Domine, te nimis facilem & misericordem, iram tuam confestim in pàcem, & maledictionem tuam conuerti in benedictionem. Si hoc illis annuntiassem, peccata illorum fouissem, maiorem illis peccandi licentiam subministrassem. nimiam enim hanc tuam clementiam prędicare, quid aliud est, quàm peccantibus maiorem peccandi audaciam suggerere? Si autem prædicassem, vti tu mihi præceperas, vt tua sonuerūt verba, ostendissem te crudelem, cùm non sis, & cùm crudelitas omnis tuæ repugnet naturæ. Ecce saluata est Niniue: scio enim hoc te quæsiuisse, & voluisse, neque ego idipsum non volo: quicquid enim tu vis, & ego volo: sed existimo, Domine, te in salute Niniuitarum perditionem Hierosolymarum tacitè vaticinari voluisse. Voluisti me Præputiatis loqui, vt Circuncisi intelligerent: in Assyriorum pœnitentia, Israëlitarum video impœnitentiam: in diuitijs gentilitatis, paupertatem præsentisco Synagogæ. Canes immundi, Domine, tui fient filij, & filij tanquam canes expellentur. Semen tuum spargetur, vt gentes profanæ & maledictæ, quæ cum omnibus idolis fornicatæ sunt, in gratiam recipiantur, & gens mea, cui genti tot benedictiones donasti, gens verè virginea, quæ alium Deum præter te nunquam cognouit, summo quo illam complectebaris amore, excidat. Cur irasceris Domine, quòd ego doleo, qui inter tot Prophetas tuos me vnum infelicem illum esse voluisti, qui hæc tristia populo meo annuntiarē? meo inquam Domine, è quo natus sum, in quo vixi hactenus, & adhuc viuo? Tu quidem olim benigniùs egisti cum Balaam, cui dedisti vt populo huic meo benediceret, multaque futura felicia, multos annūtiaret successus beatos & prosperos, cùm tamen & Ethnicus esset, & Deos adoraret alienos. Ego & Hebræus sum, & te solum

Querela Ionæ ad Deum eò quòd misericors est.

Prædicatio Ionæ vaticinium ruinę Hierosolymitanæ.

Iusta causa doloris Ionę

ſolum adoro, tamẽ voluiſti me ſub typo Niniues patriæ meæ excidium annuntiare. O ſors mea iniquiſſima. Si Niniue non reſurgeret, Synagoga non caderet: reſurgẽte vna, neceſſe eſt cadat altera; imò Domine iam iam in oculis tuis ciciderũt. *Qui vocas quæ non ſunt, tanquã ſint.* Moriar, moriar Domine, priuſquam hęc fiant, ne oculi mei cõſpiciant. O Iona, Iona, quàm egregiè confudit te Deus.

Rom. 4.

Quò iuit Ionas poſt prædicationem.

Exiuit vrbe Vates, & in collem editiorem cõceſſit, expectans quid futurum eſſet Niniuitis. Sed quia inſtar Heliæ in deſerto vitæ ſuæ pertęſi, plenus erat querelarum, animique ægritudinum, proſtrauit ſeſe ſub vmbra, vt paululùm quieſceret. & ecce confeſtim Dominus, vt iniquas eius querelas eſſe oſtenderet, illum argueret, imò medicaretur, adfuit; arbuſcula, ſub qua requieſcebat Ionas, iuſſu eius exaruit, ſublata eſt vmbra, iacebat expoſitus Soli calido & ardenti, à quo totus torrebatur; habebat ignem intrinſecum, iraſcebatur & dolebat; habebat ignem extrinſecũ, calorem, æſtumque Solis, erat quaſi Ætna perpetuis ardens ignibus. Hinc orta ſunt lamenta, hinc ſuſpiria. Vtinam moriar, vtinam me mors hinc auferat. ira Dei in nos exarſit, exaruit hedera, & exaruit populus meus, quem gratia Dei tantopere complecti videbatur. Viuere diutius non lubet mihi Domine, ſi tua me deſtituat gratia. Tolle, tolle animam meam, vt quid laboribus & moleſtiis me opprimis? Bone Deus, quãta cum ſapientia tuos gubernas famulos? Audite, audite Romani, quid Deus Ionæ reſponderit; ite & domi in libelli huius vltimo capite legite. Siccíne Iona, ſiccíne? Adeóne tibi dolet caſus iſtius hederæ, vt præ nimia impatientia mori cupias? Ecquid hæc planta ad te? Dic mihi; Túne eam plantaſti, túne irrigaſti, túne coluiſti? túne vnquam ſtercoraſti, vt creſceret? Tu nunquam vt viueret ſolicitus fuiſti; neque tua cura vixit hactenus. quid tua igitur intereſt ſi exaruerit? cur tu conquereris? ecquid hinc tibi incõmodi? Ecquid incommodi, Domine? obumbrabat me, & ab æſtu Solis defendebat. Optimè, inquit Deus, tu affligeris, & vſque ad mortem iraſceris, eò quòd vmbra, quam tibi adferebat hedera, defecit, & nõ vis me affligi tantæ

Ion. vlt.

Reſpõſio Dei ad querelam Ionæ.

gi tantæ ciuitatis, quanta est Niniue, in qua sunt plus quàm centum viginti millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dextram & sinistram, quos ego omnes creaui, nutriui & manibus meis educaui, perditione & euersione? I simplex, i, erubesce & disce sapere. Quid tu vnquam Iudeæ contulisti? quæ tua sunt in eam beneficia? & quid ego huic genti non feci? Iudæa obstinata est, cur miraris eam ex semetipsa damnari? Sicca & arida est hedera, verum quidem est: exaruit & Synagoga. quid ni exaruit? cum plenitudine tamen gentium poterit reuirescere. Noli desperare fili, radix est sancta, licet multi rami sint infructuosi si inutiles, qui exaruerũt, quos incredulitas arefecit. si reuertãtur ad fidem, reuirescent. *Si non permanserint in incredulitate, inserentur. Potens est enim Deus inserere illos. Vide, vide bonitatem Dei & seueritatem; in eos qui peccauerunt seueritatem, in te bonitatem,* Iona mi chare, *si permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris. Tene quod habes, ne alius accipiat tibi coronam vitæ. Qui stat, videat ne cadat. Sed qui cadit, nunquid adijciet vt resurgat? Cùm intrauerit plenitudo gentium, tunc omnis Israël saluus fiet.* O viua doctrina, ô efficacissimum exemplum ad inuitandos, excitandosque eos, qui obstinati sunt, ad pœnitentiam.
Rom.11.
Apoc.3.
1. Cor.10.
Psal.40.
Rom.11.

Amplectamur, amplectamur Domini mei pœnitentiam hanc sanctam. Videtisne illius omnipotentia quanta sit? mutat enim quodammodo qui est immutabilis, vincit inuincibilem, & facit vt nos exaudiat Deus, qui tam iratus nobis esse videtur, vt putetur fore inexorabilis. Non auditis quid eius Maiestas dicat apud Ieremiam? *Repentè loquar aduersus gentem, & aduersus Regnũ, vt eradicem & destruã & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo quod locutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitaui vt facerem ei. & subitò loquar de gente & de Regno, vt ædificem & plãtem illud.* Vbi, vbi hic sunt Prædestinatores, vbi Fatarij, qui dicunt; Iamdudum constitutum est, quod de me fiet. Si præordinatus sim ad vitam æternam, non obstantibus cunctis meis iniquitatibus, saluus ero. Si ad æternam pœnam destinatus, nulla saluare me poterit pœnitentia. Dico vobis,
Omnipotentia pœnitentiæ.
Hier.18.

bis Romani, quod olim dixit Dauid in illo Psalmō, in quo modū docet pœnitēdi;[*Nolite fieri sicut equus et mulus.*] Equus superbus es & arrogās, quisquis in prædestinatione & in electione diuinæ gratiæ gloriaris, atq; in illa iactantia tibi persuades non opus esse pœnitētia. Alij sunt muli meticulosi, qui propria terrentur vmbra, qui sibi timent ob præscientiā & diuinam reprobationem. hi quemadmodum & muli steriles sunt, nec pullos generant; hoc est, otiosi sunt, operibus bonis non incumbunt, persuadent sibi superuacanum esse & inutile bene operari, & de peccatis suis pœnitentiam agere. *Nolite, nolite fieri sicut equus & mulus.*] O equi, pœnitentia necessaria est, etiam prædestinatis. neque ô muli inutilis illa est reprobatis. Deus vobis annuntiat salutem, sed vt saluemini vos huc conferre debetis quod in vobis est. Deus vobis denunciat damnationem, per vos stat damnari, neque vnquā nisi culpa vestra damnabimini. Non damnat vos Deus, sed ipsi vos damnatis: pœnitentia & impœnitentia vos aut saluant, aut condemnant. Videtísne Deum protestari, quòd si vos pœniteat fecisse malū, se quoque pœnitere minarum, quibus iram suam denunciauit? quòd si conuersi fueritis ad vitam meliorem, se quoque gratiam suam non denegaturum? Audite, audite. *Si fecerit malum in oculis meis, vt non audiat vocem meam, agam & ego pœnitentiam super bono quod locutus sum, vt facerem ei. Si pœnitentiam egerit à malo suo, agam & ego pœnitentiā à malo quod cogitaui vt facerem ei.* Nescio profectò quid vobis gratius, quid iucundius possem euangelizare. Si vos pœniteat, pœnitebit & Deū: si vos mutemini, mutabitur & Deus. Sed cur reticebo aliud illud oraculum Ezechielis, ad maiorem enim vestram est consolationem. *Si dixero iusto quòd vita viuet: & confisus in iustitia sua fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius obliuioni tradentur, & in iniquitate sua quam operatus est, in ipsa morietur. Si autem dixero impio; Morte morieris; & egerit pœnitentiam à peccato suo, omnia peccata eius non imputabuntur ei: vita viuet, & non morietur.* Obmutescite, obmutescite omnes, & nolite posthac dicere; Prædestinati sumus aut reprobati; vasa sumus honoris aut iræ; aut in gratia su-

Psal.31.

Qui prædestinatione & fatis confidentes peccāt, similes equis & mulis.

Necessaria prædestinatis pœnitentia.

Hier.18.

Ezech.33.

tia su-

tiâ sumus, aut in odio. Dico enim vobis, quàm diu in terris viuitis, potestis ex vobisipsis reprobari à Deo, & per gratiam illius in numerum prædestinatorum assumi. Diuus Augustinus, qui quasi omnium Theologorum in hac materia dux est & antesignanus, triplicem dat Prædestinationis definitionem. pertinet enim quodammodo ad tria illa præcipua, quæ inter alia Deo attribuuntur, potentiam, scientiam & bonitatem. *Prædestinatio est propositum miserendi.* Hæc prima Augustini est definitio, secundùm quam ad voluntatis diuinæ pertinet bonitatem, cui propriè tribuitur prædestinatio, tanquam causæ efficienti (si ita loqui liceat de eo quod æternum est) magis, quàm omni alij rei. *Prædestinatio est præscientia beneficiorum Dei.* Hæc est secunda, respiciens scientiam & sapientiam Dei, si non vt præcedentem, saltem vt coniunctam. Quare D. Paulus præscientiam & prædestinationem sæpe coniungit, & confundit; licet Doctores Scholastici qui postea Theologię amplitudinē ad strictiores terminos reduxerunt, vt æquiuocatio, vnde nascuntur paralogismi, vitetur, vnum alteri opposuerunt. Nescitis quàm vsitatū sit in Scholis, *Præsciuit Deus Iudam, & prædestinauit Petrum?* Paulus nihilominus dicit; *Quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui.* Tertia definitio est; *Prædestinatio est gratuitæ donationis præparatio.* quæ exprimit effectū, seu executionem voluntatis & præscientiæ Dei prædestinantis. Ideoque minùs pertinet ad formalem prædestinationis rationem, quia ab æternitate remotior est, quàm sunt aliæ. Agite nunc, accipite prædestinationem, quomodocunque volueritis: non adferet vllam necessitatem prædestinato. Quatenus est propositum benignè & misericorditer cum homine agendi, iuxta illud; *Miserebor cuius misereor, & misericordiam præstabo cui miserebor. Cuius vult miseretur, & quem vult indurat,* nescitis stante firmissimo illo proposito in æternitatis centro, circa quod rota temporis voluitur, eum qui se indignum exhibet misericordia, materiam effici in qua diuina operatur iustitia: *Noluit benedictionem, & elōgabitur ab eo. Proiecisti me, & ego proijciam te. Oblitus es mei, & ego obliuiscar tui.*

Tres definitiones Prædestinationis ex Augustino.

Prima.

Secunda.

Rom. 8.

Tertia.

Prędestinatio nō adfert necessitatē prædestinato.

Rom. 9.

Psal. 108.

1 Reg. 15.

tui. Hinc nata est prolixa ista Pauli disputatio; cum qui vas iræ est, posse fieri vas honoris: qui non est electus, hūc posse eligi: qui hircus est, hunc fieri posse agnum; & qui in odio est, hunc in gratiam Dei redire
2. Tim. 2. posse. An non legistis Paulum; *In magna domo sunt vasa aurea, & argentea, & lignea, & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam verò in contumeliam? Si quis ergo emundauerit se à vitijs, erit vas in honorem sanctificatum, & vtile Domino ad omne opus bonum paratum?*
Osee 2. Rom. 9. Non legistis oraculum, quod ipse Paulus allegat; *Vocabo non plebem meam, plebem meam; & non dilectam, dilectam; & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam.* Sed quid sententias & authoritates quæro, cùm luculenta huius rei habeamus exempla. Memi-
Hier. 18. nistísne Deum aliquando Ieremiam Vatem misisse in domum figuli, vt oculis suis conspiceret, diligenterque notaret (pluris enim æstimatur vnus testis oculatus, quàm auriti centum) exemplum figuli, quomodo fingit & refingit, destruit & reparat vas in rota sua, & qualem vult formam inducit, prout illi placuerit. Ad eūdem modum Deus vnam eandemque personam facit & reficit, nunc vas honoris, nūc iræ constituens. Manus figuli nesciens quid faceret, non tam ex errore proprio, quàm ex Dei prouidentia, eius manum clàm mouente, & rotam circumuoluente, hanc doctam Ieremiæ parabolam significat. Vidisti Propheta, inquit Deus, quomodo vas illud fractum est, & iterum reparatum, elegantiusque factum quàm
Hier. 18. erat antea? *Nunquid sicut figulus iste non possum vobis facere domus Israël? Ecce sicut lutum figuli, sic omnes vos in manu mea.* Fragiles estis, instar terræ; scio, miseret me vestri, cùm peccatis frāgimini. Fracti estis omnes & dissipati in conspectu meo, propter peccata vestra infinita. videtis iram meam in vos accensam. Pœnitentiam agite, & reparabo vos, pulchrioresque quàm eratis antea faciam. Manus figuli operatur omnia, terra formam tantummodo recipit, quam figulus inducit. Non ita inter me & vos agitur. Non ego tam ambitiosus aut philautos sum, vt omnia solus facere cupiam; volo quidem vos in omnibus iuuare, meritum tamen volo vt vestrum sit. Non potestis reparari sine

fine me, sed nec ego vos volo reparare fine vobis. Sufficit quòd vos fine vobis creaui, sed vt vos honorem, volo vt & vos partem in salutis opere habeatis. Ah Roma, quæ oracula sunt hæc? magna sanè, perspicua, non obscura, non ambigua, sed clara & manifesta.

Quatenus prædestinatio est præscientia beneficiorum Dei: quemadmodum videre res præsentes non facit vt necessariò sint, licet non videres si non essent: visio enim importat existentiam, & præsentiã earum rerum quæ videntur: Et quemadmodum memoria rerum præteritarum cõtingenter, non facit vt fuerint necessariò, non possunt tamen memoria apprehendi, quæ non fuerunt: quia neque de præsentibus, neque de futuris est memoria, sed cognitio & prouidentia: ita rerum futurarum præscientia non facit, vt sint necessariò, quæ natura sua sunt contingentia. Non audis quàm pulchrè hoc olim dixerit diuinus noster Dantes;

La cõtingentia che fuor del quaderno &c. Hoc est
Contingens quod extra quaternionem
Nostræ materiæ non extenditur,
In conspectu æterno omne depictum est.
Necessitatem proinde hinc non sumit,
Nisi quomodo à visu in quo cernitur
Nauis quæ descendit per fluuium.

Deus quidem scit quòd erunt, sed & scit quòd erunt contingenter. neque ideo quòd ille scit erunt, sed quia erunt Deus priùs scit: & scit ea fore, eo modo, quo esse debent, vel erunt.

Denique quatenus prædestinatio est executio, & quasi diuina vocatio, (scitis enim Docti etiam vocationem quandã esse gratię præparationem) non ignorare vos arbitror, eum qui vocatur, & ad gratiam atque salutẽ siue extrinsecè, siue intrinsecè præparatur, ad consentiendum isti vocationi, quantumuis efficaci, necessariò non cogi vel impelli, iuxta illud; *Vocaui, & renuistis.* & alio loco; *Vos semper Spiritui sancto restitistis.* Et si hęc prædestinatio includat donationẽ, nescitis donationem suum non habere complementum, nisi consentiat is cui donatur? Consensus est voluntarius. *Vis sanus fieri?* Prædestinatio itaque nullo

Prou.1.
Act.7.
Ioan.5.

modo necessitatem constituit in prædestinato. Non negamus prædestinationem, eam enim negare, Romani, Paulo est contradicere: sed dicimus in omni prædestinatione nostrum semper arbitrium in potestate sua liberum permanere, neque violenter aut ad bonum aut ad malū cogi, nec ad salutem nec ad condemnationem inuitum adigi. Omnis itaque homo & prædestinatus & præscitus, seu reprobatus saluari potest, & damnari, prout ipse vult. Nullus desperet peccator, etiam si Deus dixerit; Damnatus es; quia si pœnitentiam egerit, saluabitur. Nullus iustus in sua confidat iustitia, etiam si Deus dixerit; Prædestinatus es, lętare: nam si in via bene cœpta defecerit, cum Dæmonibus damnabitur. Non mutatur Deus in semetipso reuera, sed mutari se fingit. Non legistis; *Finxit se longiùs ire? Qui fingis laborem in præcepto?* Deus nunquam mutatur, nec mutari potest. *Ego Deus, & non mutor.* Tu es qui mutaris. Deus ab æterno voluit bonos saluari, & malos damnari. Deus ab æterno voluit te, me, illum, illam saluari, si boni simus; vt econtrariò voluit me, te, illum & illam damnari, si simus mali & peruersi. Illud incommutabile Dei cōsilium est. *Consilium meum stabit, & voluntas mea fiet.* Omnis mutatio ex nobis est. *Ego Deus, & non mutor.* Videtisne hanc columnam, quæ mihi à dextris est? quòd si ego voluero, erit mihi à sinistris, neque illa ne in minimo quidem mutabitur, sed sola mutatione mei. Neque promissiones, neque minæ Dei absolutæ sunt, Docti, non sunt absolutæ, sed limitatæ, conditionem habentes adiunctam. Ne quidem Ionas hoc intellexit in minis Niniuitis intentatis, neque Esaias ad Ezechiam missus, nisi post peractam illorum pœnitentiam. Mutatur effectus, non mutatur ordo; ordo arcanus est & occultus, effectus manifestus est, & qui videtur. Nescitis Docti aliud esse loqui de populo, aliud loqui de personis particularibus. Promissio aduentûs Christi ad saluandum mundum fuit absoluta. Minæ Regno infernali & morti denunciatæ ad genus humanum liberandum fuerūt absolutæ, sed & absoluta fuit gentilitatis præ Iudaismo prædestinatio. Iccircóne scit omnis homo an ipse nominatim prædestinatus sit? Audi

Omnis homo est prædestinatus aut reprobatus, potest tamen saluari & damnari, vt vult.

Luc. 24.
Psal. 93.
Mal. 3.

Esa. 46.

Promissiones & minæ Dei non sunt absolutę sed cōditionales.

Audi magnum illum Patrem; *Prædestinati sunt omnes sancti ad gloriam, ea conditione, si fidem tenuerint, si obedientiam, si patientiam, si pacem seruauerint.* Scis quomodo intelligendum sit, Iudam, Cainum & Esau esse reprobatos? *Si nolueritis audire vocem meam, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius meus deuorabit vos.* Non audistis Dei protestationem? *Quiescite agere peruersè, discite bene facere, & venite & arguite me, dicentes quòd iniustus sum.* An non iustissimę vobis videantur viæ meæ, cùm hominē peccantem reprobo, & pœnitentem in gratiam recipio? Vultis me hominem iudicare secundùm id quod fuit aut erit, & non secundùm id quod est? Et quæ ratio iustitiæ, quòd vultis me odisse hominem bonum, quia vel fuit, vel erit aliquando malus? aut amare me malum, quia aut fuit, aut erit aliquando bonus? Ante lucem fuere tenebræ, post tenebras facta est lux. Ergóne tenebræ dicendæ sunt lux, & lux tenebrę? Iustus non est ampliùs iustus, cùm peccatis est obnoxius; & peccator non ampliùs dicendus est peccator, postquam pœnitentiam egerit. *Cùm recesserit iustus à iustitia sua, morietur. Cùm recesserit impius ab impietate sua, viuet. Iustitia iusti non liberabit eum, in quacunque die peccauerit: & impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit.* Ite, ite nunc & impudenter, stultè, impiè & diabolicè dicite; aut Deus est immutabilis, & pœnitētia vana est; aut pœnitentia vtilis est, & Deus mutatur. Ipse immutabiliter statuit hanc conditionem, vt sine pœnitentia nemo saluetur: finis salus est, medium pœnitentia. Cùm itaque Deus sit immutabilis, qui per illud mediū non ambulat, non peruenit ad hūc finem: qui ambulat, tādem perueniet. Ecce, ecce quadruplex ordo; à Deo ad finem, à te ad finē, à Deo & à te ad mediū, & à medio ad finem. Deus te saluat, tu te saluas: pœnitentia oritur & à Deo, & à te: & illa pœnitentia salutem tibi impetrat à Deo. Causa prima non operatur sine secundis, secundæ nil agunt nisi moueantur à prima. Prima verò omne quod nascitur, quomodo nasci per secundas causas debeat, disponit & ordinat. Cùm itaque pœnitentiam agis, quando oras, quando bene & piè viuis, tu Deū non trahis ad te, neutiquam;

Esa. 1.
Ibid.
Ezech 33.
Quadruplex ordo nostræ salutis.

ſed te eleuas ad Deum, ſic & ille non mouetur, ſed tu moueris. Reminiſcere Docte illius catenæ Homericæ, quæ à cęlo vſque in infernum porrigebatur. Quòd ſi tu alternatis manibus per catenam illam ex inferno aſcendas in cælum, túne aſcendis ad cælum, an cęlum deſcendit ad te? Et quando nauclerus rudentem eijcit, ſcopuloque nectit, & legendo rudentem paulatim nauem ad ſcopulum attrahit, dic quæſo, dic; mouetur ſcopulus, an potiùs nauis? attrahit ne ſcopulum nauclerus ad ſe, an verò attrahit ſe ad ſcopulum? Mutamini, mutamini vos, & à mala vita veſtra reſipiſcite, eritisque ſine præiudicio immutabilitatis Dei ab illo benedicti, qui antea eratis maledicti. Non legiſtis in Eſaia; *Si fuerint peccata veſtra vt coccinum*, aſperſa ſanguine, & aſpectu horrenda, *quaſi nix dealbabuntur: & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt?* in veſtibus agni candidi coram Deo comparebitis, ſalui & ſecuri inter beatos illos, qui ſplendent ſuæ virginitatis candore.

Pulchra ſimilitudo.

Eſa. 1.

Agite igitur (vt tandem huic materiæ finem imponamus) quemadmodum mutata Niniue non erat ea quæ fuerat antea, ſed prorſus alia: cur conquereris Iona, cur murmuras? Erat Niniue incredula, ecce iam credit; erat peccatrix, ecce nunc ſancta eſt; adorabat idola, ecce nunc tuum adorat Deum. Adimpletum eſt vaticinium tuum Iona, noli cōtriſtari. Non es mentitus, non annuntiaſti falſa. *ADhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur.*] Subuerſa eſt, ſubuerſa eſt. *Verte impium, & non erit*; non erit impius, erit pius. Cur triſtaris ob Iudaiſmū? Iudæa non eſt ampliùs Iudæa, quia non iam profitetur Deum ſuum, ſed negat: non credit illi, non recipit, neque agnoſcit illum. *Filij alieni mentiti ſunt mihi.* Non audis Danielem; *Et non erit eius populus, qui eum negaturus eſt?* Si itaque mutati ſint populi, ſi Niniuitæ facti ſint Iudæi, & Iudæi Niniuitæ; ſi circuncifio facta ſit præputium, & præputium circuncifio, quid mirum ſi promiſſiones factę circuncifis ad præputiatos transferantur? & minę præputiatis denunciatæ in circunciſos effundantur? Huc, huc qui tāopere Dei propugnatis immutabilitatem; eſtote ſoliciti de veſtra pœnitētia; Deus non quęrit vt vos

Ion. 3.
Prou. 12.
Pſal. 17.
Dan. 9.

soliciti sitis de illo, estote soliciti de vobisipsis. Ipse quidem ex reprobis nouit electos facere sine sui mutatione, ipse viderit, tua non eget hîc cura. *Quæ supra nos, nihil ad nos.*

Roma tibi loquor, ad te orationem meam dirigo. Apostrophe ad Romam. Inter Monarchias omnes duæ fuerunt ceteris celebriores; Orientalis, cuius metropolis fuit Niniue, & Occidentalis, cuius tu Roma Regina es. Caue ne iram Dei in te prouoces, quomodo quondam Niniue: aut si prouocaueris, quod vehementer timeo, cùm tam malè audias, & tanta inueniantur in te malæ vitæ offendicula, pœnitentiam age, quomodo egit Niniue. Tu quidem Ionam non habes, qui tibi iram Dei denunciet, sed Christum habes, mille Ionis præstantiorem, qui suos tibi mittit concionatores, qui suum tibi per illos verbum annuntiat. Crede, crede; pœnitentiam age, pœnitentiam age; incipe confiteri, incipe confiteri, tempus est. Christus abscondit se, tectus est. Scis quæ sit causa? vt & tu te abscondas, ne tua videat scelera: non enim potest ea saluo suo honore videre, & non castigare. Abscondite, tegite vos, & erubescite: tegite vos humilitate, & teget vos Deus infinita sua pietate & misericordia. Quòd si non feceris, infinita te cooperiet confusione. Cesset tua auaritia, cesset luxuria, cesset superbia, cessent tanta tua scandala. Non dico vt saccum induas, vt in cinere sedeas, vt triduo non manduces neque bibas. *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ.* Rom. 6. Modestiores & temperatiores estote in pompis, in conuiuijs, in symposijs vestris. Humiliamini, humiliamini, mortificamini paululùm, ostendite ciuitatem hanc totius Italiæ non esse sceleratissimam, qua sanctior non deberet esse in tota Christiana Republica. In vrbe Niniuitica principium habuit Idololatria, propter Belis statuam, quæ postea dicta fuit Bel. inde Baal, & tandem Beelzebub, quasi Princeps Dæmoniorum. Romani, *Neget auaritiam esse Idololatriã qui potest.* An Roma sit auara vos scitis; ego quidem id ex Hieronymo didici; in historijs Græcis & Latinis populum non inueniri Romanis & Iudæis auariorem. Vereor ne id de Sacerdotibus Romanis dixerit. Heu quæ hæc est Romani auari.

auaritia, indigna tonſis capitibus, qui cùm ſucceſſores non habeamus, nulli tamen rei magis ſtudemus, quàm cumulandis pecunijs, augendis prouentibus, beneficijs, penſionibus? *Eſt qui congregat diuitias, & neſcit cui*, inquit Salomon. Ecce Romane Sacerdos,
Luc.12. *Quæ autem paraſti, cuius erunt? cuius erunt* ô miſer? cuius? Commiſſarij ſpoliorum, Cõmiſſarij ſpoliorum. Quid? auarus an non videtur eſſe Idololatra? Aurum Deus eius, ærarium templum, ſacrificium anima quam offert in ſacrificium Diabolo, vt diteſcat. Procul, procul abſit hæc auaritia ab hac celebri ciuitate, vt infamis ille titulus perpetua ſepeliatur obliuione. Auara Babylonia. Attende, attende Ro-
Rom.11. ma, quid dicat Paulus; *Si naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat, ne fortè nec tibi parcat.* Non pepercit Iudæis, qui rami erant oleę illius virides, naturales, multò minùs parcet tibi, qui ſterilis oleaſter es, per gratiam quidem inſertus, humoriſque & pinguedinis ſanctæ illius radicis factus particeps. Nouus nuper inuentus orbis Roma aliquod omen mihi facit, rei non bonæ: ſcis quid metuam? tranſmigrationem, ne fortè Eccleſia quæ quotidie apud nos decreſcit, & illic tanquam herba germinans accreſcit, inuitet Dominũ ad Sedem hanc Romanam eò transferendam & tranſplantandam. Intelligitis me? Roma, peruerſa hac curiæ tuæ vita indignam te reddes honore iſto, & non immeritò metuendum tibi eſt;
Matth.21. *Ne fortè auferatur à te Regnum Dei, & detur genti facienti fructus eius.* Iraſcitur, iraſcitur profectò Deus vobis, Romani, neceſſe itaque vt agatis pœnitentiam, veniamque & remiſſionem peccatorum veſtrorum à Deo flagitetis. Niſi tibi ignoſcat ille, Roma, quid de te fiet? Quæ enim maior in hoc mundo reperitur infelicitas, quàm Deum habere ſibi offenſum & iratum? Illi ſoli beati ſunt, qui in illius viuunt gratia, quibus ille peccata condonauit, quorum chirographum ille
Pſal.31. lacerauit, ne pœnas ab illis debitas exigat. *BEati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatũ.*] Sed tempus hîc commodum eſt ad reſpirandum: bonam partem

nem absoluimus, quiescite pauxillum, & state attenti: hic enim concionem de Pœnitentia instituere & confirmare decreui.

SECVNDA PARS.



ROPHETA Regius, Auditores, doctrinam de pœnitentia traditurus, Pape, quàm elegans facit exordium? *BEati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui Dominus non imputauit peccatum.*] Exordium profectò lætum prorsus, iucundum, poeticum & peccatorum remissione dignum, quæ quidem remissio solennissimum animæ nostræ festũ est; Natiuitas est, Pascha est, Ascensio & Pentecoste, & si quod aliud festum maioris iubili possit excogitari. In hoc festo nascitur filius Dei per gratiam, in hoc resurgit anima à morte peccati, & ab inferno ascendit in cælum, in hoc Spiritus sanctus cum omnibus donis & gratijs suis recipitur. An non itaque tractatus de pœnitentia omnem hanc mereatur lætitiam? At vox ipsa, vt verum fatear, nescio quid tragicum, austerum & mœstum sonare videtur. Vides quàm similia sunt hæc verba, *Pœnitet, tædet, pudet* licet non sono, sensu tamen & significatione. Dauid itaque vt occurrat infirmitati nostræ, tollit omnia quæ quoquo modo nostras possent aures offendere. Non ponit vocem pœnitentiæ, ne abhorreas: sed finem illius ponit, beatitudinem & peccatorum remissionem, res omnibus acceptas, & cunctis amabiles, vnã naturaliter iucundam cunctis, alteram his qui sanctæ fidei lumine illustrati sunt. O ars insignis, ars prudentis medici, qui infirmo non nisi quæ grata sunt loquitur: esto bono animo, breui conualesces, morbus curabilis est, paucos post dies sanus nobiscum in vineam ibis, ibi epulum instituemus, malum tuum non est lethale, non eget diuinis medicamentis.

Psal. 31.

Remissio peccatorũ summa est animarum nostrarum solennitas.

Non sine maximo mysterio Poëma hoc Dauidicũ secundum in illo sacro mysterio septenario psalmorum pœnitẽtialium locum ab Ecclesia obtinuit. Primus enim psalmus continua est meraque oratio, hic doctrina

Cur psalmus iste 31 secundum locum habeat inter

poenitentiales.

doctrina & eruditio. Cùm enim homo orauit, vt impetret peccatorum remissionem, necesse est vt deinde faciat quod Dauid in hoc Psalmo docuit. Quomodo in scientijs humanis primus locus tribuitur naturæ, secundus arti: sic in donis Dei, quorum non infimum est pœnitentia, etsi primus locus debeatur gratiæ, necessaria tamen est & eruditio. Hanc itaque eruditionem habemus à Dauide, quare titulus & inscriptio huius psalmi est, *ERuditio ipsi Dauid.*] In hoc enim psalmo incipiendo ab ipso fine, & theoreticè & practicè totum negotium, omnisque materia de pœnitentia Christiana tractatur. Quare & Diuus Paulus, eximius ille Doctor Ecclesiæ, principium huius psalmi allegat in materia iustificationis nostræ, quæ in se peccatorum remissionem, omnium pœnitētium, vt audistis, finē, includit. An doctiores, peritioresque Magistros in hac materia de remissione peccatorum habere potuissetis Paulo & Dauide? qui humiliter & verè ore proprio testantur, se pecatorum omnium fuisse primos, & in Ecclesia eam habent laudem & gloriam, quòd cunctis pœnitentibus exemplum sunt, regula, & norma veræ, non falsæ, nec fictæ pœnitentiæ: Docti, vbi non audiuntur nisi verba; proferātur ea quanta cum arte & pompa velis, exiguam vim habent persuadendi. huiusmodi enim oratio est quasi cęci de coloribus, & surdi de sonis disputatio. In Dauide (vt de Paulo nihil dicamus) plus habemus quàm verba: occurrunt enim primò peccata grauissima, adulterium, homicidium, proditio: quid peius potest in Regem cadere, cui subditorū honor, diuitiæ, & vita cōmissa est? sequitur deinde pœnitentia ab illo die felici, quo peccatum suum coram Nathan Propheta cōfessus est, cùm instar Leonis ad cælum vsque rugijt, nec aliud fecit quàm gemuit, suspirauit, planxit. Plus cineris quàm panis manducabat, plus lachrymarum quàm vini bibebat, & aquis istis calidis, quæ ab oculis illius defluebant, peccatorum suorum maculas coram Deo abluebat. Tandem & in illo tanta cernitur gratia, vt diuinæ Maiestati non minus quàm antea factus sit charus: adeò vt spiritum Prophetiæ receperit, factus sit pater Christi secundùm carnem, & vsque in hodiernum

Magistri remissiōis peccatorum.

De Dauide

Pœnitentia Dauidis.

ernum diem cum æterna illius laude illud dictũ Dei de eo legatur; *Inueni virum secundùm cor meum.* O Dauid, o Dauid. Quid vultis amplius? Quem non moueant viua hæc exempla de peccatis ad pœnitentiam, vt gratia Dei per peccatum amissa per pœnitentiam recuperetur? Scriptor hic non tantùm docet debere nos pœnitere, & quomodo pœnitẽdum sit; hoc enim toti Scripturæ sacræ commune est, licet peculiare sit Euangelio & Epistolis Paulinis: sed hi Dauidis Psalmi, hæc poësis, hæc lyra sancta, qua cum Dæmones eijciebat, verba illa viua, quibus seipsum excitabat, isti numeri, isti accentus, cantus & affectus illi, quibus totum scatet Psalterium, occultam quandam virtutem, energiam mirabilem, & incredibilem habent vim mouendi, accendendi, & quasi cum quadam violentia trahendi peccatorum animos ad resipiscentiam, & suorum peccatorum pœnitentiam. Videtísne per totum poëma suum, quanto cum amore, & quanta cum efficacia peccatores omnes arguit? quanta cum dulcedine illos ad pœnitentiam allicit & inuitat? quam graphicè casus peccatorum suorum, pœnitentiámque à se actam commemorat? quanto cum furore impœnitentibus & in peccatis obduratis comminatur? quanta cum prudentia & solicitudine afflictos & desperantes consolatur? quanta cum authoritate terret hypocritas, qui labijs suis Deum, corde verò mundum adorant?

Act. 13.

Vis & energia Psalmorum.

O verè beatum qui continuæ Psalmorum Dauidicorum lectioni & meditationi assuescit. Dauid, Domini mei, artis oratoriæ princeps est, & singuli psalmi singulæ sunt orationes. Centum sunt & quinquaginta orationes, tot enim tres psalmorum quinquagenæ constituunt. Sed quales orationes? orationes diuinæ, singulares, incomparabiles. Hinc, hinc Romani discite orare, persuadere, beneuolentiam captare, Deum ab infinita sua potentia, ab inperscrutabili sua sapientia, à summa sua bonitate laudare, corporales & spirituales nostras miserias narrare, aduersariorũ vestrorum Diabolorum infernalium iniquitates exaggerare, consideratione propriæ vilitatis humiliari, de peccatis vestris dolere, de proprijs viribus diffidere, de bonitate

Dauid artis oratoriæ peritissimus.

Dei nimiùm non præsumere, iusta Dei iudicia timere, ob gloriam Christi lætari & inuicē congratulari, infinitam eius charitatem admirari, ob toti humano generi præstita beneficia Deo gratias agere, Christum per semetipsum, per pretiosum eius sanguinem, per sanctissimum eius nomen obtestari, dedicare denique vos ipsos, & in perpetuum eius cultum atque obsequium offerre. Omnes isti effectus, omnes illi affectus in hoc poëmate, in hac Rhetorica Dauidica inueniuntur. Vterque titulus iste huic libro conuenit: est enim Dauid Poëta Poëtarum, & Orator Oratorum omniū: est Idea Poëtarum, Idea Oratorum. Vultis affectum amoris? *Diligam te Domine virtus mea.* Vultis affectū admirationis? *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum?* Congratulationis? *Omnes gentes plaudite manibus.* Laudationis? *Laudate Dominum de cælis.* Humilitatis? *In te Domine speraui, non confundar in æternum.* Doloris? *Vsquequo Domine obliuisceris me in finem?* Timoris? *Domine ne in furore tuo arguas me.* Indignationis in peccatores? *Quid gloriaris in malitia, qui potēs es in iniquitate?* Zeli? *Deus vltionum Dominus.* Spei? *Iudica me Domine, quia ego in innocentia mea ingressus sum, & in Domino sperans non infirmabor.* O quales orationes, quales orationes? An quia in nonnullis psalmis res nullæ petantur, ij psalmi vobis orationes non esse videantur? at oratio latissimus campus est. Non legistis in Paulo; *Orationes, postulationes, obsecrationes, gratiarū actiones?* Oratio quasi genus est, omnes has species in se concludens, in psalmis autem insunt hæc omnia. Neque volo nostras tantas diuitias in solo Dauide coarctari. Legite quamcunque Scripturæ partem volueritis, & copiosam orandi materiam, infinitasque orationum formulas inuenietis. In ea insunt insinuationes; *Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Fili, vinum non habent. Ecce ego & pater tuus dolentes quærebamus te.* In ea captatur beneuolentia; *Redemisti nos in sanguine tuo. Quære seruum tuum. Nos populus tuus & oues pascuæ tuæ.* In ea captatur attentio; *Vide Domine quoniam tribulor. Tribularer si nescirem miserationes tuas Domine.* In ea mouentur affectus; *Quare respicis contemptores, & taces? Iustus tu*

es Do-

Exempla artis oratoriæ in Psalmis.
Psal. 17.
Psal. 8.
Psal. 46.
Psal. 148.
Psal. 30.
Psal. 12.
Psal. 6.
Psal. 51.
Psal. 93.
Psal. 25.
1 Tim. 2.
Infinitæ orādi formulæ in Scripturis.
Ioan. 11.
Ioan. 2.
Luc. 2.
Apoc. 5.
Psal. 118.
Psal. 78.
Thren. 1.
Abac. 1.

es Domine, si disputem tecum. In ea sunt supplicationes, nonnunquam per modum laudis, quo vos Aulici vti consueuistis: Patrone mi, Domine mi, Benefactor mi, Protector mi. *Misericordia mea, Refugium meum, Susceptor meus, liberator meus, Adiutor meus.* O quanta inest vis huic orandi generi? Aliquando per verbum solum; *Respice, miserere, placare, attende & fac.* Quomodo & vos; Dominatio Vestra me iuuet, me defendat, me consoletur, me exaudiat, non me sinat ab alijs opprimi. Aliquando per orationes integras, sed petitiones simplices; *Verba mea auribus percipe, intellige clamorem meum. Adiuua Domine incredulitatem meam. Sana me Domine, & sanabor. Cor mundum crea in me Deus. Miserere mei quia filia mea malè à Dæmonio torquetur.* In ea sunt obsecrationes, hoc est, obtestationes per sacra mysteria, quarum summa est efficacia, quibus & nos vti solemus, vt cùm dicimus, Per animam tuam, per vitā Patris tui, sic Deus me adiuuet; per honorem tuum; vt ego sim tui nominis præco & encomiastes; confido verbis tuis. *Propter temetipsum Domine, propter nomen tuum ne des hæreditatem in opprobrium in nationes. Memento miserationum tuarū Domine, propter Abraham dilectum tuum, propter Isaac sanctum tuum, propter Iacob iustum tuum. Memor esto verbi tui seruo tuo.* Nihil hîc dicam de laudationibus, de gratiarum actionibus videtis saltem nullos inueniri affectus in mūdo, qui tamen infiniti sunt, qui non exprimuntur in hoc libro sancto, hunc in finem duntaxat scripto, vt artem orandi Deum, non homines, à Deo, non ab hominibus discamus. O liber vtilissime. Sed & Psalteriū Dauidis seminarium est omnium rerum, quomodo & Homerus omnium elegantiarum, quæ dictę erant, aut ab alijs Poëtis dicerentur. In hoc poëmate, in Dauide, in Dauide vos oblectate studiosi. Quòd si luto peccatorum fueritis immersi, ille vos extrahet, atque in viam virtutis rectam deducet: si segnes fitis, ille vos excitabit: si timidi, consolabitur: si in tentatione positi, corroborabit: si ignorantes, ille vos docebit: si irati, vos placabit: si inquieti, reddet vos tranquillos: si malo assueti, disponet vos ad meliora: si rudes & rerum diuinarum prorsus ignari, suauissimo cum odore & gustu

Hier. 12. Psal. 143. Dan. 9. Psal. 5. Mar. 9. Hier. 17. Psal. 50. Matth. 15. Ioel. 2. Dan. 3. Psal. 118.

Psalteriū seminarium est omnium rerum.

Studiū Psalterij vtilissimū.

& gustu sancti Spiritûs animam vestram sic implebit, vt omnes carnis ac mundi voluptates fastidiatis. Non auditis mirabiles illas in omni genere affectuũ energias? *Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos. Filij hominum vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit, & parauit illum. Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Reuela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet. Nónne Deo subiecta erit anima mea? Anima mea illi viuet, & semen meum ipsi seruiet.* Non est aliquis Scriptor, nec inter sanctos, nec inter profanos, qui se nouit in tot formas transmutare, vt Dauid sese in hoc libro transmutauit. Nunc infirmus est, nunc stat attonitus, nunc omni auxilio destitutus, nunc dolens, nũc angustiatus, nunc iterum respirãs, lætus, triumphans. Omnes isti affectus verè pœnitenti conueniunt. Quæ enim vera erit pœnitentia, si peccator nesciat atteri & conteri? si non in corde suo exhorrescat? si nesciat, aut non sentiat se in pessimo esse statu? si non doleat & contristetur de mala sua conditione? si non desideret omnibus modis liberari? si de seipso & de viribus suis non desperet? & in bonitate Dei per Christum confidat? si auxilium ab infinita illa misericordia non imploret? si auxilio impetrato non resurgat, se non eleuet, non confortetur, & animo grato diuinis fauoribus non cooperetur?

Psal. 33. Psal. 4. Psal. 7. Psal. 36. Psal. 61. Psal. 21.

Non est Scriptor qui in tam varias se formas trãsmutauit vt Dauid.

De vera, Christiana, Euangelica pœnitentia loquimur, Auditores. scitis quid ea sit? Res magni momẽti & ponderis est, totum requirit & inquirit hominem, totum hominem interiorem discutit, omnia scrutatur, turbat, alterat, mutat, transformat. Non audis? *Commouisti terram, & conturbasti eam: sana contritiones eius, quia mota est?* aliud est quàm medicina corporalis, diuidit corpus ab anima, animam à spiritu. Ostendit tibi infernum apertum ad te deglutiẽdum, & Dæmones fame rugientes atque paratos ad te deuorandum. Deum non tantum iratum, sed furentem, vt te perdat; tanto dolore cor tuum lancinat, vt mori videaris, & clames ac vocifereris; *Circundederunt me dolores mortis, dolores inferni circundederũt me. Non est pax ossibus*

Pœnitẽtia vera & Euangelica.

Psal. 59.

Psal. 114. Psal. 37.

ßibus meis, à facie peccatorum meorum. Agite Domini mei, mementote quòd Dauid in illo pſalmo quinquageſimo, qui iubilæum deſignat, regia fide pollicetur, ſe peccatorum ſuorum remiſſione impetrata, omnes peccatores viam pœnitentiæ docturum. *Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur.* Non poſſum Domine ſatis dignè beneficium hoc tuum mihi præſtitum celebrare, niſi hoc modo, vt vias tuas, & opera tua mirabilia, quæ in me per gratiam tuam, cum nullo meo merito operatus es, alios doceam, vt peccatores meo exemplo diſcant conuerti ad te, qui non vis mortem peccatorum, ſed vt conuertantur & viuant. Ecce quod pollicitus erat, id præſtat in hoc pſalmo. *BEati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum. Eruditio ipſi Dauid.*] Non eſt doctrina ſubtilis & difficilis, quæ non poteſt niſi à paucis apprehendi, ſed inſtar puerorum Grammaticæ eſt, quæ prima tradit elementa. Pudeat eum quicunque huius eruditionis capax non eſt. Neſcitis Paulum doctrinam de pœnitentia fundamentum rerum Chriſtianarum appellare? *Non rurſum fundamentum pœnitentiæ de operibus mortuis iacientes.* Fundamentum autem quod Dauid hîc ponit, ſolidum eſt, craſſum eſt, quod videtur & palpatur ab omnibus. Poteſt quidem diſputari prò & contrà; poteſt argui, reſponderi, paralogizari, id quod à pluribus excellentiſſimis, acutiſſimiſque ingenijs factum eſt: veritas tamen aperta eſt, vnuſquiſque probat eam, neque à quopiam poteſt, niſi ſumma cum impudētia, pertinaciaque negari. Quæ autē veritas hæc? Omnem hominem eſſe primò in hac vita mortali peccatorem: omni homini, ſit quàm velit eſſe ſanctus, opus eſſe pœnitentia; illud eſt primum fundamentum. Nemo tam beatus eſt, vt non peccet: ſed nec beatus eſt quiſpiam, quia non eſt homo qui non peccat: ille autem ſolus beatus eſt, cui peccata ſunt remiſſa. *BEati quorū remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.*] *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. Non eſt iuſtus quiſpiam. Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas Dei non eſt in nobis. Facti ſumus immundi omnes nos. Iuſtitiæ noſtræ quaſi pannus menſtruatæ.*

Poſt remiſſionem docet Dauid pœnitentiam.
Pſal. 50.
Pſal. 31.
Pœnitentia rerum Chriſtianarum eſt fundamentū.
Heb. 6.
Omnis homo eſt peccator
Rom. 3.
1 Ioan. 1.
Eſa. 64.

Matth. 9. *atæ. Non veni vocare iustos, sed peccatores. Christus venit*
1 Tim. 1. *in mundum peccatores saluos facere.* Omnia hæc voluit dicere Dauid, imò Spiritus sanctus per os Dauidis.

ERuditio, eruditio.] Qui nescit hoc, nescit Christũ esse mortuum, nescit cur prædicetur Euangelium, nescit cur Deus legem dederit, nescit cur simus mortales, nescit cur tot simus obnoxij miserijs Lex data fuit ad refrenandum pecatores, Euangelium annuntiatur vt homines ad peccatorum suorum pœnitentiam pertrahantur. Christus non fuisset crucifixus, si nos iusti fuissemus. Adam non esset mortuus, si non peccasset. nullus nostrûm esset miser, si in statu innocentiæ perseuerassemus. Quid dicam amplius? aufer ab homine peccatum, auferes mortem: tolle peccati cognitionem, & tolles vitam. Quia peccatores sumus, ideo mortales sumus; quia peccatũ agnoscimus, ideo resurrectionem ad vitam speramus. Nec Christus, nec Euangelium quicquam tibi proderit, si te sanctum existimaueris. *ERuditio ipsi Dauid.*] O quanta eruditio Dauid? ipse prior hanc apprehendit, postea docuit & alios. Non recordaris primum verbum, quo ille persuasit Deo, vt peccatum suum sibi condonaret, fuisse; *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.* Hinc, ni fallor Docti, Ecclesia sancta laudabilem illũ ritum desumpsit, vt in publicis supplicationibus, quæ Græca voce Litaniç vocantur, cùm Deũ per sacra sua mysteria obtestata est, vt peccata sua remittat, tandem, vt eum planè cõuincat, ita vt hanc peccatorum remissionem sibi negare non possit, cognitionem sui subiungat, dicens; *Peccatores te rogamus audi nos. Vt nobis parcas, te rogamus audi nos.* tanquam ea quæ à Spiritu sancto edocta & erudita, non obliuiscitur ironiæ Christi in Pharisæos cùm diceret; Se non venisse, vt saluaret iustos. Quibus verbis significare voluit, se non venisse ad saluandum eos, qui proprio iudicio iusti erant: sed hos qui se peccatores confitebantur: & qui non arbitrabantur se meliores esse ceteris hominibus, (more illius Pharisæi) sed inter alios homines natos sese in peccatis, & in peccatis viuere fatentur. Similis fortassis ironia fuit & illa; *Non est opus valentibus medico, sed malè habẽtibus.* Quasi diceret;

[Margin notes: Cur Lex data, cur Euãgeliũ prædicatum. — Psal. 50. — Vnde nata cõsuetudo in Ecclesia vt in Litanijs dicatur, Te rogamus audi nos. — Matth. 9.]

diceret; Vos secundùm iudicium vestrum sani estis; morbos peccatorum vestrorum non sentitis, sine me viuere potestis, mea medicina vobis opus nō est. *Pauperes, pauperes euangelizantur*, Docti. Qui autem pauperes illi, nisi hi, qui se verè pauperes agnoscunt, qui sciunt se peccatores esse, qui nullam sibi iustitiā, nullam vitæ adscribunt sanctimoniam. Idcirco sentientes suas miserias, non cum istis ieiunijs ab Ecclesia præceptis, non cum istis tantùm orationibus à Confessario iniunctis, non cum istis tantummodo Missis, quæ sæpe ab hominibus sine vllo gustu & spiritu deuotionis audiuntur, ideoque videntur longissimæ, quantumuis sint breues; non cum lachrymis simulatis & fictis, nam & hypocritæ Matth. 11.

Vt flerent oculos erudiere suos;

non laceris, sordidis & asperis vestimentis, quæ foris humilitatem & contemptum suijpsius ostentant; sed animo planè sincero, cum deuotione generosa, cum ieiunijs & orationibus frequentissimis, voluntarijs & spirituali gaudio plenis, cum confessione sancta, cum corde omnino contrito, cum spiritu humiliato, cum gemitibus internis, cum seuera vitæ emendatione, cum confessione pura, & ad aures Sacerdotis integra, cum satisfactione suorum peccatorum publica & priuata, nil aliud agunt, quàm remissionem suorum peccatorum precibus à Deo contendunt; vt ipse peccatorum oblitus, mentes eorum abluat, oculos misericordiæ in illos conuertat. In huiusmodi hominibus sanguis Christi fructum facit; istis Euangelium prædicatur, istis lætum nuncium annuntiatur, peccatorum scilicet remissio. O bonum Euangelium, o lætum nuncium. *BEati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum.*] Lætiora non possunt homini mortali annuntiari. Beatitudo illa quæ primo psalmo annuntiatur; *Beatus vir qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.* melior quidem est hac, sed nemo dignus est illa, nisi solus Christus, qui propterea dicit; *In capite libri scriptum est de me.* Christus solus est, Docti, qui non abijt in consilio impiorum per superbiam, neque stetis

Psal. 1. Beatitudo primi Psal. Dauidis soli Christo conuenit. Psal. 39.

tit in via communium peccatorum per concupiſcentiam, neque ſedit in cathedra peſtilentiæ per auaritiam, peſtem totum mundum inficientem. Chriſtus ille beatus eſt, & quidem ſolus eſt, qui non participat peruerſum illud conſilium Adami & Euæ, vnde natum eſt illud peccatū originale; neque cum alijs hominibus communibus ſtetit in peccatis venialibus; neque cum iiſdem ſedit in peccatis mortalibus. Chriſtus ſolus eſt ille beatus, qui in conſilio peccatorū non abijt cogitando; nec cum peccatoribus ſtetit ſe delectando; nec in cathedra peſtilentiæ ſedit peccata docendo. Optimè dictum eſt à Paulo, Adamum formulam eſſe cum Chriſto ex diametro pugnantem. Adamus primus fuit qui abijt in cōſilio impiorum, quando ab obedientia Dei recedens, pactum inter Diabolum & Euam de fructu vetito comedendi initum ſecutus eſt: ſtetit in via peccatorū, quam ipſe prior aperuit, & tam latam patentemque omnibus ſtrauit, tūc, cùm accepto pomo delectatus eſt, & ex eo manducauit. Sedit denique in cathedra peſtilentiæ, quando ſe coram Deo purgare voluit, & peccatum ſuum confiteri noluit; ſed quod peius eſt, Deum ipſum accuſauit, vt ſe excuſaret, dicens; *Mulier quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno & comedi.* Ego Domine fructum hunc non ſumpſiſſem, ſed illa quam mihi dediſti ſociam, illa mihi dedit; culpa in te, non in me eſt. ſi tu mihi non dediſſes illam, certè non peccaſſem. Nolo ego iam dicere, ô homo factioſe; nos enim omnes eius ſumus filij, & qualis qualis eſt, communis noſter Pater eſt: ſed dicam; ô Senex ſancte, tunc ſanctus non eras, ſanctitas quam habebas à Deo erat, non à te; peccatum quod perpetraſti, id totū tuum eſt. A te itaque, & per te miſer factus es, qui à Deo, & per Deum ſemper fuiſſes beatus. Chriſtus itaque econtrariò ſemper fuit beatus, ſemper ab omni peccato alienus: ideoque nos qui in miſerijs Adami naſcimur, pleni peccatis ſumus priùs quàm aura vitali fruimur, quia ab illo antiquo peccato nouæ iſtæ naſcuntur miſeriæ. O quæ eruditio, quæ eruditio?

Adam cōtrarius Chriſto.

Geneſ. 3.

BEati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.] Varij ſunt beatorum gradus, etiam inter

nos. *Beatus vir qui timet Dominum. Beati qui ambulant in lege Domini. Beati qui scrutantur testimonia eius. Beati mundo corde. Beati qui lugent.* At hæc inter omnes beatitudines est differentia, quòd reliquæ pertinent ad virtutes & dona, hæc ad remissionem peccatorum; qui non priùs hunc gradum ascendit, frustra laborat, si ad altiora velit contendere. *ERuditio, eruditio.*] Audistis vnquam eruditionem tam facilem & perspicuam? *BEati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.*] Stoici suum fingebant Sapientem vt insensibilem, ita impeccabilem, vt sic loquar, ab omnibus affectibus, quos Græci τὰ πάθη, morbos & perturbationes animi appellant, alienum: dicebant & eundem alienum ab omni peccato, quem iccirco duobus illis epithetis nobilitarunt, ἀπαθὴς καὶ ἀναμάρτητος. Sed quis nostrum est, qui non videt meram hanc esse insaniam? Quantum enim ad affectus, ex homine faciunt statuam, ex homine carneo saxeum: quantum ad peccatum, faciunt ex homine Angelum, ne dicam Deum. Non enim ignorare vos puto sententiam illam Ciceronis, ex eorum doctrina desumptam; *Sapientem nihil opinari, nullius rei pœnitere, nulla in re falli, sententiam mutare nunquam.* Quid? an non homo iste Stoicus Deus potiùs, quàm homo esse videatur? Quis est homo quantumuis sanctus, vt verum fateamur, (cõmuniter loquor Docti) qui licet in aliqua re per gratiam Christi possit gloriari, se innocentem esse, & sine peccato, vt Dauid olim fecit in causa Saulis, & Ezechias quoad veram vnius Dei fidem, & aduersus omnem idolorum cultũ, vocatus tamen ad tribunal Dei, quod fiet in vniuersali illo iudicio, auderet dicere Deo iudici, qui secretissima quæque intuetur, & non secũdùm nostram iudicat hypocrisin; Ecce Domine adsum, mundus sum & purus in omnibus, nunquam te offendi? Excepto vno illo peccato originali, nullius peccati reus sum, cur aliquo modo æternæ mortis sim debitor? Quære, require & inquire quàm diligentissimè, non inuenies in me vel minimam mortalis peccati maculam. Vnicum solummodo Pharisæum agnosco, qui iudice Deo fuit reprobatus, eò quòd gloriabatur se non esse sicut homines alij; *Gratias tibi ago Domine,*

Varij gradus beatitudinis. Psal. 111. Psal. 118. Matth 5.

Stoicorũ insania.

Nemo potest dicere se purum & sine peccato.

Luc. 18.

mine, quia non sum sicut ceteri homines. Et tamen si eius
testimoniū apud vos valeat, ipso solo excepto, omnes
alij homines peccatis mortalibus sunt obnoxij, adul-
teri sunt, iniusti sunt, fures sunt. *Non sum sicut ceteri*
homines, raptores, adulteri, iniusti. Confiteamur, con-
Quotquot viuunt post baptismum, debent se confiteri peccatores. fiteamur nos omnes esse peccatores, quotquot ali-
quamdiu à baptismate viximus; etiam pueri & puel-
læ, senes & vetulæ, quorum vita à plerisque putatur
innocens & sancta; & certè innocētes illi sunt & san-
cti, si cum alijs hominibus conferantur, absolutè ta-
men loquendo, pueritia quantumuis tenera, etiam se-
ptem non maior annis, & senectus decrepita, quan-
tumuis matura, suis obnoxia est peccatis, suis carna-
libus desiderijs, suis inhonestis amoribus, suis mali-
gnis odijs, suis mundanis nō caret timoribus. Quam-
obrem gloriosus ille Doctor Augustinus, dum pecca-
ta sua confitetur in opusculo, cui ex illa confessione
nomen dedit, tam subtiliter & exactè per singulas æta-
tes suas peccata, quæ in singulis hominibus inueniun-
tur, inquirit & detegit. Sed & Ecclesia sancta nun-
quam secura est de homine moriente, quam mundus
sit ab omni peccato: sed moriatur quicunque velit, il-
la, tanquam communis mater omnium, orat suo mo-
Psal. 142. re & dicit; *Non intres in iudicium cum seruo tuo Domi-*
ne, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.
Quinetiā in omnibus pro defunctis officijs sacris, tam
particularibus, quàm vniuersalibus, nulla illi oratio
Psal. 129. familiarior est hac, *Si iniquitates obseruaueris Domine,*
Domine quis sustinebit? constat tamen vocem hāc ini-
quitates, ἀνομίαν Græcè peccatum mortale, non veniale
significare.

Dicamus itaque, dicamus omnes; *BEati quorum re-*
missæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.] Vo-
lis nolis, si homo sis, peccator es. *Vitijs nemo sine nasci-*
Horatius. *tur*, inquit Horatius. *Optimus ille est qui minimis vrge-*
tur. Quis scit si peccatum originale insinuet? Flam-
Per baptismū exstinguitur peccatū originale, sed adhuc fumat. ma quidem hæc in sancto Baptismate extinguitur,
fumat nihilominus, & suo modo calefacit, & hi sunt
praui illi affectus, ô Stoici, (si fortè hic aliqui præsen-
tes sint) quos non expedit tolli, sed vt moderentur &
coërceantur; quod & inter Philosophos Peripatetici
docue

docuerunt: Sed quia nolumus eos temperare, & in officio continere, ferè fit, vt ex paruo illo fumo magnũ excitetur miseras animas nostras grauiter adurens incendium. Fingite serpentē aliquem, Auditores, cuius caput in sanctis Christi aquis planè comminutum est, iuxta metaphoram illam Dauidicam: *Tu confregisti capita draconum, tu contribulasti capita Draconũ in aquis:* habet ille nihilominus caudã, in quo motus aliquis, & quasi exigua pars vitæ inest. Serpens hic originale peccatum est, Christiani, quod quantum ad fomitem & materiam peccatorum, titillat nos, semperque ad malum solicitat. quòd si non aduigilemus, paulatim à terra sursum sese erigit. Ecce primos motus. Hoc modo magis magisque insolescens caro, & aduersus spiritum præualens, impellit nos ad ea quæ non volumus, & præter opinionem nos in mortem præcipitat, neque excusat hic casus inopinatus. Quare vt tandem hanc materiam concludamus, cùm in hoc mundo nemo absque peccatis viuat; soli beati sunt illi, *quorum remissæ sunt iniquitates:* beati non sunt, nisi illi, *quorum tecta sunt peccata.* non est beatus nisi ille, *cui Dominus non imputauit peccatum.*]

Psal.73.

Peccatum originale.

Ah alma mea Roma, quàm bene tibi consuleres, si aut semper, aut frequenter ad Aulam, ad Palatium, ad Cancellariam accedens, meditareris, & in temetipsa ruminares sanctam & vtilem hanc Dauidis eruditionem, atque instar apis ex his floribus mel & fauũ colligeres, quibus animam tuam nutrire posses. Ecce ecce succus Roma; vna sola res te potest facere miseram, peccatum scilicet: & vna vicissim reddere beatam, esse absque peccato. Quid non somniarunt Poetæ & Philosophi, homines huius seculi, vt beati efficerentur? Sed fabulæ sunt, nugæ sunt omnia illorum commenta; Vnum tantùm est necessarium, vt remittantur tibi peccata. Habeas licet omnem felicitatem, quæ potest ab hominibus huius seculi desiderari, & non habeas hanc, non tantùm non eris beatus, sed omni plenus miseria: sin autem nullam habeas præter hanc, eris tamen felicissimus. Quid enim est in peccato viuere, nisi absque Deo viuere? Quomodo potes non esse miser, si Deum non habeas? Et si beatum

Admonitio ad Romanos.

Succus eruditionis Dauid.

esse sit omne bonum possidere absque vllo malo, qui Deum habet, an non beatus sit? At quomodo Deum habere poteris, si peccato sis obnoxius? si peccatum tibi non sit remissum si in statu peccatorum viuas? Fugite, fugite peccatum Christiani, cùm manifestè videatis illud vobis Deum subtrahere, beatitudine vos spoliare, & omni implere miseria. Non potest aliqua conditio miserior excogitari ea, quæ est peccatorum & peccatricum. Et quæ maior miseria, quàm Deo exosum esse? gratia Dei excidisse, vmbra illius, beneuolentia illius, & protectione illius priuatum esse? Quid non facitis vos vt in amicitiam Principis, Regis, aut Pontificis alicuius vos insinuetis? omnia sursum deorsum vertitis, fauorem domesticorum & amicorum captatis, beatos vos esse putatis, si quando benignè vos ille intueatur. quòd si semel faciem à vobis auertat; heu, quanta est animi consternatio? desperatis, infelicissimos vos esse arbitramini: inquiritis vndequaque causam huius mutationis, si fortè quis honori tuo detraxerit. An quis me falsò apud illum traduxerit? fortè prior illum hodie non salutaui, ideoque mihi est offensior. O miseri, de gratia Dei nulla vobis cura est? Cùm tamen in gratia Dei esse principium sit omnis boni: gratia verò Dei destitui, extrema omnium ruina censeatur & sit. Non quidem malè te tractat Deus, alienũ enim hoc ab illo est, qui totus bonus est; sed eius non benefacere, est malè facere, eius non iuuare, est perdere. Audite, audite peccatores & peccatrices. Habemus nos sequentem & obseruantem leonem famelicum, qui circumit vt nos capiat ac deprędetur: si ad nos propiùs accesserit, & nos illũ fugere voluerimus, ecce ignis ardet ante nos, nec est ad salutẽ nobis refugiũ: si pedem retrahere, ecce fluuius ingẽs, quem si tranare conemur, necessariò mergimur. An non hic status noster sit? Leo est Diabolus infernalis; *Tanquam Leo rugiens circuit, quærens quem deuoret*. Ignis intrinsecum est nostræ carnis incendium. *Quis continebit ignem in sinu suo, & non comburet?* Fluuius magnus est mundi malignitas. *Saluum me fac Domine, quia intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.* O nos miseros absque Deo, & quis erit exitus? Sed & diluci-

Nõ est status miserior statu peccatoris.

Angustię magnæ peccatorum.

1 Pet. 5.

Prou. 6.

Psal. 68.

lucidiùs hæc dicam, attendite. Nauis abſque nauclero victa tempeſtatis impetu, fracto & amiſſo gubernaculo, iactatúrne variè, nunc huc, nunc illuc impulſa, & ſcopulis illiſa tandem frangitur & ſubmergitur? Equus efferus currens abſque freno, an non tandem cadat & moriatur? Infirmus phreneticus, in quo nec ratio viget, nec ſenſus, ſed ſolus furor dominatur, relictus à medico, an non tandem miſerè pereat? Roma, cùm nauis noſtra non regatur ab illo prudenti nauta, qui nouit omnia vitare pericula; quādo equus noſter indomitus & fallax freno ſancti illius equiſonis non gubernatur; quando anima noſtra infirma in eam phreneſin eſt prolapſa, vt peccata relinquere non velit, vt ſuo modo velit viuere, pœnitentiam deteſtetur, medicum non audiat, à medicamentis abhorreat, heu quis tūc illi medebitur? Non immeritò Chriſtus Saluator noſter peccata nominauit debita. *Duo debitores erant cuidam fœneratori. Dimitte nobis debita noſtra. Omne debitum dimiſi tibi.* Nimis exactè, idque magno veſtro incommodo didiciſtis Aulici, quid ſit debere aliquid nummularijs: non enim ſatis eſt ſortem ſeu ſummam reſtituere, ſed & vſuram oportet addere, quæ non rarò ipſa ſorte maior eſt. Animæ mihi chariſſimæ, ſi non ſtatim primum debitum ſolueritis, ſi non confeſtim pro primo peccato pœnitentiam egeritis, in mille alia mox incidetis. Non tanta eſt illa catena aurea, quam fingunt Philoſophi, quanta eſt hæc peccatorum. quod experimur in nobis ipſis vno peccato poſt ſe trahente aliud, atque hoc tertium, tertio quartum, & ſic in infinitum. Hoc modo ab orificio putei infernalis deſcendimus vſque ad medium, à medio ad fundum, à fundo ad fundū fundi: neque hoc ipſum animaduertimus, aut ſentimus. Quid aliud dicere voluit Propheta, cùm de Chriſto noſtro verba faciens, *Ex vſuris*, ait, *& iniquitate redimet animas eorum?* Hæ ſunt vſuræ quas exercet exactor ille noſter Diabolus; quia poſtquam aliquamdiu in peccatorum cœno immerſi permanemus, facit vt omnis in nobis extinguatur deuotio, vt memoria diuinorum præceptorum nobis excidat; Eccleſiæ, Sacramentorumque rationem non habeamus, neque

Luc. 7.
Matth. 6.
Matth. 18.

Cùm primū peccatū non ſtatim eluitur, incidimus ſtatim in mille alia.

Pſal. 71.

Deum adoremus, neque Sanctos colamus, de cælo aut inferno non cogitemus, animarum immortalitatem non credamus, mundum casu regi arbitremur, non esse alium Deum præter nosipsos, & nostrum iudicium, ad nutum nostrum omnia gubernari cupiamus. Hoc modo à malo ad peius prolabimur, semper in vita nostra impia perseuerantes, patientia Dei abutentes, leges eius contemnentes, amorem illius erga nos non considerantes, credentes illius dissimulare esse quoddam non videre, putantes aut Deum non esse aut eum hæc inferiora non curare. O nos miseros, nos miseros. Scitis quid Deus propter nimiam nostram ingratitudinem iratus, & propter impietatem nostram indignatus nunc nobis moliatur? Laxat habenas, remittit frenum, & nostro nos arbitrio relinquit. Voluistis ipsi Dij esse, estote, nulla mihi deinceps erit vobiscum participatio, quia ope & auxilio meo non indigetis. Eminus stabo & videbo, quid tanta vestra potentia & sapientia poterit, in qua tan-

Ezech.23. topere gloriamini. Non legisti Roma, *Oblitus es Dei*
1 Reg.15. *tui, & ego obliuiscar tui? Proiecisti me, ego & proijciam*
te? Dereliquistis Dominũ Deum vestrũ, & Dominus dere-
Osee 1. *linquet vos? Vos non populus meus, & ego non ero vester*
Psal.108. *Deus? Noluit benedictionem, & elongabitur ab eo?* O tri-

Malum est non minimũ cùm nos Deus destituit sua gratia.

stis denunciatio Christiane, cùm Deus te derelinquit, teque sua gratia planè spoliat; præceps de peccato in peccatum ruis, tanto cum impetu, vt totus te mundus non retineat. Potest quidem pro te orare, possunt pro te dari eleemosynæ, fundi orationes, indici ieiunia, sed nihil tibi poterit prodesse. Audi quid Deus Samu-

1 Reg.16. eli dixerit in simili casu Saulis; *Quid oras pro Saul, cùm ego abiecerim illum?* Audi quid dicat de Iudaismo:
Hier.15. *Si steterint Moyses & Samuel coram me, nõ est anima mea*
Heb.12. *ad populum istum.* Et Paulus de Esau; *Non inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis inquisisset eam.*
1 Ioan.5. Ecce quid afferat consobrinus Christi: *Est peccatum ad mortem, non pro eo dico vt roget quis.* Et apertius his
Eccles 7. Salomon; *Considera & vide opera Dei, quia nemo potest corrigere, quem ille despexerit.*

Iudæa, qua de re querereris? Deus tibi tantam lucem accendit, per Prophetas, per seipsum, per Apostolos

los tanta in te operatus est miracula, vt si describerentur, totus mundus libros non caperet, & tu tantis fauoribus, tantis gratijs, ingrata, semper illi reluctata es: si itaque posthac exigēte id culpa tua lumen quod priùs tibi ex misericordia dederat, subtraxerit, vt cæca in intellectu legas Prophetas, & non intelligas; in Moysen intendas, & eum non videas; Christum videas, & nō cognoscas; quæ te defendet excusatio? imò quam non querelam iustissimam habet Christus in te? Disce Christiane: in magna catena si tollas primū annulum, dissoluis totā connexionem: omnes enim annuli reliqui ab illo primo dependent. Gratia Dei primus ille annulus est, à quo omniū aliarum rerum, per quas saluaris, ordo dependet. Cùm itaque gratiam Dei amittis, totus dissolueris. Per peccatū autem gratiam amittis. cùm itaque peccatis es obnoxius, in præcipitium ruis, nec est, qui te poterit retinere. amisisti namque basin & fundamentum, vehementerque metuendum est, ne æternùm pereas. Non aufert à te vires tuas Deus; non, sed subtrahit lùcem suam, calorem suum tibi negat, & fortitudinem suam tibi nō largitur. Dicam breuiùs. Non aufert à te quod habes, sed non dat quod non habes: non te exuit, sed nec induit. Culpa tua denudaris illius gratia, nudum te relinquit, & sapientia tua vltro in stultitiam degenerat, potentia tua debilitatur, & voluntas tua infirmatur: ita vt non velit nisi tepidissimè, imò velit, & non velit, nec ad aliquam possit emergere perfectionem. *Velle adiacet mihi, perfice e non inuenio.* Non audis Paulum? Ad pœnitentiam, ad pœnitentiam itaque Christiani, vt gratiam Dei consequamini ad remissionem peccatorum impetrandam, vt olim fecerunt Niniuitæ.

A gratia Dei tota nostra salus dependet.

Rom. 7.

BEati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.] Beata Niniue, cui non imputauit Dominus peccatū. Hæc est illa aqua viua, ad quam Christus hodie omnes homines inuitat. *SI quis sitit, veniat ad me & bibat.*] O fons vitalis; venite, venite omnes. *Et haurite aquas de fontibus Saluatoris.* De primo illius fonte bibistis in baptismate; venite & bibite nunc de altero, qui est Sacramentum pœnitentiæ. *Omnes sitientes venite ad aquas.* Qui non sitit, non veniat: qui se

Ioan. 7.

Esa. 12.

Vocatio ad pœnitentiā.

Esa. 55.

peccatorem non agnoſcit, huic opus non eſt pœnitentia. Vnuſquiſque igitur inquirat quid ſibi ſit neceſſarium: ſentite veſtros defectus, agnoſcite humidū radicale baptiſmalis regenerationis, quod à ſancta matre Eccleſia, cùm vos filios Dei genuit, accepiſtis, magna ex parte arefactum & exſiccatum eſſe. Et quia omnibus vobis neceſſe eſt bibere, (Sitis enim appetitus eſt humidi & frigidi) venite ad hāc aquā recentē, & recreate vos, ad hāc aquā humidā, & humectate vos; contra calorem concupiſcentiæ, ſiccitatēque ſuperbiæ vos refrigerate, & irrigate. Ex his enim duobus peccatis naſcuntur omnia reliqua. O beatum illum, qui ex hac

Ioan.7. aqua ſancta biberit. *FLumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*, dicit Chriſtus in ſecula benedictus. *Hoc autem dicebat de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eum,* inquit Ioannes. Spiritus ſpiritum, Romani: ſpiritus noſter accipit ſpiritum diuinum: & ſpiritus diuinus ſanctificat ſpiritum noſtrum. Peccata in anima ſunt, & in ſpiritu: atque in animam ſpiritumque aqua hæc viua ſancti Spiritûs infunditur, atque ita omne

Pſal.31. peccatum è ſpiritu noſtro expellitur. *Nec eſt in ſpiritu eius dolus*; inquit Dauid. Cauete vobis Chriſtiani ab hypocriſi; pœnitentia hypocritarum abominatio

Luc.16. eſt coram Deo. *Quod altum eſt hominibus, abominatio eſt apud Deum*, inquit Chriſtus. Eſtote ſinceri, puri, non ficti. Qui baptizatur ficte & ſimulatè, non accipit gratiam: qui ſimulatè confitetur, non abſoluitur in foro Dei, à profundo inferni abſorbetur. O quæ confeſſio, imò confuſio. Diſcite, diſcite à Phariſæo, quàm malè audiat à Chriſto, quàm confuſus rediit à conſpectu Dei. Nemo veſtrum ſibi aliquam ſanctimoniam arro-

Prou.16. 18. get, illud enim initium ruinæ eſt. *Ante ruinam exaltatur cor.* Non potes vel minimùm in teipſo gloriari, &

Oſee 13. Dei non obliuiſci. *Eleuauerunt cor ſuum, & obliti ſunt*

Ezech.23. *mei*, dicit Dominus. Sed & hoc adde; *Oblitus es mei, & ego obliuiſcar tui.* Quòd ſi cui veſtrum ſupernaturali lumine reueletur, ſe bonum & abſque peccato eſſe, magis humilietur quàm ſolet antea, & vereatur ne Diabolus ipſum illudat. Nemo iudex eſſe poteſt & teſtis

Conſcientiæ noſtræ ſunt teſtes vitæ noſtræ. in cauſa propria. Conſcientiæ noſtræ teſtes ſunt vitæ noſtræ, Romani, ſiue ea bona ſit, ſiue mala; dicente

Paulo:

Paulo; *Testimoniũ illis reddente conscientia eorum.* Ideo non possunt esse iudices. *Qui autem me iudicat, Dominus est, Dominus est*, ait idem Paulus. Iccirco de hac materia differens inquit; *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Si tamen iudiciũ de vobis ipsi ferre debeatis, sit illud potiùs cõdemnationis, quàm absolutionis. Qui suo iudicio absoluitur, Dei iudicio condemnatur: & qui suo se dãnat, Dei absoluitur. *DIxi, Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.*] Imitamini, imitamini Publicanum, qui tam humiliter seipsum accusauit; Ne oculos quidem in cælum attollit, indignum se arbitratur, qui patriam illam cælestem intueatur, à qua propter peccatum exulabat, & instar filij prodigi errans peregrinabatur. Non audebat aulam illam triumphantem contemplari, quam toties mala vitá sua offenderat. Verebatur ne summum illũ Monarcham qui in cælis habitat, nouo peccato irritaret, si vultum non deijceret in terram, qui semper illi magnæ Maiestati rebellis vixerat. O humilitas verè Christiana, homine digna Euangelico. Percutit pectus suum, vnde peccata illa sua profluxerant: non accusat cælum, non fatum, non stellas, non præscientiam, non fortunam, non sortem, non Adamum aut Euam; sed accusat semetipsum. Ego peccaui, ego malum feci, ego sum ille peccator, ego ille ingratus, ego morte dignus. *Deus propitius esto mihi peccatori.* O sancta oratio, digna quæ à Deo exaudiatur. Duo verba sunt Roma, *mihi peccatori. Mihi*, hoc tuum est Domine, inquit Publicanus; *peccatori*, hoc meum est. Tu me creasti, tu quicquid sum cõdidisti, sed ego me peccatorem feci, atque igitur non sum. Factus sum per peccatum nihil, in nihilum propter iniquitates meas redactus sum. Non eram peccator cùm tu me creasti, eram totus innocens; deficiens à te, tibiq́ue factus inobediens, mille vitijs sum coinquinatus. *Deus propitius esto mihi peccatori.* Si quid conseruassem quod tuum est, non esset iam necesse remissionem petere. Sed si aspiciam quod meũ est, heu nimis indignus sum vt tu mihi ignoscas. Coniungo quod meum est, cum eo quod tuum est; antepono tuum meo, propter id quod tuum est,

Rom. 2.
1 Cor. 4.
Ibidem.
Psal. 31.
Debet homo seipsum accusare sicut Publicanus.
Luc. 18.
Oratio sanct. publicani.

ignosce meo, & ne patiare vt propter meum pereat tuum.

Deus propitius esto mihi peccatori. Domine, non tantùm peccanti; non enim peccaui solùmodo, sed peccator sum, magister in arte peccandi sum. Non tam expertus reperitur in arte pingendi aut sculpendi magister & artifex, quam in arte peccandi peccator est. Ah *Domine propitius esto mihi peccatori.* Si peccans tantùm essem, sufficeret mihi semel condonasse: sed peccator sum Domine, oportet vt artē ipsam, peruersum illum habitum semper peccandi à me auferas. Non possum aliud agere quàm peccare. Nisi tu me artem tuam bene operandi, mihi inusitatam, doceas, quę me reparet ac restauret, peccabo semper. Reforma hoc cor meum, illumina intellectum meum, voluntatem meam corrige & emenda.

Deus propitius esto mihi peccatori. Pro me & pro peccatis meis Domine gratiam supplex peto: serua me qui tuus sum, sana peccata quæ mea sunt, vt animam quæ tua est non interficiant. Ego peccator nunquam non opera tua destruo; si ego peccator mansero, non remanebit vnquam in me quod manus tuæ fecerunt. vt igitur maneant opera tua, dele peccata mea. *Deus propitius esto mihi peccatori.* Quod ego facturæ tuæ addidi, æterno dignum est supplicio sed id quod tu ex nihilo creasti, te quæso ad pietatem moueat, vt opera mea peruersa deleas. Te ergo inuoco verum & viuum Deum meum, te precor, tibi supplico, te obtestor, benignè, vt soles, orationem meam exaudi. Ecce Domine homo sum, & quidem homo ad tuam factus imaginem, custoditus ab Angelis, exercitatus à Dæmonibus, aptus Deificari, cælum possidere, quo nobilius opus nunquam condidisti. Sed & ecce peccator sum, imaginem tuam corrupi, Angelos cōtristaui, Dæmones exhilaraui, gratiam tuam amisi, & nisi me iuues, breui quoque amittā & gloriam. Ad te itaque mente eleuata, & in terrā capite demisso clamo; te quàm supplex possum oro; *Propitius esto mihi peccatori.* Tu Deus

Psal. 94. es infinitę potentiæ. *Deus magnus Dominus, & Rex magnus super omnes Deos.* Vt hanc omnipotentiam ostendas;

Sap. 11. *Propitius esto mihi peccatori. Misereris enim omnium,* quia

quia potes omnia, dißimulans peccata hominum propter pœnitentiam. Tu es Deus summæ veritatis, qui mentiri aut fallere non potes. *Non est Deus vt homo, vt mētiatur.* Ostende hoc Domine in me. *In veritate tua exaudi me,* quia promisisti te daturum remissionem peccatorum omni pœnitenti. *Propitius esto mihi peccatori.* Tu Deus es summæ charitatis. *Deus charitas est;* da vt hūc tuum amorem experiar. Qui parcis omnibus. Qui amas omnia; *Propitius esto mihi peccatori.* Tu es Deus & pater omnis pietatis atque misericordiæ; *Misericordia Domini plena est terra.* O Domine mihi soli fons misericordiæ erit exsiccatus? Mihi soli Sol non lucebit? mihi soli ignis non ardebit? mihi soli gratiæ tuę negabuntur? mihi soli non fluent ingentis illius fluminis, quod cælum & terram inundat, riuuli? *Deus propitius esto mihi peccatori. Miserere mei secundùm magnam misericordiam tuam.* Si peccauero vnde me possis meritò damnare: en me nunc peccatorum meorum pœnitet, vnde me pro tua misericordia potes saluare.

Num. 23.
Psal. 142.
1 Ioan. 4.
Psal. 32.
Psal. 50.

O efficax oratio, ô oratio humilis. *Oratio humiliantis se penetrat nubes, penenetrat nubes.* Audite effectum Romani. *Et descendit hic iustificatus ab illo in domum suam. Quia omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.* Videte quàm turpem exitum habeat superbia, & quàm gloriosum humilitas. Hæ duę radices sunt Romani; superbia radix est peccati, humilitas pœnitentiæ. Peccare non potest, qui non est superbus; non faciet vnquam pœnitentiam, qui non est humilis. Respiremus Auditores, deinde progrediamur.

Eccli 35.
Radix pœnitentiæ est humilitas.

TERTIA PARS.



ET peruenit verbum ad Regem Niniue, & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum, & indutus est sacco, & sedit in cinere.] Verba sunt Epistolæ hodiernæ. Hic duo sese offerunt Domini, præclara sanè, quæ celare nolo: quia sermo est de Rege; & certè cùm me verto, & tot purpureas vestes conspicio, videor mihi esse in pleno Regis alicuius Senatu, præter tot viros

doctos,

doctos, qui præsentes hîc adsunt, quos cum laude & reuerentia nominarem, si aurium eorum modestia id ferre posset. hi mihi semper loco Regum fuerunt. Nec mirum. an non & mundus Demosthenes, Cicerones, Platones, Xenophontes, Theophrastos, omnesque similes Oratores & Philosophos celebriores vt Reges coluit, quorum præcepta non tanquam hominum doctrinam, sed vt oracula Deorum secutus est?

Prædicatio verbi Dei mouet hominũ corda ad pœnitentiam.

Agite igitur, primum quod docet Propheta est, prædicationem verbi Dei mouere corda hominum ad pœnitentiam. Neque Niniuitarum Rex, neque populus vnquam ad tantorum scelerum suorum agnitionem venisset, nisi prædicatione Prophetæ puncti & exstimulati fuissent. ille enim foris vt tuba terribilis clangens, intus eorũ corda perculsit, & quasi gladio ancipiti verbi Dei terruit. O quàm vtiles, imo quàm necessarij sunt diuini verbi præcones, præsertia hoc nostro seculo, Christiani? Meministis Christum misisse ante se Apostolos, vt essent quasi mensores in omni loco, ad quem ille venturus erat. Ecce hoc officium est omnium cõcionatorum. Non est capax homo ille Christi in hoc Paschate, nec dignus vt eum sub tectum suum excipiat, qui non priùs frequentat conciones, vt se præparet, vt discat quid sibi sit faciendum, vt sine peccato mortali communicet. Cur enim & D. Ioannes Baptista ante faciem Christi præmissus est, nisi vt viam illius gratiæ sterneret atque aperiret? Quare & horribili sua voce intonuit, qua desertum concussit, & viperas etiã sibi obedire coegit.

Concionatores sunt mensores Christi.

Matth. 3.

Parate viam Domino, rectas facite semitas eius. Immortales age Deo gratias ô Roma, qui tam benignus & beneficus in te est, præsertim hoc anno, omni ætati venturæ memorando, in quo cùm omnia in exitium nostrum conspirasse videantur, cùm cęlum, terra, mare, bella, cædes, incendia, prędas, sanguinem & mortem minentur, quorum omnium signa & præludia vidimus, tot tibi misit concionatores, & ecclesiastes, vt te ad pœnitentiam cõuertat. Non est iam ampliùs tempus illud Romani, quo dixit Dominus Moysi; *Dimitte me, vt irascatur furor meus.* Nunc timeri quidem vult Deus; est tam iratus, vt omnia perdere velle videatur; sed

Exod. 32.

ſed tamen circunſpicit, ſi nuſquam ſit tam magnanimus & potens, à quo poſſit detineri, & à vindicta impediri. Non vult Eccleſiam hanc, quam pretioſo ſuo ſanguine plantauit, eradicare & diſſipare. O ſi ſaluo ſuo honore clamare poſſet, Tenete me, tenete me. ſed per Prophetam idipſum iam olim fecit, heu, *Non eſt,* inquit, *qui conſurgat, & qui teneat me?* Væ vobis, ſi iſtos concionatores irritaueritis, nolētes illos audire, eorum monitis obedire; ſi iuſtus dolor & ira vrgeat eos ciuitatem hanc deſerere, & puluerem à pedibus ſuis excutere. Puluis iſte in die extremi iudicij viua vox erit, quæ excuſans nos, veſtram inobedientiam, impœnitentiam, rebellionem & contumaciam accuſabit. *Contra contumaces omnia iura clamant.* Intelligitis hæc Romani? Ad conciones igitur, ad conciones. Meminiſtísne D. Petrum egiſſe pœnitentiam, quoties gallus cecinit? Hi ſunt myſtici galli, qui vos à ſomno peccatorum excitant, qui diem ſalutis & horam gratiæ vobis annuntiant. Hi ſunt tubæ Dei, quæ ſepties clangentes, contra ſeptem peccata mortalia, virtute ſeptem ſpirituum Deo aſſiſtentium mœnia veteris Hiericho proſtrarunt, ſoloque adæquarunt: ita vt in brachio ſancto Chriſti noua ciuitas ædificetur Domino. O Roma, vtinam det Deus, vt tu ciuitas hęc noua eſſe merearis. video namque muros tuos, heu, nimis antiquos, laceros, collapſos. Lucifer ædificauit & cuſtodit primum murum, ſeu antemurale ſuperbiæ, Sathanas inuidiæ, Labadon iræ, Mammon auaritiæ, Behemoth gulæ, Aſmodęus luxuriæ: O miſeram te, ſi adinſtar vrbis Hierichuntinę clangorem tubarum non audias, ſi vetus ille homo totus non corruat & pereat, ſi nouus in vita noua non reſuſcitetur. Domini mei, verbum Dei inſtar mallei eſt, conterentis corda. eſt ardens flamma, eſt fructificans ſemen, eſt gladius anceps. Frequentate, frequentate conciones Romani, quia benedictus Senex hic Paulus tertius Pontifex omnem doctrinam & eloquentiam, quam tota habet Italia, ex omni ordine & religione huc euocauit. Peſſimum indicium eſt ad conciones ſponte non venire, & (ſi verum dicere liceat) eſt occaſionem pœnitentię fugere. Non obſeruaſtis quid Dominica

Eſa. 64.

Concionatores ſunt myſtici galli, qui excitant à ſomno peccatorum.

Ioſu. 6.

Vis verbi Dei

nica præterita vobis dixi, occasione illorum verbo-
Ioan.8. rum Christi; *Qui ex Deo est, verbum Dei audit?*

Principes & magnates vltimi sunt in audiẽdo verbo Dei.

Sed veniamus ad secundum; Duo enim me dictu-
rum initio promisi, eaque ex Epistola desumpta. Vel-
lem ea quidem non dicere, sed officij mei ratio ad id
me compellit: ignoscite ergo & attendite. Dico enim
expressè, nec dissimulabo; Reges, Principes, Doctores,
hi qui in dignitatibus sunt, qui eruditione celebrio-
res, vltimi semper sunt, & in audiendo verbo Dei,
doctrinaque pœnitentiæ plebeiis tardiores. Hic ma-
ximus abusus est Romæ; qui debebant esse primi, hos
ferè semper esse postremos. Ecce hîc exemplum. Tota
ciuitas Niniuitica iam conspirauerat, & in emendati-
one vitę consenserat, concione Prophetæ excitata, &
Ion.3. Rex horum omnium erat ignarus. tandem, *PEruenit
verbum ad Regem Niniue,*] quando iam integro die per
ciuitatis diametrum prędicasset. O quàm difficile est,

Veritas difficilè venit ad aures Principum.

Auditores, sic declamare, vt veritas aures Domino-
rum penetret? Harmonię musicę, comœdiæ, tragœdię,
cantiunculæ vanæ & obscœnæ admittuntur facilè;
Gnathonibus, Parasitis & adulatoribus aures semper
patent: sola Veritas vbique vigiles inuenit, qui eam
ab aditu abarcent. Non patet nunc aditus: expecta;
cras reuertere: & quod pessimum est, illud manè, &
procrastinatio illa corui nunquam venit. Nulla re
magis egent magnates, quàm hominibus, qui verum
dicere audeant: & nullorum hominum maior apud
illos est raritas. Tantas adulatorum turbas alunt in
aulis suis Reges nostri, Auditores, vt mirum sit eos
non esse hominum omnium sceleratissimos. Quic-
quid enim lubet, hoc illis licitum esse persuadent. ni-
hil in illis inueniunt dignum reprehensione. pessima
quæque vitia aliquo virtutum colore fucare didice-
runt. Fingunt Principes suos esse filios Herculis, Io-
uis, Solis: semper in ore illorum natant gloriosa illa
epitheta, Potentissimi, Illustrissimi, Inuictissimi, &
Serenissimi; ipsa cæli serenitate Sereniores. Adhuc
peiora expectatis? An sit vspiam Ecclesiastes, qui eo-
rum arterias audeat explorare? qui eos audeat repre-
hendere? Si quis fortè quispiam sit, qui hoc audeat,
nihil tamen proficit, quia non prodeunt illi in publi-
cum

cum nisi rarissimè: quin multis comitati Aulicis, qui vbi domum venerint, Dominosque suos vident tristiores, aiunt; Quid moueris Domine, nescit Frater ille quid dicat, ignorat quid in mundo agatur; nihil didicit, quàm vociferari, quàm latrare, quàm mordere Principes & Reges, vt auram captet popularem. O miseri & infelices Reges, quis opem ferre vobis poterit, quamdiu in adulatorum istorũ turba versamini? Quidam inimico suo sibi malè precanti, & dicenti, εἰς κόρακας, ad coruos; insigni paranomasia mutando ρ in λ respondit, εἰς κόλακας ad parasitos seu adulatores. Et certè, si verum fateamur, iniuriam sibi illatam in inferentem cum quodam augmento, nulla addita syllaba retorsit. Multò enim peius est in potestate adulatorum esse, quàm coruorum: nam si corui eruant oculos, adulatores tollunt intellectum. Non animaduertis hoc miser? non tantùm perstringunt tibi oculos, sed strabum te reddunt, imò in omnibus & per omnia te excæcant. faciunt vt tuiipsius oblitus, quis sis ignores. Thersites es, miser & vilis, Irus es & Codrus, & persuadent tibi quòd Agamemnon es, Aiax aut Achilles. Heri natus es tanquam fungus è terra, & ipsi norunt genealogiam tuam è familia Aragonum & Austriacorum deducere. Instabilior es Ixione rotam prouoluente, & fingunt te Socratem qui nunquam in vita vultum mutauit. Illustrissimi, Reuerendissimi Domini, procul, procul absint à mensis, à cubiculis, ab aulis vestris, procul ab vrbe Romana, imò ab vniuerso mũdo peruersi isti adulatores. *Oleum peccatorũ non impinguet caput meum*, inquit Dauid. Præstat acetum aut fel in omnibus cibis vestris mãducare, quàm labia vestra hoc oleo tingere. Audite & alium locum Dauidis; *Molliti sunt sermones eorũ super oleum, & ipsi sunt iacula.* O quàm præclarè dictum est à Salomone; *Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis.* Proditores & traditores sunt omnes adulatores, non amant vos, sed oderunt: oderũt, inquã, vos lethaliter, & ratione istius odij adulantur vobis, vt vos præcipitent, vt honore, statu, opibus, vita & anima vos spolient. Fugite itaque, fugite adulatores vt pestes perniciosissimas. Cœperant quidem

In adulatores incidere, peius est quã in coruos.

Psal. 140.

Psal. 54.

Prou. 27.

Adulatores sunt proditores.

Athe-

Græcia adulatoribus pœnam capitis ſtatuerat.

Athenienſes optimè in adulatores ſupplicio capitis animaduertere, primusq́ue adulator ille Perſicus Darij Regis Timagoras ſuo malo expertus eſt Athenienſium hac in re prudentiam: Sed non fuit illa lex diuturna; nam & ipſę Athenæ adulationibus addictæ, tandem adulationis Magiſtra factæ ſunt. Caue Athenas imiteris Roma. Quòd ſi hactenùs Gręcorum mores ſecuta ſis, tempus eſt vt reſipiſcas, vt pœnitentiam agas, vt vitam moresq́ue tuos corrigas.

Pœnitentia Regis Niniuæ.

Sit tibi bonus hic Niniuitarum Rex exemplo; vltimus quidem omnium erat ad quos ſermo Ionæ peruenit; tamen oſtendit, vt ſcitis, ſe fuiſſe Regem bonæ indolis, ſincerę́que voluntatis: ad ſimplicem enim famam, quæ ad aures eius aduolarat, minis Prophetę territus, propter infinita peccata ſua, quæ eò maiora eſſe arbitratus eſt, quòd præter culpam & propriam fœditatem, etiam peſſima erant exempla ſubditis, qui ad exemplum Regis mores ferè componunt, totus inhorruit. Opus id ſanè Spiritûs ſancti fuit; cui præ ceteris hominibus potiſſimùm cura eſt de Regibus. Indignum ſe itaque iudicans & ſolio & purpura Regia, indutus ſacco, in ſignum humilitatis, & ſedens in cinere, in ſignum magni doloris, (ſciebat enim ſe diuinam Maieſtatem offendiſſe) edicto publico mandauit, vt omnis vir & mulier pœnitentiam ageret, ſi fortè omnipotens Deus iuſtè iratus, benignè & pro ſua miſericordia poſſet placari, & ad pietatem prouocari. O Regem Chriſtianum, ô Regem Catholicum. Ah Roma, quanta eſt hæc antitheſis, quam legimus hodie in Euangelio, ſi cum hac Epiſtola conferatur?

Ioan. 7.

MIſerunt Principes miniſtros, vt apprehenderent Ieſum.] Vtinam talis eſſet mihi in gutture tuba, qua ſic intonare poſſem, vt omnes Reges noſtri audiant. Sed cùm tu Roma vulgaris non ſis ciuitas, neque ciuitas ſingularis & vna, ſed quaſi mundus quidam, Orbis in Vrbe, non tacebo quod mente concepi. Aperi tu Domine, aures & emolli corda Principum horum, ad quorum aures hæc mea verba forſitan perferentur.

Inſignis digreſſio ex Euangelio.

Principes, triſte & impium verbum eſt, quod in Euangelio legimus; *MIſerunt Principes miniſtros vt apprehenderent Ieſum.*] Quòd ſi vulgus ſeditionem in

Ieſum

Iesum mouisset, contra fidem, contra Religionem arma sumpsisset, mirandum non esset. Plebs enim Christi rerum ignara, fidem & Religionem nesciens, viam latam & planam quærit, sensum non rationem sequitur; & si quis illam doceat placita, sensibusque & carni iucunda, ad hunc sicut vrsus ad mel fertur; hunc velut Deum adorat. Sed quis feret Primates illos, quibus Christi, fidei, Ecclesiæ, Religionis & Sacramentorum defensio commissa est; qui à maioribus suis longa serie & successione doctrinam Catholicam didicerunt; qui iurârunt se fortunas, Regna & vitam pro Christo & pro Ecclesia periclitaturos; qui non ignorāt nihil posse in Religione perniciosius excogitari, quàm doctrinam, ritus, ceremonias, consuetudines quotidie mutari, quis inquam ferat hos ipsos esse, per quos hæreses crescunt & augentur? quorum negligētia fides Catholica decrescit? quorum incuria lolium à frumento non discernitur? quibus tacētibus sanctissimi innocentes sunt quasi sepulti, Christus ipse fugatur & persecutionem patitur? O Principes, vos, vos ipsi estis, per quos Giezi vendit, Simon emit, Iason ambit, Ozias malè sibi vsurpat. O Principes, ô Principes, non videtis quis sit status Christianismi? quòd Christus singulis horis crucifigitur? quòd sacra Virgo contemnitur? quòd Sancti omnes iniurijs exagitantur & blasphemijs? Ridentur excōmunicationes, despiciuntur Indulgentię, Sacramenta nullo sunt in pretio? Germania magna tot infecta est hæresibus, & totum exundat Occidentem. Vereor, vereor (vrget me zelus vestrę gloriæ) vereor inquam, vos omnium horum malorum causam & principium.

Vulgi mos.

Principes authores sunt omnis mali in Christianismo.

MIserunt Principes, miserunt Principes vt apprehenderent Iesum.] Ah nolite Christum ligare, finite abire, abstinete à contentionibus & bellis vestris, vnico enim generali Concilio Religio à tot falsis fratribus liberabitur, doctrinæ Catholicæ veritas reuiuiscet, cadet omnis hæresis. Prælati quotquot hîc adestis, nolite superbire, nolite gloriari: nam & vos harum persecutionum Christi participes estis. *MIserunt Principes & Pharisæi ministros*, ait Euangelium, *vt apprehenderent Iesum.*] Per Principes intelligo vos

Dominos temporales; per Pharisæos, qui erant eorum Religiosi, Prælatos & Dominos spirituales. Ah Prælati, vos estis fontes nostri, & nostra specula, in quæ contemplantes animos nostros ad sanctos mores vestros componeremus. Vos estis mõtes, in quos ascendentes flores colligere debemus, ex quibus omnium virtutum coronas conficiamus. Vos antesignani & duces estis, sub quorum signis contra infideles, contra malos Christianos, contra hæreticos, contra Dæmones, contra nosipsos militamus. eia per Deũ vos oro, estote lux nostra, vt vobis lucentibus viam è terris in cælum inueniamus. Quomodo nobiscum ageretur, si fontes loco aquarum salubrium lutum fœtens habeant; si montes pro floribus spinas producant; si duces signa conuertant, & ad hostes deficiant; si lux ipsa obscuretur? Rex iste Chaldæorum vobis exemplum sit precor. Imitamini, imitamini illum, fortè secuti estis illum peccantem, sequimini & pœnitentem, atque ostendite vos esse Angelos. Agite, agite etiam vos Docti, inuito vos omnes, vt aliorum Regum ipsi Reges sitis. Vos primùm Germani, qui indefesso quodam studio litteris incumbitis, qui tot editis libris nomina vestra nobilitatis, qui scribendorum librorum finem nullum facitis, qui vestris ingenijs vestraque doctrina olim sanctæ Ecclesiæ, fideique Christi tam præclaram operam nauastis, heu, quomodo tam turpiter talentis vestris à Deo acceptis studendo, scribendoque abusi estis? Vt quid, non dico tam inutiliter, sed tam perniciosè tempus, litteras & studia vestra collocastis, vt tandem nihil nisi infamem hæreticorum titulum ex his omnibus vestris laboribus sitis consecuti? Etiam Herostratus, vt perpetuum sibi nomen conciliaret, templum illud toto orbe celeberrimum incendit. *Quem fructum, quem fructum habetis in hæresibus, in quibus nunc erubescitis? in quibus nunc erubescitis?* Conuertite stylos vestros, præparate vestras eloquentias, vt Christum defendatis, qui vos in adiutorium Ecclesiæ suæ inuocat.

Prelati Ecclesiæ fõtes sunt, & montes & duces nostri.

Apostrophe ad Germanos

Rom. 6.

Vos Itali, cauete posthac, ne ita puritatem Latinæ linguæ affectetis, (quod fecistis hactenus) vt sacras litteras ob simplicitatem phrasis contemnatis; forsan hæc

Ad Italos cõuersio.

hæc pręcipua peccata vestra sunt, in omni scientia vos exercetis, præterquā in sacris Scripturis. hæretici vos in rebus Theologicis ieiunos inuenerunt, ideoque vos nihil minùs cogitantes inuaserūt, tantamque cladem Ecclesiæ Dei intulerunt. Vbi quæso florere deberet Theologia, nisi in vrbe Romana? Coniungite, coniungite Romanam eloquentiam cum Christiana sapientia; admiramini in illa Maiestatem & sanctitatem spiritûs, altitudinem mysteriorū, profunditatem sensuum, & hæc erit vestra pœnitentia. *QVis scit si conuertatur, & ignoscat Deus, & reuertatur à furore iræ suæ, & non peribimus?*] Ita inquit Rex, Domini mei; ad modum & phrasin Prophetarum, qui, vt populus esset promptior, atque in causa pœnitentiæ nihil remitteret, nunquam dicebant absolutè, Pœnitentiam agite, & liberabimini, salui eritis, peccatum vestrum erit ablatum: sed dubiè semper loquebantur; Quis scit? Vos quod æquum est agite, pœnitentiam facite, fortè Dominus pro sua misericordia vos liberabit, & maledictionem in benedictionem conuertet. Quòd si non remiserit vobis, an non in pœnam & debitum illius incidistis? an non æquum vt istius vos pœniteat, & signa veræ pœnitentię exhibeatis? O verba profunda, viua, efficacia, breuia, Rege digna.

Ionæ 3.

ET peruenit verbum ad Regem Niniue.] Eundem ferè modum seruauit Dominus in alio illo Rege & Propheta Dauid; Conuertit illum ad pœnitentiam vna sola concione, eaque non publica, sed priuatā; quando Nathan Propheta tanta cum grauitate verba illa protulit, vt ipsi scitis, quę (nescio quomodo; Deus scit, qui tanquā sagittas ea iaculabatur) per aures illius ad cor penetrarūt, in spiritum tanquam spina in pedem, aut in oculum stylus ferreus sunt impacta, cruciarūt, punxerunt, cōfixerunt, eumque tam interdiu quàm nocte exagitarunt, adeò, vt qui priùs tanquam astutus quocunque modo potuit adulterium occultabat, homicidium tegebat, ne per Regnum diffamaretur; postea compunctus hoc stimulo, qui nullā ei neque de die, neque de nocte requiem permittebat, qui illum accusabat, condemnabat, infernum apertum ostendebat, os aperuerit, peccatum suum quantum potuit exagge-

Dauid Rex cōuersus cōcione priuata Nathan.

rauit, simpliciterque Prophetæ, tanquam sacerdoti, confessus, remissionem obtinuit. Audistis opinor illud Euangelicum; *Esto consentiens aduersario tuo dum es in via.* Aduersarius vester hic quis est peccatores, nisi verbum Dei, quod semper vestris operibus aduersatur? Vos adulterari vultis, vos fornicari, blasphemare, aleas tractare, conuiuari, litigare, pugnare, alios iniurijs afficere, & in omni opere inhonesto cupiditati vestræ satisfacere. Optaretis licere vobis quicquid lubet, cuperetis nec cælum esse, nec infernum, vt vestro more viuere possetis sine lege, sine obedientia, sine superioribus. Scio vos dicere; O quàm crudelis aduersarius est verbum Dei, nihil conniuere, nihil dissimulare nouit, nusquam adulari didicit: clamat in omnibus vos delinquere, in omnibus vestris contrariatur desiderijs, & quod maius est, audacter vos reprehendit, seuerè vos accusat, omnia peccata vestra reuelat, nusquam desunt ei rationes cõtra vos allegandæ, non permittit vobis requiem, neque de die, neque de nocte. Semper vobis assistit, non à tergo, sed in facie loquitur, & quæ inuiti auditis, confidenter promulgat. Asserit vos palata habere infecta, gustũ vestrum esse corruptum; quod dulce est vobis videri amarum, quod amarum dulce. Asserit vos similes esse porcis, quibus deest odoratus, & propterea libenter in cœno volutantur; quòd si nasum haberetis, si iudicium aliquod in vobis esset, vosipsos, propriumque fœtorem vestrum ferre non possetis, propter porcinam vitæ vestræ obscœnitatem. dicit vos morti esse proximos, & quòd de minimo etiam peccato rationem Deo reddere debetis. dicit, quòd si Deus potentes in hoc mundo non puniat, in futuro tantò puniet crudeliùs. Dicit, nullum malũ fore impunitum, vti nec vllum bonum suo defraudatum iri præmio. Denunciat vobis omnibus Væ, si non egeritis pœnitentiam. Væ, væ, væ. Væ vobis in vita, væ vobis in morte, væ vobis post mortem. O quàm terribilis hic litigator est, Christiani? Estote consentientes, consentite cum illo, nolite cum illo altercari & litigare, nunquam enim vincere poteritis. Vincetis quidem ad tempus, habebitis fortè sententiam interlocutoriam, quam pro vobis dictabit vitio-

Matth. 5.

Verbum Dei quomodo noster aduersarius.

Quid coràm dicit peccatori verbum Dei.

vitiosa & errans vestra cōscientia, iustam esse causam vestrā existimabitis; sed tandem causa cadetis, & ipsa conscientia illuminata, meliusque à recta ratione informata, vos condemnabit, captos inferno tradet, vnde nunquam exibitis. tanta enim erit debitorum vestrorū summa, quòd nunquam eam soluere poteritis. Non veniūt vobis in mentem verba Christi ad S. Paulum; *Durum est tibi contra stimulum calcitrare?* Hic, hic est stimulus nimis durus, & cui difficulter possumus resistere. Quis vnquam vidit lignum tam grauiter à teredine erosum, quàm cor peccatoris aut peccatricis à verbo Dei corroditur? Ecce Dauid quàm manifestè hoc demonstrat. Et non loquitur in aërē, sed fidelem agit historicum; casum narrat, qui sibi accidit. O me miserum, si hic dilectus aduersarius, qui pugnabat pro me contra me, pro salute mea contra cæcitatem meā, meamque miseriam, non fuisset, æternùm perijssem. Quando per adulteriū abusus sum vxore Vriæ, quam quasi amens deperibam, & vt tegerem delictū meum peccatum peccato addidi, fraude & proditione agens, vt maritus in bello occideretur, existimans grauia scelera mea, vti homines ignorabant, sic etiam Deo esse occulta, neque me vnquam fore in iudiciū vocandum, castigandum, aut puniendum: eram enim Rex. Latitabam, & securus eram, haud aliter quàm Adamus, quàm Cain, postquam vnus comedit pomum, alter occidit fratrem. Versabar in silentio, dissimulans & abscondens tam coram Deo, quàm coram hominibus peccatum meum, tam magnum, tam enorme, tam indignum me, qui ex humili pastore ouium (ô me ingratum) absque vllis meis meritis in momēto ad tantum Regnum eram assumptus. Non tam dissimularunt mortem Iosephi fratres eius, quàm ego peccata hæc mea detestanda; vt quem dignitas Regalis audacem fecerat, & temerarium. Et quia putabam me superiorem in terris non habere, nimis factus eram insolens. existimabam enim nec Dominum habere me in cælis. Decipiebam meipsum miser, mille astutijs & artibus vtebar, vt mihi aliqua ratione persuaderem, iustum me esse, & nullam subesse confessionis causam. O quoties mihi in sceleratam mētem venit,

Act. 9.

Verbum Dei rodit cor peccatoris instar teredinis.

Lamentatio Dauidis post adulteriū & homicidiū.

in foro mundi condemnari, qui confitetur; & non absolui nisi qui negat? Sciebam miser, sed mētem applicare nolui, vt cogitarem (peccatum enim mihi dominabatur, & me captiuum pro suo arbitrio tenebat) in foro Dei longè alio modo, quàm in foro mundi contra reos procedi. Deum enim velle vt peccatum confiteamur, vt iustam remittendi habeat causam, neque vnquam nostris peccatis adeò offendi, quàm cùm ea occultamus & confiteri nolumus. In hoc infelici statu viuebam, & erubescebam vulnera mea, in anima mea computrescentia, quę me procul dubio ad mortem ducebant, detegere & manifestare. O dulcissime Deus, quàm benignè mecum egisti pro tua misericordia? Non fuit vnquam prospera magis felicitas, quàm fuit hęc aduersitas, quæ mihi de sancta manu tua processit. *Perieram nisi perijssem*, Domine, merebar æternam damnationem, & inueni æternam salutem. Noluisti mihi extemplò mederi, ne vulnus recens nimis citò curatum & obductū postea mea culpa recrudesceret; voluisti illud maturescere, ideoque me tanto tempore saucium reliquisti, vt in fistulam manifestam vlcus erumperet. Permisisti vt me omnibus obscœnis desiderijs ad satietatem vsque oblectarem, quò tandem ea mihi fastidium & nauseam parerent. Voluisti vt sentirem, & iam manifestè viderem, quantis turpitudinibus immersus iacerem, vt tandem me mei puderet. existimabas enim pudorem animis regalibus & liberis, vti timor est animis seruilibus, fręnum esse debere, quo à sceleribus coërceantur. Hoc modo sublato velo, quod ne statum meum possem agnoscere mihi erat impedimento, misisti Nathan Prophetam tuum, qui me allocutus est verbis tuis viuis, ardentibus, & ad viscera vsque mea penetrātibus, quæ instar acutissimarum spinarum interiora mea lancinabant, magisque quàm mille sagittæ pungebāt, & lacerabant, quoties iustitiam & potentiam tuam, mea verò delicta, meam ingratitudinem, & gratiam quam amiserā, recolebam; & quoties meditabar peccatum meum, quo te offenderam, regnum cælorum, quo priuatus eram, & infernum, qui meis meritis debebatur. Hei mihi, quantis angustijs pręmebatur cor meum

meum in hac meditatione, quantas pœnas, quāta sensi tormenta, quanta martyria: O durities cordis mei, imò ô intractabilis atque effrenis animæ meæ superbia! Intus rugiebam præ maximo dolore, quo me beata hæc spina cruciabat, foris tacebam, ne Regnum me reum tanti sceleris cognosceret. Tantum in me potuit errans conscientia, quæ peccatum meum fouebat & nutriebat. O Domine, tu magis solicitus de vita mea, quàm ego mortis improuidus, dans charo huic meo aduersario habenas in manibus, adeò me exagitasti, vt inusitata quadam violentia catenam, qua me Diabolus vinctum circumducebat, & vinculum quo linguam meam ligauerat, disruperit. *QVoniam die ac nocte grauata est super me manus tua, conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina.* & sic; *Delictum meum cognitum tibi feci, & iniustitiam meam non abscondi.*] O infinitam bonitatem tuam Domine, ô misericordiam incredibilem. Vix *DIxi, Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu* confestim ad hoc meum propositum, tanquā is qui priùs corde, quàm opere; priùs affectu, quàm effectu pasceris, *Remisisti* totus misericors, *impietatem peccati mei,*] per quod iam mortis æternæ factus eram reus. Psal. 31.

Tibi gratias ago Domine, te laudo, tibi benedico, eò quòd meorum debitorum calculos subducere noluisti: sed mihi per sanctissimum Prophetam & Sacerdotem tuum Nathan apertè significasti, & nunciasti; Ecce debitum tuum è libro meo erasum est; magna erat, quam debebas, summa, sed eam tibi remisi: ita tecum statue, quasi mihi per omnia satisfecisses, non mihi iam vltra eris obligatus, nec te debitorem meum dicam. Scriptus eras in libro mortis, expunxi nomen tuum, & in librum vitæ transtuli. O me felicem, ô fortunatum, ô terque quaterque, *BEatum virum cui non imputauit Dominus peccatum.*] Sic ait Dauid in sancto illo soliloquio, Domini mei. Et certè Romani; sic ego mecum statuo; quemadmodum primus versus huius psalmi est generalis, ideoque in plurali numero expressus, *BEati quorum remissæ sunt* &c. sic secundus versus singulari numero enunciatur, atque ita Dauid à generalibus ad particularia descendendo,

psalmum hunc sibi ipsi composuit. *BEatus vir cui non imputauit Dominus peccatum.*] Videbis hîc, Docte, si propiùs rem inspexeris, quemadmodum Pharisæus aliorum peccata amplificauit, sua verò quantum potuit extenuauit, iuxta illud Christi; *Excolantes culicem, camelum autem glutientes*: sic Dauidem econtrariò in secundo versu multò esse seueriorem & rigidiorem, quàm fuerat in primo. in hoc enim de se, in illo de omnibus alijs loquebatur. Non erat sceleratior peccator in mundo quàm ego, inquit Dauid; in me solo peccata totius mundi collecta videbātur. Quid enim sum aliud, quàm massa quędam peccati? In Ethnicis, qui legem non habent, quid mirum est inueniri peccata? delinquūt in æquitatem rationis naturalis, ideóque peccata eorum tantùm sunt iniquitates ἀνομίαι. In Iudæis maior culpæ est ratio; habēt enim legem scriptam, sed quia non habent spiritum, cuius beneficio secreta legis intelligant, tantùm litteram aspicientes, sæpius ex ignorantia atque errore, quàm ex malitia peccant: vnde illorum peccata vocātur ἁμαρτίαι. Ego verò qui & legem habeo, & spiritum Prophetiæ, *Cui incerta & occulta releuasti*, qua ratione coràm te potero excusari? totus, totus sum inexcusabilis. Non tantùm iniquus sum Domine, sed verè sum impius, & peccatum meum est impietas. Alij tuam Maiestatem non nisi indirectè læserunt, ego te sciens & volens offendi. hinc nata est hypocrisis, dum sanctus videri, & Diabolus esse volui. *BEati* Ethnici, *quorum remissæ sunt iniquitates*; *Beati* Iudæi, *quorum tecta sunt peccata*: sed beatissimus omnium ego, *cui remisit & non imputauit Dominus impietatem peccati mei.*] Verbū hoc imputare, & non imputare, significat, quòd non tantùm rem turpem, & contra rationem perpetrauerat, quæ iniquitas dicitur; neque quòd præcepta legis tantummodo fuerat transgressus, quod præuaricatio vocatur: sed quòd offenderat, & iniuria affecerat infinitam illam Dei Maiestatem, quod omnium peccatorum maximum est, proprieque impietas appellatur. Ideoque dicit *peccatum*, quæ vox singularis quidem est, tamen significatio illius est generalis, quemadmodum & in illo Euangelij loco, vbi Baptista dicit de Christo;

Matth. 23.
Diuersitas Pharisęi & Dauidis.
Psal. 50.
Quid sit impietas & iniquitas.

Christo; *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi*: & hæc est propria & formalis ratio peccati, quæ hominem mortis reum efficit. iniuria scilicet, quæ Deo irrogatur. Iccirco cùm gratam Deo & ad remissionem peccatorum impetrandam efficacem pœnitentiã agere decreueris, non sufficit tantùm dolor ille Philosophicus, qui & Ethnicis communis est, cùm alibi deliquerint, aut in errorem inciderint; arbitrantur enim se isto delicto honoratum illum titulum hominis virtute præditi & probi amittere. Quare & Cicero vester in suis Officijs dixit; *Nunquam est vtile peccare, quia semper turpe*. Imò antiquis illis Platonicis visum est hominem degenerare in bestiam, si ratione præditus rationi contrarium fecerit. Iccirco vociferabantur; Facessite hinc affectus bestiales, apagite inimici scelerati, discedite à me, ne cogar ego à meipso discedere. Quid hîc agitis diuinioris partis meæ latrones, qui animã meam captiuatis, vt ei dominemini, cùm ipsa nata sit vt vniuerso mundo dominetur? Nota est illa sententia; *Nónne tibi videtur bestialior bestia rationem habens & ratione non vtens?* Neque sufficit dolor Iudaicus, cùm in legem peccarunt; anima enim legis est timor pœnæ, & qui non aliò quàm in legem respicit, non aliò quoque animum intendit, quàm ad timorem, ne puniatur. Sed vultis dicam qualis sit dolor Dauidis? est dolor Christiani, est dolor omnis verè pœnitentis. Dolet quòd offendit summum bonũ, summum bonum suum, patrem suum, Creatorem suum, Redemptorem suum, Consolatorem suum, Saluatorem suum. Quemadmodum cùm aliquãdo bonum opus facis Christiane, oportet semper oculum in Deum intendere: quòd si non facias ad gloriam eius, etsi facias quocunque fine bono, aut quia honestũ est, aut quia præceptum, nihil tamen ad æternam tibi prodest vitam; sic dolor de peccato si non in primarium illum scopum dirigatur, summo te Deo iniuriam intulisse, quod nullo modo facere debebas, non est ille dolor, non est illa pœnitentia, quæ ad impetrandam indulgentiam, absolutionem & peccatorum tuorum remissionem requiritur. O anima mea, vtinam saperes & intelligeres quantam iacis in summum illum

Ioan. 1.

Neque Philosophicus, neque Iudaicus dolor sufficit ad pœnitentiã, sed Christianus.

Dolor verè pœnitentis.

Magna iniuria quam ir-

rogat Deo peccans.

Deum iniuriam, quotiescunque peccas? Deus te vocat, & tu fugis: Deus te obsecrat, & tu aspernaris: Deus mille te cumulat beneficiis, & tu illius amorē contemnis. Deus vult te amplecti & exosculari, & tu eum occidis: singulis horis tam facilè tibi tua remittit peccata, & tu semper peccas, sine intermissione illi reluctaris: Deus te sua morte liberauit, & tu vitam tuam omnem aduersus illum impendis: Deus nihil non fecit vt te impleret gaudio, & tu quæris omnem occasionem vt eum contristes. O quantę sunt istæ iniuriæ! sed alia est multò maior, & nullo modo ferenda. Quæ est ista? Dicam, est enim omnium iniuriarum quas Deus à te, ingrate, à te, ingrata, accipit quasi seminarium & summariū. Anima, ô miser & ô misera, sponsa Dei est, quotiescunque peccat fit adultera: deserit sponsum suum, & adhæret suo adultero. Ecquis inter homines tātam feret iniuriam, qui eam non aliquando vindicet? Ite, ite nunc & peccate confidenter; dicite quòd Deus conniuebit, quòd peccantes non castigabit: persuadete vobis, quòd Deus honoris sui nullam habebit rationem. Non legistis; *Honorem meum nemini dabo? Ego Dominus & zelotes?* An verum non sit animam esse sponsam Dei? Quid sibi vult illud apud Oseam? *Sponsabo te mihi in fide?* Negare potestis peccatum esse adulterium animæ? Quid sibi vult peccatum, si Etymologiam spectes Latinam, nisi pellicatum? O Roma quid est pellex? Meministíne legis istius Numæ Pompilij vestri; *Pellex ædem Iunonis ne tangito? Si tangit, Iunoni crinibus demissis agnum fœminam cædito?* Sed quid testimonijs vtor Ethnicorum? Cernitísne quoties in Prophetis anima peccatrix appelletur adultera? concubina? inuerecunda: meretrix? fornicatrix? *Fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere, & ego suscipiam te. Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere? Fornicati sunt à Deo suo. Generatio praua & adultera signum quærit.* O Christiani, cetera omnia nullius sunt momēti si cum hoc adulterio conferantur. Quid enim intolerabilius, quid sceleratius, quàm adulterari sponsam Dei, animam tuam, animam tuam, imò suam, imò suam? Sponsa non est sua; nescitis? est sponsi, omnis honor, & omnis pudicitia sponsi

Anima quæ peccat fit adultera.

Esa.42.
Exod.20.
Osee 2.
Peccatum est adulterium animæ.
Hier.3.
Osee 4.
Matth.12.
Magnū peccatum est adulterare spōsam Christi.

ſponſi eſt. Quis autem perſuadere ſibi poterit impunè licere ſibi violare aliquam Reginam, Rege id ſciente? & non potiùs credet mille ſe affectum iri ſupplicijs? Hæc cogitate Chriſtiani, huc oculos mentemq́ue aduertite, & pœnitentiam quàm poteſtis ſinceriſſimam agite: conterimini corde, confitemini ore, ſatiſfacite opere: cumq́ue omnia feceritis, exiſtimate parum actum eſſe. Cumq́ue ſecuritatem, qualis in hac vita poteſt haberi, nacti fueritis, & certi ſitis, quòd Deus vobis peccata remiſerit, beati eritis, & cantabitis cum hoc Rege, qui mihi videtur in hoc pſalmo iucundiùs exultaſſe, quàm cùm ante arcam Domini ſaltaret, & cum iubilo ceciniſſe: O beatum me, quòd Deus tantam iniuriam à me ſibi illatam mihi non imputauit, quæ tamen merebatur ſtylo ſcribi ferreo in ſilice, ne vnquam periret illius memoria. Sed reſpiremus, vt præparem me ad finem: video enim Solem ſignum tranſiſſe, vnde coniecturam facio, tempus eſſe vt peroremus, vosq́ue dimittamus.

PARS QVARTA.



NONDVM mea quidem ſententia, Domini mei, ſatis vobis explicaui, in quo conſiſtat Chriſtiana pœnitentia. Dicam igitur hoc loco, vt memoriale vobis & monimentum relinquam æternum, cuius nũquam in poſterum obliuiſcamini, etiamſi mille tranaretis Lethes flumina. Attendite igitur quàm inſigni vos deducam pędagogia. Cùm magnus ille Moyſes in ſua Geneſi, per venuſtam illam figuram, quæ Græcis dicitur Ἀνθρωποπάθεια, Deum introduxiſſet iratũ generi humano, dicentemq́ue; *Pœnitet me feciſſe hominem*, audite precor quibus vtatur verbis, & quàm admirandis: ne Iota quidem in illis eſt, quod non conducit ad demonſtrandum, quæ vera ſit pœnitentia, & qualis ea eſſe debeat. Qui tamen modus loquendi, cùm non ſit proprius, ſed metaphoricus, neceſſe eſt vt quantò magis detorſerit illum Moyſes ad pœnitentiam Dei, quam ob peccata mundi habuit, tantò magis conueniat pœnitentiæ hominum propter peccata propria. *Videns*

Geneſ. 6.

Modus pœnitẽdi quem tribuit Moyſes Deo nobis exemplo eſt.

Genes.6. *dens autem Deus quòd multa malitia esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum quòd hominem fecisset in terra. & tactus dolore cordis intrinsecus; Delebo, inquit, hominem quem creaui à facie terræ, ab homine vsque ad animantia, à reptili vsque ad volucres cæli. pœnitet enim me fecisse eos.* O sublime verbum, Moyse dignũ. In his verbis, Docti, manifestissimè tanquam in speculo purissimo videtur, cùm homo diligenter scrutatur suam conscientiam, an peccatorum suorum se verè pœniteat, an minùs. Non enim induci possum, vt credam, si verum fateri velim, tantum Legislatorem, Principem tam prudentem, tam copiosè penicillo verborum suorum depingere voluisse Deum pœnitentem, si non vt pædagogus noster (sic enim vocat illum Apostolus) hoc loco absolutum exemplar nobis proponere decreuisset, ad quod oculos dirigẽtes perspicuè videre possimus, quid omnis homo facere debeat, vt in sacrum pœnitentium numerum referri mereatur.

Quid facere debeat homo vt referatur in numerum pœnitentiũ.

Primò itaque videtis Deum in hac de Cataclysmo historia (etsi nihil oculis ipsius occultum sit) ex proposito & dedita opera attentè, & cum maxima diligentia fœtorem peccatorum, quæ tunc in mundo dominabantur, considerare: nec tantùm opera scelerata, sed & cogitationes ipsas, vnde postea tanquam è radicibus in campis nostris tot herbæ nascuntur pestiferæ, perscrutari. Hoc est quod textus dicit; *Vidẽs quòd multa esset malitia in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum.* Non videt aut considerat ea simpliciter, tanquam scire desiderans, vnde nascerentur; quomodo nos facimus, cùm de intemperantia, de auaritia, de libidine philosophamur: sed considerat ea tanquam iudex boni & mali, cui competit aduigilare, vt subditi bene viuant, & intelligant sibi displicere malum, præmia bonis & pœnas malis constituens. Quare cùm vidit peccata illa enormia, tanquam bonus cui natura displicet omne malũ, turbatus est, indignatus est, ira & furore accensus est, vultum minacem ostendit, supercilia contraxit, is, ad cuius nutum columnæ cæli contremiscunt. Non tantùm intuebatur Dominus malam illam sementem, quæ tunc erat: sed prævidit

Quomodo Deus videt peccata nostra.

uidit etiam filios ex ea procreandos, & ex mera charitate, vt non esset necesse quotidie, imò omni hora in hunc & illum sæuire, in animum induxit, vna tantùm vindicta generali omnem istam generationem radicitus extirpare. paternè cogitans, supplicium illius ætatis exemplum fore omniũ aliarum subsequentium. *Et præcauens in futurum*, ait textus; non legistis? Et quid Deum cogitasse tunc existimatis? Si tanta scelera perpetrare sint ausi homines isti ingrati, nuper meis manibus conditi, quid facient futuris temporibus? Quid facient, cùm beneficium illud infinitum creationis non ampliùs recordabuntur? cùm arbitrabuntur se nec Deum habere, nec Dominum? Si tantam ingratitudinem dissimulauero, malum per se magnum fiet multò maius; & velle vti misericordia, quid aliud esset, quàm in illos & in illorum filios sæuire?

Ceterùm diligenter examinate verba illa; *Tactus dolore cordis intrinsecus*. Deus dolet, Romani, & dolet ex toto corde, & dolor tantus est, vt illum angat intrinsecus, atque adeò angat, vt comprimere aut occultare non possit, sed necesse est vt prodat eum, vt clamitet, vt vociferetur dicens; Heu mihi, quid feci? Pœnitet me fecisse hunc hominem, si fieri posset, vellem me nunquam illum creasse: sed quia creatus est, volo saltem in hoc me ab illo vindicare: delebo & destruam eum funditus, erit quasi non fuisset, & cum eo simul delebo omnia reliqua. omnia enim propter illum creaui. Hinc notum fiet, quantopere mihi displiceat turpis illa quam viuit vita. Omne quod verbis expressit Dominus, quodque animo concepit, idipsum opere quoque impleuit. Immisit vniuersale diluuiũ, & omnia submersit, atque vndis suffocauit; ex paucis tantùm istis reliquijs, quas reseruauit (vt scitis) nouam resuscitauit hominum generationem. Non quieuit neque resedit ira illa iustissima contra pessimum illud eius ętatis semen concepta, priusquam diluuium illud in orbem terrarum misit, quo omnia submersa perierunt. Cùm autem illud misisset, iam in omnibus & per omnia sibi satisfactum putauit. placatus est generi humano, reconciliatus promisit se nunquam

Contristatus est Deus ex toto corde eò quòd peccauerat homo.

simi-

similem iram in hominum genus effusurum. O Roma, ô Roma, ô peccatores, ô peccatrices, quorum causa summi illi Prophetæ non erubuerunt Deo turpes istos affectus nostros, iram, odium, vindictam, dolorem & pœnitentiam attribuere. Aperite aures hodie. Omne quod occasione peccatorum vestrorum attribuitur à Moyse Deo, vt vos puniat, id oportet inueniri in vobis, vt Deus placetur, eumque de ijsdem peccatis vestris propitietis. Indignationi, iræ, dolori intrinseco Dei respondet contritio: querelis & verbis ægritudine plenis confessio: seuerissimæ vindictæ, quã opere exercuit, satisfactio. Hæ sunt tres partes pœnitentiæ Sacramẽti, animæ peccatrici medicinalis, à Christo instituti.

Applicatio pœnitentiæ Dei ad pœnitentiam nostram.

Partes pœnitentiæ.

Non placatur ira Dei priusquam Regnũ peccati penitus euersum est.

Nunquam plena est Christiana pœnitentia, nec sufficiens ad placandam iram Dei, remissionemque impetrandam, quamdiu regnum peccati non est cum in modum euersum, vt non dominetur ampliùs in vobis, nec opere, nec cogitatione, nec occasione. Oportet omne extirpari, omne exscindi, quod quomodocunque materiam peccati subministrat. vt homine illo vetere penitus sepulto, nouus in vobis resuscitetur, qui finis est vltimus pœnitentiæ. Christus non tantùm fuit mortificatus, sed mortuus & sepultus, deinde resurrexit. *Mortuus est peccato, viuit autem Deo.* Idipsum & in vobis fieri necessum est. Videtis in Exodo Moysen non tantùm percussisse Ægyptium illum, impurum, qui affligebat Israëlitam, sed occidit eum & in arena sepeliuit. Necesse est, necesse est vt peccatum funditus extirpetur, vt radix nulla relinquatur, ne fortè repullulet. Meministísne Deum præcepisse Sauli, quòd ex Amalechitis neminem seruaret, nec virum, nec fœminam? Mysticè hoc de peccatis intelligendum est. nullam eorum seruate materiam, cogitationem nullam, cupiditatem nullam, nullam occasionem. Vultis cogitare quæ sancta sunt? abstinete à cogitationibus rerum quę malæ sunt. vultis amare virtutes? detestamini vitia. Vultis viuere vitam nouam & Deo gratam? fugite occasiones malitiæ, in quibus vixistis hactenus. Non construitur ædificium nouum & bonum super fundamentum vetus. Destruite, de-

Rom. 6.

struite

ſtruite veterem Adamum, & ſurget in vobis nouitas Chriſti. Græci pœnitentiam nominant reſipiſcentiam, quæ ſanè pertinet ad vitam nouam pœnitentis. Tunc enim ſapientes ſumus, cùm peccatorum noſtrorum admoniti, in ijs erubeſcimus, mutamus mores, & efficimur alij homines ab his qui eramus antea; quomodo nobilis ille Poëta Tuſcanus olim dixit; Græci pœnitentiam vocant Reſipiſcentiam.

Et del mio vaneggiar &c. hoc eſt:
Errorum fructus pudor eſt meorum
Et pœnitere: & apertè cognoſcere
Breuem eſſe ſomnum quicquid mundo perplacet.

Hebræi vtuntur alio vocabulo, quod frequens eſt in Euangelio & in Prophetis, nimirum *Conuerſione*. quæ vox propriè ſignificat initium pœnitentiæ, quod eſt conuerti à mundo ad Deum. Illud autem in quo eſſentia illius conſiſtit, non poteſt proprio magis exprimi vocabulo, quam eo quod dedit Eccleſia Latina, totius Chriſtianiſmi Magiſtra, *Pœnitentia ſcilicet*. quia verè pœna eſt, ſed medicinalis noſtrorum peccatorum a Chriſto nobis relicta, atque ideo quaſi medicina Chriſti, hoc eſt, quaſi Sacramentum Religionis Chriſtianæ. non tantùm conſiſtens in contritione, quæ quodammodo reſpondet *Conuerſioni* Hebręorum; neque in ſatiſfactione, quæ proportionem quandam habet cum Græca voce *Reſipiſcentia*: ſed propriè in Confeſſione vocali, quæ fit Sacerdoti, in qua (vt ſcitis) ſemper aliqua ſpecies pœnæ imponitur, idque ſecundum qualitatem & proportionem culpæ, quæ etiam communiter Pœnitentia nominatur. & hæc confeſſio propriè Sacramentum eſt, quod ad finalem ſuam perfectionem requirit ſatiſfactionem, per opera, cùm fieri poteſt. Neque dubium eſt, quòd ſi non confitearis Sacerdoti, vt debes, neque ſatiſfacias pro peccatis præteritis, incaſſum glorieris de contritione: nō enim contritio tua vera eſt, niſi habeas propoſitum ſaltem & firmam deliberationem confitendi & ſatiſfaciendi. Sed & propoſitum & deliberatio firma non dicitur, ſi opportunitatem confitendi atque ſatiſfaciendi habeas, & non confitearis, neque ſatiſfacias; ſed vtrumque de die in diē differas, teſtudinis inſtar prorepens. Quid? an non & damnati contritionem habeant?

Conuerſio Hebræis eſt pœnitentia.

Chriſtiani omniū optimè vocant pœnitentiā.

Contritio nō eſt vera, niſi ſequatur cōfeſſio & ſatiſfactio.

Matth.21. ant? Non legistis in Euangelio metaphoram; *Super quē ceciderit lapis, conteret eum?* Non legistis in Dauide dictum de peccatoribus; *Contritio & infelicitas in vijs eorum?* Et in Hieremia; *Duplici contritione contere eos?* Hæc contritio nil nisi pœna est, ab illa ira Dei, & ab illo furore, qui Virga ferrea dicitur, inflicta, vt destruat atque in nihilum redigat animas & corpora sceleratorum; quemadmodum massa ferrea, si in ollam incidat fictilem. Vtiturne hac similitudine Psalmographus cùm dicit; *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos?* Cōtritio Sacramentalis, Christiani, pœna quidem est & dolor, sed non tam à Deo inflicta, quàm spontè à peccatore suscepta, quæ ex indignatione nata ex eo quòd Deum offendit, armat se contra se, sæuit in se, ferit, & cor in mille partes dissecat, nec aliquid in eo aut sanum vult, aut residuum, priusquam planè in nihilum redigatur, & nouum fiat. Qui dolet obiter, & communi modo, quo plerunque solent homines, attritus dicitur: cùm verò auxilio diuinæ gratiæ, suaque diligentia peruenit ad doloris perfectionem, vocatur contritus. Quando confitetur, & deliberatè vult satisfacere, vocatur pœnitens: cùm autem satisfecit, iam pœnitentiam absoluit. O quàm verissimè dictum est ab illo sancto Patre; *Facilius reperiri innocentem, quàm verè pœnitentem.*

Psal.3. Hier.17. Ira Dei in damnatos est quasi virga ferrea. Psal.2. Quid sit attritio, quid contritio.

Nolo hîc ordine omnia recensere, quæ requirūtur, quid primum sit, quid secundū, quid tertium: in operibus enim Spiritûs sancti nullus seruatur ordo naturæ. Vides enim & Prophetas in suis visionibus ac reuelationibus ordinem non seruare, sed huc illuc secundùm Spiritûs sancti ductum cursitare. *Vbi erat impetus, illuc gradiebantur,* inquit Ezechiel. Et quis vestrum non obseruauit in Epistolis S.Pauli certa hyperbata, certos saltus, nimis ordinatè inordinatos? Ita vt ille meo quidem iudicio veriùs dicere possit, quàm quiuis alius Scriptor;

In operibus Spiritûs sancti non seruatur ordo naturæ. Ezech.1.

Quò me cunque rapit tempestas, deferor hospes.

Cant.2. In Canticis nónne de sponso dicitur, *Saliens in montibus, & transiliens colles?* Et vos omnes deuoti Religiosi, qui hîc astatis auditores, non experimini, cùm orationibus vacatis, sanctum Spiritum nonnunquam inci-

incipere motum veſtrum à timore, nonnunquam à dolore? aliquando à pudore, ſubinde ab inſigni miſericordia erga vosmetipſos? non rarò accendit vos ante omnia ad gratiarum actionem? frequenter ad veniam & remiſſionem peccatorum veſtrorum implorandam? Excellens pictor aut ſculptor, Romani, nõ ſemper incipit opus ſuum à capite. interrogate hoc Angelum veſtrum, dignum certè qui cum Apelle & Praxitele conferatur; quoties incepit ab vngue pedis, & ſecundùm proportionem illius poſtea totam figuram delineauit? Et nouus ille Orpheus Sicilianus, quando artem ſuam oſtentare vult, non vnam ſemper teſtudinis fidem pulſat; ſed cùm placet illi (vt eſt inſignis in illa arte) incipit & finit cantus ſuos, tãta delectatione plenos, nunc hoc, nũc illo modo, ſecundũ diuerſos ordines atque mẽſuras. Spiritus ſanctus Citharœdus eſt in corde pœnitentiũ, quod inſtar citharæ pulſat profunda humilitate, fidesque virtutũ ita inter ſeſe conuenire facit, vt iucũdiſſimæ inde cantilenæ, melosque reſultet planè ſpirituale. O quantus eſt hic muſicus, quantus artifex? in omni arte profectò perfectiſſimus eſt. Nõ audis? *Omniũ eſt enim artifex*. Prout itaque placuerit illi, nunc cor facit attritum, & pòſt contritum; nunc attritum & contritum ſimul; nũc implet timore, nunc dolore, nunc pudore, nunc indignatione, nũc odio peccati, nunc abominatione, nunc horrore, nunc denique facit vt oderis atque execreris temetipſum, propter incredibilẽ tuorum peccatorum grauitatem. Omnes iſti modi, Romani, includuntur in contritione: tũc enim verè cor eſt per omnia contritum, hoc eſt, in minutiſſimas partes comminutum, (hoc autem modo comminui ſanari eſt) cùm tot motibus vndique conquaſſatur & cõcutitur. ſi inquam ante omnia metuat iram diuinam; doleat quòd Deũ offenderit; erubeſcat ob nimiam in illum ingratitudinem; indignetur quòd peccauerit; grauiter ferat ſuã impuritatem; vnde paulatim incipit ſibi diſplicere, indignum vt viuat exiſtimare, & abominari ſe haud aliter, quàm ſi nauſea quędam ſibi oboriatur, & petat vomere, (neque enim ſcio quis ſtomachus tantas ferre poſſet ſordes, non vomituriens) diſponens ſeſe ad diuinum iudicium me-

Spiritus ſanctus eſt artifex perfectiſſimus. Sap. 7.

Quid ſit cor contritum.

Effectus contritionis.

um meditandum, quasi frigore contremiscit, haud aliter, quàm si ante tribunal Dei sisteretur. Dicit itaque; *Heu mihi, frigidus horror Membra quatit.* Maledicit vitæ anteactæ, nec eam vitam censet, sed mille mortibus peiorem, cùm in ea semper cum summa Dei vixerit iniuria: cùm viuere nunquam optare debuisset, nisi ad honorem Dei, eiusque gloriam. Proponit denique in posterum non peccare, etiam si moriendum esset: sed contra peccatum etiam cum vitæ periculo decertare, simulque certò statuit, confiteri & pœnitentiam agere quæcunque tandem illi pro commissis peccatis iniungetur, vt satisfaciat quodammodo, & Deum sibi reddat propitium. Non legisti; *Fili peccasti? ne adijcias iterum, & de præteritis deprecare, vt tibi dimittantur?*

Eccli 21.

Motus cordis.

Hi sunt nouē motus cordis, qui respondent nouem lyræ Orphei fidibus, quæ totidem fuere, vt scitis. Ille septem tantūmodo vtebatur; Terpander duas adiunxit: vt quot Musæ, tot essent fides. Agite, ite nunc securè Nobiles Romani & Romanæ, Aulici, & Cortisani, vbi nouem has chordas pulsaueritis, cùm sic estis dispositi, cùm sic contriti. Abijcite vos ad pedes Sacerdotis. Hoc namque modo absque vlla controuersia diuina clemētia è cælo detrahitur. *DIxi, Confitebor aduersum me iniustitiā meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei,*] inquit Dauid. Magnum profectò peccatum sit necesse est, quod Dominus sic dispositis non remittit. Non ignoscit Deus vt homines, qui sæpe inimicis dimittunt, & tamen acceptæ iniuriæ memoria alta mente manet reposita. Illud non est absolutè & omnino dimittere, sed ad tempus. Deus planè remittit, & memoriam præteritorum peccatorum penitus delet. Non audis; *Omnium iniquitatū eius non recordabor?* Illud est Dauidi, Roma, peccatū tegi, cùm dicit; *BEati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.*] Remittere seu condonare, & tegere seu obliuisci, & non recordari, duæ quidem distinctæ sunt gratiæ, sed vtraque fit à Deo; itaque pro vna eademque capitur. O quot inueniuntur hodie, qui iniuriarum obliuiscuntur, & videntur singulari sympathia erga fratres suos affici, lachrymantur & ingemiscunt

Psal. 31.

Non ignoscit Deus sicut homines.

Ezech. 18.

Psal. 31.

ſcunt cùm illis reconciliantur; ſed nō durat hæc compaſſio, niſi in certos aliquot dies. eſt tanquam pluuia menſe Aprili, quæ confeſtim ceſſat, & tanquam ros matutinus, qui oriente Sole mox abſorbetur: Teſtatur hoc Propheta; *Miſericordia*, inquiēs, *veſtra quaſi nubes matutina, & quaſi ros manè pertranſiens.* Non ſic obliuiſcitur peccatorum noſtrorum Deus; ſed obliuiſcitur in æternum. Sed & licet tanquam ingrati denuo peccemus, nouis tamen iſtis peccatis non mouetur ille, vt gratiam nobis factam exprobret, aut noua ſimul & antiqua peccata denuo imputet; ſed non maiorem illorum habet rationem, quàm ſi nunquam illius Maieſtatem offendiſſemus. Illud eſt apud Dauidem non imputare peccatum, cùm dicit; *BEatus vir cui non imputauit Dominus peccatum.*] O profundam eruditionem Dauidicam. Imputari operā quæ facimus ad iuſtitiā, vt Paulus ait, eſt eorum habere rationem, vt aliquando remunerentur, tanquam æterni præmij meritoria. Non imputari peccata, eſt illa non rea mortis æternæ cenſere; vnde vox illa Reatus etiam in ſacris litteris; *Percuſſit Dominus populum ſuum pro reatu vituli, quem fecerat Aaron*; actus peccati mox tranſit, ſed macula & reatus permanent, donec illa abluatur, & hic abſoluatur: quod plerunque fit in Sacramēto Confeſſionis. O quot mihi hic dicenda, & quidem vtiliter, occurrunt?

Osee 6.

Quid ſit imputari opera, & non imputari peccata.

Exod. 32.

Scitis infinitum beneficium, quod exhibuit, exhibetque nobis Chriſtus, non vno verbo poſſe exprimi, ideoque ſacras litteras multa cumulare epitheta, glorioſoſque titulos multos cōgerere, vt beneficiū Chriſti aliquo modo deſcribant. nunc vocant illum Propitiatorem, Redemptorem, Mediatorem; aliquando Defenſorem & Aduocatum; nonnunquam Iudicem & Teſtem; ſubinde Dominum, Magiſtrum, Fratrem & Saluatorem. Omnia enim hæc nomina illi, ſi cui alteri conueniunt. Propitiator eſt, quia remittit peccata. Redemptor eſt, quia ab Inferni captiuitate redimit. Mediator eſt, quia pacem inter hominem & Deum reſtaurat. Defenſor eſt, quia aduerſus Diabolum defendit. Aduocatus eſt, quia cauſam noſtram coram diuinæ iuſtitiæ tribunali peragit. Legiſlator eſt, quia timore ſuo ab impia nos vita reuocat. Iudex eſt, quia

Epitheta & tituli Chriſti.

rebelles castigat, & fragiles atque infirmos absoluit. Testis est, quia coram Patre suo nos excusat. Dominus est, quia in necessitatibus nostris nobis opitulatur. Magister est, quia viam virtutis docet. Frater est, quia partem nobis & in gratia & in amore suo nobis largitur. Saluator est, quia nos in Regno suo cælesti glorificat. Sic econtrariò Domini mei, quia tot ac tanta sunt mala atque incõmoda, quæ secum adfert peccatum, vt vno verbo simul significari non possint, sacræ Scripturæ, quando de peccatorum remissione loquuntur, multis, varijsque vtuntur metaphoris. Sic dicunt peccatorem mundari & lauari: *Effundam super vos aquam mundã, & mundabimini ab omnibus inquinamẽtis vestris. Ampliùs laua me ab iniquitate mea.* Sic peccator dicitur sanari; *Sana me Domine, & sanabor: saluũ me fac, & saluus ero.* Sic dicitur peccatum deleri; *Et omnes iniquitates meas dele.* Dicitur solui; *Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælis.* Dicitur tegi; *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Dicitur dimitti; *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniã dilexit multum.* Dicitur redimi; *Peccata tua eleemosynis redime.* Dicitur non imputari; *Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatũ.* Dicitur peccator à morte resuscitari; *Surge qui dormis, & exurge à mortuis.* Dicitur in tenebris fuisse, & nunc ad lucem venire; *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Intelligitísne horum omnium rationes? Peccatum excæcat, tollens lumẽ supernaturale diuinæ gratiæ; coinquinat & commaculat conscientiam, tantùm quam turpe quod & homine indignum: reum peragit coram Domino, tanquam iniuria suæ Maiestatis non infima. depauperat, tollens omne bonum spirituale. honori detrahit, diffamando nos in conspectu Angelorum, & totius aulæ cælestis. captiuos nos tenet, priuans benefaciendi libertate. ligat nos catena malæ consuetudinis. adducit nos in periculum prolabendi de malo in peius, de peccato in peccatum. vulnerat nos in bonis naturalibus, occidit in gratuitis. Hac de causa lauatur peccatum quoad maculam, tegitur quoad infamiam, deletur quoad notam, quæ remanet quomodo cicatrix post vulnus; remittitur quoad pœnam,

Modi quibus Scriptura vtitur ad designãdam peccatorum remissionem.

Ezech. 36. — Psal. 50. — Hier. 17. — Psal. 50. — Matth. 18. — Psal. 31. — Luc. 7. — Dan. 4. — Psal. 31. — Ephes. 5.

Effectus peccati.

Beneficia remissionis peccatorũ.

nam, non imputatur quoad culpam, ignoſcitur quoad iniuriam, ſoluitur quoad nodum, qui conſtringit & impedit nos ne bonum faciamus: redimitur peccator, quia erat ſeruus Diaboli: illuminatur, quia erat in tenebris quoad intellectum propter ignorantiam; reſurgit, quia in oculis Dei propter vitam malam mortuus erat. O quantum beneficium remiſſio peccatorũ? Non obſeruaſtis aliud illud verbum, quod nolo ſolũ intactum maneat, quòd peccatum transfertur? *Transtulit Dominus peccatum tuum.* Transfertur ab homine ad Diabolum. Deus enim culpam noſtram in illum conijcit, maledictiones quæ antea inuolebant nos, in illum conuertit. O ſummam iuſtitiam. Scitis autem quòd in primo illo peccato non Adamo, non Euæ, ſed ſoli Diabolo maledixit. Hoc eſt quod Propheta dicere voluit; *Proijciet peccata noſtra in profundum maris.* O magnam virtutem pœnitentiæ. Audiſtíne Sacerdotem, cùm confeſſus es, in abſolutione quam tibi impartitur, dicere; *Indulgentiam, abſolutionem & remiſſionem peccatorum tuorum* &c. Quid ſibi vult hoc? Indulgentia refertur ad offenſam Dei, quod tanquam vnum donum æſtimat Sacerdos, quaſi compromiſſarius cauſarum quę inter te & Deum agitantur. *Si quid donamus, in perſona Chriſti donamus,* inquit D. Paulus. & eodem verbo vtitur loquens in perſona Dei, cùm dicit; *Donans nobis omnia delicta.* Hoc ipſum & Propheta qudam dicit; Deum non recordari peccatorum noſtrorum, ſi veram agamus pœnitentiam; *Omnium iniquitatum eius non recordabor.* Abſolutio refertur ad vinculum & obligationem pœnæ æternæ, quæ vocatur Reatus: quia omnis peccator reus eſt mortis, vt iam antea dictum eſt. & reatum hunc D. Paulus appellat chirographum noſtra manu ſcriptum, inſtrumentum quo miſer homo proprio conſenſu obligat ſeipſum Diabolo, & animam ſuam ſe illi debere fatetur. Vides itaque diſtingui inter peccatum & chirographum, *Donans nobis omnia delicta, & delens quod aduerſus nos erat chirographum.* Sanctus deinde Auguſtinus hanc vocem plurali numero donauit, dicens, chirographa peccatorum. Paulus enim loquebatur de communi reatu peccati originalis. Conſtat tamen omne pecca-

Peccatũ per pœnitẽtiam transfertur ab homine ad Diabolũ.

Mich. 7.

2 Cor. 2.

Col. 2.

Ezech. 18.

Chirographum quid ſit.

Col. 2.

tum propriũ suum habere reatum, & propriã suam obligationem: ille fuit naturæ, hi sunt personarum. Remissio denique refertur ad pœnas temporales, quia etiam in virtute pœnitentiæ Sacramentalis, sanctæ confessionis & absolutionis, etsi non omnino tollantur, remittuntur tamen, hoc est, mitigantur & eleuantur, tam in hac vita, quàm in futura in Purgatorio, pœnæ omnes quibus propter peccata sumus obnoxij. O magnam virtutem confessionis & absolutionis, in qua verè consistit præcipua substantia pœnitentiæ sacramentalis, de qua scriptum est, & de qua Christus locutus est post resurrectionem; *Oportuit prædicari in nomine eius pœnitentiam in remißionem peccatorũ?* Cùm dicitur; *Age pœnitentiam, & prima opera fac. Pœnitemini, & credite Euangelio. Pœnitentiam agite, appropinquabit regnum cælorum. Noluit pœnitere à fornicatione sua.* In his omnibus vox pœnitentiæ non significat aliud, quàm actionem pœnitentialem. quando dicitur; *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, accipitur pœnitentia pro habitu, à quo nascuntur actus. quemadmodum enim ab habitu confessionis oriuntur opera prudentia, consilia, electiones, iudicia; sic ab habitu pœnitentiæ nascuntur actus & opera quæ ostendunt verum pœnitentem. Cùm S. Paulus dicit; *Ne quando det illis Deus pœnitentiam, & resipiscant à laqueis Diaboli.* & alibi; *Non inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis inquisißet eam*; Loquitur de gratia pœnitẽtiæ. Vt enim verum fateamur, omnis pœnitentia, quantũuis aspera, quam homo facit ex se, tanquam ex se, peccata sine diuina gratia delere non potest; ita vt & ipsa pœnitentia donum Dei sit. Vnde & Lucas cùm refert pœnitentiam Petri, hæc verba præponit; *Respexit Dominus Petrum, & egreßus fleuit amarè.* In hoc verò loco, vbi Christus dicit, oportuisse se mori, & ad salutem mundi resuscitari, vt pœnitẽtia prædicetur omni genti in remissionem peccatorum; pœnitentia accipitur pro Sacramento confessionis Sacerdotalis, quod vti & alia Sacramenta virtutem habet & efficaciam mortis Christi: ita vt illo mediante Sacerdos absoluat & remittat peccatoribus suorum peccatorum debita. Cur baptizaris homo, si Sacerdos te baptizando pecca-

[Margin notes: Luc. 24. — Apoc. 2. — Mar. 1. — Matth. 3. — Apoc. 2. — Diuersæ significationes vocis pœnitentiæ. — 2 Tim. 2. — Heb. 12. — Luc. 22. — Luc. 24. — Pœnitentia suam habet vim à morte Christi, & ea mediante absoluit Sacerdos à peccatis nostris.]

peccata tibi nō remittat? Etsi baptizando te tibi remittat peccata, cur non etiam remittet, si per manûs impositionem te absoluat? Quæ est illa differentia, quam tu somnias inter remittendum peccata lauando, & absoluendo? Estne vtrumque ministerium? nónne vtrobique nomen Dei inuocatur? Dignitatem igitur & authoritatem Sacerdotalem acceptas vbi vis, & vbi non vis reijcis? O non ferendam arrogantiam. Ministerium Sacerdotū, Christiani, efficax est in omnibus Sacramentis. Quemadmodum itaque tu teipsum non baptizas, vt peccata tua tibi dimittantur: ita non potes absolui à teipso, vt sis absolutus: sed oportet accedere Sacerdotem, qui habet claues te ligandi & soluendi. si te ligauerit, ligatus es; si te absoluerit, absolutus es. Non possumus à nobis ipsis absolui.

Ambrosius pœnitentiam vocat vsurpatā, cùm homo proprio suo iudicio absque censura Sacerdotis absoluitur (i. absolui se putat) à peccatis suis, & præcepto diuino satisfecisse arbitratur, quomodo faciunt hodie, qui hæreticos imitantur, verbis illis D. Pauli malè intellectis decepti; *Probet autem seipsum homo.* 1 Cor. 11. facta tumultuaria rudiq́ue conscientiæ suæ discussione, authoritati Sacerdotis se nequaquam humiliantes, in festo Paschatis ad sacram Synaxin veniunt. O miseri, ô miseri. *Probet autem seipsum homo.* sed non per seipsum, non per seipsum; sed per alium, per alium. *In causa propria Aduocatum quære.* Audite S. Ambrosium. *Ista grauis est culpa conscientiæ, vt sine Iudice ipsa se puniat. Melius est ergo quiescere, cùm exercere non queas opera pœnitentiæ, ne ipsa pœnitentia fiat, quod postea indigeat pœnitentia: quæ si semel vsurpata fuerit, neque iure celebrata, nec prioris fructum obtinet, & aufert vsum posterioris.* Nolite itaque dicere Docti; Si homo absolutus sit à Deo, vt quid necessaria est absolutio Sacerdotis? & si Deus non absoluerit, quid prodest absolui à Sacerdote? Mementote Christum præcepisse Apostolis, vt soluerent Lazarum, qui paulò antè fuerat ab illo resuscitatus; & sufficiat vobis hoc. Non absoluit prior Deus, & postea Sacerdos; sed prior Sacerdos, posterior Deus. Sacerdos prīor soluit, posterior Deus. Non obseruastis quid Christus, & quomodo loquatur in hac materia? Non dicit; *Quorum re-*

misero peccata, remittite: quorum retinuero, retinete. Quæcunque soluero, soluite; quæcunque ligauero, ligate. sed in-
Matth. 18. uerso modo dicit; *Quæcunque solueritis super terram, soluta erunt & in cælo. Quæcunque ligaueritis, erunt ligata.*
Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: quorum retinueritis, retenta sunt.* O quàm dilucidè dictum est à Diuo Bernardo, vbi incidit in laudem S. Petri Hierarchæ S. Ecclesiæ, & post Christum fontis Sacerdotij, qui claues Regni cælorum tam singulariter accepit. *Præcedat sententiam cæli sententia Petri.* Alioquin Sacerdos nec solueret, nec remitteret: sed ostenderet tantùm, & declararet peccatorem absolutum, & remissionem consecutum esse. Hoc potuit Moyses, hoc Aaron, hoc Eleazar, hoc ipse Caiphas Princeps Sacerdotum Iudaicorum. Sacerdos Euangelicus non tantùm ostendit absolutionem, & remissionem; sed verè absoluit, verè remittit. Præcedit itaque absolutio Sacerdotalis absolutionem Dei. Ideo Sacerdos priùs orat; *Dominus noster Iesus Christus te absoluat* &c. deinde officium facit suum. *Et ego authoritate eius te absoluo.* Hanc absolutionem ministerialem deinde sequitur absolutio principalis: quæ illam ratificat & confirmat. Hoc est quod Christus dicere voluit; *Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Ego cum omnibus ordinibus, totaque militia cælesti laudabo & approbabo sententiam, quam vos pronunciabitis in terra. Nescitis in omnibus curijs & tribunalibus minorem iudicem priùs sententiam dicere, maiorem verò, seu superiorem illam approbare & confirmare? Doctrina hæc certè vtilis est & salutaris, primò ipsis Sacerdotibus, vt admoneantur ne in peccatoribus ligandis & soluendis sint indiscreti: habent enim iudicem in cælo qui sententiam illorum reuidet, vt aiunt, & examinat. deinde & ipsis hominibus, vt sint circunspecti, qui siue iustè siue iniustè iudicati fuerint à Sacerdote, humiles semper esse debent, ne si fortè iniustam sententiam acceperint, ea propter illorum arrogantiam fiat iusta coram Deo, qui ad honorem suorum ministrorum duriùs illos ligabit; quos forsitan, si humiles fuissent, pro sua pietate & misericordia absoluisset.

Sacerdos Euangelicus nō solum ostendit peccatum remissum, sed verè remittit.

Prou. 28. Agite, agite Christiani ad confessionem. *Qui abs-*

conderit scelera sua, non dirigetur, inquit Salomon, *Qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur*. Quid autem vtilius est mundo hac confessione? est euomitio quædam omnium malorum humorũ in pestilenti quadam infirmitate: est eiectio omnium dolorum tuorum, cùm non inuenias aliud remedium. est arcani pectoris tui manifestatio quædam coram charissimo Patre tuo, qui nunquam in necessitatibus tuis te deseret. Est detectio secretorum tuorum vulnerum in conspectu medici, sine qua non potes ab illo curari. est relatio & expositio causæ tuæ corã Aduocato, qui te defendet apud iudicem ipsum Christum: est præsentatio humilis coram arbitro vel compromissario, quem Deus elegit, vt iudicet inter se & te. Est commendatio quædam, qua te commendas amico cuidam charo, qui nihil non potest apud eum, qui mundo dominatur: est petitio consilij à diuino oraculo in re dubia, quæ nec à te, nec ab alio commodè potest determinari. Quid dico? Est obedire Deo, & eius Vicario, vt & in cælo & in terris absoluaris: est reconciliari toti Ecclesiæ, quæ grauibus tuis peccatis erat offensa. Est nouum fieri viuumq; membrum spirituale magni istius corporis mystici, & gratias illius omnes participare, cùm antea tanquam membrum putridum & mortuum excludebaris. Est denique appellatio quædam à Deo ad Deum, à Deo in se, ad Deum in homine. Deus in se vult te punire, Deus in homine tibi delictum ignoscit. Vincis itaque Deum per Deum, quotiescunque confiteris. hoc est, cogis eum vt remittat tibi authoritate sacerdotali, cùm ipse dixerit Sacerdotibus in Apostolis; *Cui remiseritis, remittuntur ei*. O omnipotens confessio. *Præoccupemus, præoccupemus faciem eius in confessione*, inquit Dauid. Vultis vobis dictum illud Dauidis explicem; *Præoccupemus?* Deus iudex est nostrorũ peccatorũ, sed & nos sumus iudices. *Est, est locus præuentioni*, Aulici; si nos ipsos iudicemus, Deus non iudicabit secundò: si nos non incipiamus, incipiet Deus, & nostra authoritas locum postea non habebit. *Præoccupemus, præoccupemus* tremendum illud iudicium Dei; *Præoccupemus* horrendam illam sententiam; *Præoccupemus* crude-

Confessionis quanta sit vtilitas.

Psal. 94.

Et Deus & nos iudices sumus nostrorum peccatorum.

crudelem illam condemnationem. *Præoccupemus faciem eius in confeßione:* quod si fecerimus, & Deus secundò nos iudicare voluerit, dicere nobis licebit; *Feci*
Psal. 118. *iudicium & iustitiam, ne tradas me calumniantibus me.*
1 Cor. 1. Non auditis Paulum, qui spondet vobis, quòd denuo
Iudicari hoc pertinet ad satisfactionẽ. non iudicabimini; *Si nosipsos*, inquit, *iudicaremus, non vtique iudicaremur?* O verè beatos pœnitentes. Sed istud iudicari pertinet ad Satisfactionem, quam
Matth. 3. S. Baptista vocat Fructus dignos pœnitentiæ. Fructus
Fructus iustitiæ & pœnitentiæ. iustitiæ sunt opera meritoria, fructus pœnitentiæ sunt opera (vt ita loquar) satisfactoria. Quæ autem ratio mouere vos poterit, Domini mei, vt existimetis non teneri vos, vt accusetis, vt iudicetis, & condemnetis vosipsos, imò, vt quantum in vobis est, ob summam illam Dei offensam Maiestatem non satisfaciatis?

Persuasio pulchra ad pœnitentiam. Quòd si quis te offendat Romane, non quiescis priusquam iudicio Equitum & Nobilium tibi satisfiat. Mundum sursum deorsum vertis, donec tibi pro tuo arbitrio satisfiat, vt honori tuo consulatur. Offendes autem tu, ô terræ vermicule, summum illum Deum, & recusabis illi satisfacere? Honorẽ Deo suffuratus es, & non vis illi restituere? Vis vt ille accipiat iniuriam à te, & tu bene fecisse videaris? Certè non est Eques honestus, qui alii Equiti iniuriam fecit, & non promptissimus est ad satisfaciendum illi in conspectu aliorum Equitum, quo sic honori læso, quod detractum est, restituatur. Si itaque humana ratio doceat hanc satisfactionem inter homines, & propterea laudetur, & vsurpetur, & honestum ducant viri magni etiam nominis, huic negotio sese miscere, suamque authoritatem interponere, si quando vocentur; quî fieri poterit, vt non pudeat nos huius temeritatis, qui volumus nobis licitum esse omni hora maximam illam bonitatem Dei varijs iniurijs afficere, ita vt primi & soli simus in hoc scelere, nec Deus à quopiam magis, quàm à nobis possit offendi, indignè tamen & grauiter ferimus, si quando dicatur à concionatoribus, obligari nos ad satisfactionem, vt restituatur Deo suus honor, qui, quantum à nobis est, omni hora mille modis læsus & violatus est? Ite, ite & erubescite: pudeat vos istius hæreseos, in cordibus vestris malè natæ, cre-

ſcentis peſſimè. Optimè dictũ eſt à Dauide. *IN diluuio aquarum multarũ ad eum non approximabunt.*] Hæ ſunt aquę illę pernicioſæ, quæ non ſinunt nos ingredi portum, pœnitentiam agere, & ad Chriſtum conuerti. Pſal. 31.

Aliter vobiſcum ſtatuite; Quòd ſi rationi ſit omnino conſentaneum, vt omni homini ſatiſfiat à vobis, quando læſus eſt, multò certè magis cum ratione pugnabit, nolle ſatiſfacere Deo, mille iniurijs à vobis laceſſito. Non eſt neceſſe, ô Docte, (vt ſemel hanc materiam concludam) non eſt dico neceſſe, vt diu tecum perpendas, quomodo Deo irato ſatiſfacies, eumq́ue tibi reddes beneuolum. iam enim tibi factus eſt amicus, quandocunque ſaltem cogitas, quòd illi ſatiſfacere deſideras, quocunque modo poteris. Vidésne vix inter Equites factam ſatiſfactionis mentionem, & ſtatim iram vtrinque poni, totumq́ue negotium ijs Dominis commendari, qui ad componendum pacem inuitati ſunt? Non iam poſcitur illa vindicta, nec illa ſatiſfactio integra, quæ ad rigorem iuſtitiæ pertinet: ſed illorũ iudicio acquieſcitur, qui æquitatem, quam Græci ἐπιείκειαν vocant, ſeruandã ſectandamq́ue conſulunt. Eodem planè modo res ſeſe habet inter Deum & nos. cùm enim certò ac deliberatè nobis conſtitutum eſt, Deo nos velle pro offenſis ſatiſfacere, contentus eſt ille exiguo hoc quod poſſumus, nec aliquid ampliùs requirit. Non exigit omne id quod illi debemus: non enim iam ampliùs nobis iraſcitur, ſed propitius eſt, placatusq́ue: ideo & fragilitatis noſtrę miſeretur. Nõ audis quomodo hoc ipſum fateatur D. Paulus; *Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ; ſicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibite membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem.* An ignoretis inter patrem & filium, inter maritum & vxorem, inter dominum & famulum (vt Philoſophi morales aſſerũt) nunquam poſſe fieri iuſtitiã ſecundùm æqualitatem? Filius enim totus eſt in poteſtate patris, vxor in poteſtate mariti, & ſeruus in poteſtate domini: & pater nimiùm excedit dignitatem filij, maritus vxoris, & dominus ſerui. Dicite mihi quæſo quomodo recurrit pœnitẽs ad Deum, niſi quomodo ſeruus ad dominũ?

Quàm cõueniens ſit ſatiſfacere Deo

Rom. 6.

Sicut

Psal.122. *Sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.* Nisi quomodo filius ad patrem? *Pater peccaui in cælum & coram te, ideo non sum dignus vocari filius*, imò nec seruus. Quomodo sponsa ad sponsum; *Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, & ego suscipiam te.* Non igitur à pœnitente requiritur, vt satisfaciat Deo sic, vt satisfactio æqualis sit debito, siue illatæ par iniuria. Non, non; sed quod potest filius facere patri, quod seruus Domino, quod vxor marito, hoc faciat pœnitens Deo, & satisfecit. Non est Deus tyrannus, est Dominus, & Dominus clementissimus; est pater, & pater amantissimus; est sponsus, & sponsus quidem amans tenerrimè: vt enim suarum gratiarum donator est liberalis, ita pœnarum exactor est non acerbus & rigidus, sed perquam benignus. In alia vita, cùm quis in peccato moritur, non poterit satisfacere, vt prosit aut sufficiat; sunt enim inferni supplicia perpetua. Et quis est, qui dicere audeat, etiam in hac vita à nobis, tanquam ex nobis, Deo pro illatis iniurijs in solidũ posse satisfieri? sed hoc dicimus, non tam facili negotio nos veniam delictorum impetrare, quàm Iudæi & Turcæ, cùm ad lauacrum regenerationis primùm veniunt vt baptizentur. Illis non præcipitur vt confiteantur, illis non iniungitur pœnitentia. illis satis est vt credant, & in posterum bene viuant. Neque tãtas gratias plerunque nos à Deo possumus obtinere, quantas illi. Deus enim illis simul remittit omnem reatum pœnæ, tam temporalis, quàm æternæ: ita vt morientes absque vllo Purgatorio transuolent in cælum, tanquam homines noui, qui ne momentum habent aut micam Adami veteris; cùm nos pœnitentes non simus noui, sed renouati; non nati, sed curati; non creati, sed restaurati. Et quis scit si D. Paulus huc respexerit, cùm ad Hebræos ea scripserit verba, quæ videntur Christianos & Christianas omnes in desperationem adducere, postquam peccauerint; *Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, rursum renouari ad pœnitentiam?* Nisi fortè locutus sit hyperbolicè, aut de aliqua hæresi, aut saltem de aliquo peccato in Spiritum sanctum. Vt vt est, Romani,

Luc.15.

Hier.3.

Deus non est tyrannus, sed Dominus, Pater & Sponsus.

Nos à nobisipsis Deo perfectè satisfacere non possumus.

Quid sit homo pœnitẽs.

Heb.6.

mani, nemo vestrum desperet: volo vt omnis pœnitentia quantumuis magna, vobis leuis esse videatur: dum consideratis quis sit Deus, qui vos, & quale genus iniuriæ sit, quo Deū offendistis. Volo præterea vt certo certiùs hoc vobis persuadeatis, quòd si in quopiam vestrum omnia totius mūdi, imò infinitorū aliorum mundorum peccata simul essent collecta, maiorem multò esse diuinam misericordiā omni hac miseria. Vnum tantūmodo vos oro, peccatores & peccatrices, notate verba Dauidis, quæ (cùm gratiam à Deo impetrasset) protulit; *PRo hac orabit ad te omnis Sanctus in tempore oportuno.*] O verba nunquam non recogitanda. *In tempore oportuno, in tempore oportuno.* Meministísne Christum simile quid dixisse in Euangelio de cæco nato? *Me oportet operari donec dies est. Venit nox quando nemo potest operari.* Et Paulus; *Dum tempus*, inquit, *habemus, operemur bonum.* Diuina misericordia non est vlli tempori deuincta seu alligata: ea enim super omne tempus operatur, sed nos subiecti sumus tempori: & celeriter cum tempore auolamus, nec ipsi animaduertimus. Agite, nolite tempus concedere tempori, nolite dicere; *Cras hoc faciam*, cras concubinam deseram; cras iniustè quæ possideo restituam; cras confitebor; cras condam testamentum meum; Audi potiùs quid Ethnicus dixerit Poëta;

Misericordia Dei superat omnia peccata nostra, quantumuis multa & magna

Psal.32.

Ioan.9.

Gal.6.

Dic mihi cras istud Posthume quando venit?
Eia age rumpe moras, nocuit differre paratis,
Qui non est hodie, cras minùs aptus erit.

Hodie, hodie Auditores. Viuite hodie, viuite hodie, nolite vltimū vitæ vestræ momentū expectare. pœnitentiā agite dum adhuc peccare potestis quòd si pœnitentiā egeritis, cùm peccare ampliùs non potestis, peccata deserūt vos, non vos peccata: imò peccata nō deserunt vos, sed veniunt vobiscum. *Opera illorum sequentur illos.* Bona & mala opera, merita & peccata vos in futuram vsque vitam comitantur. Hinc oriūtur supplicia æterna, quia peccata æterna sunt. Quòd si diutius vixissetis, diutius peccassetis: ideoque voluntati vestræ in malo continuatæ non alia debetur pœna, quàm perpetua & sempiterna. Audistísne aliquando egregium illud sancti Pontificis dictum; *Ad magnam iusti-*

Apoc.14.
Opera sequūtur homines.

iustitiam iudicantis pertinet, vt nũquam careant supplicio, qui nunquam carere voluerunt peccato. Voluissent enim impij sine fine viuere, vt potuissent sine fine peccare? Dominæ meæ, Aulicæ, Cortisanæ, si quæ vestrum sit libidinibus dedita, non expectet annos graues, decrepitamque senectutem, cùm libidinibus tuis eris satiata, & amatores tui te rugis obsitã vltro fugient: nunc, nunc, dum hæc loquor propone meliora, statue tecum è templo in congregationem Conuertentium se, seu Conuersarum abire, atque in illo sancto carcere toto vitæ tuæ tempore peccata tua sincera pœnitentia eluere. O quàm grata est Deo hęc pœnitẽtia, Christiani, si fiát à nobis florentibus adhuc annis, sanis, robustisque corporibus, integris viribus, quando visus est acutus, quãdo auditus est promptus, cùm pedes nondum vacillant, cùm vultus adhuc serenus & iucũdus, cùm capilli flauent, caro est læuis & formosa, intellectus viuax, sensus optimè dispositi. Ecquod amoris diuini indicium dabit vir ille, aut illa mulier, quæ non dat, priusquam iam illi seruire nequeat? cùm ampliùs nec sibi, nec alijs esse potest vtilis? cùm mundus iam illum aut illam aspernatur? cùm frontem senectus exarat rugis? cùm pallẽt genæ? cùm dolent ossa? cùm lippiunt oculi? cùm aut nulli aut otiosi sunt dentes molares, atque in sua feriantur moletrina? cùm crura, quæ quasi columnæ sunt & bases totius corporis, titubant? cùm iudicium intellectûs obscuratur? memoria fallit, sensus verum non percipiũt? cùm membrorum iuncturæ soluuntur, cùm corpus omne præda fit stomacho, visceribus, febribus? cùm vita iam pœna est, & à morte quasi obsidetur? cùm non poterit homo nec loqui, nec sua negotia disponere? cùm non cogitat de se, quia est extra se?

Pœnitentia facta in iuuẽtute, quantopere Deo placeat.

Non dico hominem in extremo illo termino non posse saluari, quia misericordia Dei superat omne iudicium: sed hoc dico Romani, apprehendite quod certum est, non quod incertum; quod securum est seruate, non quod dubium. Nolo vobis magna polliceri, quia nolo vos ne in minimis decipere: incertum est an in fine gratiã apud Deum inuenietis: certissimum autem est, si nunc conuertamini, Deum vobis suam gratiam

Incerta est gratia pœnitẽtiæ hominibus iam vsque in finẽ vitæ differenti.

gratiã denegare non posse. Surgite, surgite peccatores, ad Dominum contritis cordibus currite: neminem aspernari poterit infinita illa iustitia: dicat vnusquisque cum nostro pœnitente, imò cum omnium pœnitentium speculo Dauide;

Quid homo conuersus ad Deum dicere debeat.

Psal. 88.

Memorare quæ mea substantia sit: nunquid enim vanè constituisti filios hominum? Non dico Domine, vt fragilitatem carnis meæ aspicias: nescio enim an tu eam fragilem condideris, sed fragilior facta est culpa mea, & ex me damnum est quod patior. Non dico vt memoreris animæ meæ miseræ atque inopis, quę per te erat creata opulentissima: ego eam depauperaui, non est æquũ vt tu illius rationem habeas. Non dico vt pietate motus respicias humanæ naturæ corruptionem: tu eam creasti sanctam, mundam, incorruptam, vt panem azymum. Nos eam corrupimus, nos eam vitijs nostris fermentauimus, & quicquid inde secutum est, nos meruimus. Sed dico Domine; *Memorare quæ mea sit substantia.* Antiqua mea substantia quam habui, non fuit mea: si mea fuisset, non amisissem. aut si mea fuerit, sufficit, quòd ampliùs non est mea. Habeo nunc aliam substãtiam, quam amittere non possum. *Memorare, memorare quæ sit substantia mea.* non quæ fuerit, non quæ fuerit, quæ sit, quæ sit. Et quæ est ista Domine?

Heb. 1.

Tu autem idem ipse es, tu autem idem ipse es. Tu mea es substantia Deus. tu non ampliùs es spiritus tantùm, spiritus es & caro es; Deus es, & homo es. Tu & ego corpus vnũ sumus, caro vna, sanguis vnus, & vnum os.

Genes. 2.

Hoc os de ossibus meis, & caro de carne mea. Tu carnes meas, sanguinem meum, & ossa mea assumpsisti. Eras Deus vltionis quamdiu spiritus tantùm eras; non miror, quæ namque maior contentio, quàm quæ inter carnem est & spiritũ? Tu itaque duo hęc extrema in temetipso coniunxisti, necesse est si amaueris te, ames & me. Nam cum tu spiritus eras, ego eram caro; ecce tu etiam caro factus es. *Memorare, memorare quæ mea sit substantia.* Isto tuo corpore, & isto tuo sanguine ego viuo. his vescor, his pascor. An non præceperis mihi vt carnem tuam mãducarem, & sanguinem tuum biberem?

Ioan. 6.

Caro tua verè est cibus, & sanguis tuus verè est potus meus. Ipsissima quoque diuinitas tua an non fiat in hoc sanctis-

simo

ſimo Sacramento cibus & potus meus myſticus?

Memorare, memorare quæ ſit mea ſubſtantia. Hæc eſt mea ſubſtantia, hæc, hæc. Per te, per te Domine, per tuam dico & meam ſubſtantiam ignoſce mihi. Quòd ſi haberem vitam infinitam, qualis eſt tua, quæ vitam omnium hominum & Angelorum in ſe contineret, & ſi corpus haberē maius mille cælis empyreis; imò, ſi maioris etiam capacitatis & nobilitatis corpus quis poſſet imaginari, in illo autem corpore meo anima eſſet præſtantior ipſa anima mundi, aut potiùs alia, quæ mille mundos poſſet animare, ex his omnibus ſacrificium tibi mille ignibus incēſum offerrem, exiguū eſſet ad peccata mea, quibus te offendi, expianda. *Nunquid vanè conſtituiſti filios hominum?* Nos lapſi eramus, tu nos erexiſti, & erectos confirmaſti, cum tua hac ſubſtantia ſuſtentaſti & fulſiſti. Cur enim hanc nobis ſubſtantiam donaſti, niſi vt erigamur, & in poſterum denuo non cadamus? Rogamus itaque Domine, eleua nos à peccatis noſtris, & ſuſtine nos, ne peccemus denuo. Hic finis eſt pœnitentiæ. Eſtote bono animo Romani, videtíſne quàm dulcis eſt Dominus, qui hodie in Euangelio vos ad bibendum inuitat, dicens; *SI quis ſitit, veniat ad me & bibat,*] vt ſignificet velle vos ſibi reconciliare? Cùm enim ſimul edunt & bibunt homines, ſignum pacis eſt & amicitiæ. Lætamini, pœnitentiam agite, & ſalui eritis. Quod vobis concedat Deus Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Amen.

CON-

CONCIO DE SANCTISSIMO DEI IN MORTE CHRISTI CONSILIO:

ET

DE PERVERSO IVDAEORVM CONTRA VITAM CHRISTI CONSILIO.

Habita Romæ in Palatio Apoſtolico, in aula Conſtantini, Præſente D.N. Papa Pio IIII. feria VI poſt Dominicā Paſſionis Anno incarnationis Dominicæ M. D. LXII.

IN EVANGELIVM IOANNIS

Collegerūt concilium Pontifices & Phariſæi, &c. Ioan.11.

PROOEMIVM.



OSTQVAM ſerenitate cæli & aëris tranquillitate iam reuertente, calore inſuper vitali creſcente, beati atque iucundi mundo dies oriantur, vnde natura reuiuiſcit & immutatur, campi vireſcunt, prata venuſtis floribus conſperguntur: (*Iam enim hyems tranſijt, imber abijt & receſsit, vox turturis audita eſt in terra noſtra*) Cant.2. rationi profectò conſentaneum eſt, nos etiam hoc tempore gratiæ ſerenari, & in animorum noſtrorum affectibus tranquillari; aſcendente præſertim ſupra horizontem Sole noſtro, & amore illius erga nos incaleſcente: pellamus horridam peccati & mortis ſpiritalis hyemem, inflammemur amore Chriſti noſtri, qui hodie tam

Ioan.11. voluntariè morti pro nobis addici voluit. *Quia expedit vt vnus homo moriatur pro populo, & non gens tota pereat.*] Hoc modo futurum est, vt sanctæ Romanæ Ecclesiæ redeat quasi iucũdissimum ver, noua florescens reformatione, & vos omnes Christiani tanquam turtures gementes, & tanquam columbæ meditantes viuificabimini, latitantes in sanctis illis cauernis petræ perforatæ, hoc est, Christi in ligno Crucis vulnerati & laniati. Sacramentũ diuinæ pietatis, & mysterium totius nostræ salutis. Salutemus priùs Beatam Virginem; nisi enim illa mihi gratiam & fauorem Dei impetrauerit, vereor immensam hanc mortis Christi abyssum ingredi. *Aue Maria gratia plena* &c.

PARS PRIMA.



DVM vt satisfaciam huic loco, his auribus, huic silentio, cum intimo animo meo perpendo, discutioque sacrũ huius diei Euangelium, in quo D. Ioannes cum digna historico sobrietate, nudis, Beatissime Pater, sed veris; planis, sed viuis; breuibus, sed grauibus verbis horrendum commemorat casum cæcæ & stultæ Synagogæ, quæ tanquam desperans & deplorata propter resuscitationem Lazari (quæ nunc pennis famæ per vniuersum vrbem volitans, quotidie magis magisque gloriam Christi, ad ignominiam Iudæorum augebat, infinitosque homines ad fidem Christi pertrahebat) hodie in hoc insolenti, peruerso & præcipiti consilio, aut timorem simulãs, aut verè timens Imperatorem & Romã, vt in statu suo, quo tunc erat, conseruaretur, seseque ab omni periculo expediret, nulla violatæ religionis habita ratione, indignationem, iramque suam occultans, & zelum simulans, furorem tegens, & necessitatem fingens, collegit maiores & principes suos, qui præ ceteris inuidia, odioque exstimulati, contra Christum (hæc est fera illa pessima, quæ in manibus fratrum mysticum nostrum Iosephum deuorauit) non aliter atque tauri feroces, leones famelici & canes rabidi (sic enim Spiritus sanctus eos appellauit) fremebant. Hi congregati, omni huma-

Breuis expositio Euangelij de cõsilio Caiphæ.

humanitate intus spoliati, foris autem amore Reipublicæ personati, in mortem Christi crudelissimè coniurârunt, dicentes, vt quidam Propheta testatur; *Eradamus eum de terra viuentium:* iuxta historiam Euangelicam, quæ ait, *AB illo autem die cogitauerunt eum interficere.*] Hier. 11. Ioan. 11.

Quoties recordor illius filij Crœsi, qui licet mutus à natiuitate semper fuisset, quando tamen militem vidit, stricto gladio capiti patris sui imminere, vt eum occideret, pietate motus & indignitate, illam naturæ vim intulit, vt vincula linguæ rumperet, elataque voce clamaret; *Quid facis? quid facis? Crœsus est; Rex Lydiæ est quem occidis: non agnoscis?* vix me continere possum, quin exiguo cum illo spiritu & flatu, quem in me sentio, (auditis enim me raucescere) vim faciam mihiipsi, & propter naturæ, Religionisque debitum exclamem, & voce illius Stentoris apud Homerum intonem; O proditores, ô scelesti, ô perfidi quid facitis? Retrahite manus, mutate consilium vestrum: author enim vitæ est, Rex gloriæ est, de cuius morte inter vos agitis: non cognoscitis? Vę illi qui in illius necem consenserit. *Videbunt in quem transfixerunt.* Ioan. 19.

Ceterùm, vt verum fatear, ô sanctissima corona, præstantiæ atque excellentiæ altissimi huius mysterij de morte Christi, quæ ab æternis annis diuinæ prouidentiæ decreta, omnibus præcedentibus seculis infinitis signis & figuris adũbrata, cuius memoria quotannis hoc tempore, quo mundus est renouatus, ab Ecclesia ex pietate & religione erga sanctissimum hoc sacrificium, solo amore sui factum celebratur, qua non potest esse maius diuinæ misericordiæ in homines testimonium, cui omnia ab ipsa mundi creatione seruierunt mysteria, & hostiæ omnes, quotquot in lege & in Prophetis immolatæ sunt: per quam ira Dei aduersus totum genus humanum peccato primorum parentum accensa placatur; in qua tota radix nostræ spei, nostræ gratiæ, nostræ gloriæ, nostri meriti, & præmij nostri est collocata; nimis exilis est, minimeque sufficit vnius horæ oratio, ad exaggerandum inconsultæ, præcipitisque Iudeæ temeritatem. Sed sufficiat tibi cælum & terram hanc acusare, petras ipsas

 aduer-

aduersus illam testimonium ferre, ipsum Moysen, in quo potissimùm gloriabantur, illam condemnare. Omnes nationes, omnes gentes & populos ratione huius sceleris Iudæam detestari & execrare. Italiæ populos ingenio mitissimos, amabiles natura, ceterisque nationibus benigniores, indignatione motos humano sanguine manus suas cruentasse, vt horrendum hoc scelus vindicarent. Ipsum denique Deum, qui amor ipse est, qui antea populum hunc ex omnibus gentibus fecerat sibi peculiarem, Iudeæ libellum dedisse repudij, non ampliùs cum illa commercium habere, tanquam profanam & amore suo indignam reiecisse. O miseram & infelicem Iudæam. Ecquis Propheta temerarium hoc & inconsultum consilium non palàm insultaret? *Nunc stent, & saluent te, si possunt, consilia tua. Væ vobis, vt faceretis consilium non ex me: vt ordiremini telam, & non per spiritum meum. Defecisti in multitudine consiliorum tuorum. In cōsilium vestrum non veniat anima mea; quia in furore vestro occidistis virum, vasa iniquitatis bellantia.* Et cur putatis sceleratū hunc Caipham, filiū mortis, mille mortibus reum, *Virum sanguinum, Virum Belial*, vt ait Scriptura, tam iniquum Præsidem, tam temerarium huius consilij determinatorem, aliàs vestem scidisse, nisi vt significaret, se tunc ignorasse quid faceret; vti iam nescit, quid dicit? indignum se illo Pontificatu profiteatur? & Iudæam, cuius ille typum gerebat, sacerdotio priuandam, eò quòd occideret summum Pontificem, summumque sacerdotem Iesum Christum benedictum, maiorem Aarone, maiorem Abrahamo, maiorem Melchisedecho, religionis, legis & sacerdotij authorem? Cum sacerdotio itaque translata est lex, translatum est Regnum; cessarunt sacrificia, Sabbatha, calendæ, nouilunia, & omnia eorum festa in æternum planctum conuersa sunt.

Omnis Propheta insultat huic consilio.
Esa. 47.
Esa. 30.
Esa. 47.
Genes. 49.
2 Reg. 16.
Caiphas cur scidit vestimentum.

Dies ille, Romani, quo Iudæi Christum occiderūt, non fuit illis dies, sed sempiterna nox: quia nec lux illis nata est, nec Sol ampliùs ortus. sed impijs illorum homicidarum animabus horrendæ tenebræ superuenerunt, quæ vsque in diem hodiernum oculos mentium illorum perstringunt; ita vt tanquam cæci, parie-

Dies quo Iudæi Christum crucifixerunt fuit eis perpetua nox.

parietem palpātes incedant. Deplorandum verò magis est, quod in illis cōplebitur prophetia huius diei; *Duplici cōtritione conteres eos Domine Deus noster*. Ibūt enim postea ab his tenebris interioribus, ad illas exteriores inferni, vt fiant socij Diaboli, cuius in maximo hoc sacrilegio mortis Christi fuere ministri. Agite Auditores, Iudæa confusa est, etsi non correcta. Ideo necesse est vt expandamus orationis nostræ vela, postpositoque consilio & peccato Iudæorum, consilium & charitatem Dei ob oculos constituamus, vt sanctis hisce diebus, quibus concionari non erit integrum, in sacrificio Missæ, in diuinis officijs, in stationibus, sedentes, euntes, orantes, legentes, vigilantes, campum patentem, materiamque sanctissimam passionem & pretiosissimam Christi mortem contemplandi habeamus. Passionem dicam, an victoriā? mortem dicam, an triumphum? Contemplandi, inquam, illam vt instrumentum diuinæ virtutis ad reparationem mundi fortissimum, tanquam vnicum salutis nostræ remedium, tanquam mortis nostræ portum, & vitę nostræ portam semper patentem. Qui peccator est, contempletur eam, vt peccata præterita detestetur, & à futuris perpetuò abhorreat. Nisi enim peccata fuissent, non fuisset necesse vt Christus moreretur. Qui est pœnitens, contempletur eam, vt exemplum pœnitentiæ; non enim vnquā fuit pœnitētia aut aspera magis, aut magis fructuosa morte Christi: imò omnis nostra pœnitentia, omnisque satisfactio nostra fuisset vana, nisi priùs pro nobis satisfecisset Christus. Qui iustus est & sanctus, passionem Christi contēpletur, vt doleat cum Christo, et cōpatiatur, qui tantis in tormētis pro ipso mortuus est, & præparet sese ad imitandum illum, vt cùm necesse sit, moriatur & ipse ꝓ fratribus suis. Qui proficiens est, contempletur eam, vt singulis horis & momentis amore diuino magis inflāmetur: nusquam enim dilucidiùs quàm hîc amor Dei erga homines spectatur. Qui perfectus est, cōtempletur eam, vt tantum admiretur excessum, vt gaudeat se tanti esse apud Deum, tanto ab eo haberi in pretio, & vt totus in sanctum illius mutetur amorem, cùm ipse totus impletus sit nostro dolore. Nemo hîc excipitur, nemo ab

Hier. 17.

Omnis status & conditio hominū debet contemplari passionem Christi.

Qui inspirus est contempletur eam
...
Qui ...

Omnis homo inuenit in passione Christi, quo confirmetur, pascatur, refocilletur.

hac contemplatione excusatur. In passione namque & morte Christi omnes inueniunt in quo confirmentur, quo pascantur, quo refocillentur. Arbor hęc Crucis vnà cum crucifixo est arbor illa Euangelica, ad cuius ramos aduolant aues omnes cæli, omnes animę cælestes, vt construant in illis nidos suos, in quibus suis fruantur amoribus. Si Scriptura dicat pretiosam esse mortem Sanctorum in conspectu Dei, quia mortui sunt pro illo; an non meritò debeat mors Christi esse pretiosior in conspectu nostro, cùm non sit mortuus nisi pro nobis? *IEsus enim moriturus erat pro gente,* ait Euãgelista, *& non tantùm pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.*] Ascendamus, ascendamus in gloriosam hanc & victoriosam palmam crucis Christi, & apprehendamus fructum à ramis illius dependentem. Non audis languisse præ nimio desiderio Sanctum illum, qui dicebat; *Ascendam in palmam, & apprehendam fructum eius?* Et quis est fructus hic, nisi Christus? Fructus ventris Virginis, & fructus arboris Crucis? Sed in Virgine quasi acerbus est & immaturus, in cruce verò maturus. Illic est viridis, hîc rubicundus. Domine

Ioan. 11.

Cant. 7.

Christus fructus ventris Mariæ & arboris crucis.

Hoc mihi dulce decus, sint hæc noua gaudia menti,
Has mihi diuitias, hæc mihi regna peto.

Ceterùm non videtis quot simul in hac materia se res offerunt, & nullam harum secundam esse velle; singulas vrgere primas partes, & vt primo loco dicantur contendere? Dignitas in primis illius, de cuius morte agitur, qui verè homo est & Deus, quem etiam Spiritus sanctus contra Spiritum maledictum, qui erat in corde Caiphę peruersissimo, per os illius hodie insigni illo condecorauit epitheto, vt diceretur, *VNus homo.*] Homo rarus, homo singularis, homo extra omnium hominum numerum, & solus talis in hoc mundo: conceptus sine peccato & sine semine, natus sine dolore & sine materni claustri violatione; qui vixit in anima semper beatus, vt daret vitam viuis; & mortuus est in tantis pœnis, vt spem daret resurrectionis mortuis. *Vnus homo, vnus Deus, vnus mediator Dei & hominum Christus Iesus.* Qualitas deinde mortis occurrit, quæ ignominiosissima fuit, & crudelissima

Iesus vocatus homo singularis.

1 Tim. 2.

Qualitas mortis Christi.

ſima omnium, quas eo tempore quiſpiam potuit imaginari, iuxta illud; *Morte turpiſſima condemnemus eum.* Sap.2.
Maledictus qui pendet in ligno. Et in tantam nihilominus gloriam erupit exaltatio Crucifixi, vt in cælo, in terra, in mari, in inferno nomen Chriſti cum incredibili maieſtate percrebuerit. *Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus eſt in gloria Dei patris.* Denique ne ternarium numerum pretereamus, inſtat etiam ratio mortis, quæ in Iudæis fuit rabies, furor & venenum, ne iugum ſanctæ illius doctrinæ portarent. *Nolumus hunc regnare ſuper nos. Sciebat enim quòd per inuidiam tradidiſſent eum.* In Chriſto verò obedientia fuit & patientia, vt læſę patris iuſtitiæ ſatiſfaceret. *Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti. Tunc dixi, Ecce venio. Dedi dilectam meam in manibus inimicorum meorum.* In Deo charitas infinita, vt liberaret humanam naturam. *Proprio filio ſuo non pepercit: ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* O quantum eſt hoc pelagus, quàm cæcus & obſcurus labyrinthus, quæ abyſſus abſque fundo, & ſine ripa vlla? Hem quò prouectus ſum hodie Papa Pie Quarte? Confiteor Beatitudini Veſtræ Pater Sancte, quòd hodie in memetipſo reuera locum habere ſentio illud hemiſtichion,

Deut.21.
Philip.2.
Ratio & cauſa mortis Chriſti.
Luc.19.
Mar.15.
Pſal.39.
Hier.12.
Rom.8.

——— *Inopem me copia fecit.*

Sed quemadmodum Chriſtus immenſus & infinitus propter amorem, quo nos complectebatur, abbreuiatus eſt, vt verbo vtar Prophetæ: *Verbum abbreuiatum fecit Dominus ſuper terrã*: ita neceſſe eſt vt ſermonem, quem de altiſſimo hoc myſterio facturi ſumus, etſi campus ſit latiſſimus, & materia copioſiſſima, contrahamus, certoque termino & menſura circunſcribamus. Rom.9.

Nunquam è memoria veſtra, ô ſancta corona, (vt hinc incipiamus) deponatur, neque in tam dia materia, quæ nobis præ manibus eſt, vel parumper veſtras intelligentias auertite à ſummo illo conceptu Apoſtolico; Chriſto rapinam non fuiſſe, vt Lucifero, eſſe æqualem Deo, ſed veriſſimam naturam. Forma eſt quæ dat eſſe rei: vbi vna ſola forma eſt, ibi & vnum ſolum eſt eſſe. Forma humana dat eſſe hominem, forma Dei dat eſſe Deum. Non eſt niſi vnus Deus,

Chriſtus Deus eſt naturâ.

ideoque non est nisi vna forma diuina. & proinde qui formam habet Dei, Deus est. Non legistis de Christo; *Qui cùm in forma Dei esset?* Ecquod maius argumentum quæritis ad æqualitatem Christi cum Deo comprobandam? Vbi vnitas est naturæ, quomodo personarum potest esse inæqualitas? *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens,* inquit Paulus. Ecce, ecce duæ formæ; forma Dei & forma serui. O quàm profundo sensu Paulus diuinitatem vocat formam, Domini mei? Est verè forma, quia materiæ omnino est opposita. & proinde absque omni modo materię cùm res sit, quæ perfectè non conueniat alicui alteri formæ. Est forma, quia communicatur & diffunditur in omnes res alias, quod proprium est substantiæ naturæ eque formæ. Est forma, quia omnia facit formosa, & non est formositas neque pulchritudo, quę à prima illa formarum forma non dependet. Forma denique est, quia nomen hoc præcipuè tribuitur Ideæ; & diuina essentia est exemplar atque Idearum omniũ Idea. In forma itaque Dei erat; Formam serui accepit, An reliquit formam in qua erat? Non potuit primam formam relinquere; quia natura est. neque intellectus capere potest, formam Dei amitti: forma enim Dei Deus est, & Deus tam æternus & immutabilis est in semetipso, vt quod semel aut habet, aut est, habeat & sit semper. Et quod non habuit, aut non est, non habiturus, nec futurus sit vnquam. Christus itaque in se perpetuò retinens veritatem & æqualitatem diuinę naturæ, veritatem formæ humanæ assumpsit. Non dico solùm formam, hoc est figuram: sed dico formam, substantiam, humanitatem, animam, carnem. Atque ita remansit verus Deus per plenitudinem naturæ diuinæ, & tamen factus est verus homo, quia totam veritatem humanæ substantiæ apprehendit. illa ei cum Patre, hæc communis est cum matre In illa sola mundum creauit, in hac vnà cum illa mundum reparauit. Non venit vobis in mentem nomen illius proprium? nomen dico proprium, non tam indiuiduale, quàm specificum. *Et vocabitur nomen eius Emanuel, Nobiscum Deus? Homo Deus, Deus homo; Deus*

Philip. 2.

Diuinitas verè forma est, & quare.

Christus factus homo primam formam diuinitatis non reliquit.

Matth. 1.

verus,

verus, Homo verus; Verbum verum, Caro vera; Illud Verbum, illa caro, ille Deus, ille Homo; vnus Christus Deus & Homo? Quantum ad vnitatem mysticam, scitis Christum cor & caput, caput & corpus, sponsum & sponsam, totum & partem esse. In Theologia symbolica agnus est & leo, Rex est & pastor; architectus est & petra; agricola est & vitis; lignum est & serpens in illo pendens. Sed quo ad hoc, in quo præcipuum momentum est positum, in Theologia vera & propria, quantum ad vnitatem realem & substantialem, vnica illius persona verè est æterna & temporalis; prima & vltima; summa & infima; cælestis & terrena. hoc est, diuina & humana; non diuina participatione, sed essentia; nō humana sola similitudine, sed veritate naturæ. Deus verus, homo verus: Christus integer, Pater Sancte. Qui Christum fingit solùm Deum, ingratus est medicinæ, per quam sanatus est: qui eum nudum facit hominem, negat virtutem & potētiam per quam creatus est. *Per quem fecit & secula*; ecce diuinitatem Christi. *Purgationē peccatorū faciens*; ecce humanitatem eiusdē Christi. *Ego & Pater vnum sumus*, ecce Christus Deus. *Pater maior me est*; ecce Christus homo. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*; ecce Christus vt Deus. *Seruus meus es tu: Dedi te in lucem gentium*; ecce Christus homo. *Et adorent eum omnes Angeli Dei*; ecce Christus Deus. *Minuisti eum paulominus ab Angelis*; ecce Christus homo. *Principium qui & loquor vobis. Nemo venit ad Patrem nisi per me. Misit Verbum suum, & sanauit eos. Vnigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarrauit. Omnipotens sermo tuus Domine à regalibus sedibus venit*; ecce Christus Deus & homo. Non duo, non duo: vnus, vnus; Idem, idem. *Crucifixus ex infirmitate, viuit autem ex virtute Dei. Qui descendit, ille est qui ascendit. Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de celo, Filius hominis qui est in cælo. Exiui à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* O Christe verè miraculose.

Quid sit Christus secūdùm vnitatē mysticam.

In symbolica Theologia quomodo vocetur.

Quid sit in vera Theologia.

Heb.1. Ioan.10. Ioan.14. Psal.2. Esa.42. Heb.1. Psal.8. Ioan.8. Ioan.14. Psal.106. Ioan.1. Sap.18. 2 Cor.13. Ephes.4. Ioan.3. Ioan.16.

Vnus homo] sic dicitur in Euangelio. est enim honestum auro suo impurum illum Ægyptium spoliare. *Vnus pro omnibus. Vnum vocaui eum. Virum de mille vnum reperi. Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.*

2 Cor.5. Eccles 7. Psal.52.

Psal. 85. Psal. 94. 1 Tim. 2. Ephes. 2.

vnum. Verè vnus Deus; *Non est similis tui in Dijs Domine, & non est secundùm opera tua. Deus magnus & excelsus super omnes Deos.* Verè *Vnus Dei & hominum mediator. vt duos cōdat in semetipso in vnum hominē nouum, faciens pacem.* O Christe, ô Christe. Durities Iudææ non cognoscit partem diuinam, cæcitas Ethnicorum contemnit partem humanam. Nos & in celsitudine illius, & in humilitate nostra; in gloria eius, & in nostra ignominia; in virtute illius, & in infirmitate nostra Christum adoramus ex toto corde, & in medio linguarum mordacium & mendacium, horum & illorum, non erubescimus eius mortem confiteri, nec de illius diuinitate ambigimus. Quod superbos illos pertrahit ad infidelitatem, id nos ducit ad veram fidem. quod alijs materia est ignominiæ, nobis argumentum est veræ gloriæ, Vnus & solus Christus est in persona diuina, sed duas habet naturas, diuinam & humanam. & idem ille Christus in his duabus naturis moritur, tanquam homo; & viuit, tanquam Deus. In humilitate hominis est Maiestas Dei, & in Maiestate Dei est humilitas hominis. sed vnitas personæ non confundit duas naturas, quomodo nec distinctio naturarum tollit vnitatē personæ. Ideo idem ille Christus & mortem in se recipit, & mortē in se vincit. sed hæc est proprietas diuina, illa humana. Et rationi per omnia consentaneum est, vt mors detur naturæ mortali, victoria verò inuiolabili diuinitati tribuatur. O humilis sublimitas, ô sublimis humilitas Christi nostri. O triumphum plenum ignominia, ô ignominiam plenam gloria. O cæce Philosophe, qui ausus es dicere, nos Dei gloriæ detrahere, quia dicimus eum venisse in terram, factum hominem, & mori voluisse, vt nos liberaret. Tu, tu potiùs illum traducis, tu illum blasphemas, tu iniuria afficis, qui cum minùs bonum, minùs liberalem, minùs amantem fingis. Si non sit bonus pastor, qui videns lupum venientem fugit, & non contemnit periculum, vt seruet gregem suum: si non sit bonus Rex ille, qui videns Regnum suum impugnari ab hostibus, eminus stat, & cladem intuetur, nec quicquam audet ad defensionem populi sui, suæ fidei, suæ curæ, suo imperio commissi: An

Christiani quomodo Christum adorant.

Prædicando mortē Christi eius honor non diminuitur.

non bono Deo illi, Regi nostro & pastori nostro, cùm videret quotidie, non dico tot prædas agi, sed tot carnificinas & tot strages animarum nostrarum ab illis Dæmonum exercitibus, qui mundo huic dominabantur (non enim proderant omnia alia auxilia, quæ tot antea in nostrum miserat beneficium) singulis penè momentis fieri, omnino conueniebat, vt pro infinita sua bonitate, cui omnis alia bonitas comparata nulla est (nota est enim illa sententia; *Nemo bonus nisi solus Deus*) ipse veniret? sese hostibus videndum daret? in campum descenderet? pro suo Regno pugnaret, vt gregem suum, oues suas, animas suas (*nos autem populus eius, & oues pascuæ eius*) seruaret? Cur Verbum incarnatum est. Luc. 18. Psal. 94. 99.

Codrus Atheniensium Rex, cùm populus eius in summo esset discrimine, (innumerabilis enim exercitus vrbem obsidione cinxerat) nobilitate animi ad pietatem motus, vt tantam gentem tueretur, Regali apparatu se exuit, peditis cuiusdam gregarij vestes induit, & isto habitu, animo inuicto atque inuincibili ad pugnam venit: occisus est, & morte sua omni æuo memorabili, (sic enim futurum oracula prædixerant) morte, inquam, mille vitis illi suauiore charissimas suas Athenas liberauit. Hinc postea nata est in isto populo opinio, Codrum in cælum translatum, & Dijs alijs annumeratum esse. Ecce Codrus, ecce Codrus: ecce Christus tantò maior mille Codris, quantò maior Oceanus est minimo riuulo, quantò maior Deus homine. Hic Christus vidẽs charissimum sibi Regnũ, humanam naturam, quam amabat supra omnia quæ creata sunt, in tanto versari periculo, descendit de Regali suo solio, vt maximũ amoris sui daret argumentum; mutauit vestem, non deponendo, sed vertendo & occultando vestimenta suæ gloriæ sub veste fragilitatis humanæ. *Et habitu inuentus vt homo: & habitu inuentus vt homo*, ait Paulus. & sic pro nobis tanquam Rex magnanimus & fortis pugnauit. Qui si agnitus fuisset, nunquam occisus esset: sed tanquam minimus seruulus arte quadam tam insigni stratagemate manibus se inimicorũ trucidari passus est. Quare prælio nunquã excessit, nec sese subduxit, priusquam morte sua Diabolum vicisset, & trophæa, triumphumque ad ma- Exemplum Codri, eiusq; pietas in Athenienses Christo applicata. Philip. 2.

ad manus noſtras detuliſſet. O bone Rex, ô dulcis Rex, ô chare Rex, qui tuiipſius prodigus, ex proprio corpore Regno tuo antemurale circumduxiſti.

Ioan. 11. *EXpedit vobis, expedit vobis,* dicit Spiritus ſanctus, *vt vnus homo moriatur pro populo, & nō tota gens pereat.*] Chriſtiani, corruptio naturæ noſtræ, mors, peccatum, non erant extra nos, quomodo cōtagio aëris, quæ per accidens inficit corpus: ſed erant in nobis, in viſceribus noſtris, in medullis noſtris; animas noſtras penetrârant, radices in ijs egerant, & immobiliter hærebant. Intrauit itaque vita, vt mortem expelleret: intrauit ſanitas, vt infirmitatē eijceret; intrauit gratia, vt peccatum exterminaret; intrauit Deus, vt Diabolum eliminaret. Poterat quidē Deus, etiam foris ſtans, Diabolum qui intus erat exturbare: poterat etiam hominem, non induens humanam naturam, ſua gratia ſanare, & mortē vita ſua tollere. potentior enim Diabolo Deus eſt, & gratia peccato, & vita morte, & ſanitas infirmitate, & bonum malo. Sed ob maiorem noſtram vtilitatem, maiorem Diaboli confuſionem, & maiorem ipſius Chriſti gloriam, non ſatis fuit Deo reddere nobis quod amiſeramus, gratiam, ſanitatem & vitam: ſed voluit inſuper nobis donare ſummum illud boni faſtigium, ad quod nullus hominum poſt tantam fortè ruinam aſpiraſſet. voluit inquam liberare nos non tantum à morte, ſed à mortalitate; non tantùm à peccato, ſed & à fragilitate; non tantùm à culpa, ſed etiam à pœna; & carnem noſtram deificauit. Diabolus fefellerat hominem pomo, & ecce fefellit illum viciſſim Deus fruſto carnis: credens enim ille tanto tempore Chriſtum fuiſſe purū hominem, tandem inuenit illum Deum: & dum putat Chriſtum ſuis captum retibus, nos liberati ſumus ab eius tyrannide, & manus illius nihil tale ſuſpicantis euaſimus.

Diabolus decepit hominem, & Chriſtus Diabolū.

EXpedit vobis vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat.] Ecquid iuris habebat Diabolus in Chriſto noſtro? Ecquod peccatū in illlo fuit vnquam aut contractum aut cōmiſſum? Tu ipſe Dæmon tremens in conſpectu illius dixiſti; (ſciebas enim quanta eius eſſet innocentia) *Quid tibi & nobis fili Dei!* Et tamen auſus fuiſti, ô temerarie, manus tuas in vitam illius

Matth. 8.

lius inijcere. Æquum igitur erat, vt omne ius tuum, quod in nobis mille dignis mortibus habebas, amitteres, postquã occidisti, qui nullo modo mori debuisset.

EXpedit vobis vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat.] Mors temeraria non verita est ingredi paradisum, quem Deus condiderat, vt esset habitatio Adami & Euæ: cùm tamen publico fuisset inde exclusa mandato. Postquam ingressa est, tam fuit importuna, vt legitimos inde eiecerit habitatores. Eos extra paradisum nactos suis spiculis inuasit, fecitque vt duo illi mox obierint. Venit itaque in terram noster Christus, qui ipsa vita est: & cùm placuit ei, in Infernum regionem mortis descendit, & non tantùm inde patres nostros eduxit, sed & nos & illos prorsus reddidit immortales. O ars: mortem ex nostra mortalitate comprehendit, & sua vita nos fecit in æternum viuere.

Stratagema quo Christus mortem deuicit.

EXpedit vobis vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat.] Homo sicut & Diabolus peccauerat: debebat igitur homo vti & Diabolus puniri. Non erat necesse vti misericordia erga Diabolum, nec conueniebat sola vti misericordia in hominē. Sed æquū erat, vt quadam ratione iustitiæ Deus placaretur in pœna, quemadmodum contra omnem rationem irritatus erat per hominis culpam. Quare non potuit inueniri homo, qui sufficiens erat ad placandum Deum, nisi per gratiã. Omnes enim iustè damnati erant & rei. Venit itaque Deus ex misericordia, vt fieret homo, & postea pœnas pro nobis sustineret amarissimas, quarum ille minimè debitor erat: & iustissimo pretio soluit omnia quæ nos debebamus.

EXpedit, expedit vobis vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat.] Quam hîc actionem Diabolus homini intentabit? quid homo poterit intendere Deo? Imò quid ipse Deus in hac causa cõtra nos obijciet? An non per omnia illi satisfactum sit, ratione iustitiæ, pro iniuria, quã ab homine accepit? Quem maiorem iustitiæ rigorem postulare posset Diabolus, quàm quòd Deus ipse pœnas homini debitas lueret? Vnus itaque homo peccauit pro omnibus, & vnus homo Deus punitus est pro omnibus: quam maiorem miseri-

Deo satisfactum à Christo pro debito humano.

misericordiam sperare potuisset homo, quàm quòd Deus semetipsum humiliauit, & pro se tam dira passus est? Quam gratiorem, honestioremq́ue potuisset Deus pronunciare sententiam, vt quæ iusta simul est & misericors; Qui peccauit luat, qui luere non potest, det modò quod potest.

EXpedit, expedit vobis, vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Hæc est misericordia; *Vt vnus homo moriatur*: Hæc est iustitia, *vt non tota gens pereat.*] Si homo talis & tantus dederit vitam suam pro omnibus hominibus, ecquod præmium reportabit pro sua iustitia, nisi vt omnes alij per eum à morte liberentur? Aut necesse est vt ei Deus aliquam reddat gratiam, aut vt aliquod ei debitũ remittat. hoc est, aut vt det ei aliquid, quod non habet; aut vt dimittat ei aliquid, quod debet. Nihil autem debet Deo, quia nunquam in Deum peccauit: nec deest illi quicquam, quia omnia illius sunt. *Omnia dedit illi Pater in manus.* (Ioan. 13.) Quod ergo referet præmium? Ecce, ecce præmium; omne meritum, omne creditum, omnem actionem suam in nos transtulit, nobisq́ue donauit. (Prēmiũ quod Christus pro morte sua recepit.) *VT non tota gens pereat, vt non tota gens pereat.*] Quòd si sapientiam & potentiam Dei consideres, habebat ille mille alias vias, modosq́ue causam nostram aduersus Diabolum iudicandi: sed si nos intuearis, nulla potuit inueniri conuenientior. Non necesse est, non necesse est. *EXpedit, expedit; Vobis, non mihi, vt vnus homo, Deus & homo, moriatur pro populo, & ius suum transferat in populũ: vt non tota gens pereat, quæ nisi ille pro ea moreretur, iure ac meritò per secula perijsset.* (1 Cor. 1.) *Quod infirmũ est Dei, fortius est hominibus. Quod stultũ est Dei, sapiētius est hominibus.* Hæc est infirmitas diuina, *Christus homo.* Hæc est stultitia diuina; *Christus crucifixus.* Et hæc infirmitas est tanta fortitudo, quanta nunquã visa est in hoc mundo: & hæc stultitia tanta est sapiētia, vt similem mundus nunquã expertus sit. hæc infirmitas omnem mundi fortitudinem debilitauit, & hæc stultitia omnem mundi sapientiam dementauit. Legistisne vnquam in (Abac. 3.) Abacuc; *Incuruati sunt colles ab itineribus æternitatis!* Ecce, ecce itinera æternitatis, itinera Verbi, itinera (Heb. 13.) Christi Iesu. *Christus Iesus heri, hodie & in secula.* O quæ

quæ itinera? è cælo in terram; è terra in crucē; è cruce in infernum, ex inferno in cælum? Hæc, hæc itinera colles deiecerunt & montes, Philosophos, Reges, imò Diabolos euerterūt. Tanti ponderis est hic eques, vt cùm armatus progreditur, mundum faciat tremere. Omnia cedunt Christo nostro: non est quod eius resistere potest potentiæ, non est quod eius contradicere potest sapientiæ. Itinera Christi.

Audite Domini mei, præsertim cùm & Christi incarnatio, & eius mors præ foribus sint. Cuncta quæ in mundo erāt, in sua natura, in suis ordinibus, in suis operationibus illæsa erant conseruata semper, quomodo Deus ea condiderat in principio. Cæli à cursu suo non aberrarant; Sol & Luna suas vicissitudines non mutarant; mare suo continebatur alueo, suisque claudebatur littoribus; dies & noctes suo more alternabat tempora: & licet semel dies aliquot horas nocti detraxerat, longiorque fuerat solito, fecit tamen hoc vt obediret Deo suo, non vt eius præceptum cōtemneret. Solus homo, qui erat omnium creaturarum nobilissimus, & qui Deo erat charissimus, totus erat mēte ab eo alienatus: ideoque vt eum ad se reduceret, factus est homo: Audin Philosophe? *Qui fecit hominem sine homine, se fecit hominem pro homine.* Si tu oculos non habeas tam lynceos, vt videre hæc queas, noli propterea beatis oculis nostris inuidere, qui vident illud in spiritu. Deus non factus est Sol, nō factus Luna, non factus stella: sed factus est homo, & tam arctè voluit coniungi cum homine, vt homo non posset vnquam disiungi à Deo. Vt ex Deo & homine fieret vna natura, erat impossibile. Vniri autem per gratiam non sufficiebat. facta est igitur vnio personalis, maior hac, minor illa; cuius virtute genus humanum saluatum est. Deus gloriam suam, suumque honorem cum incredibili zelo quærit & defendit. *Gloriam meam alteri non dabo*, ait per quendam Prophetam. Non inferior honor est esse redemptorē, quàm creatorem: ideo noluit Angelum mittere qui incarnaretur: ipse, ipse venire voluit, & secundum hoc beneficium priori addere. Hominem verbo creauerat, hominem verbo in carne redemit, *Et Verbum caro factum est*. Quæ autem esset

Omnia in statu suo manserunt præter hominem.

Esa. 42.

Deus cur ipse venire voluit ad saluandū.

Ioan. 1.

esset excellentia, quæque prærogatiua hominis, si semper & omnibus modis inferior remaneret Angelis? Angelis dico, malis propter peccatum, bonis propter gratiam: malis tãquam seductoribus, bonis tanquam redemptoribus? Ecce nunc propter incarnationem Christi charior & pretiosior est humana natura, coram diuina illa Maiestate, quàm omnes simul Angeli. Videtísne ipsos nunc Angelos carnem nostram, sanguinem nostrum, ossa nostra in Christo adorare? *Et cùm introducit primogenitũ in orbem terræ, dicit; Adorent eum omnes Angeli Dei.* Nescitis non virum tãtùm, sed & mulierem, Mariam Virginẽ super omnes Angelorum choros in cælo exaltatam? *Et Verbum caro factum est.* Hinc nata est vox illa Angeli, quem Ioannes voluit adorare; *Vide ne feceris, conseruus tuus sum. Deum adora.* Et si Diabolus nobilissima fuerit omniũ creaturarum, quam Deus fecerat, quomodo poterat homo vnquam in illius ignominiam maior illo fieri, nisi fieret Deus? Sed quomodo tam citò fieret Deus, nisi priùs ipse Deus fieret homo? Magna nimis profectò felicitas erat hominem fieri Deum: necesse igitur erat hanc dignitatem præcedere, vt Deus scilicet priùs fieret homo. Non poterat homo ascendere ad Deum, nisi priùs Deus descenderet ad hominem, & hominem assumeret. *Et Verbum caro factum est.* Quando Deus alia omnia creauit, solo verbo vsus est. *Dixit Deus; Fiat lux. Dixit Deus; Fiat firmamentum.* Hominem verò creaturus non vsus est tantùm verbo, sed manum apposuit, sumpsit terræ glebam, formauit statuam, & hanc flatu suo pòst animauit. Ad reformandum itaque hominem (est enim idem artifex) eãdem artem diuinam vsurpauit. Ceterùm voluit benedictus ille figulus eum in modum vas nostrum terreum ruptum & lacerum reficere, ne qua appareret in illo rimula, aut aliqua ruptura. & vt fortius esset, cum in modum reparauit, vt semel integrum & sanum deinceps non esset fragile. ideo miscuit, (si mihi sic loqui liceat; nam & antiqui sic locuti sunt, cùm ignota adhuc esset nostrorum subtilitas) coniunxit dico suam naturam cum nostra, flatum suum cum terra nostra; Verbum suũ cum carne nostra; *Et Verbum caro factũ est.* Ver-

Per Christũ homo charior Deo factus est, quàm oẽs simul Angeli.

Heb. 1.

Ioan. 1.

Apoc. 19.

Non potuit homo ascendere, nisi priùs Deus descenderet.

Genes. 1.

Ad creãdum hominem nõ tantũ verbis, sed & manibus vsus est Deus.

Verbum caro factum est. Verbum est agens principale, caro est instrumentum, sed instrumentum coniunctum, non separatum, vt manus fabri, non vt malleus. *Et Verbum caro factum est.* Meministíne Christiane, cùm Christus hominem cæcum natum curauit, quòd è sancta sua saliua, & vicino puluere, lutum confecit, admirabile profectò collyrium; Recordarísne insignis illius parabolæ, de pio Samaritano, qui vulneribus infirmi suis manibus oleum & vinum infudit? Omnia Sacramenta sancta, quæ animarum nostrarum sunt medicinæ, præter gratiam Dei inuisibilem, quam in se habent, etiam habent aliquid materiale, quod videtur & tangitur. Æquum igitur erat, vt mysterium hoc nostræ redemptionis, vnde omnia nata & deriuata sunt Sacramenta, aliquid haberet visibile, & aliquid inuisibile. Visibile, ecce caro: inuisibile, ecce Verbum. *Et Verbum caro factum est. Factum est carò de carne, in carne, infra carnem, propter carnem, supra carnem, præter carnem, contra carnem.* Conceptum & factum caro, natum in carne, conuersatum cum carne, passum per carnem, operatum super omnem carnem, viuens contra omnem carnem, datum ad salutem omni carni. *Et Verbum caro factum est.* Omnes homines ante aduentum Christi caro facti erant; non erat mica spiritûs in illis: nullus erat in illis gustus nisi carnis, intellectus totus erat carnalis, affectus erat carnalissimus, vt ita loquar. O artem admirandam. Deus qui purus est spiritus, carni se totum immersit, in carnis viscera sese diffudit. Vultis carnem? carnem habetis. Diligitis carnem? adoratis carnem? non placet vobis aliud quicquam quàm caro? Diligite, diligite hanc carnem meam, adorate hanc carnem meam, gustate hanc carnem meam; carnem sine peccato, carnem sanctam, carnem immaculatam, carnem diuinam, carnem Deum. *Et Verbum caro factum est.*

Omnia Sacramenta habent aliquid materiale.

Ars Christi in incarnatione sua.

Et Verbum caro factum est. O quando erit dies illa, Domini mei, quando vos sancta quadam superbia inflatos audiam iactare & dicere; Euax, quàm excelles, quàm magnus, quàm incomparabilis nunc sum, cùm Deus ipse mecum inire connubium non sit dedignatus? Deus neminem se dignum existimauit nisi me,

& ego quoque me neminem dignabor nisi Deum? Facessite hinc amores profani, amores odio digni, amores concubinarum, amores auri & argenti, amores honorum & dignitatum huius seculi, amores diuitiarũ & voluptatum huius mundi: nolo quicquam amare præter vnum & solum Deum. nullus alius amor dignus est homine. Sed quid dicetis postea, vbi cogitaueritis quòd non tantùm factus est homo, sed & quod mori voluit, & reipsa pro vobis mortuus est? Si hic amore non inflammemini, cui tandem amorem vestrum reseruatis? Voluntas moriēdi sola nostrę saluti sufficere potuisset, si ipse voluisset, propter infinitam personæ dignitatem, quę diuina erat, & non humana. Sed quia multi absentem quidem mortem eminus desiderant, à qua cùm præsens adest maximoperè abhorrent; ille vt vltimum extremumque amoris sui erga nos argumentum daret, voluit excedere, & reipsa, ipsoque facto prędā se morti obijcere. In hac bona voluntate, qua paratus erat pro nobis inimicis suis mortem oppetere, excedebat omnes homines; in ipso moriendi actu excessit semetipsum. O Christe, ô Christe. Non meministis Lucam Christi mortem vocare excessum? *Loquebantur de excessu, quem completurus erat in Hierusalem.* O quantus excessus, quantus excessus? excessus amoris, excessus patientiæ, excessus iustitiæ. Erat incarnatus, docuerat, prędicarat, bona dederat exempla, peccata remiserat, peccatores iustificauerat, & ecce nūc pro peccatoribus moritur. *Loquebantur de excessu.* Sustinuerat inimicos, dissimulauerat iniurias dictorum factorumque in discipulos, in propriam vitā, in honorem: ecce, ecce excedit. nam & mortem tolerauit. *Loquebantur de excessu.* Patri semper obedierat, omnia illius mandata obseruauerat, semper in vita sua fuerat humilis; ecce etiam ex obedientia moritur. *Loquebantur de excessu.*

Volūtas moriēdi in Christo sola suffi- ciebat ad salutem nostram.

Luc. 9. Mors Christi vocatur excessus.

Optimè Christus in cruce, & non alibi dixit; *Consummatum est*: quia mysterium mortis illius reuera omnium rerum est consummatio, excessus, coronis, culmen, finis, complemētum, perfectio omnium quæ possunt excogitari bonorum, virtutum, totius naturæ, totius scripturæ, totius gratiæ, totius gloriæ. Virtutum,

Ioan. 19. Mysterium mortis Christi est cōsummatio omnium rerum.

tutum, quia in Cruce cernuntur opera perfectissima, heroica, & diuina Christi Crucifixi exemplaria. Naturæ, quia per Crucē tota est reparata. Scripturæ, quia per Crucem in Christo impletum est quicquid erat de illo prædictum. Gratiæ, quia per Crucem ad summū peruenit. Gloriæ, quia per Crucem illius capitur possessio. O mirabile verbū; *Consummatum est*. Consummatum est peccatum, hoc est destructum; consummatum est meritum, hoc est perfectum; consummata sunt miracula, quia non possunt esse maiora; consummatum est sacrificium, quia est à Deo acceptum; consummata est salus, quia mundus est redemptus.

Consummatum est. Consummata est mors, quia in morte illa est consumpta: consummatus est Diabolus, quia laceratum est, quod aduersum nos habebat chirographum: consummatus est infernus, quia euacuati sunt carceres, in quibus sancti Patres detinebantur: cōsummatæ sunt animæ nostræ, quia nactæ sunt omnis honoris & gloriæ cōsummationem: consummata sunt corpora, quia facta sunt immortalia.

Consummatū est. Consummatus est Decalogus, quia potest in virtute Crucifixi obseruari: consummatæ sunt figuræ, quia iam non ampliùs vmbrā habent, sed viuos colores: consummata sunt oracula, quia dilucidè nunc intelligūtur, q̄ priùs à nemine solēt intelligi: consummata est fides, quia etiam in Ethnicorū cordibus est plantata: consummata est spes, quia copiosè in animis fideliū diffusa est: cōsummata est charitas, ardens quàm maximè potest in fornace diuini pectoris.

Consummatum est. Consummatum est desiderium omnium Angelorū, expectatio omniū Patrum. consummatum est quicquid Deus tot seculis promisit, quicquid Christus triginta tribus annis promeritus est, quicquid prædicando, operando, conuersando, viuendo, quæsiuit. *Consummatum est: Consummatum est*. Suprema nūc manus est imposita omnibus operibus, p̄destinationis, vocationis, iustificationis & glorificationis. Prædestinationis, quia sumus per Christū prædestinati, qui finem prædestinationis nostræ nobis per Crucē p̄meruit. Vocationis, quia in cruce manu dextra vocat Iudæos, sinistra verò Ethnicos, vt ad fidē ve-

niant. Iustificationis, quia in Cruce manauit sanguis ille, qui abluit peccata, qui animas implet iustitia & sanctitate. Glorificationis, quia secum è Cruce ducens latronem, pignus dedit nobis securum certumque nostræ beatitudinis. Quid dicam amplius ad hæc verba; *Consummatum est?* Christus ipse in Cruce consummatus est.

Heb.5.

Non legistis apud Paulum; *Consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis?* Ibat Christus accrescēs tota vita sua, vsque ad crucem.

Luc.2.

Proficiebat, dicit Lucas, *coram Deo & hominibus*. In Cruce perfectus est; non potuit magis proficere, non potuit plus mereri, ad culmen omnis incrementi spiritualis peruenerat.

Ephes.4.

Meministisne illius Pauli; *In mensuram perfectæ ætatis plenitudinis Christi.*

Omniū virtutum perfectio in cruce & crucifixo inuenitur.

Consummatum est, consummatū est. Et quæ perfectio virtutum fingi potest in Idea, quæ non inuenitur in hac Cruce? quæ non reperitur in hoc Crucifixo? In Cruce spectatur Christi prudentia, fortitudo, temperantia, iustitia.

Prudentia Christi.

Quæ enim maior potest excogitari prudentia, quàm vnum hominem mori, vt totus saluetur mundus? mori corpus, vt saluentur animæ? mori sine culpa, vt deleatur ipsa culpa? Aspernari fugitiuos honores seculi, qui momento transeunt, vt Regnum cæli obtineat, quod durat æternùm: & præterea in hoc etiam mūdo à cunctis gentibus adorari?

Fortitudo Christi.

Quanta hæc fuit fortitudo, patienter ferre dura verba, duriora verbera, durissimam mortem? calumnijs exagitari propter doctrinam, & honorem traduci, & se non defendere, persecutionem tolerare in vita, & tandem voluntariè occidi?

Temperantia Christi.

Qualis fuit hæc temperātia? temperantia profectò sine exemplo, pendere in cruce, & non habere cui inclinet caput: non erat qui eum consolabatur. & quod omniū fuit acerbissimum, in tantis pendens doloribus, non habuit aquæ guttulam, qua aridas fauces humectaret, etiam cùm clamaret, *Sitio. Date mihi potum, ne siti langueam?*

Iustitia Christi.

Quæ iustitia fuit, cum tanta æquitate inter Deum & Diabolum, inter hominem & Diabolum, inter homines & Angelos, inter homines & homines iudicare? Inter Deum & Diabolum, quia Deo reddidit honorē ei ablatum, & Diabolum qui sibi hunc vsurpauerat damnauit. Inter

ter Diabolum & hominem; absoluit enim hominē, tanquam seductum, & damnauit Diabolum tanquam fraudulentū & impostorem. Inter Angelos & homines, fraternitate quadā deuinciens homines cum Angelis, tanquam carne fragiles, ideoque misericordia & pietate dignos, Angelos verò ministerio subiectos relinquens, tāquam spiritus fortes & agiles: ob antiquū peccatum suū quasi misericordia indignos. Inter homines & homines, Iudæos, qui se nimis perspicuè videre præsumebant, excæcans, & Ethnicos suas tenebras agnoscentes illuminans. O Christe, ô Christe. Si Nicodemus hæc mysteria intellexisset, non fuisset occultus Iesu Christi discipulus, non timuisset alios Pharisæos, non expectasset noctem, vt cum Christo sermonem conferret: in meridie, in conspectu omnis populi, in ipso armorum furore cum manifestissimo mortis periculo hunc magnum Deum, hunc Christū Iesum, hunc Crucifixum adorasset. Vides enim quòd postquam vel modicum cœpit intelligere, quàm forti ac magno animo se Christi æmulis opposuit, & quāta cum grauitate in Senatu pro causa Christi locutus est; *Nunquid lex nostra iudicat hominem, nisi priùs audierit ab ipso, & cognouerit quid faciat?* O beatum Nicodemum. Vos autem, Auditores, qui tantos fecistis in Christi mysterijs progressus, qui cernitis ipsam Christi crucem, quæ carnalibus oculis plena videbatur opprobrio, tanta nūc coruscare gloria, (talis enim ostenditur atque apparet omni spirituales oculos habenti) quid inquam vos facietis? cur Christum hunc nō amplectimini? Non hunc Christum dico viuum, non resuscitatum: sed hunc Christum mortuum, hūc Christum crucifixū, hunc Christū in hac arbore suspēsum. Sed tempus est vt paulisper respirem; respirate & vos.

Grauitas & constantia Nicodemi in causa Christi. Ioan. 7.

SECVNDA PARS.



ACRATISSIMVM hoc mysterium, quod à Dominica proximè præcedenti, in qua cantari cœpit; *Vexilla Regis prodeunt, Fulget crucis mysterium*, per omnes hos dies sancta Ecclesia de

Christo crucifixo, qui est triumphator; de morte in cruce, quæ est triumphus; & de cruce, quæ est ipsum tropheum, celebrauit; tantæ profectò est sublimitatis, tantæque profunditatis, vt mirandum minimè sit, si vt altissimum fastigium, & abyssus sapientiæ diuinæ profundissima maximam huius mūdi sapientiam infatuauerit. Christus, Docti, per se liber est, & liber magnus, scriptus foris & intus: sed Christus Crucifixus est paruus libellus, compendium, breuis epilogus, ἀνακεφαλαίωσις, omnia magni illius Christi in se continens mysteria. Ideo Crux stat in medio, inter vitam hanc quam duxit Christus adhuc viuens in membris mortalibus, & alteram illam, quam post resurrectionem assumpsit, immortalem & gloriosam. Prima enim vita ad crucem erat ordinata, secunda præmium est mortis in cruce. Crux & Crucifixus, Romani, est quasi punctus, in quo gyrans circinus perfectum ducit circulum, qui modo quodam admirabili magno suæ circunferentiæ ambitu complectitur omnia, quæ possunt à Christiano sciri & intelligi. Omnia secreta legis, omnia mysteria Prophetarū, omnis virtus Euangelij, omnis prædicatio Apostolorum, omnis fides Ecclesiæ, omnis scientia beatorum, imò (dicere propemodum auderem) omnis sapiētia Dei, in hoc Crucis Christi libello comprehēditur. Ignosce mihi Paule; non audeo tecum ego disputare, licet aliquando Abacuc cum ipso Deo disputauerit. Sed dignare mihi quæso per magnam illam humilitatem tuam, quæ tantopere placuit Deo tuo, dicere, an non ironica fuerit illa tua sententia, quam ad confundendos & humiliandos superbos illos Græcos, Corinthi ciues & incolas protulisti, dicens: *Non iudicaui me aliquid scire inter vos, nisi Iesum Christū, & hunc Crucifixū?* Quomodo potuisti simulare te mysteriū crucis prædicantem rem humilem & communem prædicare? Quæ concio potest esse sublimior, virtutē crucis probè cognoscenti, quomodo tu sine dubio cognoscebas, hac, in qua mysterium Crucis & Crucifixi tractatur & exponitur? Quòd si concionatus esses de nostris Sacramentis, & de admirabili eorum virtute, an non necesse fuisset dicere, ea è cruce dimanasse, tanquam vnguenta falu-

Christus est magnum volumen foris & intus descriptum. Sed Christus crucifixus enchiridion.

Crux & crucifixus circulum faciunt.

Abac. 1.

1 Cor. 2.

Prædicatio de cruce maximè sublimis est.

salutifera ex illo ligno aromatico & pretioso expressa, vt peccatorum nostrorum vulnera ijs inungerentur? Tolle Crucem, quam virtutem habebunt Sacramenta? Et si locutus fuisses de Ecclesia, cui tanquam charissimæ sponsæ tot thesauri, tot donata sunt cimelia, dic mihi, vbi, & quãdo illa formata est, nisi in cruce, cum sanctum illud latus post mortem Christo lancea fuit apertum? quomodo & Eua formata est è costa viri sui Adami, graui somno, sed mystico potiùs, quàm naturali oppressi? Adamus figura fuit Christi, somnus mortis, Eua Ecclesiæ. Ceterùm si voluisses, ô Paule, te sursum leuare, & in cælum euolare, Ecclesiasticam Hierarchiã relinquere, & homines tua eloquentia ad contemplãdas Hierarchias Angelicas trãsferre, potuisses quæso sublimius aliquid dicere, quàm est mysterium Crucis?

Pater Sancte, nolo hîc prolixum soliloquium contexere, tãto enim dialogo minùs aptus sum. Sed obiter dicam Sanctitati Vestræ, cùm ea mihi tam attentas aures præbere dignetur, in cruce videri omnes ordines, & omnes choros Angelicos, Seraphinos, Cherubinos, Thronos, Dominationes, Potestates, Virtutes, Principatus, Archangelos, Angelos. Quid sunt Seraphini, nisi amoris incendia? An non infiniti amoris incendium fuerit hæc charitas Crucifixi, quæ impatiens & imperiosa Christum in mortem detrusit, & quidem vt pro inimicis moreretur? Paulus non veretur dicere, nimiã hanc fuisse eius charitatem. *Propter nimiam charitatem suam.* Quid sunt Cherubini, nisi lumina scientiarum? & quod maius lumen scientiæ, quàm Crux Christi? ea enim discutit omnes nebulas, soluit omnia ænigmata, reuelat omnem Psalmorum & Prophetarum obscuritatem. Ideo velum templi scissum est eo ipso tempore, quo Christus in cruce pendebat, quia omnia quæ in Scripturis erant arcana, per crucem Christi sunt manifestata. Quid sunt Throni, nisi sedes quietæ, & vera Dei sedilia? Quæ autem verior esse potest quies, aut quis thronus magis pacificus ipsa Cruce? Quando namque Deus pulchrum hoc solium vidit, sedit, quieuit, placatus, & cum genere nostro reconciliatus est, qui antea de-

In cruce vidẽtur omnes ordines & chori Angelici.

Ephes. 2.

ambulabat in paradiso ad auram, vt refrigeraret se à furore iræ suæ contra nos, ob Adami inobedientiam conceptæ. Quid dicam de Dominationibus, Potestatibus, Virtutibus, Principatibus, Archangelis & Angelis? Nónne omnes hi spectantur in Christo in Cruce triumphante? Dominationes, quia Christus crucifixus & in mundo & in cælo dominatur. Potestates, quia potestates aëreas debellat? Virtutes, quia cum virtute & efficacia sua omnia ad amorem suum attrahit? Principatus, quia *Factus est principatus super humerum eius?* Angeli & Archangeli, quia claue Dauid aperit librum signatum, & lacerat sigilla maiora & minora? Ita & purgat incipientes, illuminat proficientes, consummat perfectos, quæ sunt Angelorum & Archangelorum tam in genere, quàm in specie operationes propriæ. O Crux, ô crux; ô Crucifixe, ô crucifixe.

Esa. 9.



Sed ô Paule, forsitan rapta fuit anima tua benedicta, & nesciuisti an in corpore, an verò extra corpus hæc dixeris. Raptus dico fuisti ab humilitate creaturarum, & cum alis colũbinis euolasti ad illam Creatoris altitudinem, ad illam caliginem lucidam, ad illam lucem inaccessibilem, in qua Deus habitat. Exiens tamen foras, vt nobiscum colloquaris, & volens nobis differere de infinita potentia, infinita sapientia & bonitate Dei, (hæc enim secreta sunt, quæ mortalibus licet communicare, aliorum fidelissimus semper fuisti secretarius) quid excellentius, quid magnificentius de potẽtia Dei dicere potuisti (vt hinc incipiam) quàm illud, quod in cruce exhibetur? Quòd Christus hic crucifixus, Diabolorum Principem ligauit, qui erat fortis ille armatus, de quo dicitur in Euangelio? quòd mortẽ tam feram & crudelem occidit? quòd infernum, Regnum potentissimum ac munitissimũ spoliauit? quòd paradisum, ab Angelis flammeo atque versatili gladio custoditum, aperuit? Quid Paule: quid dicere potuisses de infinita illa potentia, maius, Christo crucifixo? quòd Deus ille magnus & omnipotens, qui est creator & conseruator omnium, qui tribus digitis suspendit molem terræ, & mundum vniuersum pugillo concludit, qui si momento vno manum re-

Magna vis potentiæ Dei.

mitteret, tota hæc tam ingens machina ex ipsis fundamentis rueret, atque subuerteretur? quòd, inquam, Deus hic se potuit continere, & patienter ferre tantas iniurias, tanta ei cum superbia irrogatas? crucifigi, cum tanta ignominia? mori, cum tanto dolore? capi & ligari, qui liberat & soluit omnes? accusari illum, qui iudicat viuos & mortuos? condemnari illum, qui agnus est totus innocens? diffamari illum, qui est corona gloriæ? conspui illum, qui est ipsa omnis pulchritudinis Idea? aceto & felle potari, qui est omniũ animarum piarum dulcedo & suauitas? blasphemari, qui totus est sanctus? tantis angustiis opprimi, qui lætificat Angelos? sepeliri in antro obscuro, qui Sol est vniuersum mundum illuminans?

Veniamus ad diuinam sapientiam. Quid præstantius dici potest de sapientia Dei? quid mirabilius excogitari potest hac magna similitudine, conuenientia & proportione, quæ in cruce inter Adamum & Christum; inter peccatum & meritum, inter illam inobedientiam & hanc obedientiam, inter lignum illud infelix, & hoc lignum beatum, inter mortem & vitam, inter culpam & gratiam, inter casum nostræ ruinæ, & mysterium reparationis nostræ cernitur? *Virtus sapientiæ Dei admirabilis.*

Dicamus nunc de bonitate: Quid gloriosius prædicari potest de illa infinita clementia, & immensa Dei bonitate, quàm quòd omnis peccati summa, omnis impietatis apex, horrendum illud scelus, quod humano iudicio meritò Deũ prouocare debuisset ad totam humanam speciem delendam, & exscindendam; peccatum illud grauissimum, quòd scilicet filium Dei tam crudeliter in cruce interfecerunt, quo nec maius esse, nec grauius potest in mundo excogitari, incredibilem illam misericordiã tam suauiter, & tanta cum dexteritate circumduxit, vt tandem reuera per mortem Christi in cruce ab iniquitate nostra procurata motus sit Dominus, ad omnes antiquas culpas nostras delendum, & dimittendum? O quanta clementia, quanta pietas, quanta digna Deo bonitas? *Virtus diuinæ bonitatis.*

Certè postremum hoc Crucis mysterium nimis magnum est, Beatissime Pater, nimis admirabile. Credo equidem nec Angelos potuisse tam excelsum opus *Vltimũ mysterium Crucis magnum*

& admirabi- cogitare, tunc, cùm nondum erat reuelatum. Et quod
le. illud? Audite quęso attentis auribus & animis. Quòd
si maius & excellētius opus sit iustificare peccatorem,
quàm creare cælum & terram, propter repugnantiam
quæ est in voluntate illius, in quo regnat peccatum,
quam Deus pro sua clementia dignatur vincere atque
superare sua gratia; mutat enim cor; cogitate quæso
quàm stupendum & admirandum opus fuerit iustifi-
care & saluare mundum, eo ipso momento, quo ipso
actu & opere suam impietatem continuabat, imò mi-
rìs modis augebat, suum Iustificatorem, suum Salua-
torem, Filium Dei & Deum ipsum occidendo. Quod
facinus per se solum absque omni alio peccato mere-
batur, vt mundus damnaretur, & in nihilum redige-
retur. Opus profectò est, si verum fateamur, summæ
potentiæ, summæ sapientiæ, summæ bonitatis, effe-
ctum tantæ ac talis impietatis, natura sua ad tantam
ruinam & exitium destinatum, cum tanta dexteritate
inuersum, & ad tantam salutem nostram ordinatum
esse. Distinxit Deus in causa Christi hæc duo, Pater
Sancte, occidere scilicet Iudæorum tam crudelium,
& mori illius tam voluntarium, & tanto cum amore.
Psal.42. Sic enim precatur Christus in cruce; *Iudica me Deus,*
Petrus dictus *& discerne causam meam.* O Sanctissime Petre, optimè
Theologorũ dictum est à B.Dionysio, te corypheum esse omnium
Coryphæus. Theologorum: nec ego tibi pulchrum hoc nomen
immutabo. Videte quæso piscatorem hunc, quàm
altè, quàm subtiliter, quàm scholasticè, propriè, di-
stinctè & significanter in hoc sublimi loquatur my-
Act.4. sterio. *Conuenerunt aduersus puerum tuum sanctum Iesum,
quem vnxisti, Herodes & Pilatus cum gentibus & popu-
lis Israël, & fecerunt quæ manus tua & consilium tuum
decreuerunt fieri.* Notate, notate sublime dictum hoc
*Conuenerunt, Fecerunt, quæ manus tua & consilium tuum
decreuerunt fieri. Facere & fieri. Actio & passio vnum
quidem motus sunt*; imò Philosophe: sed scis duas fa-
cere Categorias. & nescis *intellectum esse altiorem virtu-
tem natura? quia separat quæ natura coniunxit, & coniun-
git quæ natura separauit.* Ecce, ecce secretum. *Deus per-
misit, non decreuit vt faceret: sed non permisit tantùm,
sed decreuit vt fieret.* O quàm pulchrè concordant hæ
duæ

duæ lyræ. *EXpedit vobis vt vnus homo moriatur,*] dicit Spiritus sanctus, qui tenet æquilibriũ in ore Caiphæ, & verba illius ad iusta librat pondera. *AB illo die cogitauerunt Iudæi, vt eum interficerent,*] moti à spiritu Diaboli, qui profana eorum corda, quò volebat, inclinabat: *Non expediti interficere Christum, expedit mori Christum.*

Actio displicuit, passio grata fuit.

Illa est supramodum peccatum peccans. Hæc sacrificium pro peccato. Ah Iudæa, cùm tibi planè constitutum esset Christum interficere, cur voluntatem tuam voluntati Dei non conformasti? Hoc si fecisses, prima fuisses tam in participatione gratiæ, quàm in cõmunione gloriæ. Non differebãt Deus & Iudeus in morte Domini, Christiani, sed differebant in intentione. Intentio sancta glorificat intentionem diuinam; intentio peruersa accusat & in ęternum condemnat iniquitatem Iudaicam. Sanctus Ioannes, qui potiùs est scriptor breuis commentatii, & historici compendij, quàm longæ narrationis, obiter attingit, & leuiter transcurrit, sufficitque illi dixisse; *COllegerunt Pontifices & Pharisæi concilium, & dicebant; Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, venient Romani, & tollent locum nostrum & gentem.*] Sed quid putatis sceleratos istos Pontifices in hoc aduersus Christum consilio dixisse? quibus verbis & rationibus sententiam mortis, in quam ab illo pręsidis Caiphæ animo perturbatissimo præcipitati ruerunt, iustificare conati sunt? Dixerunt omnia illa, quæ Spiritus sanctus in sacra Scriptura voluit ad ęternam eorum ignominiam scribi & legi perpetuò; *Inutilis est nobis, & cõtrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Promittit se sciẽtiam Dei habere, & filium Dei se nominat. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum. Grauis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est alijs vita ipsius, & immutatæ sunt viæ illius. Tanquam nugaces æstimati sumus ab illo, & abstinet se à vijs nostris tanquam ab immunditijs. Præfert nouissima iustorum, & gloriatur Patrem se habere Deum. Contumelia & tormentis interrogemus eum, morte turpissima condemnemus eum.*

Rom. 7.
Ezech. 45.
Deus & Iudæi in morte Christi quomodo differant.
Ioan. 11.
Sap. 2.

O sce-

Reprehensio Iudæorum. O scelerata Iudæa, ô gens ingratissima, ô malignissime popule, continere me non possum, quò minus exclamem; O cęlum, ô terra, ô elementa, audite, audite, audite & obstupescite, videte horrendum scelus execrandi huius populi. Non satis erat tibi ô proditor Iudęe, quòd Christum occidisti, etiam ausus es eum obtrectare & calumniari? Persuasisti Ethnicis turpissima quæque de illo, etiam & nobis Christianis ea persuadere conaris? Vitam abstulisti, etiam auferre vis & nomen? Videtisne, Auditores, etiam vsque in hunc diem Circuncisos gloriari ad nostram ignominiam quòd Christum occiderũt, tanquam ebriosum, potatorem vini, hominem mundo inutilem, perturbatorem populi, qui exiguo tēporis spatio vniuersam Hierosolymam commouit, & seditionibus concitauit? tanquam publicum offendiculum, tanquam eum qui neque priuatam personam amabat, neque publicam venerabatur, nullius habens respectum; tanquam innouatorem doctrinæ, & paternarum traditionum hæreticorum more violatorem, tanquam diuini honoris vsurpatorem, iactantem se secreta cordium consilia cognoscere? tanquam inimicum religionis, qui nec festa, nec ceremonias legis diuinę à Moyse populo datæ obseruabat? tanquam amicum publicanorum & omnis generis peccatorum? tanquā omni Iudaicæ nationi exosum? quæ cùm populus esset Deo charus & peculiaris, necesse est Iudæis Christum fuisse hominem sceleratum, peruersum, Idololatram, hostem & inimicum Dei, tanquam publicum blasphematorem, & diuinæ Maiestatis traductorem, vt qui ausus

Ioan.10. fuerat dicere; *Ego & pater vnum sumus*, quod ne Diabolus quidem vnquam dicere ausus est? O miserum Christum. Et nos patiemur etiam hodie, & quidem in hoc loco, Christum à Iudæo tantis calumniis onerari, tam turpiter diffamari? Agite, agite solus ego pro vobis omnibus volo decertare.

Inuectiua in Iudæos. Qua fronte tu, ô proditor Iudæe, ausus es Christum meum calumniari, eò quòd se filium Dei (vt ab vltimo articulo incipiamus) nominauit? Quot ex Iudæis vestris audierũt vocem illam cælitus in monte sancto, quā summus Pater ille è lucida nube quondam

dam emisit; *Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, ipsum audite?* Ioannes Baptista filius summi sacerdotis tui, an non vobis in maxima hominum frequentia testatus est; *Et ego*, inquiens, *vidi, & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei?* Nathanael & Nicodemus vester, nónne dixerunt; *Tu es filius Dei?* Iosephus historiarum vestrarũ scriptor celebris, nónne manifestè dicit, se dubitare an Christũ hominem audeat appellare, propter maxima quę operabatur miracula, Deum illum esse testantia? *Si virum eum nominare fas est, erat enim mirabilium operum effector.* Quæ illa tua est impudentia miser, vt dicere non erubesces, Christo plùs placuisse peccatores, quàm iustos? Quādo quæso Christus peccatores magis laudauit quàm iustos? Quando vnquam docuit, pœnitere laudabilius esse quàm non peccare? pœnitentiam Deo magis acceptam esse quàm innocentiā? surgere quàm non cadere magis esse commendandum? Vos vobis ipsis iusti eratis, & eratis peiores publicanis & meretricibus. Existimabatis nulla vobis opus esse pœnitētia, omnes gentes contemnebatis, eò quod tantopere vobis vestra placebat iustitia. De vobis locutus est Christus, vos vocans pessimos hypocritas, dicens minùs malum esse ostendere quid homo est, quàm simulare quod non est; peccare publicè, quomodo publicani, quàm hypocritam agere quomodo Pharisæi. Et quis est qui nesciat Ethnicum obseruātem præcepta Dei, etiam non circuncisum, meliorem esse te, qui cùm corde sis incircuncisus, de circuncisione carnali tantopere gloriaris? Non audis Deũ hoc vobis exprobantem; *Omnes gentes præputium habent carnis, sed domus Israël incircuncisi sunt corde?* Et quæ gens peior vnquā fuit Iudaica? Non legisti Prophetam iustificantem Sodomam præ Hierosolyma? *Vicisti Sodomam sceleratius agens?* Ergo iustificata est Sodoma in cōparatione tui. Christum non obseruantem Sabbathum traducitis, tanquam ignorantem Scripturam? At ille primò Dominus erat Sabbathi & legis, deinde & tempus iam aderat, quo celebrandum erat aliud Sabbathum delicatius; Sabbathum spirituale, non carnale. Non legisti in Prophetis; *Et erit mensis ex mense, & sabbathum ex sabbatho.*

Matth.8. Ioan.1. Ioan.1.6. Hier.9. Iudæa peior est omni alia gente. Ezech.16. Esa.66.

tho, & vocaberis sabbathum delicatum? Nescis totam legem datam non vt semper, sed ad tempus solūmodo duraret: vitam enim hominibus non dabat. Audisne
Ezech.20. quid dixerit Deus? *Dedi eis præcepta non bona, in quibus non viuent.* Sed tu semper fuisti caro, carnalis totus, ne mica spiritûs in te fuit vnquam. Indignè ferebas quòd ille vestram reprehendebat iactantiam, & quòd vos mendaces appellabat. Et sanè quæ mens generosa vestram illam insolentiam ferre potuisset? vt quibus
Ioan.8. semper in ore fuit; *Nos patrem habemus Abraham; Pa-*
Ioan.9. *ter noster Deus est. Nos Moysi discipuli sumus. Nos liberi*
Ioan.8. *sumus, nemini seruiuimus vnquam?* An non ęquum erat vt Christus hanc vestram arrogantiam retunderet, ac
Ioan.8. diceret; *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite! Vos dicitis quia Deus Deus vester est, & non cognouistis eum!*
1 Ioan.2. *Qui dicit se nosse Deum, & mādata eius non custodit, men-*
Ioan.5. *dax est, & veritas in illo non est? Si crederetis Moysi, cre-*
Ioan.8. *deretis & mihi: de me enim ille scripsit? Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati?*

Obiicis illi perfide, mores eius dissimiles & contrarios esse moribus tuis; obijce igitur & luci, quòd contraria est tenebris; accusa virtutem, quòd contraria est vitio; bonum, quòd contrarium est malo; & Deo improperа, quòd contrarius est Diabolo. Tuum erat, scelerate, illius scholā frequentare, illius mores addiscere, vitam tuam vitæ illius conformare. Ille erat sanctus sanctorum qui venerat in hunc mūdum, vt mundi peccata tolleret, ideoque totus erat mundus. Non
Ioan.1. audis Ioannem Baptistam; *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi?* Reuelauit secreta tua, ô gens obstinata, & hinc cognoscere debuistis eum verum esse Deum, ideoque meritò adorandum. Tu nunquam arcana cordis tui manifestasti, neque latentes in te vulpes ac fraudes in lucem protulisti. Quòd si itaque ille ex se, vt te corrigeret, secretas tuas cogitationes tibi dicere potuerit, cur tu nunquā illi genua flexisti? cur nunquam procidens eum adorasti, dicens; Tu es
Psal.7. ille Deus, qui locutus es per Prophetas; *Ego Deus scrutans corda & renes?* Quòd si detecta cordis tui malitia vilueris, & factus sis infamis populo, qui te priùs adorabat, quamdiu non videbat, sepulchra tua foris dealbata,

albata, intus mille cadaueribus plena, quę culpa in illo est? cur mala cogitabas? cur non potiùs bona meditabaris? Respondes tu iterum ingrate; quòd se fecit filium Dei, & hoc modo excusabilem te fore arbitraris? Ecquod illud est argumentum; Factus est, seu facit se filium Dei, ergo morietur in cruce? Sed dic mihi ingrate proditor; Sacræ litteræ testantur tibi Messiam facturum miracula, quæ nullus vnquam homo fecerit. Audiuisti postea Christum se dicere Deum, & filium Dei, & hominem factum pro mundi salute. Vidisti illum tanta fecisse miracula, quanta nec Moyses vnquam, nec Helias fecerunt vnquam. Imò tuipse dicis hodie; *QVid facimus, quia hic homo multa signa facit?*] Quis itaque furor tuus, quod odium, quæ rabies impulit te, vt tāto cum impetu, plus quàm barbarico, eum in crucem rapueris, in ea suspenderis? Non te excusabit, non excusabit te si dixeris; nūquam eū cognoscere potui. *Ex ore tuo te iudico serue nequam.* Luc. 19. Non recordaris quid olim dixeris; *Hic est hæres, venite occidamus illum, & habebimus hæreditatem eius?* Matth. 21. *Dicebat se scire omnia.* Et quid potuit nescire, qui erat Deus? Qua in re illius scientia tibi obfuit? tibi interpretatus est legem, tibi Prophetas exposuit, Doctores tuos altissima docuit mysteria, iram Dei in te denunciauit, toties ruinam tuam tibi prædixit, vt conuersus iratum in te Deum pœnitentia placares. O te beatam Iudæam, si illum audijsses, eiusque monitis paruisses. At tu aspide surdior aures obturasti, & salutiferas incantationes tam sapientis incantatoris audire noluisti. Quid conquereris miser, quòd calumniatur opera tua? Quoties suo pallio tuā cooperuit turpitudinem? quoties honori & famæ tuæ cōsuluit? quoties iniquitatem tuam in se, in suos Apostolos, in Deum dissimulauit? Sed si scelerata vita tua, si peruersum & incorrigibile cor tuum, si pharisaica tua superstitio, quæ omnem religionem veram obliuione sepeliuerat, toties eum coegerint ad reprehendendum te, ne abominandarum consuetudinum tuarum scandala tandem in vituperiū doctrinæ & cathedræ Mosaicæ redundarent, cur eum vocas calumniatorem? Verè tu notā adulatoris effugere non potes, postquam

toties

toties in eo laudaueris, quòd tanquam liber & ingenuus peccantes coràm argueret, & perſonam non reſpiceret. Meminiſtiſne; *Magiſter ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo: Non enim reſpicis perſonam hominum?*

Matth. 22.

Quid dicis inueterate in malo? nouam prædicat doctrinam? nouæ erant traditiones, antiquæ legis in monte Sinai dātę tabulis contrariæ. Chriſtus annunciauit doctrinam illam, quę fuit ab Adamo, à Noë, ab Abrahamo, ab Iſaac, à Iacob, à Moyſe, à Dauid, ab omnibus Prophetis ſeminata. Ecquid enim legitur de Chriſto nouum, quod non aut in figuris, aut in verbis antiquitus de illo prædictū eſt? Vaticinati ſunt etiam veteres odium tuum aduerſus illum, vaticinati ſunt victoriam illius de te. Oblitus es oraculi iſtius Dauidici; *Aſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius!* Audi & aliud; *Et populi meditati ſunt inania, inania, inania.*

Pſal. 2.

Ceterùm quibus auribus audire, & quo animo ferre poſſum hanc tuam impudentiam, ô Iudęe, qui non erubeſcis dicere; Chriſtum pacem turbaſſe tuam? Tu ipſe ingrate, tu traditor & proditor ille es, qui tāquam verus ſchiſmaticus & ſeditioſus Regnum tuū in duas partes, in Iſraëlem & Iudæam diſcidiſti. Negare non potes. Chriſtus colligit, tu diſpergis: Chriſtus pacem conciliat, tu pacem turbas: Chriſtus author eſt omnis concordiæ, tu ſeminator es omnis diſcordiæ. Non ſeparauit filios à patre, nec fratres à ſororibus, niſi eo fine, vt vitium vnius non inficiat alium. Neſcis miſer primos Chriſtianos omnes ſimul vixiſſe, & omnia habuiſſe communia?

Sed quid me fatigo, Pater Sancte? poteſt quidem obſtinatus Iudæus confundi, ſed corrigi aut conuerti non poteſt. Quid tibi videtur de hoc, quod perfrictiſſimæ frontis homo vltimo loco obijcit; Chriſtum fuiſſe hominem mundo inutilem? O furorem non ferendum, ô populum ingratum, ô gentem Diabolicam. Quis enim, ò Iudæe, vnquam tuæ Reipublicæ fuit vtilior homo noſtro Chriſto? ille infirmos veſtros ſanauit, ille cæcos veſtros illuminauit, ille mortuos

tuos veſtros reſuſcitauit, ille viduas veſtras eſt conſolatus, ille plebem veſtram docuit, ille terram veſtram condecorauit, aquas veſtras ſanctificauit; & moriens cælum veſtrum purgauit. Beatos ſe putant homines, ſi poſſint adorare & exoſculari tuos agros, tuos campos, tua paſcua, tua ſaxa, tuos torrentes in quibus ſancti illi pedes Chriſti ambularunt, & dicere; Hîc ſedit Chriſtus, hîc docuit, hîc ſudauit, hîc captus eſt, hîc cruci affixus, hîc mortuus, hîc ſepultus, hîc reſurrexit, hîc in cælos aſcendit. O Chriſte, ô Chriſte. Meritò vocatur lux, Chriſtiani. Non enim tam vtilis eſt lux his inferioribus, quàm fuit Chriſtus mundo. Omnia, omnia quę Chriſti erant, mundo vtilitatem aliquam attulerunt. Qui carnes eius tangebat, mundabatur à lepra; digiti in aures ſurdorum miſſi reſtituerunt illis auditum; flatus eius conferebat Spiritum ſanctum; eius aſpectus fugabat Dæmones; eius nutus placabat tempeſtates; imperium eius ſanauit febres; pedes eius indurarunt mare; ſaliua illius cęco nato dedit viſum. quid? fimbria veſtimenti illius ſtitit fluxum ſanguinis; & vmbra eius diſcipuli quæ non operata eſt miracula?

Omnes actiones Chriſti mũdo vtiles.

Erubeſce, erubeſce Iudęe, etiam Pilatus animaduertit iniquitatem tuam, & Chriſti mei innocentiam: etiam Iudam pœnituit, quòd illum tradiderat; etiam ipſe Diabolus immiſit in cor vxoris Pilati, vt conata ſit impedire ne Chriſtus meus moreretur. Quid facies, quid facies Iudæe? cur te non dedis? cur te victum non fateris? Peior eris Pilato, peior Iuda, peior Diabolo? Dede te, dede te traditor; ne te dedas mihi, dede te Chriſto. Nõ periclitabitur tua exiſtimatio, nõ enim homini te dedes, ſed Deo. Chriſtus hic, quem tu crucifixiſti, certum nunc eſt quòd Deus eſt. Reuoca calumnias tuas quibus eũ traduxiſti, & quoad mortẽ ipſe tibi condonabit. Manum gulæ tuæ admoui Iudæe, caue ne te interficiam: mortuus es, niſi deditionem feceris. dede te, & vitæ tuæ parcam, te in fratrem meum chariſſimum aſſumam, omnia mea tibi communicabo, omnium bonorum meorum te faciam participem.

Non vult vinci, Roma, non vult ſe dedere perfi-

dus ille: agnoſcit ſe remiſſione indignum, deſperat, credit ſibi tam graue delictum nunquã remittendum. Quid faciemus? pugna peracta eſt, ictus ſignati ſunt, audio applauſum magnum per totum campum Crucifixo noſtro excitari. Victoria itaque eſt manifeſta. lotus ſum ſanguine nimis pretioſo, nolo me ſanguine tam vili contaminare. Videtis à me ſtare an illum velim occidere; ſed auertat Deus ne illum occidam. Viuat potiùs ſemper Iudæus; ſed ſic viuat, vt per totum mundum circumferat ſignum æternæ ſuæ infamiæ, & poſtquam rebellis ſit Chriſto, perpetuum ſit Chriſtianorum mancipium. Debebam quidem hic finem facere, ſed quia tertia noſtra concio eſt, rationi conuenire puto, ſi ea tres etiam partes habeat. Quieſcite parumper, in ceteris enim me prolixum non fore promitto.

TERTIA PARS.

Compati miſeris humanum eſt.



RES digna profectò homine eſt, Pater Sancte, miſeris compati, & infelicium miſereri: ſed & Beatitudo Veſtra ſcit, Paulum de Chriſto præcipuè dicere, quòd compatiẽs & miſericors fuit, quodque eam ob cauſam Deus benedictus voluit eum tentari per omnia, *vt poſſet compati infirmitatibus noſtris.* Fortè & D. Petrus non alio fine tam grauiter labi permiſſus eſt. Cùm enim futurus eſſet Pontifex, voluit Deus eum non tam auſterum eſſe aliis, quàm ſolebat eſſe ſibiipſi. Hinc ſanctus quidam Pater exclamat; *O beata anima, quæ à Deo habet, vt compati nouerit, poſſitque & velit. Omnes quidem patiuntur, ſed ô quàm pauci compatiuntur?* Et certè mereretur iſta exclamatio, Domini mei, aliquã digreſſionem, qua vos ad miſericordiam & compaſſionem permouerem erga pauperes, erga oppreſſos, erga afflictos, erga populum, qui infinitam dolendi lugendique habet materiam, & ad nos ſuſpirat, tanquam ad patres ſuos, ad matres ſuas, conſolationem & auxilium à nobis expectans, cupiens audiri & exaudiri: ſed campus qui mihi percurrendus eſt, nimis latè patet; atque ideo huic materiæ diu non poſſum

Heb. 4.

Petrus cur permiſſione diuina lapſus.

possum inhærere. sufficiet me vobis ad memoriam reuocasse pulcherrimum illud dictum Bernardi: *Discite vos matres esse subditorum, non Dominos. Studete magis amari, quàm metui: matres fouendo, patres corripiendo vos subditis exhibete: suspendite verbera, producite vbera. Quid iugum vestrum super eos aggrauatis, quorum potiùs onera portare debetis?* Sed & omnino credo superuacaneum esse, Papam Pium admonere ad pietatem; quia perinde hoc esset, atque si dicerem; Mementote nominis vestri.

Agite, si humanum sit compati miseris & infelicibus, & non sit aut infelicitas aut miseria maior in hoc mũdo stultitia seu amentia: inter omnes verò amentiæ stultitięque species ea sit maxima, qua quis videns quàm formosa & gratiosa est lux, audeat nihilominus blasphemare Solẽ, à quo lux illa nascitur: æquum omnino est, Auditores, vt infinita misericordia moueamini erga has animas perditas: quę etsi in inferno essent vnà cum Dæmonibus, non possent esse tã cęcæ, vt non videant etiam non volẽtes, quòd hic Christus crucifixus impleuit totam terram notitia vera Dei, & omnia idola euertit, mundumq́ue eorum cultu mundauit. quare lux sanè est charissima cunctis animabus piis: tamen non cessant vnquam, miseræ & miserabiles negare, vituperare, & quàm maximè possunt obscurare gloriosam huius sanctissimæ Crucis, mille amoribus, mille honoribus, mille fauoribus dignæ, virtutem. Compatiendum esse Iudæis.

Sed dimittamus Iudæos, loquamur cùm Christianis: qui (prô dolor) tantò sumus hoc tempore illis peiores, quantò maius cognitionis & gratiæ lumen accepimus. Quòd si Mardochæus ob mortem corporalem suo populo decretam tam grauiter doluerit, tot tantaq́ue veri doloris signa exhibuerit, quibus penè consumebatur, idq́ue propter nimiam charitatem qua complectebatur proximos, qui peribant, & Deum cui peribant: Nos, nos omnes, Pater Sancte, & vos Reuerendissimi Domini mei, cur non sanguinearum lachrymarum riuulos ex oculis & cordibus nostris educimus, qui videmus quotidie tot animas, morte Christi tam pretiosa redemptas, eidem Christo perire?

Nolo hîc multa dicere de ſcelerata & impia vita Chriſtianorum, ne fortè vt Iudæus iuſtificat Ethnicos, ſic etiam Chriſtiani iuſtificent Iudæos: ſed dicemus de fide, quę propria Chriſtianitatis nota eſt. Iudaica Religio vocatur Lex, Chriſtiana verò Fides. Hei mihi, omnis homo hac noſtra ętate loquitur de fide, & quidem de ſola fide: tamen vt mihi videtur nulla res vilior eſt nobis quàm fides. Non iam mihi ſermo eſt de fide politica, ſed de fide Chriſtiana. Requireret fortaſſis hæc querela locum alium, ſed quia nunc mihi orandum eſt in vrbe Romana, quæ centrum mundi eſt eius, in quo Chriſti nomen celebratur, & quia mihi veniunt in mentem verba illa Pauli ad Romanos;
Rom.1. *Fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo*, fortè quòd per horum colliũ valles, & per huius Tyberis fluenta Echo reſonabit, quæ etiam alijs gentibus audietur.
Non credendũ hæreticis. Domini mei, diligenter quæſo attendite. Iudæi, qui peculiari epitheto vocãtur increduli, tot vident ſigna, & tanta in Chriſto mirabilia, vt confuſi & conuicti admiratione, imò ſtupore pleni dicant, *QVid facimus, quia hic homo multa ſigna facit?*] Nihilominus quia viſus eſt ijs paternis traditionibus contrarius, nunquam vt ei crederent permoti ſunt. Tantum potuit in animis illorum opinio & fides illa præiudicata. Nos ecõtrariò tam ſumus in fide noſtra inſtabiles, vt omni hæretico, Eccleſiæ, pro qua Chriſtus mortuus eſt, & Sacramentis, quæ ille morte ſua inſtituit, contradicenti, abſque ſignis ſtatim, & abſque miraculis credamus; eum ſequamur, eum magiſtrum, patrem & patronum noſtræ fidei conſtituamus. Quod dicunt, pro oraculo habemus; quod dixerũt noſtri Patres, aui, proaui & abaui, reijcimus, vt nugas, vt figmẽta hominum æſtimamus, audire nolumus. Hæccine fides eſt Chriſtiana? hęccíne fides de Chriſto? Non laudo Iudęum, ſed & vitupero Chriſtianum. Pater Sancte, an non
Matth.24. prædixerit olim Chriſtus in Euangelio; *Multi venient in nomine meo, & dicent; Ego ſum Chriſtus. Nolite credere, nolite exire.* Forte & illud addidit, Etiã ſi ſigna & miracula fecerint, nolite credere. Et tamen nos peiores Iudæis, nimis creduli hominibus, nimis increduli Deo, leues, inconſtantes, inſtar puerorum omni vento

doctri-

doctrinæ circumferimur. Atque ita Christum deserimus & sequimur Antichristum. Vah Christiani, nimis curiosi, nimis mobiles. Quæ quæso signa & miracula fecerunt noui nostri Magistri quadraginta his annis, quibus se pro nouis Euangelistis venditarunt? Ioannes Baptista nullum quidem fecit miraculum, sed sanctitas & vitę illius austeritas omni maior erat miraculo. Quæ autem horum nouorum Apostolorum est sanctimonia? quæ vitæ puritas? Certè non maior quàm nostra. Ite & sequimini eos. An non multò satius est agnoscere & detestari errores vestros, & tanquam constantes & graues antiquam fidem tueri, nec pati vt ab huiusmodi Pseudoprophetis ab antiqua Christi Religione abducamini? *Homines estote, homines estote, & non pecora stulta*; ne Iudæus vos inter vos illudat. *Confitebor tibi in Ecclesia magna*, ait Dauid, *& in populo graui laudabo te*. Grauitatem Christianam non decet hæc leuitas, hæc pueritia. Non audis Paulum; *Vt non simus tanquam paruuli, qui circumferuntur omni vento doctrinæ?* Sed ecce reuertor ad Crucem Christi.

Psal.34.

Grauitatem Christianam non decet leuitas.

Ephes.4

Gal.6.

Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Iesu Christi, in quo est salus, vita & resurrectio nostra, per quem saluati & liberati sumus. Dicat Iudęus; nos Christianos Crucifixum pro Deo adorantes manifestum mundo dare scandalū. dicat Ethnicus; nos toti mundo ostentare nimiam nostram stultitiam. Nos verò constanter dicamus, crucem & crucifixum esse gloriam, salutem & sapiētiam omnibus hominibus pijs, & Dei fidelibus amicis. *Verbum crucis Iudæis quidem scandalum, gentibus stultitia: ijs autem qui salui fiunt, est Dei virtus, Deique sapientia*. O Crux victoriosa, ô fortissimum redemptionis nostræ instrumentum. *Nos, nos*, qui in frontibus nostris glorioso illo signo, idque sanguine Crucifixi signati sumus; nos qui virtutem crucis gustauimus, & quotidie gustamus; nos qui sumus reliquię ex Iudæis & Ethnicis electæ, in Iudæis sub lege, in Ethnicis sub idolis; Iudæi secundùm spiritum, Ethnici secundùm carnem solam, alieni ab Ethnicorum erroribus, alieni à Iudæorū ignorantijs. *Nos, nos*, Nos Christianos, nos Christianos, *gloriari*

1 Cor.1.

oportet in Cruce Domini nostri Iesu Christi, in quo est salus, vita & resurrectio nostra. Ah munde nimis ingrate; si Christus non ascendisset in crucem, quomodo vos ascendere potuissetis in cælum? Si Christus non pependisset in cruce, quomodo vos vnquam exaltati fuissetis in spiritu? Si Christus in cruce non fuisset deformatus, quomodo vos vnquam in vita fuissetis reformati? Si Christus non expandisset in cruce brachia, quomodo vos vnquā collecti essetis in eius gratia? Si Christus pedibus, manibusque cruci clauis non fuisset affixus, quomodo vos tamdiu expectasset ad pœnitentiam? Si Christus suo sanguine in cruce non fuisset irrigatus, quomodo nos à tot & tantis peccatis abluisset? Si Christus tantos dolores non sustinuisset in cruce, quomodo vos tantis gaudijs frueremini in cælo? Si Christus non clamasset in cruce *Sitio*, potum date; quomodo vos vnquam cum illa Samaritana aquam gratiæ diuinæ bibere potuissetis? Si Christus in cruce non fuisset mortuus, quomodo vos vnquam vitam recepissetis? Si mortuo Christo pectus in cruce lancea non fuisset transfixum & apertum, quomodo interiora eius amore in nos fuissent vnquam repleta? Si è latere Christi in cruce sanguis & aqua non fluxisset, quomodo Sacramenta ad nostram salutē stillarent? O crux admiranda, in te sola nostra gloria, noster honos consistit. *Salus, vita, & resurrectio nostra.* Salus animæ, vita corporis, resurrectio animæ simul & corporis: animæ à peccato, corporis à morte & corruptione. *Per quem saluati & liberati sumus.* Saluati à culpa, liberati à pœna.

Vidua illa Sareptana, magni Eliæ hospita, pauper opum, sed diues fide, quæ vt ligna colligeret in siluam exierat, Prophetam inuenit. Quid putas cogitauerit cùm diceret; *En colligo duo ligna, vt ingrediar & faciam illud mihi & filio meo, vt comedamus & moriamur.* quid inquam cogitauit aliud, nisi crucem hāc? Duo ligna conficiunt crucem, vnum erectum & alterum transuersum. Intelligitisne fœminæ? O te felicem Christianum, si vt accendas in foco tuo diuinum amorem exieris in siluam animæ tuæ, heu nimis siluescentem peccatorum tuorum multitudine, in ea que colli-

3 Reg. 17.

Quæ sint duo ligna viduæ Sareptanæ.

colligas & componas hæc duo ligna, sic vt crux fiat, lignum scilicet Adami, quod mortem peperit, & lignum Christi, quod vitam produxit. Componite & coniungite pariter duo ligna hæc, quotquot adestis viri & fœminæ, facite antithesin Adami & Christi, cōferte & componite vnum cum alio, vt fiat insignis eorum comparatio. Infelix ille noster parens terrenus Adamus superbia inflatus quanta potuit ambitione desiderauit de nostra humilitate in altum ascendere, & æqualis Deo fieri: At Adamus hic cælestis Christus, quàm submisse potuit sese humiliauit, æqualitate, quam in æterna Patris substantia habebat, quasi exinanitus, factus est homo miserijs plenus, & peccatoribus similis. Contumax illa inobedientis Adami superbia de ligno contraxit mortem: Infinita ista obedientis Christi humilitas de ligno collegit vitam. Adam in ligno viridi & pulchro victus & mortuus est ab infernali serpente, in ligno horrido & arido Christus infernum, mortem & mundū deuicit. Ne vxorem cōtristaret, peccauit primus homo: affligens semetipsum pro peccato satisfecit secūdus homo. Extendit Adamus dexteram Euæ, pomum illi porrigenti: totum se dedit in prædam Christus Synagogæ, se in cruce ligāti. Voluptate Adami natura humana est infirmata: dolore Christi eadem est sanata. Inter arbores nudum Adamum turpitudinis suæ puduit, tanquam reum se abscondit, & faciem Dei fugit. In arbore toti mundo nudū se ostendit Christus, vt opprobrijs suis temporalibus æternam nostram tegat ignominiam. Ante tribunal diuinæ iustitiæ iustè citatus Adamus, se iniustè excusat: coram tribunali terrenæ iniustitiæ iniustè accusatus & punitus Christus, securè sua iustitia iniustos coram patre excusat. O quanta mysteria latent in his duobus lignis? *En colligo duo ligna. O benedictum lignum, per quod fit iustitia,* inquit Sapientia. *Vt qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur* interpretatur Ecclesia. Meministíne Docte ligni vitæ: ligni scientiæ boni & mali? Nescis arcam ligneam mundum in aquis diluuij conseruasse? Iacob summitatem ligni adorasse? petram aquarum viuentium fluenta non emisisse, priusquam ligno percuteretur?

Pulchra antithesis Adami & Christi.

Sap. 14.

Gloriosum mysteriū ligni S. Crucis.

retur? serpentem æneum in ligno suspensum, cuius aspectu totus à veneno sanatus est exercitus? Quid an non lignum aquas amaras edulcorauit, potabilesque reddidit? Baculo ligneo magnum fluuium Iordanem transiuit Iacob, & virga lignea diuisum est mare rubrum, trãsitumque dedit Israël. Baculo ligneo armatus Dauid Gigantem adoritur & prosternit. Currus Salomonis tantopere laudatus nonne fuit ligneus? Vbi Esdras, nisi in ligno concionatus est? quo instrumento ferrum Elisei aquis extrahitur, nisi ligno? magnum illud pegma in quo Isaac erat immolandus, an non fuerit ligneum? Vbi Christus noster oblatus & crucifixus est, nisi in ligno? O lignum, ò lignum sanctum. Vnum lignũ in alio ligno, Christiani. Nonne

Psal.39. legistis de Christo *in capite libri* in principio psalterii;

Psal.1. *Et erit tanquam lignum*? O quale lignum? quàm pretiosum? artificiosa manu cælestis agricolæ, de quo ipse dicit; *Pater meus agricola est*, plantatum, non in silua, sed in viridario florenti, in horto voluptatis, cui cedunt horti Adonidis, & Hesperij; cui cedunt vineæ Engaddi, & viridaria Salomonis. O beatam terram, ò benedictũ ventrem Beatæ Virginis Mariæ, *Aperiatur*

Esa.45. *terra, & germinet Saluatorem*. Irrigatũ igitur est lignũ hoc ab omni latere diuinarum gratiarũ pelago. Non

Ioan.1. legistis; *Plenum gratiæ & veritatis*? Produxit fructum

Fructus admirabiles ligni crucis. magnum, Destruxit idololatriam, eiecit Diabolũ, restaurauit Angelos, liberauit mundum, placauit Deum, soluit nostra debita, resurrexit cum tãta gloria, ascendit in cælum, misit Spiritum sanctum. Transplantatum deinde in Ethnicismum, terra Hebræorum, licet celestis ros iugiter in illam descẽderet ac stillaret, iam siluescente, Barbariem ad se pertraxit; sapientiã mundi infatuauit, Reges & Imperatores ad se conuertit, & se vniuerso mundo adorandum prebuit; Cælum, terram & infernũ ad nomen suum genua flectere coegit.

Sap.3. O quales fructus; *Bonorum laborum gloriosus est fructus*.

Esa.4. *Et fructus terræ sublimis*, dicit Esaias. *Et fructum suum*

Psal.1. *dabit in tempore suo*, ait Dauid. Huic arbori adhærebimus omnes nos Christiani, idque immota spe, dicen-

Psal.30. tes; *In te Domine speraui*. Nauigantes exiguo ligno credunt vitam suam, & nos omnem salutem nostram

expecte-

expectemus & speremus ab hoc Christo, cōstituamus in hoc Christo. *Exiguo ligno credunt homines animas suas, & transeuntes mare per ratem liberati sunt.* O lignū miraculosum. Sub vmbra salutifera sanctarum illius frondium, & doctrina sanctorum eius verborum, de quo in Apocalypsi dicitur; *Et folia eius ad sanitatem gentium*, nos refocillemus in hac peregrinatione, & fructibus illius gratiæ pascamur, dicentes cum Sponsa; *Sub vmbra illius quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Ah, si hîc digredi velim, & extra limites longiùs expatiari, quàm latè patens hîc mihi campus esset dicendi de hoc ligno fortunatissimo, cuius fomento ignis diuini amoris in nostris pectoribus accenditur? hoc ligno pretioso, vt Phœnix ille Arabicus, renouamur; ex hoc ligno fiunt hastæ, quibus cum Diabolo, carne & mundo dimicamus; ex hoc ligno ipsi nos domus Dei ædificamur; in hoc ligno radices bonarum cogitationum, medullam compassionis, corticem patientiæ, folia sanctorum verborum, flores piorum affectuum, fructus perfectorum operum, tabulas legis, omniumque virtutum disciplinam inuenimus. Hoc ligno vinea sanctæ Ecclesiæ sustentatur; & vnde illa, nisi ex hoc ligno est ædificata? quomodo arca testamenti, quomodo mensa propositionis, quomodo altare incensi, & illud holocausti; omnia hæc erant lignea. Ecce lignum, ecce lignum.

Sap. 14. Apoc. 22. Cant. 2.

Et erit tanquam lignum. O lignum vitæ, ô lignum scientiæ, ô lignum pomiferum: vitæ ad liberandum à morte, scientiæ ad tollēdum omnem ignorantiam, pomiferum ad nutriendum & recreandum. Agite, agite Christiani, apprehendite lignum hoc, adhęrete Christo huic, huic (inquam) Christo in cruce, huic Christo crucifixo. O gloriosum vexillum, ô victoriosum tropheum: in te omnis mea gloria est posita, in te mens mea requiescit, ô Crux sanctissima. Tu es ipsum salutis meę instrumentum. Tu es candelabrum in quo accensa est viua illa & lucida lampas, quæ totum mundum illuminauit. Tu es diues illa mensa, in qua panis ille viuus animabus nostris tam dulcis est propositus. Tu es arbor illa vitalis, in cuius ramis pe-

Psal. 1. Insignis laus S. Crucis. Figuræ S. Crucis.

pendit fructus ille tam pretiosus mortuis vitam conferens. Tu es clauis illa Dauid, quæ portas cæli aperuit, & absconditos sanctarum Scripturarum thesauros reserauit. Tu es altare illud, in quo oblatum est summum illud sacrificium carnis Christi, Sacerdotis & hostiæ. Tu es palus ille excelsus, in quo exaltatus est mysticus ille serpens, contra serpentem illum venenosum, qui calcaneum primæ nostræ matris Euæ momordit, quem serpentem quicunque oculis fidei intuetur, ab omni diabolica tentatione liberatur. Tu es currus ille Salomonis, qui homines saluos & securos in cælum adducit, currus ille triūphalis, in quo mortuus est Rex Israël, cuius sanguine currus ille tinctus & purpureus factus est. Tu es lectulus ille, in quo magnus Propheta sese expādit, incuruauit, ac septies oscitantem mortuum suscitauit. Tu es virga illa Mosaica, quæ tanta fecit in hoc mundo miracula. Tu es lignum illud amarum, quod contra naturam omnes amaritudines huius miseræ vitę in pijs animabus reddit dulcissimas. Tu es sceptrum illud regale Assueri, inclinans se Hester supplici, humanæ scilicet naturæ, in signum ineffabilis Dei erga nos clementiæ. Tu es lignum illud aridum, quod cum maxima totius mundi admiratione, cùm antea esses opprobrium & supplicium miserorum, factū es tam felix & gloriosum, vt nunc summorum sis vexillum Regum & Imperatorum. Tu es statera illa, in qua Deus peccata hominum & merita Christi ponderauit, & comperit hæc illis infinitis modis præponderare. Ideoque dimisit nobis omnia, & nos in suam gratiam transtulit. Ad crucem igitur, ad crucem, Romani. *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Tu Deus cordis mei, tu spes mea Deus in æternum.* Scio dulcis Iesu quòd in vsum meum cōdidisti cælum, Solem, stellas, Lunam, aërem etiam, aquam & terram: scio quòd mihi creasti volucres, bestias, herbas, plantas, aurum & gemmas: pro his omnibus tibi Domine quas possum ago gratias. Sed quis hæc omnia te postulauit, quis à te petiit? tu ex sola bonitate tua creasti, absque vllis præuijs aut meis, aut aliorum precibus & petitionibus. Hanc vnā ego & solam rem à te ex toto corde peto, vt des mihi in te quiescere, vt sis nidus meus, hospitium meum,

Psal. 72.

Meditatio de S. Crucis mysterio.

domus mea. Plenus sum cælo, non placet mihi terra, fastidio creaturas omnes; te vnum, te solum volo; omnia mihi viluerunt, omnia quæ mihi dedisti tibi reddo; tu pars mea, tu portio mea, tu sors mea, & mea quies esto. Serua tibi cælum tuum, & terra tua tibi sit: noli mihi dare quicquam: te solum habeam, in te respirem, in te viuam, nihil enim præterquam te desidero. An fortè nimium petam Domine? Non peto tuam immensitatem, non tuam gloriam, non tuam excellentiam, non tuum cælum: sed ignominias tuas, miserias tuas, vulnera tua, crucem tuam, & tuam mortem desidero. Hic meus ignis est, feruentiùs, maiorique flamma quàm mille fornaces affectus meos accendens. Hic est aër meus, qui fœcũdat, vegetatque cor meum magis, quàm aër ille elementaris omnia terrena hæc. Hæc est aqua mea, quæ mollificat omnẽ meam duritiem, omnemque maculam meam abluit. Hæc est terra mea, quæ stabilẽ me reddit, & in omni bona cogitatione confirmat. Hoc est aurum meum, quod me ditat, & tam opulentum reddit, vt omnes mundi huius diuitias facilè contemnam. Da mihi, da mihi Domine has angustias tuas delicias meas, has pœnas tuas consolationes meas, spinas tuas rosas & violas meas, hanc crucem tuam triumphum meum, hanc mortem tuam vitam meam. Ingrediatur, ingrediatur cor meum latus istud tuum, & econtrariò vulnus illud ingrediatur cor meum, ô Iesu dulcissime: quod nisi fiat, partem tecum in cælis non habebo. Hîc securus ero à furore Dei, hîc enim placatus est: hîc securus ero à persecutione mundi quia mundus hic in hoc vulnere victus est: hîc securus ero à tentatione Diaboli, quia hîc cõfusus est. Domine si nõ sim mundus vt velum templi, vt propterea in virtute passionis tuæ scindi debeam: sum tamen immundus tanquam fœtida illa monumenta, quæ aperta sunt, & mortuos suos reddiderunt. Scidisti petras Domine; ecce cor totum petrosum, totum lapideum, mouisti terram, ecce affectus plus quàm terrenos: excitasti mortuos, ecce me magis ipso Lazaro mortuũ. visitasti infernũ, ecce me omnium pœnarum infernalium reum. Aperi, aperi Domine cor meum mille plenum cadaueribus fœti-

fœtidis & graueolentibus, vnde exhalat fœtor meorum scelerum intolerabilis, ipsas Dei nares ingrediens. Visita me tua gratia, moue me tuo amore, discinde me vitæ meæ anteactæ contritione. Tunc venies in me qui factus ero sepulchrum nouum, & prorsus à mundo ero alienus. Tu enim es supra mundū. Quomodo potero non quiescere, si habeam te, qui vnica es Angelorum & hominum requies? *In pace in idipsum dormiam & requiescam.*

Psal. 4.

Summa stultitia omniū hominum.

Ah, Pater Sancte, quāta est omnium nostrum stultitia, qui in amando hoc dulcissimo Iesu, tam sumus frigidi? O cor plus quàm saxeum, ô cor, non cor; cur ad amandum non accenderis? imò cur ad amatorem tam charum redamandum non inflammaris? Saxa in ignem posita resoluuntur, & tu in tanta flamma non liquescis? Vtinam saltem saxeum esses, ô cor, si non sis carneū. Vidistis vnquam vos, Prælati, Armeni, miraculum illud in Syria, in Armenia, aut vos saltem alij Domini, qui huc è nouo mundo aduenistis, vidistis vnquam dico carnem duriorem & insensibiliorem saxo? Videte, videte cor nostrum. Domine mi, dixisti te ablaturum cor lapideum, & daturum cor carneum. *Non sic, non sic,* Domine. Lapis enim mollescit, & caro induratur: tolle potiùs hoc cor carneū, & da lapideū: tolle hoc cor carneum, & da cor lapideum. Ad ignominiam & confusionem nostram hoc dico, Christiani: cor crudele, cor peruersum, cor inhumanum cur tanto Christi nostri amori tam ingratū es? O petræ, montes, cælum, terra super hanc cordiū nostrorū stultitiam plangite. Qui non vult amare, saltem timeat. *Domine omnes qui te derelinquunt, confundentur,* dicitur in huius diei Epistola: *recedētes à te, in terra scribētur: quia reliquerunt venam aquarum viuentium Deum.* Væ recedenti à Christo, Roma: tandem enim confundetur, & dicetur de illo quantūuis magno & eximio: *Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum.* Permittit quidem Deus vt aliquamdiu prosperè viuat, floreat, & mundo dulciter fruatur: sed in fine maiori cum ruina illum euertit, & opprimit.

Quomodo melius sit cor lapideū quàm carneum.

Hier. 7.

Miser est qui se à Christo separat.

Psal. 51.

Tolluntur in altum,
Vt lapsu grauiore ruant.

Non

Non audis Prophetam; *Vidi impium superexaltatum sicut cedros Libani, & transiui, & ecce non erat?* Notate verba; *Et transiui, & ecce non erat.* In vno transitu, in ictu oculi is, qui tam magnus erat, vt fumus euanuit. Exemplo vobis est Iudæa, quæ erat tam celebris, tam potens, tam magna, vt exiguus ille populus toti mundo terrorem incusserit. Sed quia voluit cum Deo manum conserere, heu, videte quid illi acciderit. *Excitatus est Dominus tanquam potens crapulatus à vino, & percußit in posteriora.* Persequebatur Christũ, occidit, crucifixit, sepeliuit: & hæc omnia patienter tulit Deus. Sed tandem, tandem excitatus est tanquã ebrius, postquam bene bibit & dormiuit, quasi cognoscens iniuriam à Iudæa acceptam, & percussit eam in posteriora; hoc est, in posteros & nepotes tam grauiter, vt optimè senserint, quod priùs dixerant Pilato; *Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.* Experiuntur, & vsque ad finem mundi hanc indignationem Christi experientur.

Psal. 36. Miseria Iudææ. Psal. 77. Matth. 27.

O Domini, ô Domini Reuerendissimi, *Leuate capita vestra,* non terræ, sed cælo: alioquin Deus vobis irascetur. Et si nos deserat, quis eum detinebit ne omnino recedat? Ecclesia sancta Hierosolymis incepit, inde peruenit in Græciam, tandẽ huc Romã vsque diffusa est. Opto quidem circulum, sed non cum nostra diminutione. Euangelium rota est, & vt rota circumuoluitur & circumit. Eia viuamus quæso sic, ne Christus, etsi nomen illius per mundum nouum propagetur, incipiat hunc nostrum veterem mundum fastidire. Meritò vetus est, Roma, rancidus, odore graui, & fama non bona. Eia renoua illum, Pater Sancte, reforma illum: hoc enim opus Deus tibi reseruauit. Quòd si bonam in aula Romana videro reformationem, iam tunc nomine Romæ mihi charissimæ dicam contra Aquilonem & Orientis Tyrannum; *Paueant illi, & non paueam ego; confundantur illi, & nõ confundar ego.* Sed quamdiu illam reformationem non video, semper in auribus meis intonant illa verba; *Nolite confidere, dicentes; Templum Domini, templum Domini. Quia qui te derelinquunt, confundentur: & recedentes à te, in terra scribentur.* Nos magistri sumus illius egregiæ

Luc. 21. Principiũ & progressus Ecclesiæ. Hier. 17. Hier. 7. Hier. 17.

giæ doctrinæ; *Fides sine operibus non saluat.* sed demùs operam, ne dicat aduersarius; *Ostende mihi fidem tuam ex operibus.* Roma est caput, Roma est cor mundi: à capite & à corde omnes sensus motusque corporis deriuantur. Nolite igitur mirari, si concionatores omnes vociferentur, à Roma reformationem esse auspicandam. Roma deformata deformat mūdum. Roma reformata reformat mundum. Antiquissima querela est; Omne malum à templo & à sacerdotio suam habere originem. Nescitis Deum etiam cùm iratus Angelos suos ad percutiendum mitteret, dixisse: *A sanctuario meo incipite.*

Roma est caput & cor mundi, & ab ea pendet omne bonum & omne malum.

Ezech 9.

Nolo hîc longa oratione recensere abusus huius Romanæ curiæ; sed id saltem dico, populum nō nosse distinguere inter Curiam & Ecclesiā, putatque abusus vnius errores esse alterius. Hinc oritur, quòd nostro hoc seculo nomen Romanum apud omnes nationes exosum est, & ipsa Ecclesia videte quæso quàm exiguo sit in pretio, propter scandala quæ audiuntur, videntur, tangūtur. Non iam loquor de inimicis, qui vocant eam Babylonem, Infernum, Meretricem; qui dicunt eam omnium errorum esse sentinam: sed de amicis loquor, qui gemunt & in semetipsis suspirant quotidie dicentes; O ciuitas sancta, quomodo sic es profanata? ò ciuitas gloriosa quomodo sic viluisti, sic contempta es & neglecta? Loquor de animabus illis sanctis, quibus ipsa vita grauis est, & mori cupiunt, ne audiant quotidie ciuitatem hanc Sacerdotalem, hanc Regni Christi Metropolin, hanc Piscatoris hæreditatem, hanc terram sanguine Petri & Pauli Ecclesiæ & Apostolorum Principum consecratam, tam turpiter diffamari. Audistísne lamentationem S. Hieronymi? *Romanus orbis ruit, & tamen ceruix nostra erecta non flectitur: non flectitur.* Humiliemur, humiliemur Consacerdotes, Confratres mei, humiliemur coram Deo: non meministis quanto cum zelo nōnunquam Sacerdotum superciliū reprehendit; nolo ego eius mutare verba: caueamus, caueamus ne ipsi ruinę nostrę Romę causa esse & videamur & dicamur. *Quid saluum, si Roma perit? Quid saluū, si Roma perit,* inquit idem Doctor. Ecce perit, ecce perit: si non pereat in fide, perit in sanctitate

Inuectiua in Romam.

ctitate vitæ, perit in exemplis vniuersalis Ecclesiæ. *Quod Roma contemnit*, inquit idem amicus tuus Hieronymus, *mirum si Italia probet*. Cùm hîc cura bene viuendi non inueniatur, necesse est totam Italiam, necesse est totum mundum malum ducere bonum, & bonum malum. Estne hoc perire, éstne hoc perire, imò perdere? Ah Prælati Reuerendissimi, dicã quod olim dixit D. Bernardus, audite rhythmos meos; *Monstrosa res gradus summus & animus infimus; sedes prima & vita ima; lingua magniloqua & manus otiosa; sermo multus & fructus nullus; vultus grauis & actus leuis; ingens authoritas & mutans stabilitas*. Notãda verba S. Bernardi.

Sed dixi quod satis est: ecce orationi meæ finem impono. Instãt dies sanctissimi, soliciti estote in dandis eleemosynis, in visitandis Ecclesijs, in confitendis peccatis. Admonete familias vestras vt confiteantur, sacram Synaxin illis distribuite, date exempla bona. Imò toti mundo bona demus exempla, vt totus in nobis est scandalizatus. Incipiamus vel tandem Deum timere, eius furorem, eius indignationem declinare. Optarem, o Roma, hodie omnes homines sic timere, vt quilibet timore & horrore impleretur: hæc enim ætas nostra (heu) nimis est insolens, nimis est temeraria; est ætas Gigantum, vnusquisque Deo bellum molitur. Non videtis Christiani? Non iam mihi sermo est de timore sancto & filiali, sufficit mihi vt saltem à timore seruili exordiamini. *Terribilis est Deus*, Domini mei. *Terribilis qui aufert spiritum Principum*, ait Dauid. Non vult contemni, non vult irritari: non opus est cum eo contendere, opus est illi credere. alioquin *Malos malè perdet, & vineã suam locabit alijs agricolis, qui reddent illi fructus temporibus suis. Auertite omen Petre & Paule almæ vrbis Romæ Tutelares; ne in vna Vrbe totus orbis intereat, sed salua Vrbe totus orbis saluus sit. Amen. Amen.* Psal. 75. Matth. 21.

Beatissime Pater, absolui tres conciones, quas Vestra Sanctitas mihi iniunxerat. Potuissem quidem, cùm mihi hoc onus imponeretur, recusare, & me verbis his oratorijs excusare; *Melius est desinere, quàm deficere*. cumque hoc exemplo Poëtico, quod est apud Horatium;

Solue senescentem
Maturè sanus equum.

Sed volui simpliciter obedire. Prompta igitur hæc mea obedientia, operis mei in oculis vestris excuset imperfectionem. Finem itaque facio, & Sanctitatis Vestræ nomine benedictionem populo dabo, indulgentiamque plenariam promulgabo. Ite in pace, In nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti. Amen.

CONCIO IN DOMINICA PALMARVM.

Habita Romæ.

IN EVANGELIVM DIEI.

CVm appropinquasset Iesus Ierosolymis, & venisset Bethphage &c. Matth. XXI.

PROOEMIVM.

Ingressus Dauidis & Christi comparatio.



I fatidicus ille Dauid ex Hebrone Hierosolymam tanto cum apparatu, tanta cum pompa, tanto cum applausu populi ingressus sit, vt omnes vicinas gentes in admirationem rapuerit: quid miraris, Roma, si Iesus, cuius figuram & typum Dauid referebat, qui sua natura semper & vbique admirabilis est, ingressurus Hierosolymam, fama iam & miraculis, & singularibus suis operibus vbique terrarum celebris, non tantùm pueros, turbas, & plebeios homines, sed & Primates, Satrapas & Magistratus in stuporem conuerterit? Quamuis posteriores hi maximo suo malo in luce clarissima cæcutientes, liuore maligno contabescerent, vbi simplices illi & pusilli lætis vocibus cum palmis & oliuis, imò cum vestimentis

mentis

mentis suis, tanquam purpurato Regi obuiàm procedentes, illum solenniter receperunt, eximioque honore affecerunt, clamantes, *Osanna filio Dauid: Benedictus qui venit in nomine Domini.* Salutemus Mariam Virginem. *Aue Maria.*

PARS PRIMA.



VEMADMODVM in circulo illo, quem currus Solis magnam illam cęli semitam circũactus describit, tempus messis & vindemiæ id præ omnibus aliis præstat, vt admirabili fructuum suorum abundantia modum præbeat paruo dierum curriculo totam humanam vitam pascendi & sustentandi; quare Ceres propter messem, & Bacchus propter vindemiam olim inter Deos ab Ethnicis habebãtur: Sic in circulari cursu diuinorum officiorum, quæ in Ecclesia Dei, in memoriam sacri illius & benedicti gyri, quem ab oriente in occidentem fecit almus & inuisibilis Sol noster Christus, dum nascitur plenus radiorum splendore, dum occidit in mortis nostræ tenebris, dum rediuiuus resurgit magis luminosus, quàm vnquam antea, vt cælum, terramque sua illustret gloria, fidelibusque annũ perpetuum dulcis suæ memoriæ consecret, celebrantur: etsi nec dies sit, nec hora, quę non cælesti dulcedine redundat, ei qui nouit de petra sugere mel, & oleum de saxo durissimo; omnes tamen dies & Maiestate & reuerentia superat instans hæc septimana, quæ propter nimiam suam excellentiã antiquitus Sancta dici consueuit, nonnunquam etiam Maior, tanquam ea, quæ salutis est fœcunda, gloriæ plena, sacramentorum diues, spe beata, & abundantia fructuum, quos humano generi protulit læta. Non videtis mysticam messem panis illius cælestis, qui paucos post dies in altaris mensa proponetur, vuæque vindemiam, quæ in torculari calcabitur, vt fiat vinum calici infundendũ, & amore diuino nos inebriet? O dies verè sanctissimos, prorsus reuerendos, omni honore dignos, summa deuotione plenos. Non potest Sol altiùs super horizontem nostrum ascendere, quàm cùm ardenti æstu suo

Simile.

Dignitas septimanę sanctæ.

percoquit segetes vt metantur, & maturat vuas, vt fiat mustum in cellas vinarias condendum: & quæ potest esse anagogia sublimior hac contemplatione, cui Ecclesia Dei hoc benedicto tempore, potissimùm autem in hoc solari die Dominico Palmarum Christi, vt officiorum diuinorum huius sanctæ septimanæ exordium præmittat, in qua septimana multò perfectiùs mundus paruus est reformatus, quàm mundus magnus in illa prima creationis formatus est, animo & cogitatione incumbit? Quid quæso, Domini mei, vobis videtur de triumphali hoc Christi introitu, qui hodie celebratur? de illo in montem Oliueti ascensu? de insolito cum tanta pompa, cum duobus iumentis, cum omnibus Apostolis, cum processione populi, cum exclamatione puerili, cum totius gẽtis applausu, cum virentibus denique oliuarum & palmarum ramis in vrbem Hierosolymitanam aduentu? Quid cogitatis? quid animo voluitis, cùm hæc auditis? An non habeat Ecclesia alium oculum, quàm qui contempletur hanc nudam historiam, vt luna decima ante diem Paschatis accidisse memoratur? Videte, videte quis oculus Ecclesię sit, quid contempletur. Oculis spiritualibus intuetur Christum nostrum, honore & gloria coronatum, pro infinito passionis suæ merito ascendere ad suum Patrem, verissimum Oliueti montem, *Patrem misericordiarum* (vt Paulus loquitur) *& Deum totius consolationis.* authorem pacis, originem omnis lucis, principium omnis gratiæ. Inde cælitus tanquã Dominum rerum omnium *dona dare hominibus*, creare Apostolos, eisque dare authoritatem ligandi & soluendi: soluendi reipsa duo iumenta, Synagogam Iudaicam, & populum gentilem: illam soluit ab ignorantia & superstitione; hunc ab imprudentia & stoliditate. Hoc modo per illorum pædagogiam totum genus humanum in viam fidei ad Christum adductum, & mysticis Apostolorum vestibus imitationis Apostolicæ amictum, ipse Christus ascendit, & insidens ei (ô nos beatos) frẽnũ manu tenet, nosque moderatur, vt securi & salui incedamus. Non legisti; *Equitatus tuus saluatio?* Ab exigua villa Bethphage, ab angustijs huius mundi, introducit nos omnes secum in il-

Mystica interpretatio historiæ huius diei.

2 Cor. 1.

Ephes. 4.

Abac. 3.

in illam cælestem Hierusalem, cum omnibus Angelorum copijs, qui omni puerili innocentia puriores occurrunt illi, cum mille canticis, mille solennitatibus cælo dignis: vtque pompam reddāt celebriorem, adferunt ramos oliuarum & palmarum, tanquā manifesta indicia, apertaque testimonia gloriosæ nostræ victoriæ, qua per Christum æternam pacem adepti sumus. Et quis ignorat propter hunc triumphum maiori cum liuore Dæmones fremere, quàm hodie Pharisæi Dæmonum illorum membra fecerunt? Vident enim magno suo dolore regnum Christi amplificari, & prosperitate frui: suum verò inclinare paulatim, & quasi interitum minari. O Roma, Patres illi nostri, qui in obsequium Christi officia hæc olim Ecclesiastica instituerunt, quomodo ijs ipsis docere, & in memoriam refricare voluerunt omnia Saluatoris mysteria, Incarnationem, Natiuitatem, Vitam, Mortem, Resurrectionem & Ascēsionem; ita ex singulari quadam reuerentia id studiosè egerunt, vt illa ipsa tegerent, & mirabilibus modis obumbrarent: veri in eo imitatores benedictorum filiorum Noë, Sem & Iaphet; qui, cùm Pater esset in mysterio forsitan magis, quàm in littera inebriatus, eiusque pudēda præ nimia ebrietate detecta essent, nolentes videre quod videbāt, ficta quadam negligentia vere diligentissimi retrorsum incedentes, & impositum humeris suis pallium demittentes, paternam nuditatem, quam maledictus Cham irridebat, cooperuerunt. Genes. 9.

Perpendite nunc & iudicate, vtrùm hæc officia requirant auditores stupidos & rudes, an verò potiùs solertes atque attentos, quique in sacrarum litterarū studijs, vnico diuinæ sapientiæ Gazophylacio, sunt non vulgariter eruditi? Nolo omnia percurrere: scio enim me Romæ concionari, quæ mater est omnium Ecclesiarum. Ideoque mihi persuadeo, nō esse hîc nisi pauca admodum iumenta, quæ portant panes propositionis, atque inde non manducant. est enim ea ciuitas, in qua frequentiores meritò esse deberent docti Sacerdotes, quàm ignorantes laici: nisi fortè locum hîc habeat illa prophetia, æterna lamentatione digna; *Et erit sicut populus, ita & Sacerdos.* Præterire tamen non pos- Osee 4.

Ordo Dominicarũ Quadragesimæ,& illarum mysterium.

sum, Domini mei, ordinem istorum officiorum tam bellum & mysticum. Dominica, quæ vltimò præcessit, Dominica Passionis fuit: hæc verò Palmarum & Oliuarum. Vidistis vnquam sublimiorem sapiẽtiam? Passio Christi fuit pugna, Palma victoria, & Oliua pax. Nemo vincit absque pugna, pugnando vincitur. Victoria finis est omnis pugnæ, finisque victoriæ est, vt in pace viuamus. pax est gloria Regum, gloria denique Regum est regnorum felicitas. O Rex, ô Rex: O Rex pacifice, O Christe, tu, tu es ille Rex noster, qui tanto iure pro tuis Regnicolis pugnasti, qui tanto cum honore vicisti, qui terram, cælumque tanto cum Regni tui commodo pacatum reddidisti. *ECce Rex tuus, ecce Rex tuus*, Roma.

Dominica prima Quadragesimæ vidistis in campo Regem hunc nostrum cum huius mũdi Tyranno, cælo eiecto, & omnibus tunc nobis tanta cum violentia dominante, luctantem. Illic didicistis & vos ad prælium armari debere. non enim est honestum milites in pace & otio viuere, cùm Rex ipse ad pugnam progreditur. Dominica secunda Ecclesia sancta eminus vobis in Transfigurationis Christi gloria demonstrauit præmiũ, quod in futura illa vita victores sunt accepturi. Dominica tertia docuit vos modum obtinendi victoriam per confessionem, cùm diuinarum laudum, quæ ex fide prosilit, tum etiam peccatorum vestrorum, quæ manat ex pœnitentia. ideo audita est loquela muti, qui priùs erat quasi præda Dæmonis, & vox Sanctæ Marcellæ laudes Christi prædicantis. O altissimum mysteriũ, & omni admiratione dignum. Dominica quarta, vt consoletur vos in medio vastissimi deserti, lautissimum instruxit conuiuium, & vt manifestetur gloria Domini nostri, ostendit vobis, quòd ex quinque panibus hordeaceis, quos habebat puer Moyses, qui quasi puer ludẽs est in Pentateucho, vt Iudæorum pueritiam erudiat, colliguntur duodecim cophini, duodecim Symboli Apostolici, fideique nostræ articuli. qui sunt cibus animarum nostrarum, donec per huius mundi desertum proficiscimur ad illam patriam, vbi non creditur, sed videtur. O ordo, ô ordo. Dominica quinta iam vltimò elapsa, cum tanta

Secundùm vsum Romanum.

fiducia

fiducia nobis, tanquam populo iam in illa mensa satis erudito, mysterium crucis, clauium, lanceæ, passionis, mortis, ignominiæ, opprobriorũque Christi demonstratur. Quid autem Ecclesiam in hoc officio dicere velle putatis? Voluit dicere, idque lingua sua secreta, qua sine verborum strepitu vtitur, quomodo & Magister vester ceremoniarum in Sacello Pontificis facere consueuit; dicere, inquam, voluit ingrato illi populo Iudaico; Ecquam aliã mercedẽ à te Christus noster, postquã te doctrina sua, suaque gratia pauerat, expectare potuit, quàm eijci, expelli, vilipendi, iniurijs affici, illudi, flagellari, crucifigi, mori? Ecce hæc est Dominica sexta (numerus omni parte absolutus) quæ nobis ad contemptum & ludibrium ingratæ Iudææ, quæ cum mundo & inferno in Christum conspirauerat, gloriam Regni illius ostendit. Surgite, surgite, inquit Ecclesia, videte quia Christus meus est Rex, & toti mundo te etiam inuita dominatur, O Synagoga, & regnabit in æternum, non habebit successorem, Regnum eius non deficiet. *Regnum eius, Regnum omnium seculorum. Potestas æterna, quæ non auferetur; & regnum quod non corrumpetur.* Rebellis es Regi Iudæe, reus es læsæ Maiestatis, eiectus es Regno, noli sperare vel expectare alium Regem præter hunc. Neutiquam, neutiquam; humilia temetipsum huic Regi, non est aliud remedium, semper exul eris, nisi cum hoc Rege in gratiam redieris. *ECce Rex tuus.* Psal.144. Dan.7.

ECce Rex tuus.] O quàm profunda sunt hæc mysteria, Christiani? quàm solennis passionis apparatus? quàm admirabile magnæ & sanctæ huius septimanæ principium? Quàm pulchrè respondet hic dies primus primo illi diei, primæ huius mundi septimanæ, in quo dixit Deus; *Fiat lux?* Non vides quanta cum luce, quanta cum claritudine & splẽdore Christus ingreditur Hierosolymas, vt offerat semetipsum, nosque à morte æterna liberet, tanquam Rex magnanimus, qui se periculo exponit, vt Regnum ab hostibus tueatur? Iccirco omnia in his diebus vestiuntur purpura, vt Regia significetur Maiestas, quæ hodie nobis ostenditur. Ecquod officiũ hac septimana celebrabitur, quod memoriam sanguinis Christi non repræsentat? Et quæ Genes.1.

purpura pretiosior pulchriorque Christi sanguine, qui etiam Crucem ipsam purpura tinxit? Non audis Ecclesiam canentem; *Arbor decora & fulgida, ornata Regis purpura?* Erat magnus ille Deus, Romani mei, Iudaici populi Rex, antequam Saulem Regem habuit. Non legisti Dominum hunc populum per solos Iudices & tribuum Præfectos diu rexisse? O felicem statum, ô quàm iucundum fuit tunc viuere? Tunc Synagoga dicebatur vnica, dilecta, chara summi Patris filia. Deus eam summa prosequebatur beneuolentia, Angeli tuebantur, cæli famulabantur ei, & elementa obediebant. Nescitis illam rerum naturam mutasse? centrum terræ deexisse? ventis leges constituisse? Solis cursum & recursum temperasse? Lunam abscondisse? militiam Cæli stitisse? fluminum alueos exsiccasse? mare diuisisse? rupes aperuisse? è petra fontes eduxisse? ranas è terra suscitasse? aquas in sanguinem transmutasse? fecisse denique vt ignis de cælo descenderet, atque aër manna quotidie plueret? O beatum populum. Postea Iudæa defecit à Deo, facta rebellis, & Regis huius imperij pertæsa, vti & manna illud fastidiens, hominem sibi Regem dari postulabat? *Constitue nobis Regem, vt iudicet nos, sicut & vniuersæ habēt nationes.* O quàm diuersus fuit ille status à priori. Bella erant continua, calamitates infinitæ, victoriæ nullæ vel paucæ, tyrannides intolerabiles, pestes graues, captiuitates diuturnæ, cælorum portenta omne malum minitantia, aër factus est æreus, integris annis clausus stetit, vt nulla terram irrigaret pluuia: terra facta est ferrea, vt coli non potuerit. frustra seminabatur, vites non vuas, sed labruscas producebant; arbores erant steriles, decem hostes profligabant centum, & centum fugabant mille. O stulti, qui Deum commutastis homine. Admonuit illos Dominus (gratia sit magnæ illius pietati) iniuriæ quam illi irrogarunt, Regem eum repudiando. *Clamabitis in die illa à facie Regis vestri, quem elegistis vobis, & non exaudiet vos Dominus, quia petijstis vobis Regem.* Sed cùm non desisterent, & pertinaciter vrgerent, clamantes; *Da nobis Regem*, nolentes audire verbum Dei, neque illi parere, tandem impetrârunt. Deus enim iratus, & ad indigna-

Ecclesia in hymno de Dominica Passionis.

Iudæi Deum Regem noluerunt, sed hominem.

1 Reg. 8.

Calamitates Iudæorum tempore Regum.

1 Reg. 8.

indignationem prouocatus, volens peruersæ illorum voluntati satisfacere, inquit; *Dabo eis Regem in furore meo.* O quoties auxilium & opem à priore suo Rege, contra posteriorem petierunt: sed exaudiri non merebantur. Cùm enim reiecerant iustum, & irreprehensibile summi Monarchæ, qui totus bonus est, dominium; æquum erat, vt quotidie à malo in peius prolaberentur, quod & ipsis accidit. Omnes Reges, Christiani mei, præter tres, Dauidem, Iosiam & Ezechiam, mali & peruersi fuerunt. Osee 13.

Venit tempus gratiæ, tempus misericordiæ, dierum prædestinatorum, & ecce Rex supremus cum tanto opprobrio à mundo repudiatus, descendit de solio suo, venitque humilis & mansuetus, vt liberaret eos à seruitute Regni terreni, quod iam in tyrannidem erat conuersum, vt ipse regeret, eos pasceret atque tueretur. O Rex humanissime & clementissime, qui acceptarum iniuriarum immemor, pietate Regnicolarum tuorum motus, non dedignatus es eorum miseriam subleuare: sed exinanitus es, humiliatus es, vt eis subuenires, eosque defenderes.

Ceterùm tempus exigit, vt vobis referam initium & modum Regalis Christi introitus, quem nobis B. Matthæus describit. Attendite; *Cùm appropinquasset Iesus Hierosolymis, & venisset Bethphage, ad montem Oliueti.*] O quàm dissimilis est Rex noster ceteris huius seculi Regibus? Notate singula verba Euangelij, Docti; & eorum signate mysteria. Hierosolyma exponitur visio pacis. Alij Reges arte militari, armorũ furore, cędibus & sanguine sua Regna & Imperia adepti sunt. Non ignoras hæc tu Roma, & tu bellicosa Numantia, tu Corinthus & Thebæ superbæ, Troia, Athenæ, & Romani Imperij semper æmula Carthago. Christus absque armis, cum sancta pace Regnũ suũ adijt, pacificus super nos regnare cœpit. *Factus est in pace locus eius. Non est Deus dissensionis, sed Deus pacis. Omnes semitæ eius pacificæ. Qui posuit fines tuos pacem.* Nemo Regum vnquam fuit tam studiosus belli, quàm Christus est pacis. Furor bellicus tuum, ô Roma, infinitis parasangis dilatauit Imperium, extendit pomœria: sed plures tibi populos & nationes subiecit pax Christiana.

Christus cũ pace Regnũ suum ingreditur.

Psal. 75. 1 Cor. 14. Prou. 3. Psal. 147.

na. Beati qui hac pace fruuntur; pace cum Deo, per supercælestem gratiam; pace cum semetipso, per carnis refrenationem; pace cum proximo, per mutuam charitatem. Ite, ite cum Christo Hierosolymas; ad pacem, ad pacem proficiscimini.

Christus ad Bethphagen venit & cur? mysticè.

Sed priusquam ad pacem peruenit Saluator & Rex noster, Bethphagen perambulauit. O pulchrum mysterium Christiani. Bethphage erat viculus Sacerdotum; tribus enim illa non habuit dominium in terra temporale, sed decimas tantùm, quę soluebantur illis: tum vt eorum dignitas agnosceretur, tum etiam vt ipsi ex ijs sustentarentur. Oportet itaque ad Regem Sacerdotum venire, priusquam ad pacem venias. O sanctum Sacerdotale officium. Qui est in mortali peccato, non potest habere pacem. *Non est pax impijs*, dicit Esaias. Ideo D. Paulus semper gratiam, quæ peccatum excludit, paci præponit. *Gratia vobis & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo.* Sacerdotes sunt qui peccata vobis remittendi habent authoritatem. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Oportet itaque ad pedes eorum accedere, si diuinam hanc pacem volueritis impetrare. Sed & aliud mysterium magis diuinum vobis ostendam. Antequam venit Christus Iesus Hierosolymam, vt Regni sui possessionem caperet, adijt Sacerdotes, ad locum qui suberat eorum iurisdictioni, vt Sacerdotium honoraret. Omnes Reges, omnes Principes terreni agnoscere debent dignitatem Sacerdotalem. Neque legitimus est Dominus, qui sese summo Sacerdoti, Pontifici nostro, qui est Vicarius Christi cum omni potestatis plenitudine, non humiliat, eique se non subijcit. Tu dicis; Imperator & Principes habent dominium temporale, Sacerdotes spirituale: & ego dico tibi quòd Manichæus es, qui duo facis capita. Vnum solum caput est, Summus Sacerdos, qui est Põtifex Romanus, qui omne habet imperiũ, & temporale, & spirituale. Hieremias Propheta neque Rex erat, neque Regis filius: fuit Sacerdos, & filius Sacerdotis ait, tamen illi Deus; *Ecce constitui te super gentes & super Regna, vt ædifices & plãtes.* Omnis terrena potentia in quocunque dominio dependet à Pontifice, tanquam ab eo, qui Vicarius est Dei, cui

Esa. 48. Rom. 1. Ioan. 20. An Põtifices habeant iurisdictionem tẽporalem. Hier. 1.

omnia

omnia Regna necessariò subiecta sunt. Sed dices; Petrus iubet omnibus Christianis subditos esse Imperatoribus & Regibus. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum; siue Regi, tanquam præcellenti, siue Ducibus, tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* Mādatum hoc generale est, etiam Pontificem obligat. Hæc subiectio non potest esse, nisi in rebus temporalibus. Ergo & Pontifex illis in temporalibus est inferior. Respondeo, te Scripturas sacras ignorare; aut non intelligere. Nam si D. Petrus dicere voluisset, quod tu dicis, Pontifex non tantùm subiectus erit Imperatoribus & Principibus, sed suis-ipsius ministris: contextus enim dicit, *Subiecti estote omni humanæ creaturæ.* Vis dicam quis sensus D. Petri sit: Vult omnes exhortari, vt sint humiles, quò maius illorum sit meritum, quæ humilitas tantò maior debet esse in Pontifice, quantò ipse sublimior est omnibus alijs. *Qui maior est vestrum, erit minister vester.* Ideo *Seruus Seruorum* Dei appellatur. At nolo illi vel Regis vel Imperatoris subiectionem aut seruitutem imponere. Potestas Pontificia fons est omnis potestatis terrenæ. Imperator autem, omnesque alij ministri illius sunt & instrumenta, vt portent gladium ad defensionē sanctæ Ecclesiæ Christi, pacemque in Christianismo conseruandam. In quantum itaque ministri illius sunt, debetis illis obedire: quòd si autem Pontifici aduersentur, & illi se rebelles præbeant, à seruitute & obedientia eorum liberi estis, neque ampliùs sacramento illis obligati. Sed hæc obiter dixisse sat est.

Obiectio. | 1 Pet. 2. | Solutio. | Matth. 20. | Reges & Principes ministri Ecclesiæ sunt.

VEnit ergo Iesus Bethphage.] Priusquam ingressum in vrbem Regiam faceret Christus, Bethphagen viculum Sacerdotum adijt, vt magnam potentiam Sacerdotalem honoraret, doceretque, Reges non esse legitimos Reges, nisi à Summo Sacerdote fuerint instituti, nisi Pontificem agnoscant.

AD montem Oliueti.] Mons oliuarum, Roma, & Regibus & Sacerdotibus locus est conuenientissimus: locus scilicet olei misericordiæ. *Misericordiam volo, & non sacrificiū*, inquit Christus. Domini Prælati, Christiani, Reges, Sacerdotes; *Vos estis genus electum, regale*

Matth. 9. | 1 Pet. 2.

 Sacer-

Sacerdotium, inquit S. Petrus. Discite à bono illo Samaritano vulnera pauperũ, necessitates pupillorum, mendicitatem orphanorum, miseriã hospitum oleo vestro, vestra misericordia inungere.

Eccles 4. *ET tunc misit duos discipulos.*] *Væ soli, quia si ceciderit, non habet subleuantem se.* Ideo præmittit Christus duos mensores, duos præcursores, duos tubicines, qui Regis aduentũ annuncient; vt si vnus in via deficiat, vicem illius suppleat alter. Qui omnia solus potest, sine alterius ope, is (credite mihi) potiùs Deus est, quàm homo. Sancti isti Heroës qui in solitudinibus vitam ducebãt anachoreticam, pasti à coruis, vt Elias, Elisęus, Antonius, Paulus, Macarius, nónne Angeli potiùs quàm homines fuerint? Solitariam vitam agere, sine socio viuere, perfectorum est. Qui non est perfectus, socium habeat, quo cum viuat, qui illum adiuuet, subleuet, confortet, reprehendat, admoneat. *Si dormierit vnus, quomodo calefiet? si duo sunt, mutuo fouebuntur.* Misit ergo Iesus duos discipulos. Melius est duos esse, quàm vnum. Erigite animos vestros, Auditores, excellentiora dicam. Duo sunt præcepta charitatis, Dei & proximi: duo sunt testamenta, vetus & nouum: duo sunt aduẽtus Christi, vnus ad redimendum, alter ad iudicandum: duę partes seu officia sunt Christianæ humilitatis, modestia in rebus prosperis, patientia in aduersis: duo sunt piæ vitę calcaria, amor & timor: duo sunt concionatorum officia, promittere & minari: duo & ipsi habere debent, vitam bonam & doctrinam veram: duo sunt populi, Iudaicus & Gentilis: duæ sunt in Christo naturæ, diuina & humana: duo testes in omni re affirmanda vel neganda sufficiunt. *Misit ergo Iesus duos discipulos*, non plures, non pauciores.

Cur Christus duos discipulos mittit.

Perfectorum est absque socio viuere.

Eccles 4.

Hierusalem cur castellũ dicatur.

Et quid præcepit eis? *ITe in castellum.*] O misera Ierusalem terrena, quę ex ciuitate tam nobili facta est castellum: quæ breui occisura erat Episcopum suum Christum Iesum, quem S. Petrus Episcopum appellat, dicens; *Accessistis ad Episcopum animarum vestrarum.* Æquissimum igitur est, vt amittat suam dignitatem ciuilem, & à Spiritu sancto, cui omne futurũ præsens est, castellum nuncupetur. Ideo Rex pius illius ruinę

1 Pet. 2.

futuræ

futuræ præſcius, fleuit: *Videns ciuitatem, fleuit ſuper illam.* Rectè dicit; *QVod contra vos eſt;*] Contra vos ſitu, contra vos rebellione: contrarium mihi, contrarium vobis. *Si me perſecuti fuerint, & vos perſequentur. Si in viridi hoc faciunt, in arido quid fiet?* Luc.19. Ioan.15. Luc.23.

ET inuenietis aſinam alligatã & pullum cum ea. Soluite & adducite mihi.] O magnum myſterium, Roma: duo hęc iumenta quid ſignificare arbitramini Docti? duo populi ſunt, qui ambo ligati erant; vnus ceremoniarũ vanitate, alter idololatria. Debebant ſolui, vt Chriſtus commodè in illis ſederet, regnaret, dominaretur, imperaret tam vni, quàm alteri, tanquam Rex vniuerſorum. *An Iudæorũ tantùm Deus? nónne & gentium?* Duo iumenta duo populi ſunt. Rom.3.

ABierunt itaque Apoſtoli, & fecerunt ſicut Chriſtus illis præceperat.] O quot & quantas cõtradictiones ſuſtinuerunt à Synagoga, ab Imperatoribus, à Philoſophis, priuſquam iumenta hæc ſoluere, & populos hos ad Chriſtum adducere potuerunt? Sed in omnipotente nominis huius Regis virtute prædicando, miracula faciendo, diſputando, tantum demum effecerunt, vt nemo illis potuerit reſiſtere: ſed de omnibus inimicis Chriſti triumphârunt. Impoſitis veſtimentis ſuis ſuper iumenta, Ieſum deſuper ſedere fecerunt; qui aſcendens nunc in aſina, nunc in pullo alternatim ſedit. O beatos aſinos, qui ſanctis illis Apoſtolorum veſtimentis ſtrati & ornati eratis: & qui digni fuiſtis Regem totius mundi portare. O quantas vires tribuit illo die vobis Deus, qui tantum onus portare potuiſtis? *Nolite* Chriſtiani, *nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.* Agnoſcite Dominum veſtrum, nolite fieri ſicut equus & mulus; eſtote ſicut bos & aſinus. *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui.* O animalia ſancta, quæ in pręſepi ſanctiſſimum illum puerum halitu veſtro calefeciſtis, & genibus veſtris in terram poſitis adoraſtis. Nunquam equus, ne quidem per miraculum locutus eſt: aſina verò Balaam locuta eſſe legitur. Magnus ille Samſon nunquam prodigium fecit fortitudine equi, ſed aſini maxilla tot Philiſtęos occidit, & aquã ex eadem produxit. Gloriare Tertuliane, noli ſtomachari, cùm prophanę gentes Chriſtianos vocant Aſinarios: nam & inter

Aſini in myſterijs prǫſtãtiores equis. Pſal.31. Eſa.1. Aſiny Num.22. Iudic.15. Ononychitæ vocabãt D[...] Chriſtiano[...]

Ethnici. Vide Tertullia. in Apolog. c.6. & inter ipsos Ethnicos magnus ille Apuleius Megarensis finxit, non esse possibile ad sacra Isidis suæ posse ingredi quenquam mysteria, nisi ex superbo Philosopho in humilem conuersus esset asinum. Sed & Abraham apud omnes gentes celebris, nunquam alio vsus est iumento, quàm asino. Sacris quoque literis proditum est, fortissimam illam Deboram in asinis candidis, seu nitentibus, potentissimum exercitum Principis Regis Iabin deuicisse, & ad internecionem trucidasse. O Christiani, efficiamur omnes asini, simplices, pauperes spiritu, ad omnem laborem patientes. Subijciamus humeros nostros omni oneri iniuriarū & plagarum, pacem habeamus cum omnibus, frugali cibo & potu cōtenti simus. Beati erimus, si tales facti fuerimus; equos quantumuis generosos superabimus. *Hi in curribus, & hi in equis: nos autē in nomine Dei nostri inuocabimus*: resistemus Diabolo, carni, mundo, & sedebit super nos Christus Deus noster. *Anima iusti sedes est Dei.* Sternamur & ornemur vestibus Apostolicis, fide Petri, charitate Pauli, patientia Andreæ, castitate Ioannis, iustitia Iacobi, obedientia Simonis, humilitate Thaddæi, zelo alterius Iacobi, puritate Bartholomæi, spe Thomæ, patientia Matthæi, simplicitate Matthiæ. O sanctas animarum vestes, pulchriores purpura, fulgidores auro, pretiosiores gemmis.

Genes. 22. — Iudic. 5. — Psal. 19. — Sap. 7.

Humilitas & mansuetudo Christi. Agite Romani, quis vestrum est, qui non lubens, & grato quidem animo Regem hunc tam pium, tam mansuetum, tam humilem cupiat excipere? auersatus es illum hactenus, quia erat rigidus & austerus; *Deus vltionum Dominus.* Nunc tam pium, tam mansuetum factum certatim amplectimini. Ecce, ecce Roma, *ECce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam & pullum filium subiugalis.*] O amabilissime Rex; non tam metui vult, quàm diligi: ideo venit humilis tanquam frater, non tanquam Dominus. *ECce, ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam* &c.] non sedet in curru aureo, pretiosa tecto purpura: non sedet in equo barbaro, superbo, & generoso, belli amico & sanguinis, qui cùm tubarum clāgorem audit, hinnit & erecto iubare

Psal. 93.

Stat sonipes, & fræna ferox spumantia mandit.

Non

Non præcedunt illum æneatores, tubicines & tympanistæ, qui ad arma cieant exercitum: non sequuntur illum Principes, Barones & Nobiles qui aulam constituunt, & cum fortuna atque Principe mores mutant: non habet gladium, non calcaria, non ocreas; nudis sedet pedibus, humilis & mansuetus, duodecim comitatus piscatoribus, ramis arborum sternit plebs viam in humilitatis testimonium. Hi sunt triumphi, hę pompæ, hæc Regis nostri ornamēta. *ECce, ecce Rex tuus venit tibi.*] O sacer & sancte Rex, ô beatum mundum, quando tu Rex tam benignus reuersus es, vt regnes super nos? Omnia Regna, omnes Principatus à Deo sunt, sunt quasi lucernæ vnius illius celebris candelabri, quæ de vno illo stipite surgunt. Exod. 25. Non audis quid dicat Deus; *Per me Reges regnant. per me Principes imperant?* Prou. 8. Ecce lucernæ exstinctæ sunt, stipes ipse regnare incipit. Non iam ampliùs regnant homines vt homines, sed regnat Deus in hominibus, regnat Christus, Deus & homo. Omnis homo regnat per Christum. Qui Christum summum Regem non agnoscit, non est Rex, sed perduellis, Regiq́ue rebellis. Omnia ad Christi Regnum pertinent, terra, cælum & mare, Christiani mei.

ECce, ecce, Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam & pullū filium subiugalis.] Venite, venite omnes ad Regem Regum, non exigit censum à vobis, non aurum vel argentum: non cupit aliud quàm ramos arboris virentis, frondes, flores, oliuas, palmas: adferte illi, adferte oleas pacificas, palmas victoriæ propriæ, ramos virides spei, flores bonorū exemplorum, frondes sanctorum verborum, violas mansuetudinis, rosas amoris, lilia candida puræ fidei, myrtos spiritualis exultationis, cyparissos incorruptæ famæ, vitium pampinos bonorum operum, salices pallidas pœnitentiæ, amaranthos incorruptibilis & immortalis virtutis. Pacem habete cum Deo & cum proximo, vincite vosmetipsos, affectus vestros, vestrasq́ue perturbationes refrenate: sperate & confidite, non in viribus vestris, sed in Dei gratia. Reipsa ostendite, vt videat totus mundus aulam hanc reformari, non in externis tantùm ceremonijs, sed & in interna vita & mori-

Quid Rex hic à nobis exigat.

Censum Regi

moribus. Alter alteri cedat, de honoribus nolite contendere. Hoc enim principium est omnis vrbanitatis. Estote faciles ad iniuriarum condonationes, quomodo & Deus facilis est ad condonãdum vobis. Diligite vos inuicem, sicut & Christus dilexit vos, cuius tanta fuit dilectio, vt mori etiã pro vobis non recusauerit. Vestra fides sit Christiana & ciuilis, næuum aut maculam non habeat vllã. Sit sermo vester, est,est; non, non: omnis duplicitas procul absit à conuersatione vestra, & omnis dubitationis expers vestra sit fides. Corpus vestrum sit castum & mundum ab omnibus adulterijs, fornicationibus, omniq́ue peccato carnali alienum. à tali namque peccato nihil nascitur, præterquam temporalis & æterna corruptio. Ne sitis tam anxij ad bene dicendum, quàm ad meliùs faciendum vel operandum: illud est luxuriari in frondibus, hoc fructificare in vuis,&bonum vinuḿ producere,cuius magna est in orbe terrarum nunc inopia. De præteritis peccatis pœnitentiam agite: tempus enim est, & serò satis: sed nunquam tarda nimis erit diuina misericordia, etiam in extremo spiritu. Nolite desperare peccatores & peccatrices, sed pœnitentiam agite. *Pœnitentia nunquam sera, si tamen vera.* Nolite cum canibus reuerti ad vomitum, sed in via bene cœpta procedite; in vita sancta perseuerate. hęc est corona ex amarantho nexa, ἀπὸ τοῦ μὴ μαραίνεσθαι, quę non marcescit, quæ perennem seruat vigorem & pulchritudinem; cuius herbæ floribus Achillis tumulus fuit redimitus.

O Roma, ô Roma: hæc sunt munuscula quæ manus hic Dominus, serenissimus Rex noster à te exigit, si cliens illius, & Regni Vasallus esse volueris, & frui bonis ijs,quæ clientibus sunt preparata. Diabolus exigit animam tuam, mundus tuas diuitias, & caro vitam tuam sibi postulat. Christus vult, vt quod tuum est tuum maneat, insuper & suum cupit addere: non petit à te nisi hæc amoris indicia. Ah quàm inops consilij, quam demens es & malè feriata, si tres istos Reges, aut potiùs tyrannos, non repudiaueris & clamaueris; *O Sanna, osanna. Benedictus qui venit in nomine Domini.*] Tu solus es Rex legitimus. Te nos solũ Regem

gem agnoscimus. Veni & accipe Regnum super nos. Io triumphe, io triumphe. Benedictus sis dulcis Iesu, glorificatum sit nomen tuũ. Omnis homo te laudet, omnis natio te prædicet, omnis lingua tibi benedicat, & totus terrarum ambitus te adoret. Prospera, ó Deus æterne, prospera hoc Regnum Christi filij tui, quod Regnum tuum est. tu illum nobis Regem dedisti, da vt gratia eius regnet super nos omnes, & tandem perducat ad Regnum suum, Regnum cæleste, vbi clara & manifesta est Maiestatis tuæ visio, infinitæ bonitatis tuæ perfecta dilectio, beata Angelorũ societas, & sempiterna tui sanctissima Trinitas, quæ summũ bonum es, fruitio. O Regnum, ó Regnum. *Adueniat, adueniat Regnum tuum.* Matth. 6.

Inuidia, Romani mei, viperarum genimini, Scribis & Pharisæis, oculos aperuit, ideoque dicebant. *QVis est hic? quis est hic?*] Cui hæ solennes pompæ fiunt: tam splendidi honores cui exhibẽtur? cui canunt isti pueri? cui sternuntur isti rami? cui ignorans populus istos spargit flores? Aduentus hic Christi, si diligenter illum consideremus, & humilimus est, & magnificentissimus. Si enim spectemus personam Christi, non potest esse humilior: si populum intueamur, non potest esse splẽdidior. Non auditis; *TVrbæ autem quæ præcedebant, & quæ sequebantur?*] Comitabatur eum magna hominum multitudo, qui cædebant ramos olearum & palmarum ab arboribus, & sternebãt in via: sed & vestimenta sua exuentes, terram exornabant, omniaque faciebant, quæ ad Regem hunc honorificè excipiendum pro sua facultate potuerunt. Adam erat Rex mundi: sed quia superbia elatus intumuit, ex Rege factus est Regulus. Non legisti in Euangelio; *Erat quidam Regulus?* Econtrario Christus noster totus erat humilis, obediens, patiens, alienus ab omni fastu & arrogantia, nunquam Deo rebellis, nunquam à patiẽtia, laboribus, & morte abhorruit; passus est, laborauit, mortuus est, & propterea meritus est, vt fieret Rex magnus, Rex vniuersalis, Rex summus, Rex æternus, *Rex Regum, & Dominus dominantium.* Vna eademque gloria est Dei Patris & Christi nostri, quia Christus est Deus. Non sunt duo Dij, sed vnus Ioan. 4. Apoc. 19.

Deus

Deus tantùm. Deus eſt Rex totius vniuerſi, & Chriſtus eſt Rex ille: non eſt alius Deus quàm Christus; non eſt alius Rex quàm Chriſtus; per Chriſtum principium Regni iungitur fini, & finis principio. Meritò itaque dictū eſt; *Ego primus & ego nouiſsimus.* Primus Rex, & nouiſſimus Rex; primus creatione, nouiſſimus redemptione. Deus in ſe primus Rex mundi eſt, Deus in Chriſto vltimus. O Deus, ô Chriſte: ô Chriſte, ô Deus. Decem numerātur Reges ceteris celebriores; Primus eſt Deus, Nemrod aut ſaltem Ninus ſecundus, qui tempore fuit Abrahami. Tertius fuit Ioſephus in Ægypto, qui etſi titulo Regis non fuerit inſignitus, Princeps tamen appellabatur, Regio more veſtiebatur, & Rex eum ſuper vniuerſum terram Ægypti conſtituit, ita vt nemo ſine imperio illius manū aut pedē in omni Regno mouere poſſet. Quartus fuit Salomon, quintus Nabuchodonoſor, ſextus Darius, Cyrus ſeptimus, octauus Alexander Macedo, nonus Cæſar Auguſtus. Ecce decimus, ecce decimus qui numerū omnem implet, Chriſtus noſter, Meſſias, Saluator & redēptor generis humani, qui reſtituit Patrem in Regnū ſuum, & dicit; Pater tu creaſti mundū hunc ex nihilo, æquū eſt vt tuus ſit; tibi fraude ablatus erat, ecce eum tibi reſtituo. O Chriſte, ô Chriſte. Quanta hæc eſt Chriſti gloria, Romani; quòd Deum in Regnum ſuum remiſit, Deo Regnum reddidit? Et quanta gloria Dei eſt, mundo iam perſuaſum eſſe, nullum Regnum humanum ſine Deo poſſe conſiſtere? Ceterùm non ſufficiunt quæ diximus, neque præcipuos Regni Chriſti articulos ſatis explicauimus: quieſcite parumper, & eſtote ſecuri, quòd pro magnitudine & grauitate materiæ ſuccincti erimus. Vos diligenter attendite.

Apoc. 1.

Decē Reges celebriores.

Genes. 41.

PARS ALTERA.



OC autem factum eſt, vt adimpleretur quod dictū eſt per Prophetam, dicentem; Dicite filiæ Sion; Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam & pullum filium ſubiugalis.] D. Matthæus ſæpiſſime in Euangelio reperit & inculcat verbū hoc; *Vt adimpleretur quod*

dictum est; quasi in omni mysterio de Christo necesse sit, priusquā vlterius progrediatur, illud examinare. Si loquatur de incarnatione, statim subiungit causam; propter quam & dicit; *Vt impleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem, Ecce Virgo in vtero habebit & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emanuel.* Matth.1. Esa.7.
Si de natiuitate; *Sic enim scriptum est per Prophetam; Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in Principibus Iuda. Ex te enim exiet Dux qui regat populū meum Israël.* Matth.2. Si de Magis, confestim citat Prophetam: *Reges Tharsis & Insulæ munera offerent; aurum, thus & myrrham.* Psal.71. Si de fuga in Ægyptum, subijcit; *Vt adimpleretur quod dictum est à Domino per P[illegible]hetam, dicentem; Ex Ægypto vocaui filium meum.* Matth.2. Osee 11. Sic de miraculis; sic de omnibus penè quæ de Christo leguntur, communiter dicitur, præsertim quando alia ratio non inuenitur, vt veritas Prophetiarum elucescat. Sed & Christus ipse, quoties dixit; *Oportet impleri scripturas? Vt consummarentur omnia quæ dicta sunt de me.* Luc.18. Sed & D. Petro inquit, cùm ille gladium suum eduxit, volensque se defendere Malcho aurem amputauit; *Mitte gladium tuum in vaginam. Quomodo implebuntur scripturæ?* Ioan.18. Matth.26. haud aliter quàm si omnia quæ faciebat, quæque patiebatur, non alio fine fierent, quàm vt adimplerentur scripturæ? Quid meditamini Docti? quid cogitatis? Siccine est? Incarnatúsne est Christus, natus, mortuus & resuscitatus, ascendit in cælum, vt prophetiæ adimplerentur, & veritas earum ostenderetur? Neutiquam. Non hæc ideo facta sunt à Christo, quia erant prædicta; sed quia fieri debuerunt, Prophetæ diuino spiritu pleni hæc prædixerunt.

An fieri quid debuit in Christo quia scriptū erat.

Ecce Propheta; *Non faciet Dominus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos Prophetas.* Amos 3. Nisi ab ęterno ista facere determinasset Deus, oraculis propheticis in tēpore non curasset prædici. Opera itaque Christi nō sunt propter Prophetias, sed ecōuersò potiùs prophetiæ sunt ꝓpter opera Christi. Verum quidē est, ex quo Prophetiæ iam tot seculis ante Christum erant datæ, & singula opera Christi veritatem illarum consequebantur, sic ea impleri debuisse. Dicamus itaque vno verbo propositionē hanc; *Vt adimpleretur*, ita intelligendam; vt vocula *Vt*, non

Quomodo intelligendum; Vt adimpleretur.

sumatur causaliter, seu finaliter, vt loquuntur Scholastici, sed *consecutiuè*. Finis actorum Christi non est vt impleantur verba prophetica, neutiquam: sed consequens est, vt quia Christi acta iam reipsa perfecta sunt, Prophetias veras & impletas esse. Quod efficacissimum argumentum est, Christum esse Messiam verum, quia nihil prædictum est de Messia, quod in Christo non est reuera exhibitum, & adimpletū. nec quicquam legitur de illo, quod non fuit de Messia prędictum. Ad eundem modum & hoc loco dicere debemus; Quia Iesus hoc modo Hierosolymas intrare debuit, ideo fuit à Zacharia Propheta prædictum.

Zach.9. *HOc autem factum est, vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam; Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam & pullum filium subiugalis.*] O quàm aperta est hęc Prophetia de Regis nostri aduetu, Christiani? Describit & commendat illum Zacharias à nouem rebus; Audite singulas. Primò ab euidentia facti; *ECce:*] *Ecce viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omniū populorum.* A dignitate illius qui venit, vel intrat; *REx.*] *Dominus Rex noster, & legifer noster.* A generalitate speciei humanæ, *TVus:*] *Sum & ego mortalis homo similis omnibus, & in ventre matris figuratus sum caro.* Ab approximatione amoris; *VEnit.*] *Videns vidi afflictionem populi mei, & descendi vt liberem eum.* Ab vtilitate aduentus, *TIbi.*] *Visitauit nos Oriens ex alto. Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viā pacis.* Ab affectu cordis; *MAnsuetus.*] *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* A quiete Regni, *SEdens.*] *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, & inuenietis requiem animabus vestris.* Ab humilitate conuersationis, *SVper asinam.*] *Ego autem humiliatus sum nimis.* A simplicitate animi; *ET pullum filium subiugalis.*] *Cum simplicibus sermocinatio eius.* O diuina mysteria.

Commendatur Christi aduentus à nouem beneficijs.

Luc.2. Esa.33. Sap.7. Exod.3. Luc.1. Matth.11. Ibid. Psal.37. Prou.3.

Sed fusiùs adhuc si placeat oraculum hoc examinemus. Video enim hîc latissimum exspatiādi campum Romani. Quantum ponderis habet Aduerbium illud *ECce?*] vox est plena nouitatis, admirationis, ex improuiso res insperatas & inexpectatas annunciās, *Ecce:*

Explicatio aduerbij Ecce.

Ecce

Ecce res noua, quam nunquam expectassent homines. Quis enim credidisset, o homo, quòd Deus tantopere sese humiliasset & deiecisset propter te, qui tam arroganter & superbè in illũ insurrexeras? Vos in pertinacia vestra perseuerabatis, placebatis vobisipsis, rebelles cordibus: Deus conuenientiorem modum non inuenit, quàm vt vobis cederet, coram vobis se humiliaret; quàm vt victus vobis manum porrigat, quàm vt causa cadat; vt hac eius humilitate tandem victos pudeat vos diutius imperium eius detrectare, boniquè & fidelis clientis officium non facere. *Ecce*, ecce non annuncio vobis futura, sed ostendo præsentia. Non sum Propheta, sum Historicus, sum Euangelista, dicere vult Zacharias, non veniet Deus, sed venit. Ecce illum, ecce illum. *Et vidit omnis caro salutare Dei. Ecce* aduerbium est demonstratiuum. Ideo Baptista quando Christũ digito monstrabat, dixit; *Ecce, ecce Agnus Dei*: & Pilatus quando eum foras productum populo spectandum exhibuit ait; *Ecce homo. Ecce Rex vester.* Luc.3. Ioan.1. Ioan.19.

ECce Rex.] Non ait, Imperator, ne nimis parum dicere videretur. quia ante Iulium Cęsarem tuum, Roma, nomen Regis multò illustrius erat, quàm Imperatoris. Imperator enim dicebatur qui nunc supremus belli dux est, vel archistrategus, quem nunc Capitaneum vocant generalem. Christus Rex est, Rex est, non dux exercitus, seu Capitaneus Dei, vt Moyses, vt Iosue; est Deus ipse. Noli post hac dicere Iudæe; *Non habemus Regem nisi Cæsarem.* Audi Prophetã; *ECce Rex, ecce Rex.*] Audi & alium; *Ego autem constitutus sum Rex ab eo, super Sion montem sanctum eius.* Audi & tertium; *Suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit Rex, & sapiens erit.*

Rex dignior titulus est quàm Imperator.

Christus Rex est.

Ioan.19. Psal.2. Hier.23.

Sequitur in oraculo nostro, *TVus.*] Ah amici mei, quàm beata erat Italia nostra, quando suos habebat Reges, suos Duces, suos Principes, de nostro sanguine, eiusdem cum nobis linguæ, & eorundem morum: non externos, qui non intelligunt nos, nec ipsi à nobis intelliguntur. Hoc est quod Zacharias hic significare voluit. Iste Rex non est extraneus, aut peregrinus, de tua carne, de tuo sanguine, de tuis ossibus est. *Communicauit carni & sanguini cum pueris tuis*, inquit B.

Christus Rex è nostro sanguine.

Heb.2. Heb.11. Exod.4. Paulus. *Ideo non confunditur vocari Deus noster.* Non audis; *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob?* Erat Deus omnium, sed factus est Deus noster. Non tam Deus Angelorum, quàm Deus hominum appellatur: Heb.2. *Angelos non apprehendit, semen Abrahæ apprehendit.* Hispani & Galli, Domini mei, vos tanti facitis cognationes & patrias vestras; Ecce Christus cognationem habet cum omnibus. Homo est sicut alij, ex carne & sanguine est sicut alij, quid non habet nobiscum commune, nisi peccatum? ideo nasci voluit in medio terræ, vt cum omnibus nationibus communicaret.

Aduētus Christi diu desideratus. *ECce Rex tuus venit.*] O mundo, nihil magis optasti, nihil feruentiùs desiderasti, quàm Aduentū Christi: clamasti hactenus gemens, & suspirās vociferatus Psal.79. es; *Veni ad liberandum nos Domine Deus virtutum.* Esa.64. *Vtinam disrumperes cælos, & descenderes.* Psal.79. *Ostende faciem tuā; veni & salua nos.* Ecce, ecce nunc impetrasti quod optasti, obtinuisti quod voluisti, ingens facta est tibi Esa.28. gratia. Non dicetur posthac; *Manda, remanda.* Non audietur posthac; *Expecta, reexpecta: venit, venit;* & omnes thesauros cælestes secum attulit. Talis & tantus Rex an solus & vacuus veniet? an sine Maiestate? an sine diuitijs veniet? O munde, omnia hæc donabit tibi, non enim venit sibi, sed *tibi.*

Christus noster. *VEnit tibi.*] Tibi, o homo, si fidelis sis, eiq́ue deuotus: contra te verò, si ingratus eris & rebellis. 1 Pet.2. *Non credentibus autem lapis offensionis, & petra scandali,* inquit D.Petrus.

Christus mā-suetus. *MAnsuetus.*] Quis huic tanto Regi obuiàm procedere fuisset ausus, nisi pius esset & misericors erga pec-Num.12. catores? *Moyses mitissimus erat super omnes homines qui erant in terra.* at multò mansuetior fuit Christus: qui se ab omnibus pro ipsorum libidine tractari passus est. Vidésne etiam leprosos eum contrectasse? Publicanos cum eo conuersatos esse? mulieres etiam infames & inhonestas, qualis fuit illa Chananæa, & illa Sa-Matth.11. maritana, ab illo reiectas non esse? *Discite, discite à me,* inquit, *quia mitis sum & humilis corde.* O quàm benignus Rex, quàm mitis & clemens.

Quies & pax Regni Christi *SEdens.*] hæc est quies Regalis sui imperij & administrationis: sedat animos omnium hominum, totū

est

est pacificus Rex noster. non delectatur armis, non quærit occasiones belli; totus in eo est, vt mundum in pace & tranquillitate conseruet. Hanc ob causam tam facilis est in condonandis iniurijs; non enim efficaciorem habent Reges modum ad pacandos & pacificãdos animos natura rebelles suis Dominis, quàm si indulgeant illis multa, & misericordia in eos vtantur. Audi quid Propheta deChristo Rege nostro dicat; *Præparabitur in misericordia solium eius, & sedebit super illud iudicans in æquitate.* Esa.16.

SVper asinam, & super pullum filium eius.] In matre considerate humilitatem, in filio simplicitatem. Hæ duę sunt virtutes Christo perquàm familiares. Primò est humilimus, ideoque à Prophetis vocatur Agnus: est simplicissimus, ideoque semper dilexit columbas. Odit Dominus vel maximè superbiam, Roma, odit & astutiam: exulare vult hæc duo ab omni anima, in qua ille regnabit. humiles, humiles; simplices, simplices vos esse oportet, si Christus vos reget, si vobis dominabitur. *Humilium semper & mansuetorum tibi placuit deprecatio,* inquit Scriptura. Et alibi; *Cum simplicibus sermocinatio eius.* Nõ videtis quàm omnia sint in hoc introitu Christi humilia, quàm omnia simplicia? Venite, venite omnes ad hoc exemplum, tanquam isti paruuli, sine superbia, sine fraude; non ficti, non simulati, sed sinceri. Pœnitentia vestra sit ex toto corde, ne sit intentio vestra mundum decipere, vt boni & pij videamini, vt applausum & auram popularem captetis. O quàm capitali odio pestes istas odit Christus, quantopere detestatur & abominatur? Estote, estote omnes Nathanaëles. *Ecce verus Israëlita, in quo dolus non est.* Meministísne verborum Dauidis; *Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum, nec est in spiritu eius dolus.* Agite Romani, vt tandem hanc materiam absoluam; non est, non est quòd cunctemini diutius, præparate vos, & obuiã procedite huic Regi tam magno: Regi cõterraneo, & vestra nato patria, quem tanto tempore desiderastis, tam amabili, tam benigno omnibus, tam studioso pacis, de cuius bonitate dubitare non debetis, nec metuere necesse est, quòd obruet vos, aut vim vobis inferet,

Christus humilis & simplex.

Iudith 9.
Prou.3.
Ioan.1.
Psal.31.

quia totus est humilis: nec vos fallet, quia totus est simplex. *ECce, ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & super pullum filium subiugalis.*]

A quibus dependeat magnificentia Regum terrenorum.

3 Reg. 4. Eccles. 1.

Quòd si mihi dicendum esset de Rege terreno, exordirer sanè, Domini mei, de Regni illius amplitudine dignitas enim & existimatio Regis à magnitudine Regni dependet. Hac de causa Scriptura sacra volens describere magnificētiam Salomonis, accuratè singula, quæ ad Regnum illius pertinebant, commemorat: tributa scilicet, prouētus annuos, fabricas, naues, mercaturas, arma, equos, currus, stabula, præsepia, auri copiam & argenti quod erat Hierosolymis. cuius tanta erat abūdantia, quanta luti & lapidum. Legatos quoque exterarū nationum, qui veniebant eum visitatum & salutatum, amicitias quas cum alijs Regibus coluit, dona & honoraria quæ ex diuersis prouincijs illi mittebantur, reuerentiam quam illi exhibuit Regina Sabæ, amplitudinem ipsius territorij, quod se à flumine Euphrate vsque ad terminos Ægypti extendebat; pulchritudinem templi, multitudinem cantorum & cantatricum, hortos, piscinas, viridaria. Tandem concludens ait; *Magnificatus est Rex Salomon super omnes Reges vniuersæ terræ, præ diuitijs & gloria; omnesque Reges terrarum desiderabant videre faciem Salomonis.* Sed quia mihi sermo est de Regno Christi, quod non potest aliquam gloriam addere suo Regi, quomodo nec mūdus quicquam ad magnificentiā Dei potest conferre: imò econtrariò accipit à Deo quicquid habet splendoris & gratiæ: necesse est, imò ipsa ratio suadet, vt primò doceam quomodo Christus Rex, & qualis Rex est: quis illum Regem creauit. vbi, quomodo, & quando Rex factus est. In quo consistat Regalis eius dignitas, quomodo eam exercuit.

2 Par. 9.

Mūdi magnificentia nihil cōfert ad regnū Christi.

Tria Regum genera.

I.

Tria genera Regum sunt inter homines; attendite quæso. Primò omnis homo sapiens & virtute præditus Rex nominatur, etiam apud Ethnicos. *Sapiens vno minor est Ioue, diues, liber, honoratus, pulcher, Rex denique Regum.* Maximum Regnum est, Docti, homo noster interior & exterior, est plebs valde seditiosa, opus est magna prudentia ad illam bene gubernandam. Quare qui hanc gratiā à Deo consecutus est, honorifico Regis nomi-

nomine defraudari debet. Sit quantumuis pauper, vilis, abiectus, secundùm iudicium & opinionem mundi: sit infimæ fortunæ, sit seruus, sit illiteratus; ipsa ratio dictitat illũ multò digniorem esse Regis titulo ipso vestro Tarquinio, qui nec se nec suos regere didicerat. digniorẽ esse titulo Dictatoris ipso vestro Sylla, qui magister fuit & inuentor trium illorum in Roma vitiorum, luxuriæ, auaritiæ, & crudelitatis. mereatur huiusmodi potiùs diues appellari, quàm Crassus, qui in illo bello Euphraten traiecit, solius auri cupiditate incitatus; & tantę Romanis author cladis extitit. Non tam liber vnquã fuit magnus ille Alexander, nec tam inuictus Hercules, Christiani mei charissimi, quàm homo virtute præditus: quia non seruit alicui terrenæ cupiditati. Etsi corpus illius mille tormentis subijciatur, semper ille liber est, semper animo imperturbatus; haud aliter, quàm cælum super ipsa nubila semper est serenum. Legite (si placeat) Ciceronem vestrum in tertio de Finibus, & Horatium, vbi graphieè describit, & quasi cum penicillo depingit sapientem, meque vera dicere fatebimini. At cur non potiùs ante omnes alios testem produco Spiritũ sanctum, qui in Apocalypsi dicit, Christum per suam gratiam omnes suos sectatores facere Sacerdotes & Reges? *Fecisti nos Deo nostro Reges & Sacerdotes.* Sacerdotium hoc mysticum est, & Regnum metaphoricum: in quo affectus bestiales occiduntur, & caro propter Deum mortificatur. Est Sacerdotium, cui conuenit offerre sacrificia Domino. Qui regit suas affectiones & passiones, qui moderatur hunc populum, vt pacem habeat in semetipso, atque ita refrenet ne rationi aduersetur, aut legi Dei obstrepat, is verè Rex est, cuius proprium est regere. *Multos reges, si te ratio rexerit,* inquit Seneca. Sed & audisse vos arbitror versum illum Leoninum; Apoc. 5.

Si bene te regis, dignus es nomine Regis.

Habetis primum genus Regum; accipite alterum. Reges sunt & illi, qui regunt & gubernant subditos suos, quantum ad res temporales. *Et nunc Reges intelligite; Regem honorificate: Siue Regi quasi præcellenti. Regum timendorum in proprios reges; Reges in ipsos, im-* Secũdum genus Regum. Psal. 2. 1 Pet. 2.

 perium

perium eſt Iouis, inquit Horatius. Non ego iam inter Reges, Imperatores, Duces, Marchiones, Comites diſtinguo. Omnis Princeps vocatur Rex, hoc eſt Regens, Rector & Gubernator populi. *Rectorem te poſuerunt*, inquit Sapiens. *Reges eos in virga*, dicit Dauid. An ignoretis Latinis nomen hoc Regis commune eſſe omni homini ceteris potentiori?

Eccli 32. Pſal. 2.

Qui Rex eſt, Regem Maxime non habeat?

ait quidam Poëta antiquiſſimus. Et Cicero alibi, Tribunos Ærarij vocat Reges Ærarij. Sed & quantumuis poſtea Domini minoris potentię & authoritatis dicti fuerint Reguli, nomen tamen Regis apud plurimos retinuerunt. Tertium & ſupremũ Regum genus eſt, Regum ſpiritualium, qui curam habent populi non tantùm, ſed & ſummorum Regum & Imperatorum, quantum ad ea quæ pertinent ad ſalutem animarum. Tales Reges ſunt omnes Sacerdotes, ſed potiſſimùm Prælati, qui alijs comparati ſunt (ſi magno illi Dionyſio in Hierarchia ſua Eccleſiaſtica credamus) ceteris Sacerdotibus, quod Reges inferioribus Principibus. Et Cicero veſter non ſemel hac voce, *Reges ſacrorum*, vtitur. Quare ſicuti alijs Sacerdotibus conuenit ſecundùm gradum ſuũ purgare & illuminare laicos, ſic ſupremis ſacerdotij Regibus incumbit, totum corpus Eccleſiæ perficere: atque hi ſunt Epiſcopi. Nunc vos ipſi Romani iudicate, quantam neceſſe eſt habeant perfectionem ipſi, vt vocationis ſuæ officio ſatiſfaciant? Religioſo ſatis eſt, vt ſibi ſoli perfectus ſit: ab Epiſcopo verò requiritur, vt illius perfectio etiam in alios redundet. Perfectio eſt in charitate ſancta. Religioſus omnibus vtitur medijs, quibus illa ſolet acquiri: ieiunat, renunciat opibus, quas habet: obediens eſt, anguſta clauditur cellula, & omnia toliit obſtacula, quæ quoquo modo diuinum amorem poſſent impedire, vt ad contemplationem ſit expeditus, & à mundo, mũdaniſque rebus liber. Epiſcopus econtrariò quando gemmam illam incomparabilem obtinuit, oblitus ſuijpſius, totum ſe aliorum curæ & ſolicitudini propter amorem Dei impendit: hoc enim præcepit Chriſtus primo Epiſcopo, & in illo ceteris omnibus. *Si diligis me, paſce oues meas.* Hinc eſt, vt more

Tertium genus Regum.

Ioan. 21.

more Chriſti vitam viuat communem, ex contemplatione & actione mixtam; ieiunat & comedit, dat & retinet, ſeruat & diſpenſat; ſolus eſt & conuerſatur cum populo. Orat cum Maria, miniſtrat cum Martha, prout videt populo ſuo magis expedire; ſcopus enim illius eſt Eccleſiam ad gloriam Dei ædificare. Non meminiſtis illius vocis S. Pauli, Epiſcopo certè digniſſimæ; *Scio abundare, ſcio & penuriam pati?* Et Philip.4. illius; *Si ſcirem propter eſcam ſcandalizari fratrem meum,* 1 Cor.8. *non manducarem in æternum?* Alio item loco; *Volo o-* 1 Cor.7. *mnes homines eſſe ſicut meipſum.* Hi ſunt itaque maximi, digniſſimi, veriſſimique Reges, & omniū hominum Imperatores; Virtute ſcilicet præditi, Domini temporales, & Prælati Eccleſiæ. Nec dubium eſt quin hæc tria Regum genera ſemper in mundo extiterint. Poſtquam enim humanum genus cœpit propagari, & per vniuerſum mundum diffundi, ſemper aliqua fuit aut vera aut falſa Religio: ideoque ſemper fuere Pontifices & Sacerdotes, ſemper fuit Politia & Oeconomia: fuerunt igitur ſemper familiarum & populorum capita, atque ij erant Reges temporales, qui lites & controuerſias quotidianas, ciuiles & criminales, reales & perſonales iudicabant. Semper fuere duæ generationes, vna Caini, altera Abelis: iſtę namque duę ſunt antitheſes. tantam in mundo efficientes varietatem, quanta æſtas & hyems, ver & autumnus: illa vocatur generatio ſcelerata, ſemen iniuſtum; hæc generatio ſancta, ſemen iuſtum. *Dominus in generatione* Pſal.13. *iuſta eſt*, inquit Dauid. De alia verò; *Non eſt qui faci-* Pſal.52. *at bonum, non eſt vſque ad vnum.* Si itaque ſemper aliquis fuerit iuſtus, ſemper etiam aliquis ſuiipſius Rex fuit, tanquam caput familiæ, tanquam Dominus populi, tanquam Sacerdos omnium.

Præter homines etiam Dæmonem eſſe & nominari Regem non ignorare vos arbitror: qui & in ſacris litteris in Regibus Ægypti, Amorrhæorum, Aſſyriorum, aliorumque impiorum & ſceleratorum hoſtium populi Dei adūbratur. Neſcitis Chriſtū ipſum Infernum appellaſſe Regnum? Si Satanas Satanam Luc.11. eijcit, quomodo ſtabit Regnum eius? Si peccatum vocetur Rex; *Non regnet peccatum in veſtro mortali cor-* Rom.6. *pore.*

Diabolus Rex appellatur.

Rom.5. pore. Si mors vocetur Rex; *Regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen*, quid mirum si Diabolus appelletur Rex, & infernus Regnum illius? Christus itaque noster, vt breuis sim, *Rex Regum, & Dominus Dominantium*, Imperator Imperatorum, Rex hominum, Rex Angelorum, Rex Dæmonum. *Princeps Regum terræ*, dicit alibi Scriptura. respiciens ad triplicem illam Regum, qui sunt inter homines, differentiam, de qua hactenus. Volens autem eadem Scriptura significare imperium illius vniuersale in homines, Dæmones & Angelos, alio loco dicit; *Rex Regum & Dominus Dominantium*. Omne Regnum, omnis potestas, omnis dominandi, mandandi, regendi, gubernandi authoritas Christo nostro subiecta est. *Dedit ei potestatem, honorem & Regnum*, inquit Daniel. *Omnes populi, tribus & linguæ seruient ei.* Ne autem interpretareris hanc Christi authoritatem in solos esse homines, D. Paulus in campum descendit, & sua glossa, verè glossa, hoc est lingua, lingua cælesti plena sapientiæ & eloquentiæ, hunc locum exponit, & dicit hodie (Non audistis in Sacrificio Missæ?) *vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum*. Cælestium, ecce Angeli: Terrestrium, ecce homines: Infernorum, ecce Dæmones. O Rex super omnes Reges: ô Rex gloriose, ô Rex admirabilis.

Qualis Rex sit Christus.

Apoc.19.

Apoc.1.

Dan.7.

Philip.2.

Vos Rabbini, quos hîc adesse video, attendite: si non habeatis oculos tam beatos, vt Christum hunc videre possitis, saltem nostris oculis, vt videant eum, nolite inuidere: Vt cum pueris vestris, (ô beatos vos, si & ipsi cum illis per sanctã humilitatem velletis repuerascere, & non nimiũ sapere) cum pueris inquam vestris, triumphale illud canticum psallamus. *OSanna in excelsis. Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israël.*] *Pleni sunt cæli & terra gloria tua, Osanna in excelsis.* Hæc species est laudis, Docti, quæ apud Græcos dicitur τὸ ἐπινίκιον, carmen victoriæ seu triumphale. Vtuntur autem hoc carminis genere sæpissimè, & iisdem verbis, eadem sæpe repetunt. prætereaa vt incipiunt, ita & ferè desinunt: Cuiusmodi exempla passim occurrunt plurima, vt apud Maronem;

Incipe Mænalios mecum mea tibia versus.

Et

Et in Homero:

Αὐτὰρ ἐγὼν ὑμέων τε καὶ ἄλλης μνήσομαι ἀοιδῆς.

Hoc eſt:

Aſt ego plura canam pro vobis carmina Diui.

Dauid etiam noſter, Poëta Poëtarum maximus, ſæpiſſimè hoc carminis genere Dei laudes concinit. Vt in Pſalmo octauo; *Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra?* qui hymnus eſt in laudem Dei cõpoſitus. In vtroque Pſalmo quorum initium eſt, *Benedic anima mea Domino*, eundem ferè modum vſurpauit. Omnium verò venuſtiſſimus eſt Pſalmus qui incipit, *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius.* in quo toties cum ſumma gratia verſus ille intercalaris; *Et clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur, & de neceßitatibus eorum liberauit eos*, repetitur. Pſal. 8. Pſal. 102. 103. Pſal. 106. Ibidem.

Pueri itaque Hebræorum, quaſi numine Spiritûs ſancti afflati, cum venuſtate & lepore hoc Poëtico Chriſto cantarunt; *OSanna in excelſis.*] *Ex ore infantium & lactentium perfecit Deus laudē.* Nónne ſic reſpondit Chriſtus Phariſæis? Iccirco & Eccleſia in ea proceſſione, quam hodie inſtituit, vt refricet memoriam illius Chriſti in vrbem Hieroſolymitanam ingreſſûs, toties repetit vocem hanc; *Oſanna, oſanna.* vocem profectò triumphalem, vocem applauſûs, vocem lætitiæ plenam: Ἀλαλαγμὸς, vt Græci loquuntur, hoc eſt ingēs iubilus, qualis audiri ſolet in triumphis militaribus; cùm omnia reſonant, milites, equi, tympana, tubæ, vt aër nimio ſtrepitu mugire videatur, idque in laudem & gloriam victoris & triumphantis. Vniuerſalis conſuetudo eſt, huiuſmodi cum lætitia aduenientes Reges excipere. Pſal. 8.

Phariſæi, quorum erat potiſſimùm hunc Regem ante alios omnes excipere, vt qui debebant eſſe patres patriæ, quam Chriſtus ab omni miſeria temporali & ſpirituali veniebat liberatum, ex inuidia & indignatione hanc ei laudem & gloriam denegarunt, hūc ei honorem exhibere noluerunt. Pueros itaque eorum mouit, & incitauit, qui tanquam Angeli, tanta cum, quantam audiſtis, cum ſolennitate exceperunt. Ad maiorem verò confuſionem & ignominiam horum

rum peruersissimorum hominum, qui concurrentes, & quasi in vnum collecti ad tantum triumphum penè obstupuerunt, factique sunt quasi amentes, licet ex Scripturis non potuerint non scire, eum esse Imperatorem, nihil tamen aliud faciebant, quàm admirantes dicebant; *QVis est hic? Quis est hic?*] Deus aperuit ora populi præcedentis, & sequentis, qui elatis vocibus clamabat; *HIc est Iesus Propheta à Nazareth Galilææ.*] O diuina laus; Hic est Iesus Saluator mundi. Hic est Propheta omnium Prophetiarum finis & terminus. Hic est Nazarenus, sanctus, floridus, flos florum & omnium hominum. Hic est Galilæus, transmutator, qui miserrimam conditionem nostram in beatissimam vitam, mortalem in æternam, animas peccatrices in sanctas, omnes homines transmutabit in Deos: ideo namque Deus factus est homo, vt homo fieret Deus. O Roma, putásne talem Regem vnquam fuisse, fore, aut vnquam esse posse in mundo, qualis est Christus noster? Æquum erat Hebræos hodie portasse ramos palmarum & olearum, quæ arbores æternæ sunt, quæ non deficiunt hyeme, sicut reliquæ: quæ à semetipsis quodammodo renouantur, vt significetur ipsum esse, qui neminem perire sinit, sed qui omnes post mortem in vitã meliorem renouat. O qualis & quantus Rex? Quis est Rex, Christiani, qui non regnat in hoc mundo tantùm? post hanc vitam nec Reges ampliùs erũt, nec Imperatores. Quantum ad istos honores, omnes tunc erimus pares, omnes æquales.
1 Cor. 15. *Euacuabit omne Regnum, & principatum, & potestatem,* inquit Paulus. Christus noster Rex erit etiam in vita futura, imò tunc potiùs Rex erit quàm nunc. faciet enim officium Regis; quia iustitia sua, quæ in Scripturis virga rectitudinis nũcupatur, tanquam ea quæ est rectissima, quæ nec amore nec odio, nec prece nec pretio huc aut illuc inflectetur; iudicabit & præmium reddet his qui legem suam obseruarunt, vti æternum supplicium illis, qui eam transgressi violarunt.
Luc. 19. *Inimicos meos, & qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite coram me.* dicet Iudex & Rex omnium Christus.
1 Cor. 15. *Oportet eum regnare, oportet eum regnare,* ait Paulus, *donec ponat inimicos suos, sub pedibus eius.*

eius. Meritò, *oportet* : quià non mutatur Deus, qui ab æterno dixit, cùm eum Regem constituit; *Sede à dexteris meis; donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Iste est psalmus quē cecinit Dauid in laudem Regni Christi, vnà cum illo; *Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi.* Vidésne vtrumque psalmum Paulum de hoc Rege nostro interpretari? *Cui aliquando Angelorum dixit Deus; Sede à dextris meis? Et ad Angelos quidem dicit; Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos flammam ignis.* Ad filium autem; *Thronus tuus Deus in seculum seculi; Virga directionis, virga Regni tui: Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus Deus tuus, oleo lætitiæ, præ participibus tuis.* O cæca Synagoga, quæ in tanto lumine Christum tuum agnoscere non potuisti. Cantate vos Romani, & psallite Regi huic, non laudes illius, quas ille nunquam ambiuit, sed vestras miserias: orate, supplicate, opem implorate, clamate altis vocibus; *Osanna*: obsecro adiuua, auxiliare nobis Rex Regum. *Veni, & accipe Regnum super nos.* Tu es noster Rex, te solum Regem agnoscimus & optamus; spes vana est quam constituimus in Principibus, qui in diuitias, in vitam, in animas nostras inuolant. Si speremus in te, spes nostra non frustrabitur. *Etenim vniuersi qui sustinent te, non confundētur.* O Rex gentium, & desideratus omnibus. O Emanuel, Rex & legifer noster, educ sedentes in tenebris, & in vmbra mortis. *Regnum tuum Regnum omnium seculorum, & dominatio tua in omni progenie & generatione.* Tibi sit laus, honor, & gloria, per infinita secula. Amen.

Psal. 109. Psal. 44. Heb. 1. Indic. 9. Psal. 24. Psal. 144.

CON-

CONCIO DE VERA PACE HOMINIS CHRISTIANI:

Habita in Cathedrali ſua Eccleſia, Dominica prima poſt Natalitia Chriſti.

Quando viſitauit & ſalutauit in primo introitu populum ſuum, Anno M. D. XLIX.

REX pacificus magnificatus eſt.

PAX VOBIS.

PROOEMIVM.



VM pia cum fide infinitam illam Dei bonitatem ruminando contemplor, eamque benignitatem, quæ ſolennibus hiſce diebus, cęleſti dulcedine plenis, exundauit (dum ſcilicet rorant cæli deſuper, colleſque fluunt lacte ac melle; dum nubes pluunt iuſtum & ſanctum; aperitur terra, & germinat Saluatorem) penitiùs inſpicio; quemadmodum me inuitat, & ad loquendum exſtimulat deuotio, timorque me contra voluntatem meam ad tacendum impellit; ita me charitas, imò & neceſſitas, ô Bitontini, ad diuturnum hoc meum ſilentium interrumpendum vrgent, atque incitant: ne omnino vos ieiunos ab hac tam opulẽta, inſtructaque Domini menſa dimittam: ſed vt labris ſaltem primoribus libetis nobiliſſimos fructus ſingularis huius beneficij Natiuitatis Chriſti Saluatoris, ne mihi aliquando obijciatur; *Paruuli petierunt panem, & non erat* qui

Eſa.45.

Thren.4.

qui frangeret eis: & ipse sera ductus pœnitentia mihi dicam; *Væ mihi quia tacui*. Esa. 6.

Tu igitur, ô altissime Pater, cùm iam incipiam populum tuum (cui propter amorem tui animam & sanguinem debeo) sanctissima pace tua, iucundo & dulci natiuitatis tuæ fructu pascere; purga precor cor & labia mea, vt instar ministri Verbi tui, cibum ministrare queā esurientibus, & appetitum excitare animabus, quæ sunt absque vllo gustu spirituali; nec non & inebriare sitiētes calice illo, qui inebriat sobriè potu gratiæ tuæ sanctæ: ad quem animæ nostræ nimis aridæ omnibus horis atque momentis suspirant, tanquam terra sicca, cùm aperit sinum suum, pluuiā cælitus expectans. Flectite quæso genua vniuersi vos, & orate mecum B. Virginem, vt impetret mihi hāc gratiam à suo filio; salutando illam cum Archangelo Gabriele, atque dicendo; *AVE MARIA*.

PRIMA PARS.



VEMADMODVM in patenti, & spatioso prato, venustis & odoriferis floribus consito, difficilimum est vno oculi intuitu discernere posse, quis omniū istorum florum pulcherrimus sit, maximeque odoriferus: habet enim quilibet suam venustatem, suumque peculiarem odorem, quibus oculos & manus spectantium prouocant, & quasi muto quodam sermone certatim singuli inuitant, dicentes; Quid facis, ô viator? quid meditaris? quid miraris? Ego sum primus & præcipuus; me solum carpe; reliquos sperne atque relinque. Ita in religione, in qua vna comprehensum est, quicquid pulchrum ac bonum in omnibus aliis legibus sparsim reperitur, non facilè statim iudicari potest, cui virtutum omnium meritò palma debeatur, maiorque laus & maximum præmium. Omnes enim raræ sunt, omnes præstantes, diuinæ omnes: & licet omnes charissimæ inter se sorores sint, omnes tamen adeò generosæ sunt, vt singulæ de gloria contendant.

Religio Christiana similis prato omnigenis floribus consito.

O sancta contentio, Auditores mei dilecti, charissimi mei, viscera mea, gaudium & corona mea, an Philip. 4.

non

Virtutū Christianarum excellentia. non videatur vobis pulcherrimam in primis rem esse, nodum illum cælestem, tantis laudibus à S. Paulo celebratum, qui tres illas virtutes, quasi tres gratias, Fidem, Spem, & Charitatem cōnectit? Fidei testimonium perhibet Abrahamus, qui credendo iustificatus est: Spei verò Enoch, qui religiosè sperando futuram vitam, initium dedit diuini nominis inuocationi: Charitati autem Deus ipse, de quo scriptum est; *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Nunquid existimatis in maximo pretio esse virtutem hospitalitatis? per quam magnus ille Pater Loth Sodomorum incendio ereptus est? per quam Raab in populum Dei adlecta est, non cum salute tantùm, sed etiam cum summo encomio? De animi verò mansuetudine quid dicemus? de qua in honorem Dauidis dictum est; *Memento Domine Dauid, & omnis mãsuetudinis eius*: & de Moyse testatur Scriptura, ęterna memoria digna; *Erat mitißimus omnium hominum, qui morabantur in terra.* Certus sum, quòd zelum Dei debitis laudibus nunquam extollere potero; illum inquam zelum, qui æstuabat in Helia, Phinee, Ioanne & Iacobo, quando vnus interfecit trecentos Sacerdotes Baal, alter expiauit scelus filiorū Israël, & duo fratres traxerunt quasi ignem de cælo super incredulam Samariam, eò quòd Saluatorem hospitio excipere ciues noluerunt.

1 Cor. 13.
Fides.
Genes. 15.
Spes.
Genes. 4.
Charitas.
1 Ioan. 4.
Hospitalitas.
Genes. 19.
Iosue 6.
Mansuetudo.
Psal. 132.
Num. 12.
Zelus.
3 Reg. 18.
Num. 25.
Luc. 9.

Paupertas. O quanto digna est honore sancta paupertas, quæ vsque adeò grata Christo semper fuit, vt in diebus tormentorum suorum illam sibi tanquam sponsam vnicam desponsauerit, neque vnquam eam repudiauerit, sed cum ea in crucem ascenderit? Et quid vobis videtur de austeritate vitæ, quæ tam præclaro nomine Ioannem Baptistam nobilitauit? versatus namque à teneris vnguiculis vsque ad virilem ætatem in deserto, viuebat cum bestijs, camelorum pilis induebatur, & locustas comedebat? Eleemosyna solo suo nomine post se trahit omnem honoris & gloriæ titulum, de qua dixit Christus; *Date eleemosynam, & omnia munda sint vobis.* à quo tantoperè commendatus est Zachæus, & ex paruulo in terris, tam magnus effectus est in cælo. dimidium enim bonorum suorum elee-

Vitæ austeritas.
Eleemosyna.
Luc. 11.
Luc. 19.

eleemosynam in pauperes erogauit. Ineffabilis laus humilitatis in hoc solo verbo tam manifesta est; *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*; vt Christus virtutum omnium Magister & Doctor videatur nihil aliud Discipulos suos docuisse, quàm vt essent humiles, cùm ait; *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* [Humilitas. Iacob. 4. Math. 11.]

O Christiani, inuicta virtus patientiæ, quem non gradum gloriæ inter omnes alias virtutes meretur? quæ tam admirabilem, & in cælo, & in terra reddidit Sanctum Iobum, gloriosum Diabolicarum tentationum triumphatorem? & de qua Christus verba illa præclarissima locutus est Apostolis suis, cùm dicit; *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Auxiliari proximo, an non sit virtus admirabilis? cùm Moyses & Paulus vnus huius, alter illius legis splendidissimum lumen, magis per hanc virtutē, quàm alijs operibus suis vniuersis, vsque ad hodiernum diem totius mundi sapientissimos in stuporem rapiant, & semper rapuerint? vnus enim optauit deleri de libro vitæ; alter verò anathema fieri coram Christo, qui vnicus erat amor illius, tātùm vt fratres sui seruarentur. Quis nostrum non plenis buccis laudabit castitatem matrimonialem, vidualem, & virginalem? cùm Christus ipse natus sit de matre virgine; in gloriam suam admiserit testimonium illius sanctę viduæ Annæ Prophetissæ; & vt coniuges honoraret, in nuptijs primum fecerit suum miraculum, aquam insipidam in meracissimum vinum cōuertens? Sobrietas & vitæ parsimonia nónne virtus singularis est, æternoque digna præconio, per quam vidua Heliæ cum suo pane subcinericio, quem cum paupere Propheta partita est, in ore hominum, & in mente Dei viuet æternis seculis? & Apostolos sanctos omnes boni semper admirabūtur, quòd manibus suis vice molarum vsi, frumenti spicas in agro triturârunt, tantùm vt viuerent? [Patientia. Iob 1. Luc. 21. Auxiliari proximo. Exod. 32. Rom. 9. Castitas virginalis, vidualis, & matrimonialis. Luc. 1. Luc. 2. Ioan. 2. Sobrietas. 3 Reg. 17. Luc. 6.]

Vita actiua & contemplatiua hæc à Christo laudata in Maria & Ioanne, illa in Martha & Petro, cui virtuti Christianæ cedent aliquando? cùm in contemplatione cor viuis flammis diuini amoris accendatur, & in actione exerceatur, opereque administre- [Vita actiua & contemplatiua.]

Matth.22. tur amor proximi? *Et in his duobus pendet lex & Prophetæ.* Quæ lingua tam erit ingrata, quæ non æternis laudibus virtutem obedientiæ decantabit: cùm vniuersum genus humanum, quemadmodum non alio vitio quàm inobedientia primi parentis Adæ perditum est, & Deo factum exosum; ita non alia virtute, quàm obedientia Christi reparatum est & reconciliatum. Simplicitas denique & puritas animæ, vt tandem hanc digressionem terminemus, non meretur ab omnibus vobis honorem & gloriam, ob hanc solam causam, quòd simplices illi pastores, alieni ab omni versutia, ieiuni ab omni fraude, omnis humanæ prudentiæ inexperti, puri & sinceri, vigilantes & custodientes vigilias noctis super gregem su, ũ digni sunt habiti, qui audirent in aëre voces Angelicas, & viderent Christum natum iacentem in præsepio, medium inter duo simplicia animalia, asinum scilicet atque bouem, quod nec vulpi isti Herodi, nec aliis astutis de Iudaismo datum fuit; qui gloriantes in sua versutia, ab infinita illa Dei sapientia, apparente stultitia cooperta sub humana carne, iuxta Prophetarum oracula, confusi sunt & miserè infatuati?

Obedientia.

Simplicitas.

Luc.2.

Luc.13.

1 Cor.1.

O sanctas ac beatas virtutes, ô sacratos gratiarum cælestium choros, ô infinitos & incomparabiles amicorum Dei thesauros. His omnibus virtutibus, Auditores, pascuntur generosæ Christianorum animæ: his odoribus refocillantur, his pulchritudinibus ornantur. Ceterùm vt sæpe contingit in corporibus varias esse qualitates, & complexiones stomachorum, ex quibus nascitur mihi quidem placere hunc cibum, tibi verò diuersum; illi quoque alium: ita & in animabus varius est gustus, & diuersi appetitus; qui tamen omnes boni sunt & sancti. vnde fit vt vnus sanctus se magis exerceat in hac virtute quàm in illa, & alius in alia; tertius item in virtute ab illis diuersa. & sic variis modis, diuersisque viis vnum idemque iter alacriter conficiunt, per angustias huius miseræ vitæ, ad latos, beatosque Paradisi campos cõtendentes. Ideoque non absque ratione à me dictum est, præter modum esse difficile iudicare, quæ virtus locum primum obtineat. quare & Ecclesia singulis Sanctis hæc verba

Thesauri amicorum Dei.

Simile.

Non omnes eidem virtuti addictos.

Scri-

Scripturæ accommodauit; *Non est inuentus similis illi.* adeo vt diuersis modis, diuersisque considerationibus dicere liceat, vnum Sanctum alio, & vnam virtutem alia esse nunc minorem, nunc maiorem vnusquisque enim peculiarem aliquam habet præstantiam. Intelligitis hæc? Eccli 44.

Quòd si tamen accuratè magis rem intueri velimus, & omnes Christianas virtutes Sacrarum Scripturarum lance ponderare, animaduertemus nomine breuissimam (vt quæ tribus tantùm constat litteris) omnium aliarum esse maximam; alias omnes in se comprehendere, imò, vt simul omnia dicam, nostram esse felicitatem; cùm quamdiu viuimus in terris, tum etiam cùm erimus in Cælo beati. Quid enim aliud est felicitas & beatitudo nostra, dicite mihi quæso Docti, nisi tres illæ personæ diuinæ, Pater, Filius, & Spiritus sanctus? Agite igitur Christiani, *Pax, Pax, Pax.* Hęc est illa virtus, quam paulò antè dixi nomine breuissimam esse, vt quæ tribus tantùm litteris exprimitur, & tamen omnium summa est, aliarumque fastigium; omne bonum nostrum in se concludens; Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. P. ecce Patrem. A, quæ est figura triangularis, ecce Filium qui tribus consistit substantijs, Verbo, anima, & carne. X, valens CS, quæ duæ sunt consonantes, ecce Spiritum sanctũ, qui consonat cum Patre & Filio tanquam cõsubstantialis vni & alteri.

Pax superat omnes virtutes.

Mysteriũ nominis pacis.

Pax vobis, pax vobis, filioli mei charissimi: habentes enim pacem eritis beati. O chara pax. Nunquid ne cernitis Angelos sanctos in hac sacra & admirabili Natiuitate Christi, è qua natum est quicquid boni humana nunc habet natura, dum salutant hunc nostrum mundum, nihil huc cęlitus secum adferre, nihilque annũciare, quàm pacem? *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax.* Apostoli quum euntes per vniuersam terram prædicant, à qua re auspicantur Euangelium, quod lætum nũcium interpretamur, nisi à pace? *Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona?* Christus ipse testamento suo quid nobis legauit? an non pacem? *Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Postquam resurrexit, vt se & voce &

Matth. 10.

Omnibus annũciatur pax.

Luc. 2.

Mar. 16.

Rom. 10.

Ioan. 14.

verbis suis manifestaret, notumque faceret, trepidantibus discipulis, quomodo salutauit eos, nisi optando pacem? *Stetit in medio eorum, & dixit eis; Pax vobis.* O Bitontum, dicam paucis. Cur incarnatus, cur mortuus est, cur resurrexit atque ad cælos ascendit Christus, aut cur Spiritus sanctus in terram missus est, nisi vt daretur omnibus hominibus plena & perfecta pax? *Pacem his qui longè, pacem his qui propè.* Nónne animaduertitis Christum, quantumuis sit Rex omnium virtutum, & Rex gloriæ, non alio tamen nomine delectari magis, quàm vt dicatur Rex pacificus? *Rex pacificus magnificatus est super omnes Reges vniuersæ terræ.* Cernísne virtuti nulli attribui summā hanc laudem, vt ab ea filij Dei denominentur, præterquàm soli paci: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* O homo, in hoc omnia consistunt. si non sis filius Dei, non eris hæres illius, nec frater, nec cohæres Christi. non potest haberi ista hæreditas, quam Deus solus ex natura possidet, nisi ab eo, cui datur ex gratia & adoptione. Qui non habet pacem, non est in numero filiorum adoptiuorum; ideoque non habet partem in hæreditate cælesti. Et cur existimatis cælestem illam patriam dici Hierusalem, quod perinde est, ac si dixeris, pacis visionem; nisi vt significetur, neminem posse illuc peruenire, absque studio & pacis desiderio?

Ioan. 20.

Omniū quæ Christus fecit finis est pax.

Ephes. 2.

2 Par. 9.

Matth. 5.

In pace cōsistit felicitas hominis.

O pax, o pax, cuius nomen iucundum, cuius effectus salutares: nulla vox gratior auribus nomine pacis, & nulla res aut inuenitur, aut desideratur maiori cum voluptate; aut maiori cum delectatione possidetur pace. Quam enim veram lætitiam, quam animi satietatem, quam requiem cordis habere possunt illi, qui bello agitantur, aut bella meditantur? Quàm itaque necessaria ad vitam nostram conseruandā est animi tranquillitas? Non sic caries lignum putrescens rodit, nec tinea vestes nostras consumit, vt ægritudo carnes & ossa deuorat. tolle igitur pacem ab hominibus, & vitam illorum tolles. Quid enim aliud est bellum, quàm præsentissima ad mortem semita? Pace omnia conseruantur, bello intereunt & consumuntur omnia. Quid mundo vltimum exitium adferet? an non bellum, quod in inimicos Dei mouebitur?

Nomen pacis nomē dulce.

Mala quæ ex bello oriuntur.

Vnde

Vnde natum est antiquum illud Chaos? an non ex elementorum prælio? vnde pullulant infirmitates, morbi & mortes in hominibus? an non ex quatuor humorum corporum nostrorum contentione? Quid conturbat aëra? quid concitat maria? quid Regum palatia, & augustas Diuûm basilicas diruit? an non prælium agitatum à ventis inter se contrarijs? Ruina Angelorum vnde suam traxit originem? non aliunde sanè, quàm ex magno illo prælio inter Sanctum Michaëlem, & Draconem illum infernalem exorto. Apoc.12. Regna huius mundi, ciuitates potentissimæ, quales fuere Thebæ, Athenæ, Carthago, Troia, Saguntum, Roma, quomodo vastatæ & desolatæ sunt, si non bellis, aut ciuilibus, aut externis? Vastissimi, altissimíque montes, quomodo conquassantur & ruunt, nisi bello à terræmotibus illato? Arbores, hortos & prata quid spoliat? quid venustatem & honorem illis detrahit; aliud, quàm bella pruinarum, niuium, & pluuiarum? Armenta in siluis & pascuis quid consumit, ni bella luporum? feras quid, nisi bella hominum? & quid homines, nisi bella morborum & hostium? O detestandum nomen, & maximè detestāda res bellum. Nihil bellum habet bonum & laudabile, nisi quòd ad pacem ordinatur: finis enim belli pax est, & omnis miles castra sequitur, vt postea viuat in pace. *Bellamur vt in pace degamus.* Aufer à bello finem, quæ pax est; & non ampliùs erit bellum, sed manifesta tyrannis, grassatio & latrocinium.

Vnicū bonū habet bellū.

Quæ cùm ita sint, diu mecum deliberans, nihil inueni, quo vos potissimùm in hac mea prima, licet tarda visitatione salutarem: aut quod vobis vtilius precarer, quàm Sanctam Pacem. *In quamcumque domum intraueritis, primùm dicite; Pax huic domui,* ait Christus primis illis Episcopis, qui fuerunt Apostoli. Pax vobis, pax vobis, filij & fratres mei in Christo dilectissimi. quod serenitas est cælo, quod tranquillitas mari, quod florida viriditas pascuis, hoc ipsum est pax homini. Quid dico? an non videatis, quanta est proportio & cognatio inter voces pacem & panem? panem inquam esse pacem, & pacem panem? Verissimum namque est, non tam necessarium

Matth 10.

Similitudo inter panem & pacem.

esse panem, quàm pax est. Pane igitur & pace, pane & pace Christiani. Quid? ne vita quidem æterna beatorum esset beata, si non adesset pax. *Qui posuit fines tuos pacem,* ait Dauid. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis,* inquit Esaias. Quin & damnati habent vitam æternam: maxima namque pœna, & summum tormentum erit, nunquam posse mori: attamen ob hoc beata non est eorum vita: imò potiùs mors est, quàm vita: quia pacem habent nunquam, in bello & pugna sunt semper. PAX, PAX, ô Bitontum, mihi charissimum, ciuitas mihi dilectissima. Qui habet pacem, seruet eam, fruatur ea; qui non habet, quærat & desideret eam; qui habitam amisit, studeat vt recuperet: qui enim est sine pace, sine Deo est. Finem facio. satis enim pro argumento sermonis nostri diximus. Quiescam paululum, deinde pergemus, & estote benedicti. &c.

Psal. 47.
Esa. 32.

SECVNDA PARS.



OMNIPOTENS atque immortalis Deus noster, qui in semetipso non solùm habet, sed est summa & perfectissima pax, quemadmodum simpliciter vnus est, & alienus ab omni multitudine & compositione, (ex qua, vt scitis, nascuntur omnes dissensiones & bella intrinseca, etiam in rebus inanimatis) cùm crearet hanc naturam nostram, vt esset feudum & possessio sua, fecit eam totam pacificam. *Non est Deus, Deus dissensionis; sed Deus pacis,* ait Paulus. Hem quàm tunc erat beatum regnum illud animæ humanæ, Viri docti? Amor Dei erat Dux & Prorex, Vicariusque summi illius Imperatoris, qui eam creauerat; Angeli erãt milites, qui custodiebant illam die ac nocte; Prudentia agebat excubias; Prouidentia erat eius propugnaculum; Contemplatio turris; Humilitas fossa; Gratia diuina murus & antemurale; Virtus erat cõmeatus; Dona Spiritûs sancti aqua; Beatitudo stipẽdium, seu pecunia; Iustitia & Fortitudo arma; Timor Dei ianitor quinque sensuum, qui sunt quinque portæ, per quas ingrediuntur inimici nostri. An vnquam inuen-

Deus qui est vera pax qualem creauit nostram naturam.

1 Cor. 14.

Felix regnũ animæ in statu innocẽtię.

inuentum ſit regnum tale, tamque beatum? Tunc verè dici potuit Adamo & Euæ; *Regnum Dei intra vos eſt.* Omnis iſta regni noſtri felicitas, Auditores, oriebatur ex pace; hoc eſt, ex trãquillitate & ordine ſtatûs, in quo erat fundatum atque exædificatum: ita vt homo non repugnaret Deo, nec caro recalcitraret ſpiritui, nec contrà ſpiritus opprimeret carnem. Donum namque Dei originalis iuſtitiæ in officio atque ordine ſuo continebat vtrumque hunc luctatorem.

Luc.17.

In quo felicitas ſtatûs innocentiæ fuit poſita.

In homine, vt ſcitis, tria ſunt, non aliter atque in Deo, poteſtas, ſapientia, & voluntas: vel ſi mauis, poſſe, ſapere, atque velle. Poteſtas appropriatur (vt loquũtur Theologi) Deo Patri; ſapientia Filio; voluntas Spiritui ſancto. Quod igitur tunc ratio intelligebat, ſeu ſapiebat, voluntas volebat: idipſum, & caro etiam poterat, atque inſtar humilis ancillæ exequebatur. Atque ita homo ſine repugnantia promptè, & cum delectatione omne bonum operabatur. Tunc ratio non erat cæca, voluntas non erat corrupta & infecta, caro cum ſenſibus non erat infirma, totus homo vigorem ſuum naturalem habebat integrũ atque incorruptum: chara namque pace ſua fruebatur, nec aliquo certamine bellóve erat debilitatus.

Tria ſunt in homine, ſicut & in Deo.

Sed inuidia ſerpentis, à Deo maledicti, cum infauſto illo pomo ſuo diſcordiam in hoc tam beato regno ſeminauit, & euertit illud. Interior homo mox aduerſabatur Deo & exterior interiori: hoc eſt, Creatura Creatori, Seruus Domino, Ancilla Herę, Caro Spiritui, & Senſus Rationi. O quàm prudẽter dixit Chriſtus; *Omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur!* & Ethnicus ille; *Concordia paruæ res creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur!* Fuit, ô Docti, tam atrox bellum illud, vt euerterit quaſi omnia: & quod peius eſt, non ampliùs fruentur homines amiſſa pace, quàm diu hic generandi modus durabit, & homo ab homine procreabitur: hoc eſt, priuſquam reſurgemus & reparabimur de puluere ad inſtar Adami, qui de terra plaſmatus eſt. Tunc enim, cùm corpora noſtra facta fuerint ſpiritualia, vt Paulus loquitur, *Seminatur corpus animale, reſurget ſpirituale*; erit rurſus perfecta pax inter carnem & ſpiritum. Quamdiu verò viuemus in his

Sap.2.

Mali diſcordiæ effectus.

Luc.11.

Quando homines vera pace fruentur.

1 Cor.15.

mortalibus membris, tanquam filij parentū illorum, qui non potuerunt intelligere bona, quæ ex illa pace sua percipiebant, tamdiu continuo bello affligemur, & cum hostibus conflictabimur. *Militia enim est vita hominis super terram*, quia *caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem*: ita vt non quæcunque vultis, ea faciatis. O infelix sors hominū, eò quòd pace violata, nec in toto humano genere, nec in aliquo homine particulari bella vnquam, & quæstiones finem sint habitura. *Inueni quòd fecit Deus hominem rectum; ipse autē infinitis se immiscuit quæstionibus*, ait Scriptura sacra. & meritò *infinitis*: percurrens enim mundi huius fabulam ab initio vsque huc, inuenies hominibus vix natis Cain & Abel primos Adæ filios altercari cœpisse, & inter se cōfligere. Sic Noë & Nemrod, Sem & Cham, Abraham & Loth, Isaac & Ismaël, Sara & Agar, Iacob & Esau, Ioseph & eius fratres, Elias & Achab, Moyses & Pharao, Hebræi & Ægyptij, Dauid & Saul, Herodes & Ioannes Baptista, Apostoli & Pharisæi, Pontifices & Hæretici, Petrus & Simon Magus, Saulus & Paulus, Christus & Antichristus, fideles & infideles, boni & mali. *Vnū contra vnū, duo contra duo, contra malum bonum, contra vitam mors, & contra virum iustum peccator*. denique omnis homo contra semetipsum, Christo solo & B. Virgine exceptis. Quis vir, aut quæ mulier nō stabit semper armatus, & ad dimicandum paratus, cùm Paulus ipse, qui tam sanctus, tam Deo dilectus erat, lamentando propter intrinsecum certamen, quo premebatur, eò deuenerit, vt se in alium hominem, aut alium hominem in se transformans, se miserum & infelicem vocet? *Miser & infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Video enim aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuātem me in lege peccati & mortis*. Quam aliam ob causam, Christiani, exercitatissimum illum Antesignanum existimatis omnibus necessarijs armis in vsum nostrum prouidisse, dedisseque nobis loricam iustitiæ, scutum fidei, galeam salutis, gladium verbi Dei, brachiale patientiæ, nisi vt expertus belli dux, iam antea sciuisset, nequaquam nobis esse dormiendum? inimici enim nostri

Marginalia: Iob 7. Galat. 5. Rom. 7. — Violata pace, homo multis controuersijs inuolutus est. — Eccli 7. — Genes. 4. 9. 11. 13. 21. 27. 37. — 3 Reg. 17. Mar. 6. Matth. 15. — Eccli 33. — Omnis homo bellum cum semetipso gerit, Christo & Maria exceptis. — Rom. 7. — Ephes. 6. — Arma Christianorum.

ſtri non dormiunt, ſed pluribus, quàm Argus, oculis vigilant, vt inſiliant in nos, & nos trucident.

Ante legem non pugnabatur. Docti attendite: Diabolus enim vt fortiſſimus Archiſtrategus omnia poſſidebat, eratque verè Dominus mundi, idque per voluntariam obedientiam: vnde Chriſtus; *Venit enim Princeps mundi huius.* Fœdus percuſſerat cum tribus Reginis, Concupiſcētia ſcilicet carnis, Concupiſcentia oculorum, & Superbia vitæ. quo factum eſt, vt ex hoc fœdere & affinitate tam numeroſum contraxerit exercitum, vt facilè, & ſine vlla controuerſia potuerit, quod voluerit. Nefanda illa Sodomæ & Gomorrhæ turpitudo manifeſtum facit, quid potuerit Diabolus ope Concupiſcentiæ carnis. Artes Magicæ, diuinationes, oracula, reſponſa, auguria, haruſpicia, quæ tunc ſummo erant in honore, oſtendūt, quid potuerit idem Satan auxilio Concupiſcentiæ oculorum; hoc eſt, vana ſciendi curioſitate. Temeraria audacia Gigantum in cælum aſcendere volentium, & quaſi Deum ipſum ad bellum prouocantium, apertè ſatis indicat, quid potuerit adiutus à Superbia vitæ; hoc eſt, ambitione. Ex his tribus capitalibus vitijs (perpende quàm accuratè voles) nata ſunt omnia reliqua.

Ante legem non pugnabatur.

1 Ioan. 2.

Tres Reginæ Diabolo confœderatæ.

Vides igitur hominem tunc pacem habuiſſe cum Diabolo, & toto hoc infelici tempore feciſſe quod ille voluit. ideoque dicebat Chriſtus; *Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia, quæ poſſidet.*

Luc. 11.

Data pòſt fuit lex, & cœptum eſt bellum, ventum ad manus, atque dimicatum. incepit namque homo malum ſuum cognoſcere, quod antea nec ſentiebat, nec animaduertebat. incepit cognoſcere, quàm dura ſeruitus, & quàm graue iugum illud erat Diaboli: incepit oculos conijcere in ſpeculum legis, & in eo conſpexit, quàm fœda & turpia erant peccata, quæ commiſerat: incepit agnoſcere verum ſuum Dominum, Deum ſcilicet: incepit denique, ſi non amare, ſaltem admirari eius bonitatem, quæ ſuſtinebat, & tāta cum patientia peccantē expectabat. Atque ita cœpit ſecum deliberare, conſilium captare, & occaſionem quærere, quomodo conſtitutā pacem reſpueret, fidemque rumperet; iugum tyrannicum excuteret, atque iuſtiſſimo

Quando homo ſe Diabolo cœpit opponere.

bello se à seruitute, in libertatem assereret.

Venit tandem tempus gratiæ, tempus inquam Natiuitatis Christi: sumpsit pugna initium, instructæ sunt acies; præcesserat fecialis Lex, datum est classicum, insonuerunt tubæ, uẽtum est ad manus, & felici præsidio victoriosi Ducis nostri Christi pugnatum est alacriter, ac homines, qui antea semper succumbere consueuerant, in hoc prælio victores euaserunt. *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum Dominum nostrum.* (1 Cor. 15.)

(Quatuor status naturæ humanæ.) Habes itaque hic quatuor humanæ nostræ naturæ status. (I.) Primus est Adam antequam peccasset, quo in statu plena erat, & vera pax, idque ob innocentiam; quamuis exiguo tempore durauerit. (II.) Secundus status est post peccatum illius, naturæque nostræ lapsum, in quo pacificè viuebant homines, pacemque colebant; sed cùm Diabolo, mũdo, carne. quia tanquam catenis vincti, non potuerunt se contra voluntatem eorum mouere, vt liberarentur: nec cognoscebant, nec sentiebant duritiem istorum tyrãnorum, nec fœditatem suorum peccatorũ intelligebant. multa peccata enormia existimabant esse virtutes, tanquam cæci & mente capti: sicut insinuat S. Paulus in principio Epistolæ ad Romanos. (Rom. 3.) quare & in sequentibus dicit; *Peccatum non cognoui, nisi per legem.* (III.) Tertius status est legis, in qua ruptũ est fœdus, & pax cum Diabolo irrita facta: quia sensit homo feritatem, puncturasque & aculeos peccatorum. *Per legem cognitio peccati.* motum est bellum aduersus peccatũ: sed etsi multis plagis potuerit homo resistere, non tamen omnino vincere peccatum sola lege, absque Christo, potuit: ad superandũ namque illud, fortiori opus erat, quàm lex, vt Christus testatur; (Luc. 11.) *Si autem fortior superuenerit, & vicerit eum.* Notum autem est, excepto Christo, hominem non esse tam fortem, vt eius potestas cum Diabolo possit comparari. (Iob 41.) *Non est enim potestas super terram, quæ comparetur ei.* (IIII.) Quartus igitur status est sub Christo, à natiuitate eius, vsque ad consummationẽ mundi, in quo gloriosè pugnatur, & de omnibus nostris cõmunibus hostibus triumphatur. Non est dubium, Christiani, fortem & potentem esse Diabolum: sed vos fortiores, poten-

potentioresque estis sub triumphali vexillo Christi. Videte B. Paulum, qui transformans in se hominem, qui sub peccato est, miserum se & infelicem vocat: ceterùm cùm oculos suos in Christum vertit, sese appellat omnipotentem: dicit se posse omnia. *Omnia possum in eo qui me confortat.* Ite nunc, ite & dicite quòd non potestis; Non potestis, quia non vultis. *Debilis est hostis, qui non vincit, nisi volentem.* Rom. 7. Philip. 4.

Erit autem aliquando & quintus status, in gloria scilicet Beatorum, qui in cælo non ampliùs vllo bello prementur: quia perpetuo quodam circulo natura nostra à primo suo statu, in quo creata fuit à Deo, decurrēs per intermedios, ad primum reuertetur, in quo plenaria pace fruetur, quæ (vt paucis multa dicam) maior erit, quàm fuit Adæ. Tunc enim non tantùm non erit necesse cum hostibus decertare, sed ne hostes quidem ampliùs erunt, qui nos ad bellum deinceps prouocare poterunt. Intelligitis hæc? Adam potuit habere & pacem & bellum, prout voluit: acceperat litteras, seu chartas à Deo mundas, in quibus nil scriptum erat. has illius potestati & arbitrio crediderat Deus. *Reliquit eum in manu consilij sui: apposuit ei ignem & aquam. ad quodcunque volueris, porrige manum tuam.* Potuit igitur peccare, & non peccare: sicut potuit mori, & non mori. nos autem in illo statu non poterimus mori, quoniā non poterimus peccare, ac proinde non poterimus non habere pacem. O statum verè beatum. Ad hanc pacem hodie vos non inuito: non enim potest haberi, nisi post mortem: sed ad illam, quæ dum hîc viuimus, haberi potest, vos inuito. Quintus status. Comparatio pacis Adami & Beatorum. Eccli 15.

Non est possibile, Christiane, te sic viuere, vt Diabolus te non tentet. non est possibile tanta frui pace, vt caro te non stimulet, aut mundus te non perturbet. Deus benedictus noluit nos otio marcescere; ideoque Iebuseos reliquit inter filios Israël, vt exercerēt illos. Non est peccatum tentari: sed non cauere, vt à tentatione vincaris, peccatum est. Vinci non potes, si vinci non velis. Agite igitur, agite animæ benedictæ, ne Diabolus, ne caro, ne mūdus in vos dominetur. sed potiùs facite, vt vos dominemini in illos; idque auxilio Christi adiuti. Calcate carnē cum eius voluptatibus, Inuitat Author ad pacē. Iosu. 15. Deus tentari nos permittit.

sper-

ſpernite mundum cum eius pompa, reſiſtite Diabolo & eius impoſturis. Hęc eſt pax, quam vobis opto: non quòd extincti penitus ſunt inimici veſtri, ſed quòd cum in modum debilitati atque eneruati ſunt, vt non audeant vobiſcum congredi: vel ſi audeant, victi ex pugna recedant. Animos, animos, Chriſtiani, ſumite. Non eſt vnquam in hoc mundo pax vera & ſincera, niſi reportetur de inimicis victoria: victoria verò non poteſt haberi, ſine certamine: nunquã igitur habebitis ſecuram pacem, niſi priùs legitimè certaueritis. Hactenus clamaui: Pax, Pax, Pax. nunc clamo, Bellum, Bellum, Bellum. abſque bello namque ad pacem non peruenitur. Si Moyſes impurum illũ Ægyptium non occidiſſet, pacẽ Synagogæ non conciliaſſet. Si ſeptem illæ Gentes Ethæi, Amorrhæi, Chananæi, Phereſæi, Heuæi, Iebuſæi & Gergeſæi, tam inimicæ charo Dei populo domitæ non fuiſſent, nunquam pacem habuiſſet Iſraël: ramenta ſemper in oculis, & lanceæ in viſceribus hæſiſſent. Si Rex Saul Agag Regem Amalechitarum interfeciſſet, regnum non amiſiſſet, nec gratia Dei excidiſſet. O Bitontum, non legiſti in Euangelio, quòd Chriſtus dicit; *Non veni mittere pacem, ſed gladium?* Tempus eſt, tempus eſt, vt manum armis admoueamus, vt cum ſeptem illis Gentibus pugnemus; cum Superbia, inquam, cum Ira, cum Inuidia, cum Acedia, cum Gula, cum Luxuria, cũ Auaritia. Oppugnemus & expugnemus eas armis Humilitatis, Manſuetudinis, Amoris proximi, Solicitudinis de bonis operibus, Ieiunij, Caſtitatis, & Eleemoſynæ. Tempus inquam eſt, vt occidamus Ægyptium, mortificemus carnem, trucidemus Agag, expugnemus Diabolum. Tempus eſt, vt corripiatis arma cæleſtia, ad turbandam pacem, in qua hactenus ſecurè vexiſtis cum peccatis veſtris, cum prauis veſtris appetitibus, cum peruerſis veſtris inclinationibus, cum carnalibus veſtris deſiderijs, cum malis veſtris conſuetudinibus & corruptelis. O pax crudelis, omni bello crudelior. *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima.* Bellum, bellum cum vitijs, qui ad veram pacem aſpiratis. Tunc corpus fruitur ſua pace, quando ſenſus ſunt quieti, quando membra ordinem ſeruant ſuum. Tunc animus ſua

gaudet

Marginal notes: Vera pax ſine victoria non comparatur. — Exhortatio ad bellum ſpirituale. — Exod. 2. — Deut. 20. — 1 Reg. 15. — Matth. 10. — Bellum Chriſtianorũ contra vitia. — Eſa. 38. — Pax oritur ex bono ordine qui in ſingulis rebus eſt.

gaudet pace, cùm desideria suis limitibus cōtinentur, ne exorbitet. Tunc familię sua pax est, cùm bene conuenit inter maritū & vxorem, inter patrem & filium, inter Dominum & seruum. Tunc suam habet pacem ciuitas, cùm authoritati eius, qui præest, cum humilitate illius, qui subest, optimè conuenit. Cælum pacificum est; est enim in illo cōcors & ordinata societas Sanctorum, Spirituumque beatorum, fruentium Deō, & seipsis in Deo. Vniuersus mundus in pace quiescit, quia sub æternis legibus Creatoris cuncta ordine tranquillo, imperturbato & imperturbabili reguntur. Cur igitur & vos pacem non estis habituri? Si reuertamini ad tranquillitatem ordinis, in qua estis creati, pacem habebitis cum Deo, pacem cum vobisipsis, pacem cum vestris proximis, pacem in vobis, quæ sita est in concordia intellectûs & voluntatis; pacem extra vos. ita vt nihil vobis queat nocere, manu diuina protectis; pacem supra vos, vt spiritus sit obediens suo Domino; pacem infra vos, vt sensus obtemperent imperio rationis; pacem à dextris, ne prosperitas vos in superbiā efferat; pacem à sinistris, ne calamitas vos in desperationem præcipitet; pacem à facie, ne vos futura perturbent; pacem à tergo, ne vos affligant præterita; pacem ponè vos, vt domestici & amici tui sint fideles, pacem procul à vobis, vt inimici vos reformidēt; pacem in omnibus, quia Deus pacis erit cū vobis. Ecce enim hoc est quod ipse promittit; *Et declinabo*, inquiens, *super illam quasi fluuium pacis*. Sufficiat hæc pro temporis huius angustia de ciuili & mutua pace dixisse. Liceat mihi paululum respirare &c.

Pax Christianorum perfecta.

Pacem habebit homo pius cū omnibus.

1 Cor.13.
Esa.66.

TERTIA PARS.



VASTVM & spatiosum mare nobis hodie, Auditores, sulcandum est: eò quòd primus hic dies est, quo vela ventis dedimus. Nec tamen longa erit nauigatio: portum breui conspiciemus, nolite dubitare, quia tam manifesta est gloria atque dignitas pacis, de qua nobis sermo est, vt superfluum sit eam laudare velle. sufficit obiter eius laudem insinuasse. Non est homo,

Omnis homo amat & desiderat pacem.

qui non amet, qui non desideret, qui non omnibus votis optet pacem. Interroga, si placeat, homines huius mũdi sceleratissimos, nemo erit adeò honoris sui prodigus, vt pacem audeat vituperare. Quid? qui persequuntur, & omni violentia pacem turbant, non possunt inter se sine pace, vel saltem pacis vmbra viuere. Non oderunt pacem, nisi illam, quæ est inter inimicos suos. Volunt esse pacem; at suo volunt modo: non cum inimicis suis, intelligitis? Latrones & grassatores in siluis & auijs degentes, qui tam infesti sunt pacis viarum, & securitatis viatorum inimici, quorum tanta est in te, ô Regnum Neapolitanum (quod non leuem ignominiæ tibi notam inurit) copia, necessariò inter se viuunt pacificè. quodnisi fieret, interiret eorum societas, aut vnus alterum accusaret, aut ipsi se mutuò iugularent. Quòd si fortè vnus inter illos reliquis est potentior, ita vt nunc hunc, nunc illum opprimat, vnde postea necesse sit pacem interturbare, alijs insidiari, & vicissim à sociorum insidijs sibi cauere; profectò Rex ille latronum semper aliquos habebit, quibus fidat, quibuscum spolia diuidat, & cum huiusmodi semper pacem colet. In ædibus quoque suis cum vxore, cum filijs, cum omnibus ceteris domesticis, quis dubitat, quin omnia in pace componere studeat, vt ei qui caput est, alia omnia membra subijciantur & obediant? Sine pace nec Reges regnare, nec regna possunt consistere; nec subditi obtemperãt, nec serui seruiunt, nec familiæ conseruantur. Quid pluribus opus est? adeò nemo sine pace viuere potest, vt mõstrum illud poëticum & fabulosum Cacus, qui à singulari atque imcomparabili malitia, ac scelerata vita nomen illud sortitus est, (quid enim κακὸς Græcè aliud, quàm quod Latinè malus dicitur?) Cacus ille inquam, qui erat hominum omnium ferocissimus, ac paci quàm inimicissimus, pacem tamen optabat, ne quis ipsi in antro suo molestus esset, aut vim inferret: in antro illo, inquam, lethali, & recenti hominũ, quos interficiebat, sanguine continuò fumante, neminem pacem suam turbare volebat, vt quietè, & suo modo viuere posset: sine vllo impedimento rapere, trucidare, deuorare. in hoc enim crudeli atque inhumano

Fabulam Caci habet Virgilius lib. 8. Eneid.

manο

mano viuendi genere pacem ſuam conſiſtere exiſtimabat. Quid refero fabulas & figmenta ad laudãdum Herculem, tantummodo excogitata? Crudeliſſimæ feræ, ac ſilueſtres indomitæque beſtiæ, inter quas multæ ſunt ſolitariæ, omnemque ſocietatem exoſæ, vt ſunt lupi, aquilæ, veſpertiliones, vulpes, leones, vrſi & tygrides, an non in hoc omnes totæ ſint, idque ſolius naturæ inſtinctu, vt in genere & ſpecie ſingulæ ſua, quàm fieri poteſt diligentiſſimè, pacem conſeruent: Quæ tygris non amat pullos ſuos, & cum certa, pacataque feritate illis non blãditur? Quæ, quantumuis rapax accipiter, nidum ſuũ non ædificat, oua non fouet, pullos non nutrit, ſocietatis ſuæ curam non habet, & tanquam materfamilias domeſticæ conuerſationis pacem non tuetur? Nihil his addam de ceruis, columbis, ſturnis, ouibus, apibusque. perſpicuum enim eſt, & luce clarius, omnes, etiam ferociſſimas beſtias, natura ipſa ad amoris ſtudium, pacisque deſiderium inclinari.

Animalia rationis expertia pacem colunt.

Si hæc ita ſeſe habeant in beſtijs, quid de hominibus dicemus? Iccirco voluit Deus omnes homines ex vno ſolo viro, vnaque fœmina, Adamo ſcilicet atque Eua naſci, vt cùm omnes ex eodem eſſent ſanguine procreati, de eodem ſemine concepti, ex vno ventre nati, inexcuſabiles eſſent, ſi tot vinculis amoris colligati, impudentes atque ingrati concordiã & pacem inter ſe colere detrectarent. Deinde & hoc voluit Deus, vt homo eſſet animal domeſticũ & ſociabile, quod non habitaret in locis ſolitarijs, abſque ſocio: ſed in communi multorum conſortio, vt ſocietate illa, quaſi felici quodam, & deſiderabili neceſſitatis vinculo, ad pacificè viuendum conſtringeretur. ſocietas enim nulla diu ſine pace poteſt conſiſtere. Voluit inſuper vitam hominis eſſe fragilem, & infirmam, vt nemo ſibi ipſi, ſuisque neceſſitatibus ſufficeret: ſed omnes alterius ope, auxilioque egerent, quò per conſeruationem vitæ conſeruaretur & pax. Voluit etiam hominem ex duabus conſtare partibus inter ſe cõtrarijs, carne ſcilicet atque ſpiritu: vt in ſemetipſo experiretur, quàm magnum malum ſit bellum; ideoque illius pertæſus, ad pacem ſemper anhelaret. Voluit denique

Mirabilis inuentio Dei ad cõſeruandam pacem inter homines.

prudẽn-

prudentiſſimus cæli, terræque Architectus Deus, hominem in medio huius Vniuerſi habitare, haud aliter quàm in medio magni theatri ſpectator, vt videns immenſam hanc cæli, terræque machinam, in tanta pace collocatam, atque diſpoſitam, erubeſceret, ſi pacificè non viueret: ne fortè peior ceteris omnibus inferioribus creaturis eſſe videatur. Hæccíne filioli mei audiſtis & intellexiſtis? Aſpicite, aſpicite, ô Bitontini, magnam hanc mundi citharam, quæ tot diuerſas, & inter ſe aduerſas habet fides: Deus nihilominus tanquã artificioſiſſimus citharœdus, ſuaui manu ſua eas ſic temperat, vt omnes inter ſe conueniant, ſuauiſſimum ſonũ edant: omnes in pace permaneant, omnes officium faciant, idque ſine vlla contradictione. O dulciſſime Deus, quàm pacis amans ſemper extitiſti? Nónne videtis, nónne inquam ipſi videtis, Auditores, quàm admirabilem tranquillitatem, quamque imperturbatum ordinem ſeruent omnes creaturæ? Terra locum aquæ ſibi non vſurpat, aqua ſe ſupra aërem non eleuat; aër igni cedere non dedignatur; ignis dignitatem ſphærarum cæleſtium non ambit. Inter cælos etiam primum mobile non inhibet motus ſecundis ſphæris proprios, & ſecũdæ ſphærę à motu primi mobilis non grauatè rapiuntur: & ſic mundus in pace conſeruatur. Haud aliter inter vos agi debet, ſi velitis veri eſſe Chriſtiani.

Pax & trãquillitas in rebus inanimatis.

Qui non eſt amicus pacis, non eſt amicus Chriſti: ſed Antichriſtus eſt. Papę, quàm pulchra metaphora D.Paulus vtitur, vt pacẽ componat inter Corinthios, qui tantas diſcordias, diſſenſionesque ciuiles fouebãt, vt contendentes, altercantesque ſe mutuò roderent, deuorarent, & paulatim conſumerent? Volo, Bitontini, vt hanc metaphoram obſerueris, memorique ſæpe mente recolatis: non quòd ſuſpicor vos minùs pacificè viuere, ſed quia zelo quodam accẽſus, hoc vobis precor, hoc opto, in hoc totus ſum, vt in pace & tranquillitate conſeruemini. Fingite, inquit Apoſtolus, vniuerſam ciuitatem veſtram vnum vnius hominis eſſe corpus. In vno corpore & caput eſt, & membra ſunt: oculi, aures, manus, pedes, venter. quælibet ſuo funguntur officio: vnum alteri non inſurgit. Pes non dicit

1 Cor.12.

Metaphora Pauli ab humanis membris deſumpta.

dicit capiti; Non volo vt tu mihi caput sis; ipse eam dignitatem mihi arrogo, vt corpus hoc administrem. Caput non ait pedi; Volo vt auferatur pes iste; vile namque & me indignum membrum est. Auris non dicit corpori; Oculus tuus ego sim, vt mea dignitas maior sit & illustrior. Nec oculus contrà; Auris illa superflua est: solus enim ego ad illuminationem capitis sufficio. Manus & pedes non insultãt ventri, dicentes; Nos defatigamur, omnis labor & defatigatio nobis solis incumbit, nos aliud nihil facimus, quàm currendo & laborando delassamur: venter iste quietu[redacted]es deuorat. Quid agis in corpore venter inutilis? quod opus? quæ tua functio? Nec venter vicissim obmurmurans contumeliosè in caput, manus & pedes inuehitur, inquiens; Nolo recipere quæ mihi os mittit: vilia sunt, insipida sunt, ego mihi ipsi sufficiens sum. Sed pacificè viuunt & operantur omnia membra in hoc corpore, vnumque iuuat aliud; vnum seruit alteri. Oculus videt pedi, pes ambulat oculo: manus seruit capiti, caput manum regit: os comedit ventri, venter recipit & coquit omnibus membris reliquis. Et mẽbra illa quæ putantur vilissima, quæque pudenda nuncupãtur, magis fortè necessaria sunt, quàm cetera. ideoque natura ipsa voluit ea cohonestare, cooperiẽs illa, & à conspectu hominũ occultans. Intellexistis hęc viri & fœminæ? Agedũ & vos eadem inter vos cogitate: cogitate, inquam, in hac ciuitate nostra quosdam fungi officio oculorũ, illuminãdo, consulendo, docendo & dirigẽdo alios in artibus & actionibus suis. Alios vsum auriũ habere, qui audiũt, discunt, intelligunt, bonis cõsilijs & salutaribus monitis obsequũtur. Nonnullos munus habere manuum & pedum, qui externo sese opere exercet; quales sunt mercatores, opifices, & alij ciues, ex quorũ laboribus sudoribusque viuit vniuersa ciuitas. Reliquos denique vicẽ obire capitis, qui imperant, regunt, gubernant, potestatem & iurisdictione obtinent in alios: vt supplicio reos, & pręmio bene meritos afficiant; legum diuinarum & humanarũ authoritatem tueantur; ciuitatem in pace & tranquillitate custodiant. Superest venter, cuius partes agũ pauperes, hospi-

tes, religiosi mendicantes: qui omnes videntur inutiles, nec quicquam agere præterquam, quòd aliorum labores deuorant: & tamen vtiliores fortè, magisque necessarij sunt, quàm ceteri omnes. Iccirco voluit Christus pauperes semper esse nobiscum; ait enim; Matth.26. *Pauperes semper habebitis vobiscum.* per eleemosynas enim, quas in sinus eorum effundimus, non raro misericordiam Dei in nos prouocamus, qua ipse aufert à nobis flagella, quæ peccata nostra merebantur. Dan.4. *Peccata tua eleemosynis redime*, inquit Daniel; & alius quidam; Eccli 3. *Sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum.*

Modus viuēdi semper in pace. Quid igitur? Vultis viuere in pace? vnusquisque agat quæ suarum partium sunt. Qui scit, consulat & doceat: qui non scit, discat: qui potest laborare, laboret: cui imperandum est, imperet. Nemo aspernetur alium, nemo insurgat alteri. Non omnibus datum est, vt sint caput, vel oculus: nec honestum est omnes esse manus vel pedes. Si totū corpus meum esset oculus, monstrū esset: oportet enim vt etiam sit auditus. Si totum esset caput, non esset corpus: est enim corporis essentia, vt multa habeat membra: membrorum autem, vt diuersarum sint qualitatum, diuersarum etiam figurarum, & complexionū diuersarum: omnia que se inuicem ardentissimè diligant. Ergo (vt iam sæpe dictum est) omnia pacata sunt, nec inter se digladiantur: non est inter illa schisma, nec vnquam lis aliqua suboritur. Vnumquodque delectatur sua essentia & forma sua, quam ei natura dedit, nec aliam appetit, & nutrimento, quod quotidie percipit, eo contentum est. Sed nec vllum ampliùs quid, quàm habet, expetit. non est alia inter ea concertatio, quàm vt vnum alio accuratiùs & diligentiùs vicino membro auxilietur. Quòd si patiatur vnū membrum, compatiuntur omnia reliqua: offenso namque vno, offen- 1 Cor.12. duntur omnia. Quòd si vel minimum pedis digitum etiam aciculæ cuspide pungas, horret & contrahitur totum corpus, adeò, vt etiam pili capitis rigeant, crura, coxæ, & brachia contremiscant. Non dicunt; Ego lęsus non sum, non obest mihi vulnus istud; solus pes vulneratus est, ipse se tueatur: sed dicunt, Pes cōmembrum

brum nostrum est, condoleamus ei omnia, adiuuemus eum nos omnia.

O quàm insignis hæc est similitudo, quàm docta Apologia, verè Paulo digna. Si ad hunc modum viueretur in Repub. Christiana, ô quàm felix & beata esset hæc vita? At illa duo pronomina, vt à quodam Ethnico appositissimè dictum est, *meum & tuum*, vniuersum mundum perturbârunt. Illam namque sympathiam, illam compassionem, & priscam illam charitatem, quæ solet inter Christianos vigere, subuerterunt, extinxerunt, & radicitus extirpârunt. Viget econtrà, floretque & in summo pretio est amor proprius, quo quisque quærit semetipsum, & ea procurat, quæ sua sunt. Pereat ille pauper, esuriat illa vidua, malitiosa & mendaci calumnia opinioni & gloriæ nobilis illius detrahatur, iniuria fiat illi artifici, lædatur fama istius iuuenis, aut existimatio illius Prælati; statu ac dignitate sua destituatur ille Dominus, diripiatur illa ciuitas, luxentur, vulnerentur & occidantur incolæ miseri, captiui multi Christiani à Turcis & Mauris abducantur: nemo est qui mouetur, qui compàtitur, qui condolet; haud aliter, quàm si ex eadem carne & sanguine non essent compositi. videntur homines alterius propaginis, quasi non sint fratres, non sint mutua inter se membra. Heu, si inhumanitas ista his limitibus concluderetur, & vlteriùs non procederet, ferenda fortè esset; sed quot homines inueniuntur, odio, inuidia & rancore pleni, quibus non est maior voluptas, quàm videre fratrem in calamitate, in periculo, eius dignitatem imminui, existimationem violari, iniquè persecutionem pati, opprimi, contumelijs affici, vulnerari, occidi, funditus euerti? tunc autem dolent, cùm ille gaudet; tunc gaudent, cùm ille dolet, suspirat & lamentatur. Siccine, Christiane, obseruas illud Apostoli; *Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus?* Inuertis & peruertis illud miser; *Gaudes cum flentibus, & fles cum gaudentibus.* Peius hoc, peius est illo superiori.

Quot reperiuntur homines, qui quasi veri filij Diaboli, arbitrantur felicitatem alterius suam esse miseriam? nulla frequentior illis in mente versatur cogi-

Duo pronomina turbant mundum.
Seneca.

Amoris proprij effectus & natura.

Rom. 12.

tatio, quàm quibus modis hunc aut illum damno afficiant, in bonis, in fama, in vita: quo iuris prætextu litem moueant inopi religioso; quo astu persequantur & vexent desolatam viduam; quo mendacio calumnientur clericum; quo figmento desponsam & destinatam Nobili viro laudem præripiant; qua impostura pupillum opprimant, orphanum circumueniant, aliorum opes sibi vsurpent, magnates corrumpant illis perniciosa quæque insusurrando, discordias inter cognatos & amicos, inter virum & vxorem disseminent, aut timore, aut muneribus iudicia corrumpant. O quot mala consilia, quot falsæ sententiæ, quot iniustæ iustitiæ, quot bona iniustè acquisita, quàm multi iniuria daffamati, quot nobiles mendicant, quot ex infima plebe iniustè per fas & nefas magnas diuitias corraserũt? Hinc, hinc est, quòd in Italia nostra, (quid Italiam dico?) quòd in toto orbe Christiano pax non reperiatur; in causa sunt amor proprius, lingua maledica, auaritia, & ambitio, quòd nemo sua sorte contentus viuit, quòd in sceleratos homines qui pacem vbique turbant, non animaduertitur. Hæc sunt illa quatuor, quæ pacem è terris profligârunt, quæ in cælum reuersa, vnde prodierat, sese violentis manibus immanium illorum hominum, qui oderunt eam, subtraxit.

Quatuor pacem abstulerunt è mũdo.

Matth. 20.

Non sic erit inter vos, filioli mei dilectissimi, nati mei benedicti. Amate, amate pacem tãquam donum cæleste, quod Christus è cælo in terras secum aduexit. Non dicã ampliùs, quòd estis omnes filij vnius Adæ, vnius Euæ. Infelix fuit ille pater, infelicior mater, infelicissimi filij: sed potiùs dicam, quia estis Christiani, maiorem habetis conformitatem & cognationem inter vos, quàm erat illa. Estis filij vnius Dei, & vnius sanctæ Ecclesiæ: vna, eademque aqua baptizati; vno, eodemque sanguine abluti: estis ciues eiusdem patriæ, hæredes eiusdem hæreditatis cælestis; nutriti vno pane & vino, corporis & sanguinis Christi; instructi eadem doctrina Verbi Dei; sustentati eadem spe futuræ vitæ; colligati inter vos iisdem Sacramentorum vinculis: estis domestici eiusdẽ fidei, adscripti in eandem societatem Christi, adoptati ab eodem Patre il-

Rationes quę mouere deberent homines ad amandam pacem.

tre illius cælesti; regenerati ab eodem Spiritu sancto; subarrhati vno, eodemque pignore, vel arrha diuinæ gratiæ; ornati & locupletati eisdem virtutibus & donis infusis; redempti de vna, eademque seruitute Diaboli; vno, eodemque pretio, morte scilicet Iesu Christi, communis omnium hominum Saluatoris.

Si istæ tot, tantæque rationes vos non moueant, ecquid tandem mouebit, vt totis viribus ad pacem contendatis? vt aliquando pace fruamini? aliquando pacificè viuatis? *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum.* Pompæ, honores, voluptates mundi, deliciæ, blanditiæque carnis iucundæ quidem sunt, at non bonæ: multæ virtutes bonę sunt, sed non iucundæ: paupertas non est iucunda, austeritas vitæ non est iucunda. Pax verò & bona est, & iucunda. *Ecce, ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum.* Permanete, permanete simul in pace, in vnione fraterna persistite. *Vnio fortis, diuisio debilis.* Vultis vobis explicem viri & fœminæ, quid faciendum, vt semper in pace viuatis? oculos semper in Christum intendite, cùm fratres vestros cõspicitis: siue illi senes sint, siue iuuenes; siue diuites, siue pauperes; siue principes, siue subditi; siue clerici, siue laici; siue iusti, siue peccatores: & si scopus vester fuerit Christus, non poteritis non habere pacem cum his omnibus. Erubescant & vereantur opprimere Christum seniores in paruulis; paruuli metuant inhonestare Christum in senioribus. Diuites caueant ne langueat aut deficiat Christus in pauperibus; pauperes non audeãt insultare Christo in diuitibus: Principes non iniustè iudicent Christum in subditis; subditi non immorigeri sint Christo in Principibus: Clerici attendant ne Christum offendant in laicis; laici non sint tam temerarij, vt obloquãtur Christo in clericis: Mariti sint benigni & amabiles, non austeri vel morosi Christo in vxoribus; vxores semper sint humiles & fideles Christo in maritis. Iusti desinant contemnere Christum, qui eos iustificauit, in peccatoribus; peccatores non extollantur, aut insolescant aduersus Christum in iustis. Aspicite, aspicite Christum Christiani, oculos in illum figite: hic enim certissimus

Psal. 132.

Pax iucunda & bona est: quod nulli aut virtuti aut vitio cõpetit.

Qui Christũ in omnibus hominib⁹ intuentur, semper in pace sunt.

modus, hæc verissima via est, qua ad veram pacem peruenitur; eaque perpetuò colitur, & conseruatur. Duo tantummodo verba, & ad ædes vestras reuertimini cum benedictione &c.

QVARTA PARS.



VEMADMODVM in orbe terrarum non reperitur aliquid, aut pulchrius, aut iucundius pace bonorum: ita nihil excogitari potest aut periculosius, aut perniciosius pace atque amicitia hominum sceleratorum. Non ignorare te puto, quid fecerit fœdus Philistinorum aduersus Samsonem; quid coniuratio Saulis & Achitophelis in Dauidem; quid conuenticula Dathani & Abironis contra Moysen; quid denique reconciliatio Pilati & Herodis aduersus Christum. & quotidie experimur damna atque incommoda, quæ miseræ incurrunt animæ, ob conspirationes, & pacem hæreticorum contra Ecclesiam?

Pax malorũ perniciosa. Iudic. 15. 1 Reg. 23. 2 Reg. 15. Num. 16. Luc. 23.

Filioli mei, si volueritis, vt ego vobis pacem atque concordiam ex toto corde exoptem, hoc requiro, vt sitis boni. Si volueritis esse peruersi nimia cum licentia, absque timore Dei, absque reuerentia superiorum, absque charitate erga pares, absque benignitate erga inferiores; sine religione, sine lege viuere, & conscientiæ nullam rationem habere, nunquam de salute animæ cogitare, in solis diuitijs congerendis toto animo excubare, nulla futuræ vitæ cura tangi, decalogum ignorare, aut si non ignoretis, præcepta illius operibus non exprimere, concubinas alere, proprias vxores continuis iniurijs lacessere, odio & inuidia contabescere; vix quarto, sexto, aut decimo anno peccata confiteri; ecclesiasticum excõmunicationis fulmen aspernari, in peccatis consenescere; iniusta bona non restituere; Religiosis illudere, contra quoscunque murmurare; in via quam semel malè ingressi estis, perseuerare; pedem nolle referre; dico vobis palàm, indigni estis omni pace; dignissimi verò inter quos Deus mittat discordiam & confusionem, sicut olim misit inter Gigantes, qui turrim Babylonicam ædificare præsumpserant.

Qui sint pace indigni.

Genes. 11.

pserant. Si enim discordes sitis, diuidemini, diffluetis & deficietis: ita vt faciliùs, minorique negotio puniri, atque in ordinem redigi poteritis, quàm si coniunctis animis in pace viueretis: vt sic puniti, & castigati, bonorum saltem pacem non interturbetis. cùm vniti, viribusque coniunctis aucti, iniquitate vestra pacem illam sanctam seruorum Dei facilimè turbare possetis. Intelligitis? Propterea & Angeli in Christi natalibus non absolutè pacem toti huic mundo annunciauerunt, sed tantùm ijs, in quibus erit bona voluntas. *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Qui malę voluntatis sunt, ô Bitontum, his pacem non largitur Deus: quid enim aliud esset pax illa, quàm gladius in manu furiosi? Efficiamini boni, efficiamini ante omnia boni, deinde pax vobis dabitur. Vides namque & S. Paulum, quotiescunque in Epistolis salutat suos, gratiam paci semper præmittere, *Gratia vobis & pax.*

Luc. 2.

Colos. 1.

Illa gratia donum Dei est, quæ iustificat reos; illos adiuuat, illorum peccata tollit, eos intus renouat, eos quasi alios facit à prioribus homines, aliarum scilicet cogitationum, alterius voluntatis, alteriusque opinionis efficit. Qui priùs rapiebant aliena, nunc liberaliter distribuunt & erogant propria. Qui priùs iocis, nugis, canticis & musicis numeris vacabant, nunc propter peccata, quæ se in Deum commisisse sentiunt, in lachrymas, in planctus, & suspiria resoluuntur. Videri volebant ab omnibus, popularem vndecunque auram captabant antea; nunc sibijpsis viluerunt, & ab alijs contemni cupiunt; inter quisquilias vt peripsemata, interque omnium hominum, qui in terris degunt, vilissimos numerari gestiunt. Deo & Sanctis priùs maledicebant, blasphemias in eos nephandas congerentes; nunc nulli rei magis quàm orationibus vacant: matutino tempore cum ipsis auibus, è strato se leuando, canendo, gratias agendo, & Deum laudando contendunt. Vt equi emissarij erant priùs erga quascunque fœminas; nunc ne quidem intuentur vel vnam; dorsum omnibus obuertunt, & fugiunt, metuẽtes ne oculus, luxuriei prænuncius, animas eorum perniciosis laqueis inuoluat. Nouis vndequaque alla-

Qui non est bonus, nõ habet pacem perfectam.

Quomodo gratia Dei mutat homines, & ex malis bonos facit.

Vel, In animas eorum inuolet.

 tis

tis rumoribus antea delectabātur, nunc seipsos exiguo cubiculo claudunt, ne quid audiant. Epulabantur & conuiuabantur olim cum amicis splendidè, nunc sufficit illis famem abegisse, lautasque suas mensas amore Christi in pauperes & inopes distribuunt. O quanta
Psal.76. mutatio? *Hæc mutatio dexteræ excelsi est.*

Hæc mutatio illa est gratia, quæ pacem præcedit: & hæc est illa, Auditores, qua vt vos dignos efficiat,
Dispositio ad gratiam necessaria. Dominum Deum meum obsecro: vosque omnes hortor, vt totis viribus, quantum potestis, orationibus, eleemosynis, ieiunijs & bonis operibus vosipsos disponatis, ac præparetis, ad eam impetrandam. Neque enim vos eam à vobis ipsis, sed ex gratuito munere Dei percipietis: neque vobis eam dabit aliquando Deus, nisi priùs vos ipsi præparetis, & ad eam excipiendā disponatis. Christus cùm cæco visum restituere vel-
Mar.10. let, ait; *Quid tibi vis vt faciam?* & sanaturus paralyti-
Ioan.5. cum; *Vis sanus*, inquit, *fieri?*
Sap.8. Æternus ille & sapiens Deus omnia mouet suauiter, secundùm naturam vniuscuiusque. Homo est animal rationale, liberique arbitrij: & propterea mouetur liberè. Necesse est vt quando mouēdus est, à semetipso moueatur. Non est truncus, non est saxum; est homo. Operetur homo, consentiat aut dissentiat. Si dissentiat, nunquam particeps fiet diuinæ gratiæ: si consentiat, dignus factus est à Deo, & gratiam percipiet. O Christiane, negotia huius seculi tantoperè tibi curæ sunt, fauorem alicuius Principis terreni tanta ambitione venaris, vt in gratiam alicuius nobilis te insinues, tam assiduè die noctuque te torques; nihil non facis, nihil non sustines, sudas & alges, omnibus amicis molestus es, mille intercessores subornas: vt autem incomparabilem thesaurū diuinæ gratiæ consequaris, ne minimum quidem studium adhibes. omnis ea cogitatio, cura & solicitudo ex animo effluxit, excidit, excessit. Deus immortalis, quanti feruntur labores, quantæ fiunt Bitonti expensæ, vt colligantur annui oliuarum fructus: quàm laboriosos dies, & quàm operosas noctes sustinent homines ijs colligendis occupati. & quid tandem conquisitum est, nisi paulum olei
Luc.10. terreni? Et vos oleum illud diuinum pij Samaritani,

balsa-

balſamum illud pretioſiſſimum, liquorem illum, cuius vna gutta præſtantior eſt, quàm mundus vniuerſus, colligere vultis in otio ſtertentes, aut complicatis manibus domi deſidendo? Dic mihi, quòd ſi offendiſſes Ducem tuum, Principem, Regē aut Imperatorem, læſęque Maieſtatis conuictus eſſes, ſi abſoluaris, aut iam in proximo ſit criminis remiſſio, quid non faceres? quid non lubens dares? quas opes non prompto animo profunderes, vt veniam conſequaris, & liber pronūcieris? Et nunc offendiſti Deum, in cuius comparatione omnes Reges & Imperatores ſunt pulices viui, & canes mortui. dignus es cui capitis dies dicatur; quid capitis dico? dignus es æterna damnatione. Non te latet interim Deum totum in hoc eſſe, vt te ſibi recōciliet; & per fidem in Chriſtum ſecurus & certus es, eum tibi omnia peccata tua dimittere, & te in priſtinum gratiæ ſuæ gradū, ad quem aſcenderas, cùm purus & candidus à fonte regenerationis redires, reſtituere velle. Hæc inquam non ignoras, & non vis vel minimū quid ex omnibus tuis (quę tamen exigua ſunt) reddere; aut facere quantum vires ferunt, ne ingratum te præbeas, eiuſque amore indignum? Quòd ſi potētem aliquem Regem haberes tibi aduerſarium, atque ille collecto exercitu fines tuos inuaderet, te obſideat, vt comprehendat, depopuletur ac perdat: tu autem nec tanto milite armatum, nec locis tam munitis defenſum te deprehendas, vt eius viribus reſiſtas; an non te quantum poſſes humiliares? ſuperbos ſpiritus frangeres? faſtuoſum animum dimitteres? omnes modos, quibus illum tibi reconciliares, non experireris? legatos ad illum de pace conficienda non mitteres? Heu, heu, Deus iraſcitur tibi, tua tuipſe illum rebellione prouocaſti: minatur tibi flagella, gladium, ignem, interitum, mortem & infernum. Quid dormis & in vtramque aurē ſecurè ſtertis? cur non mittis legationem, pias, inquam, preces & orationes, vt animum ſuum tibi reconciliet? gratiā ſuam tibi reddat? peccatorum tuorum obliuiſcatur? non iam ampliùs te oculo ſuo ſiniſtro iuſtitiæ, ſed dextero beneuolentiæ & miſericordiæ ſuæ intueatur. Orate, orate, & iterum dico orate ſine intermiſſione: non labijs

Simile.

Modus diſponendi ſe ad gratiam.

1 Theſſ. 5.

Desiderium gratiæ ad iustificationem necessarium. tãtùm & voce, vt hypocritæ, sed corde & spiritu. Non decet nos pigros esse, nec tepidos in orationibus, sed calidos & feruentes in animis nostris ad Deum eleuandis. Quapropter Christus desideriũ illud, quo ad gratiam Dei anhelare debemus, fami ac siti comparat: Simile. Qui enim famelicus est, atque admodum sitit, etsi arduis ac grauibus huius mundi negotijs distineatur, omnibus tamen postpositis, cibum potumque sumit: nihil enim vita est pretiosius, quæ his duobus cõseruatur. Sic & in negotio adipiscendæ gratiæ diuinæ, omnia alia sunt postponenda. facessat mundus, facessant honores, opes, voluptates; totũ cor huic rei tantummodo intentum sit, vt gratiam diuinam obtineat, reconciliationem & peccatorum remissionem impetret, iustificationem consequatur. Matth. 5. *Beati qui esuriunt & sitiunt propter iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Et pòst: Ioan. 7. *Si quis sitit, veniat ad me.* Esurite & sitite, Christiani gratiam Dei, si impetrare volueritis. Quòd si tamen fames illa, & illa sitis, hoc est, feruentia illa desideria, quæ hîc requiruntur, nondum in vobis reperiantur, concupiscite tantùm, vt in vobis oriantur: hoc enim sufficiet. Dicit enim Dauid; Psal. 118. *Concupiuit anima mea desiderare.* Nolite dubitare, Christus præueniet vos. Vix illum vel semel inuocabitis, & actutum dicet; Esa. 58. *Ecce adsum.* Pollicetur hoc ipsum Salomon; Sap. 6. *Præoccupat*, inquit, *& qui se concupiscunt, vt se prior illis ostendat.* Et Dauid pater illius; Psal. 58. *Misericordia eius præueniet me.* Atque ita gratiam habebitis eam concupiscendo, & post gratiam pacem.

Pacem præcedit gratia. *Gratia igitur vobis & pax*, Bitontini mei; primò gratia, deinde pax. Igitur Propheta de Christo verba faciens; Psal. 71. *Orietur*, ait, *in diebus eius iustitia, & abundantia pacis.* Primò *iustitia*, pòst *abundantia pacis*. Non loquitur de iustitia ciuili, vel politica: sed de iustitia Christiana, vnde nomen iustificationis deriuatum est. Dicere volebat, quòd Christus veniret iustificaturus, & reconciliaturus homines: & ex ea iustificatione ac reconciliatione exorituram veræ pacis abundantiam. Eodem modo & alibi alijs verbis loquitur; Psal. 84. *Iustitia & pax osculatæ sunt*; manifestè satis insinuans has duas sorores Iustitiam Christianam & Pacem nunquam sepa-

separari. Qui iustificatus est, habet pacem: qui pacem habet, iam iustificatus est. Omnes boni pacem habent, quia apud Deum sunt iusti, & in gratiam illius repositi. Scelerati & impij, qui in cõspectu Dei iniusti sunt, & rei, pacem habere non possunt. Hinc est illud Pauli; *Iustificati ergo pacem habemus.* — Soli boni veram & perfectam pacem habent. — Rom. 5.

Verum quidem est, vulgus hominum, qui non iudicant, nisi ea quæ sub aspectum cadunt, sibi persuadere nefarios ac perditos homines verè pace frui; bonos verò & iustos continuo bello afflictari. Vident enim malos omni prosperitate frui, diuitijs, honoribus, & amicitijs affluere; magnificas ædes & turrita palatia extruere, splendidè vestiri, clientelas magnas alere, ditissimos post se filios relinquere. Nemo illis molestus est, omnes illos reuerentur, vel amore ducti, vel timore coacti; Gaudent & suis & alienis; abundant ouibus, bobus, equis & alijs armentis; magnam auri vim argentique possident; sani sunt & robusto corpore. Econtrariò boni inimicam in omnibus fortunam experiuntur; pauperes sunt, & quibus omnes malè volũt. Si exoriatur tempestas, arua & pomaria, segetes & oliuæ pereunt. Tributa, exactiones, aliaque à Principibus imperata onera, in hos potissimùm recidere videntur. Morbi epidemiales, pestesque & similia contagia horum primò familias depopulantur. O quanta ataxia? Dauid olim, non tunc à Spiritu sancto, sed à spiritu proprio ductus, vsque adeò motus est hoc spectaculo, vt inceperit etiã cum vulgo murmurare aduersus Deum, quòd boni in hoc mundo nec quiete, nec pace fruerẽtur; malis nihil ad felicitatem deesset. Mei, inquit, *penè moti sunt pedes, & effusi sunt gressus mei. Zelaui super iniquos, pacem peccatorũ videns.* — Prosperitas malorum & aduersitas bonorum. — Psal. 72.

Ceterùm alia res est, ô Dauid, pax huius mũdi, & longè alia pax Dei. Homines flagitiosi pacem huius seculi habent, bellum verò cum Deo: Boni verò sola pace Dei fruuntur, etiamsi bellum mundi experiãtur. Hoc est quod Christus dixit Apostolis: *In mundo pressuram habebitis, in me pacem.* — Flagitiosi pacem habent huius mundi non Dei. — Ioan 16.

Nunc igitur cum animo vestro considerate, Christiani, vtra vobis vera pax esse videatur, eáne, quæ in Deo est, an illa quę in mundo; eáne, quam diximus esse bo-

ſe bonorum, an ea quam malorum dicimus? Si enim impuri illi bellum ducant cum Deo, & Deus cum illis, vah, dicite mihi, quomodo fieri poteſt, vt in vera pace viuant? Si ſint ſors & præda Diaboli, omnis pacis inimici, authoris omnis diſſenſionis, quomodo dicitis eos in pace degere? Si pax ſit tranquillitas ordinis, & illi ſint abſque omni ordine, (ſerua namque in regno animæ apud illos dominatur, & Domina ſeruit; caro tyrannidem exercet in ſpiritũ, & ſenſus in rationem) quo iure quis dicet hîc pacem inueniri? *Non eſt pax impijs; non eſt pax impijs*, ait Propheta. Si inflet eos ſuperbia, & quaſi in aëra ventilet; ſi inuidia cor & medullas eorum rodat, & conſumat, ſemperq́ue & in cõtinuo cruciatu detineat; ſi ira ſenſus eorum peruertat, & mentem furore quodam perturbet; ſi auaritia eis quietum ſomnum non indulgeat, aut noctu dormire non ſinat, dum ſolicito ſecum animo cogitant, quibus modis diuitias & opes congerere, quibus ſtudijs augere, qua cura poſſint conſeruare, ne quod partum eſt amittatur, ideoq́ue ſomnus nunquam illos opprimat; ſed dies noctesq́ue in ſumma cura & animi anxietate ducãt inſomnes; ſi luxuria vſque adeò inflammet eos, vratq́ue, vt ignis iſte Veſuuij vel Ætnæ montis vincat incendia; ſi gula & ingluuies, quæ quaſi continua febris eſt, nunquam eos deſerat; ſi denique acedia illos incurabili tædio atque triſtitia premat, quæ pax, quæ tranquillitas erit in illis ſtatuenda? *Non eſt pax impijs, non eſt pax impijs.* Quòd ſi ſenſus eorum ſint reprobi, & eos fallãt; ſi intellectus ſit cæcus & ſtupidus; ſi mentis agitationes vanæ, ſi deliberationes imprudentes, ſi iudicia falſa, ſi affectus omnes corrupti, ſi opera iniqua & peruerſa, ſi cor eorum ſit diuiſum, vt non habeant cor vnum, ſed duo, *Labia doloſa in corde, & corde locuti ſunt*; quæ eſt dementia exiſtimare huiuſmodi homines pacem habere? *Non eſt pax impijs, non eſt pax impijs.* Conſcientia quæ malorum tortor eſt eos aſſiduè pungit, & lancinat, roditq́ue plus quàm vnquam vultur cor illud & iecur Tityi, diuexantur ab illo verme, qui nunquam moritur, nullam illis, ne ad momentum, requiem permittit; & tu dicis eos in pace vitam traducere?

Effectus pacis malorũ.

Eſa. 48.

Pſal. 11.

cere? *Non est pax impijs, non est pax impijs.*

Vera pax est, remorsus illos conscientiæ, spinas illas lancinantes cor non sentire: habere mentem serenam, absque tenebris peccati, absque nebulis malarum cogitationum; *Vera pax Christiani.*

Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Dicat vulgus quicquid velit, siue bene, siue malè. Hęc est vera pax, securè posse cum D. Paulo dicere; *Nihil mihi conscius sum.* Et iterum cum eodem; *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Hæc est vera pax, per gratiam Christo, qui est Rex pacificus, concorporari & conglutinari, voluntati diuinæ in posterum non reluctari; velle quod vult ille, amare quod amat ille, odisse quod odit ille, facere quod ipse præcipit, mandatis eius parere. Non est hæc pax impijs, non est hæc pax impijs. Tu namque peccator hanc pacem non cognoscis, neque tu peccatrix cognoscis illam: non enim ea vobis esse, nec vos eam habere potestis. Hæc est manna illud, cuius suauitas incognita est omnibus illud non gustãtibus. Hic est thesaurus ille, qui non videtur, nisi ab his, qui possident illum. *Nemo nouit, nisi qui accipit.* Meritò igitur dictum est à S. Paulo; *Et pax Dei quæ exuperat omnem sensum.* 1 Cor. 4. 2 Cor. 1. Apoc. 2. Philip. 4.

O Rex pacifice, *Fiat, fiat pax in virtute tua* Domine, non in virtute nostra. Habet quidem ciuitas tua Bitontum pacem; sed vereor non esse pacem hanc tuã, sed pacem huius seculi. Vereor, Domine, & timeo, ne fortè Gubernator vrbis huius sit Obliuio Dei & præceptorum eius; ne fortè præsidiarij eius sint Ambitio, & Auaritia, quas video noctе dieque huc illuc discurrere; ne ministri sint cogitationes carnales atque inhonestæ; ancillæ verò inobedientia atque indiscretio. Vereor, Domine, ne exploratores sint ignorantia stulta, & cæca præcipitatio; Ianitores audacia ad omne malum, & insolentia; fides sit hæresis, sortilegium, & superstitio; consiliarij amor priuati commodi, & non communis; turpis, non honesti; muri sint pertinacia inuincibilis & obstinatia; aquæ voluptates & deliciæ carnis; fossæ profunditas cordis non sinceri, sed fraudulenti. Hi sunt effectus pacis mundanę. Nescio an hîc reperiantur, dubito eos hîc *Psal. 121.* *Inuocatio authoris ad impetrandã populo suo verã pacem.*

non reperiri. Da nobis, da nobis Domine pacem tuam. *Fiat pax in virtute tua.* Tu dixisti: *Pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Sta promissis tuis Domine, solue fidem tuam; fidelis enim es, & non solent verba tua quemquam fallere.

Psal.121. Ioan.14.

Scio, Domine, & fateor, quòd non inuenis in me symbolum illud, aut charam illam tesseram, quam requiris in amicis tuis, vt exaudias illos: sum enim peccator magnus, & propter hoc erubesco atque confundor. Tu tamen voluisti esse me (qualis ego sim) intercessorem apud te, pro populo hoc. Ne sinas itaque Domine, ne sinas, vt propter me seruũ inutilem, cui cura hæc est concredita, ciuitas hæc tam plena populo (vide Domine, quanta multitudo est in hac sola ecclesia) oues tuæ, tuę Domine, non meæ, tuo redemptæ sanguine, non meo, defraudentur & destituantur magna tua bonitate, nec ob meam culpam, optatum illud, & tantoperè desideratũ tuæ gratiæ, tuæque pacis donũ illis denegetur. *Fiat, fiat pax in virtute tua.*

Intuere quæ ex viuis huius Reipub. cordibus producuntur suspiria: audi fœminarum gemitus, vide virorum desideria, odorare Sacerdotum sacrificia, aspice vota puerorum, lachrymas virginum, lamentationes viduarum, orationes pupillorum, tribulationes orphanorum, calamitates pauperum, extremam denique malorum necessitatem. Omnes hi, Domine, pacem tuam petunt, orant, postulant. omnes supplicantes tibi rogant, vt te illis recõcilies, vt eorum peccata deleas, vt eos totos renoues, vt illis des gratiam, qua corroborati in posterum te non offendant. *Da, da pacem Domine in diebus nostris.* Ne respicias me, sed illos respice: imò nec me, nec illos respicias, sed te solum respice. *Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo: multum est enim. Non in iustificationibus nostris prosternimus preces nostras, sed in miserationibus tuis multis & magnis.* Bitontini, *Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem. Petite, & accipietis: quærite: & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis.* Quod concedat ille, qui viuit & regnat in secula seculorum.

Psal.24. Dan 9. Psal.121. Luc.11.

Amen.

PAS-

PASSIO DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI SECVNDVM IOANNEM.

PRIMA PARS.



ODRVS Atheniensium Rex periclitante populo suo, vrbe à potentissimo inimicorum exercitu cincta, cùm nullum videret, vel expectaret humanum subsidium; tãquam verus Princeps, suorum magis quàm suipsius amans, omnem mouit lapidem, vt Athenas sibi charissimas ab hoste liberaret: atque ad diuinum oraculum confugiẽs à Dijs suis, in omni alia re falsis, in hac vna veris, responsum accepit; Te Codre à Pelopõnensibus occiso, Athenienses vincent: tua vita illorum mors est, tua mors illis vitam restituet. Nihil hoc responso territus Heros inuictissimuss certò secum statuit, corpus suum murum & antemurale populo suo, suæque vrbi obijcere. Indignum se magnanimus ille Rex arbitratus est, vt vitæ huic suæ tam breui, cum tot virorum & mulierum cæde consuleret, æternam sibi infamiam fugiendo conciliare. Magna quoque imprudentia est, cunctando in inimicorum manus incidere, & in misera seruitute semper moriendo viuere. Ideoque non tantùm deuotus & pius, sed animosus etiam & fortis honestæ magis mortis, quàm infamæ vitæ cupidus, paludamentum regium exuit, ne cupiditas lytri opulentioris auari semper milites ei in tam pretiosa veste parcerent, gregarijque militis sago indutus, vbi arma erant densissima, vbi riuos sanguinis fluere videbat, huc se medium ingessit, & non cogni-

Exordium passionis ab exemplo Codri.

tus occisus est. Et ecce qui viuens semper succumbebat, moriens vicit & de inimicis triumphauit. Peloponnenses in effusam fugam coniecti Atheniensibus tam cruenti prælij victoriam reliquerunt. O verè regia & gloriosa mors. Non mirandum profectò est, doctas Athenas tanti amoris miraculo motas, Codrum quasi diuinum adorasse, eumque à Ioue tanta eius charitate oblectato mortuum in cælos raptum, & in aliorum chorum Deorum cooptatum credidisse; quasi hic mundus noster animo tam magno fuisset indignus.

Agite Christiani mei chari & benedicti, ecce aliud maius ardẽtioris amoris exemplum Christus noster, tantò maior Codro, quantò primus Rex mundi maior est canæ mortuo; hodie ab oraculo paterno, semper infallibili, admonitus, edoctusque suam mortem ad liberandum mundum à bello Dæmoniaco necessariam, propriç vitç prodigus hostibus se occidendum obtulit. Ne autem cognosceretur, regias vestes suas exuit, gloriam suam deposuit, & habitum induit pauperem: atque ita timidus, nudus, pallidus, exanguis, vt iam non Deus, sed homo purus, imò ne homo quidem, sed vermis, opprobrium hominum, & fabula mundi videretur, in prælium descendit: atque in signum eximij amoris sui non priùs pugna excessit, quàm cum morte sua insignem illam nobis adeptus est victoriam. O opus absque exemplo, ò gratia sine merito, ò amor sinç mensura. Quid Iesu cum morte? Quid Deo cum peccato? Nos merebamur mortẽ, non salutẽ; & salus moritur, vt viuat reus. Nos peccaueramus, non Deus: & Deus sua vita satisfecit, vt soluerentur omnia nostra debita. Si Codrus alio quocunque modo Athenas liberare potuisset, mortem sine dubio, omnium terribilium terribilissimum fugisset. Iesus noster Dominus infinitis modis mundum liberare potuit, tamen vt summum, maximumque amoris sui erga nos daret argumentum, mori maluit. Non liberauit Codrus Athenienses nisi ad tempus; Iesus noster Dominus vna morte perpetuam nobis libertatem peperit. Codrus paucis vulneribus, exiguoque dolore mortuus est; Iesus noster Domiuus infinitis flagel-

Collatio exempli Codri & Christi.

flagellis, durissimis tormentis, acerbissimoque dolore pro nobis occubuit. Quam vitæ suæ iacturam fecit Codrus, nisi decem aut viginti annorũ? semel enim illi, seriùs an citiùs, erat moriendum. Iesus Christus noster semper viuere potuisset, si voluisset. O vitam omnibus optatam, & tamen Iesus mortem elegit. Honestè mortuus est Codrus: quæ enim maior gloria potest esse militi, quàm pugnando cadere & mori? Iesus noster cum summo mortuus est opprobrio, ad Crucis patibulum damnatus, tanquam à Deo maledictus, in medio duorum latronum, tanquam scelerum illorum socius, in conspectu totius Iudææ, quasi exemplum infamiæ; in maximis Synagogæ gaudijs, quasi indignissimus, etiam in summis corũ festis, liberatione. Codrus confestim ab Atheniensibus, tanto amori gratis, est adoratus: Iesus noster Dominus vsque in diem hodiernum à populo Hebraico blasphematur & vilipenditur. O Iesu Nazarene, ter sancte, ter benedicte: Adoremus, adoremus omnes hunc Regem Iesum Nazarenum, tam in gloria & vitæ suæ Maiestate, quàm in ignominia & mortis eius infirmitate. Omnis Christianus eam mortem colat cum reuerentia, amplectatur cum amore, sequatur cum efficacia. Hoc est instrumentum illud fortissimum, quo virtus omnipotens, & incomprehensibilis Dei sapientia admirabili quodam modo salutem nostram operata est, & adhuc momentis singulis operatur. Quis non humiliabit se propter Iesum? Pro peccatis nostris crucifixus est, & Crucem priùs amaram amicis suis omnibus reddidit dulcissimam. Quis non amabit Iesum? O dulcissime Iesu: pati ac mori, Auditores, omnibus horrendum videbatur. Nihil in omni, quam profitebatur Iesus noster, Philosophia tam horrẽdum & terribile videbatur, quàm voluntariè pati ac mori, ideoque hanc disciplinam suis quotidie discipulis in Christiana institutione sua inculcabat. Vt autem exemplo suo proprio efficaciùs quàm verbis doceret, vt bonus magister hodie spontè se morti prædam obiecit. Hoc modo quod summum erat in diuina & sublimi sua philosophia, maximumque, hodie tradidit. O beatam mortem vnde vita nostra nata est. O feli-

Mors Christi instrumentũ nostræ salutis.

Christus nos docuit patiẽtiam.

cem stultitiam, quæ nostram peperit sapientiam. Parum erat dulci Iesu quòd esset filius Dei, per quem Pater æternus fecit omnia, qui verbo virtutis suæ sustinet mundum: parum fuit illi altitudinem suam ad humilitatem carnis inclinare, miseriam nostram absorbere, & ad gloriam suam reparare. Parum illi fuit de excelso & eleuato solio suo, cui Seraphini assistūt, in exiguam cellulam puellæ Iudaicæ, cui faber lignarius seruiebat, descēdere. Parū illi fuit fieri noster frater, qui priùs erat pater & Dominus. Ideo vt doceret nos pati, nō tantùm in toto vitæ curriculo, sed in vitę suæ limine, in primis natiuitatis suæ diebus, infinita abiectissimæ paupertatis non horruit incōmoda. Qui enim pugillo totum concludit orbem, exiguum non potuit habere in diuersorio locum: quare in sordido positus præsepio, vix rigidis ac duris stipulis, paleisque, quibus bos & asinus pascebantur, tenerrima eius membra tegi, foueriq́ue potuerunt. Quid dicent hîc diuites, qui lectis indormiunt deauratis, cùm Rex Regum duras stipulas illorum plumis olorinis, stragulisq́ue sericis anteposuerit? Consolamini vosmetipsos pauperes, qui in paruis habitatis tugurijs, & duro solo quiescitis: vita vestra non consistit in magnificis palatijs, aut vestimentis mollibus; Christus iacet in præsepio sub fœno & paleis. Discite, discite omnes à Christo pati. Sed hodie passio illius omnem mensuram excedit.

Perfidiam proditoris sui (vt hinc incipiamus) non ignorauit, plenus nihilominus patientia, sancta sua genua flexit, & ante pedes eius maledictos, velocesq́ue ad effundendum sanguinem suum procubuit; eos apprehendit, lauit, & tanta cum humilitate extersit. O superbi, ô impatientes, ô terra & cinis, quàm diu collo erecto extensoq́ue obambulabitis: quando tandem vos huius impatientiæ vestræ pudebit? quando hanc vestram superbiā detestabimini, cùm Creator mundi, viuorum & mortuorum Iudex, ante pedes sui proditoris sese abijciat, atque prosternat? proditoris, inquam, non opum, sed vitæ suæ? In illa vehementi mortis imaginatione constitutus, magnisq́ue angustijs quasi oppressus, quos affectus volens assumpserat,

rat, vti & alias nostras miserias, non erubuit hanc suę carnis infirmitatem, animæque tristitiam verbis dolore plenis suis discipulis manifestare, dicens; *TRistis est anima mea vsque ad mortem.*] Idipsum & sudore illo sanguineo, qui in terram à corpore decurrebat, testatus est. O ambitiosi, qui omni cum artificio defectus vestros tegitis, ne reprehendamini: indigni certè honoribus, quos temerè ambitis, quando iactātiam vestram deseretis: quando fratribus vestris vestras miserias reuelabitis? Iesus exemplar omnis perfectionis non erubuit pro homine agnosci infirmo, ceterisque simili. Venerunt sanguinarij illi, latrones pessimi, in hortum cum sceleratissimo filio Belial, eorum ductore & antesignano, vt Iesum apprehenderent. O Iesu agne innocens, quid tibi cum istis lupis? cùm tamen accederet impius ille, & os, in quo semper abundarat malitia, illi ad osculandū offerret, non retraxit Iesus Dominus noster sanctissimum os suum, in quo nec dolus nec peccatū vnquam inuentum est: imò spontè in manus ferocientium illorum taurorum venit, seséque capiendum dedit. Et ecce Philisthijm super Samsonem irruūt. O inuidi, quando incipietis proximos vestros diligere, cùm Iesus noster non destiterit amoris sui dulcedinem vnquam, in infensissimos, qui in orbe erāt, inimicos suos effundere? Quanta opprobria, quantasque pœnas vultus ille desiderabilis sustinuit? quantas manus illæ benedictæ? quantas humeri illi sancti ab incircuncisis atque homicidis istis perpessi sunt? O indignum & infelix commercium Christi cum gentibus istis sceleratis. Et tamen non desijt dilectus ille Dei filius, in quo semper tantopere Patri complacuit, sua mansuetudine superbam illorum rabiem vincere: tam humaniter eos affatus est; *TAnquam ad latronē existis cum gladijs & fustibus comprehendere me?*] Sanauit auriculam Malchi, reprehendit Petrum, qui zelo suo impatienti eius offenderat patientiam. O pertinacem furorem, quem nec miraculorum Maiestas, nec beneficiorum flectere potuit pietas. Quid hîc dicetis vos, qui non potestis, aut non vultis tolerare iniurias? & vos ingrati, cùm Iesus non tantùm patienter tulerit, sed etiam nouis obsequijs

Mar. 14.
Mar. 14.

eorum ingratitudini medicatus sit? Ductus est ad Annam, Caipham, Pilatum & Herodem: derisus, conspu-tus, alapis cæsus, oculis velatus, alba veste indutus, illusus & spinis coronatus est. Expergiscimini, expergiscimini hîc, animæ meæ, & videte quàm memorabilis est homo iste, qui in tãtis angustijs ne os quidem suum aperuit, se non excusauit, non lamentatus est, non minatus, non maledixit. An vnquam homo visus sit tam mansuetus? Audistis vnquam benignitatem talē, qualis est hæc Iesu nostri Domini? O mundani, ô homines sensibus dediti, qui vultis omnibus bonis frui in hoc mundo, & si minimum quid desit, confestim murmuratis & maledicitis. Ecce Rex Regum, qui omnia sensit aduersa, omnia perpessus est in hoc mundo incommoda, & tamen quasi saxum non caro, quasi truncus non homo, immotus quasi non sensit, perpessus est ea tormenta, quæ nullus vnquam alius: & tamen vix sensit, quia dolorem vicit eius patientia.

Sed propiùs adhuc aspicite, filioli mei chari & benedicti, quantò maiori dignus est admiratione, maiorique sympathia Iesus noster Dominus, qui spoliatus, nudus, à capite ad calces percussus, ignominiosę Cruci tribus clauis ferreis confixus, aceto & felle potatus, iniurijs & blasphemijs oneratus, paulò antè quàm sanctum illum spiritũ Patri suo redderet, etiam pro crucifigentibus se deprecatus est, tanta cum vehementia,

Luc. 23. vt similes preces nemo vnquam audiuerit: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciũt.* Quis est homo ille admirabilis Christiani? qui in tãta amaritudine, plenus tantis doloribus, nihil potest in hostes suos, nisi dulcedinem amoris spargere? Ratio planè postulabat, vt post mortem Longinus lancea latus eius aperiret: non enim potuit amor iste alio vulnere, quàm proprij pectoris eius ostēdi. O impœnitentes & obstinati, quando conuertemini, erroresque vestros agnoscetis, si ad hanc tantam pietatem & misericordiam Iesu nostri Domini non conuertamini? A sexta hora ad nonam in morte illius obscurata est Luna, & Sol: mota est terra, scissæ sunt petræ, & mortui è sepulchris resurrexerunt. Quis est iste; quis est iste, qui ad miseri-

cor-

cordiam mouit in ſua paſſione hanc vniuerſam mundi machinam? O corda ferrea, quando vos molliemini, ſi non molliat vos hic Crucifixus, cui cõpatiuntur terra & omnia elementa, cuius mors mortuos viuificat? Agnoſcite, agnoſcite, animæ meæ, Dominum veſtrum, Ieſum Nazarenum, Saluatorem veſtrũ, Filium Dei vnigenitum, verum Deum & verum hominem, ſolùm ſub hac ſphæra lunari abſque omni peccati macula, qui hodie inter totius mundi ſceleratiſſimos numeratus eſt, leproſus habitus, extra ciuitatẽ, quaſi indignus qui inter homines moreretur, eiectus. imò tanquam abortiuus, qui canibus obijcitur, in aërem eleuatur, ibique moritur, vt cum tot alijs Prophetis cibus vulturibus & coruis exponeretur. O formoſe inter filios hominũ, quomodo tam deformis, tam horridus propter noſtras iniquitates factus es? Vuam ego comedi acerbam, Domine, non tu: & tui dentes obſtupuerunt, ne obſtupeſcerent mei. Tu percuſſus es propter mea crimina, attritus propter mea peccata, factus es in conſpectu æterni Patris holocauſtum ſuauiſſimũ, vt eius contra me iram mitigares. Quid facere potuiſti & non feciſti Ieſu dulciſſime? A planta pedis ad verticem capitis immerſus es paſſionis pelago, imò abyſſus aquarum amariſſimarum vſque ad animam tuam penetrauit. Animam tuam perdere voluiſti, vt meam, quæ iam perdita erat, ſaluares. O quot nominibus Auditores Chriſto ſumus obligati? Debitores illius ſumus, quia dedit animam ſuam: debitores ſumus, quia reſtituit nobis noſtram. Quam dederat in creatione, hãc reſtituit in redemptione. Reddite, reddite illi hanc animã veſtram: non enim aliare debitum poteſtis illi ſoluere, niſi quod ille dedit, hoc ei reddatis. Sed primum debitũ quomodo (ô Deus immortalis) vnquam reddemus? Satis ſit nobis, vt ſemper eius debitores maneamus. glorioſa mortis eius adoremus inſignia, quibuſcum noſtram ſalutem operatus eſt: Regale illud Crucis vexillum, diadema ſpineum, clauos ſancto tinctos ſanguine, lanceam in cordis eius merſam penetralibus, eius vulnera, liuores, acetum, fel, flagella, ſpongiam, mortem, ſepulturam, infirmitatem eius, quam pro nobis aſſumpſit,

& fortitudinem noſtrā, quam ille dedit, deuotis animis veneremur. O quàm viuificum odorem dulcis Ieſu ſpirarunt vulnera? Contemnant, rideant, vilipendant hæc omnia Iudæi & Gentiles, vos maximi facite, vos amate, vos adorate. Ieſus afflictus & mortuus redemptor eſt captiuorū, ſaluator eſt redemptorum, ſpes exulum, & afflictorum ſpirituum refrigerium. O Ieſu dulce ſolatium animarum lachrymantiū, triumphus pugnantium, defenſio earum quæ tentantur, vnica omnis piæ mentis merces & lætitia, fons omnis gratiæ copioſiſſime. Tibi Ieſu huius populi nomine pro amore tuo infinito gratias ago immortales. Tibi benedico, te exalto, laudo & ſummis viribus nomen ſanctum tuum glorifico. Surgite, ſurgite omnes, & in genua procumbite: adorate omnes Crucem, militiæ Chriſtianæ vexillum, in qua triumphus noſter per Chriſti mortem partus eſt. O Crux benedicta, olim miſerorum ſupplicium, nunc Regum vexillum. O nauis noſtræ gubernaculum. O clauis Dauid, quæ cælum aperis. O ſcala Iacob, cuius ſummitas cælum attingit. O lectule, in cuius virtute reſuſcitantur mortui. O arbor vitæ, qui te tangit, non tam manu, quàm corde, beatus eſt. O ſignum Dei veri & viui, quod in tremendo illo Iudicij die, ad ignominiam Iudæorum, & gloriam Chriſtianorū apparebit. O patibulum fortiſſimum, quod mortem occidit, & vitam reddidit. O feliciſſima planta, in qua Rex mundi pependit. O victorioſa Crux, in qua victus eſt Diabolus. O tribunal iuſtiſſimum, in quo pro nobis lata eſt ſententia. Vnuſquiſque noſtrum te in Crucifixo flexis adorat genibus, & dicit;

O Crux aue ſpes vnica
Hoc paßionis tempore:
Auge pijs iuſtitiam,
Reisque dona veniam, Veniam, Veniā, Veniam.
Miſericordiā, miſericordiā, miſericordiā.

Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi: quia per ſanctam Crucem tuam redemiſti mūdum; miſerere nobis.

Reſpice quæſumus Domine ſuper hanc familiam tuam, pro qua Dominus noſter Ieſus Chriſtus non dubitauit manibus tradi nocentium, & Crucis ſubire tormentum. Re-

ſpire-

ſpiremus, deinde modum huius mortis incipiamus.

SECVNDA PARS.



GRESSVS *eſt Ieſus cum diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron.*] Videte quæſo, Auditores, quàm ſublime ſit hoc exordiū. Ieſus paucas poſt horas torrentē ſanguinis ſuo de corpore debebat fundere; ideo peracta cœna cum ſuis Apoſtolis aquæ torrentē tranſijt. Sed aſcendamus, ſi placet, altius. Quid eſt torrens, niſi ſubita, improuiſa & irreparabilis aquarū inundatio? Non habet venas proprias vt fontes, lacus & flumina: creſcit tantùm pluuijs & imbribus. ideoque ſubitò creſcit & decreſcit, & cùm effluxit, eiusque tranſijt impetus, nullum in alueo ſignum humiditatis relinquit. Quid eſt vita noſtra, niſi torrens rapidiſſimus? Videtísne quomodo ſubitò creſcat honoribus, diuitijs, voluptatibus: & in ictu oculi omnia deficiunt, ita vt ne memoria quidem illorum remaneat? Tranſeunt pompæ, tranſeunt fortunæ proſperæ, tranſeunt dominia, tranſeunt Regna, tranſeūt Imperia: omne quod mortale eſt conſumit tempus. *Vidi impium ſuper cedros Libani exaltatum; tranſiui, & ecce non erat.* Dicite mihi quæſo, vbi ſunt Cæſares, Pompeii, Annibales? Vbi Alexandri, Darii, Crœſi, Ptolemæi? Vbi Hercules, Semiramides, Helenæ, Pentheſileæ? Vbi Cicerones, Demoſthenes, Virgilij, Ariſtoteles, Solones? tranſierunt, tranſierunt. ceſſauit pluuia, ortus eſt Sol, torrens defecit. Veniamus ad noſtram ætatem, & loquamur de ijs, quorum recens adhuc eſt memoria. Vbi ſunt Borgij, Aragonii, Sfortij, Bentiuoli, Rouerí, Aſcanij, Leones, Iulij? *Vetera tranſierunt, facta ſunt omnia noua. Dies mei velociùs tranſierunt*, dicit ille Sapiens, *quàm à texente tela ſucciditur.* Idcirco Propheta vitam hanc noſtram comparat fœno, Iacobus vapori, Salomon vmbræ. omnia enim hæc momento tranſeunt. Nos tamen hanc tranſitûs velocitatem non cogitamus. *Generatio venit, & generatio præterit, & tamen æternos nos eſſe credimus.* O cæci, ſi exempla vos hæc non moueant, moueat ſaltem exemplum Chriſti. Videtísne

Marginalia: Ieſus tranſit torrentem Cedron. Ioan. 18. — Vita noſtra torrens. — Pſal. 36. — 2 Cor. 5. — Iob 7. — Eſa 40. — Iacob. 4. — Eccles 7. — Eccles 1.

& Christum torrentem hunc transijsse? Rectè transijt torrentem. Vita enim eius propriè torrens est. Videtísne quomodo abiectissimus homo, qui faber putabatur, cum duodecim discalceatis, qui eum sequebantur, subitò creuit, & triginta trium annorum spatio ad tantam dignitatem peruenit, vt plebs eum Regem creare voluerit, ante quatriduum tanto cum honore in vrbem Hierosolymorum exceperit, quanto cum solent Reges & Imperatores, ita vt terra & aër nomine illius resonarent? O quanta gloria. Hodie crucifigunt eum tanto cum opprobrio, vt omnes huius mundi homines infames simul maiorem ignominiam non sustinuerint. Ecce torrens, ecce torrens.

Ioan, 18. *EGressus Iesus cum discipulis suis trans torrentem Cedron.*] Hæc est vestra consolatio tribulati: etiam tribulationes vestræ breui transibunt & auferentur. Nec prospera nec aduersa fortuna diuturna aut stabilis esse potest in hac vita. Omnia velut torrens præterfluunt. Conspicitis hodie Christum in summa ignominia pœnisque maximis: post biduum conspicietis illum gloriosum & triumphantem. Ob hoc itaque mysterium *EGressus est trans torrentem. Trans torrentem Cedron*] *Altitudo cedrorum altitudo eius.* Non conueniebat ei locus alius, quàm cedris consitus. Odor cedrorum expellit serpentes, odor passionis Christi expellit Diabolos.

Cedron.

Amos 2.

Cur Christus intrat hortũ.

VBi erat hortus.] In horto Adam pro nobis omnibus peccauit; in horto Christus pro nobis cœpit satisfacere. O vos beatos, si in horto isto inueniamini. *Hortus conclusus soror mea sponsa, fons signatus. Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus*, de Christo dicit Ecclesiæ Cãticum. O hortum felicem: habent hortos suos Turcæ delicias carnis; habent hortos suos Iudæi vsuras & vxores. sed nullus istorum hortorum conclusus est, omnes patent: ideoque errant pro sua libidine absque vllo obstaculo: intrant Dæmones quasi feræ, & quicquid in illis bonum est depascunt & conculcant. Noster hortus est conclusus, leges diuinæ, Patrum Cõcilia, Pontificum decreta, Apostolicæ traditiones & antiquæ consuetudines illum circumquaque sepiunt. Væ hæreticis qui

Cant. 4.

Ecclesia hortus est conclusus.

qui sepem hanc destruunt: *Qui dissipat sepem, mordebit eum coluber.* Manete, manete in horto: nolite errare ac diuagari, Christiani, ne vos feræ deuorẽt. Erat quidem lex Mosaica conclusa; sed audi B. Paulum; *Conclusit omnia sub peccato.* Absit, absit hortus iste: qui tali velit claudi sepimento? Venite omnes ad hortum Christi, cuius sepimentum sanctum est & immaculatum, ideoque & hortus plenus est fructibus. Audite quomodo Sponsa Sponsum ad hunc hortum inuitet; *Veniat dilectus in hortum suum, & comedat fructus pomorum suorum.* O quàm suaues fructus habet hortus hic? *Surge Aquilo & veni Auster, & persla hortum meum, & fluent aromata illius.* Postquam paululum cessauerit frigidissimus ille ventus Aquilonaris, Romani, postquam Auster mitissimus sancti Spiritûs in cordibus nostris contra omnem hæresin illã, quæ deuotionem in plebe aut planè extinxit, aut saltẽ frigefecit; denuo flare cœperit, videbitis hortum hunc admirabiles fructus, nardum, crocum, cinnamomum, myrrham, aloën, manifesta virtutum symbola producere. Et cur non faceret fructus, cùm fontem habeat, fontem dico signatum, quo potest ad nostrum arbitrium omni ex parte irrigari. Ecce sanguis Christi, qui à corpore eius in hortum decurrit, vt aridam terram nostrorum cordium irriget. Vidistis vnquam signũ formosius & venustius purpureo hoc Domini nostri sanguine? Istud est signũ quo nos ab omnibus alijs populis distinguimur. Omnes enim aliæ gentes immundæ sunt & fœtidæ, nos dealbauimus, animasque nostras in sanguine Agni abluimus. Ecquod aliud signum habuisse signatos illos in Apocalypsi Ioannis arbitramini, nisi signum sanguinis Christi? cuius signi beneficio non tantùm securi erant ab ira summi Dei, sed & filij eius charissimi, ciuesque & domestici magnæ illius curiæ cælestis dicuntur & sunt. Optimè dictũ est à B. Matthæo, hortum hunc fuisse in villa, quæ dicitur Gethsemani: hoc est, vbertas, seu pingedo. Macilenta & sterilis erat arida cordis nostri terra: at sanguis hic impinguat eam pietate atque deuotione. *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea,* dicit Dauid.

[Margin: Eccli 10. — Galat. 3. — Cant. 5. — Cant. 4. — Sanguis Christi signũ Christianorum. — Apoc. 7. — Matth. 26. — Gethsemani. — Psal. 62.]

QVem introiuit ipse & discipuli eius.] Non est bonus disci-

discipulus qui non sequitur magistrum: ideo cum Iesu Christo intrant eius discipuli. O Roma, si Christus pati voluerit, cur Christiano id durum videbitur? Ex vndecim verò Apostolis tres tantùm elegit, Petrum, Ioannem, & Iacobum: hos secum duxit, vt alta viderent mysteria. Qui cum Christo pati vult, Auditores, hanc sanctam habeat trinitatem; fidem, quæ certa notitia Christi est, per Petrum; animum inuictũ ad supplantanda omnia vitia, per Iacobum; assistricem gratiam S. Spiritûs, per Ioannem significatam. Si non credas in Christum, quomodo pugnabis? si credens animo vincendi destituaris, quomodo generosè ictus sustinebis? si Deus non sit tuus adiutor, quomodo vinces? Videte quomodo Christus vos doceat non verbis tantùm nudis, sed & exemplis.

Christus tres discipulos assumit.

TVnc ait illis; Tristis est anima mea vsque ad mortẽ.] Sustinet hic, & vigilate mecũ. Dolor propriè est in carne, tristitia in anima. Etiam bestiæ dolores sentiunt: tristitia verò propria est hominũ & Angelorum. Tristatur igitur in animo dulcis Iesus noster, quod doloris, qui instabat, fuit præsagium. Quem pugilem in agone vidistis vnquam, qui priusquam ad pugnam veniat, si tantùm imaginetur sibi pugnandum esse, & cogitet conflictûs varietatem, cuius exitus semper est incertus; dum examinat fortitudinem aduersarij, genus armorum quibus vtitur, non expauescat, non horreat quodammodo, & pallore vultûs signum illius astãtibus præbeat? Sed & in somno subinde imaginationi nostræ occurrit aliquid horrendum & triste, quod vigilantes vidimus aut cogitauimus, & aut extimescimus, aut contristamur adeò, vt dormientes etiam voces doloris emittamus. Iesu Domino nostro pugnandum erat cùm perfidia Iudaica; antequam in prelium descenderet, sciebat quanta in eum vterentur crudelitate: prænoscebat exactè omnes cruciatus, oẽs pœnas, omnia tormenta. prçuidebat omnes iniurias, quibus sanctissimã carnem suam afficerent, nec ignorabat quàm horrenda hæc omnia futura essent suis sensibus: quomodo ergo potuit non contristari? Voluntas eius diuina non tristabatur, sed gaudebat (si dicere liceat) in istis tormentis: sed tristabatur humanitas,

Tristitia Christi.

Dolor in carne, tristitia in animo est.

Simile.

Quomodo Christus contristatus est.

tas, non tãtùm ſenſuum, ſed & animæ. Si paſſionem hanc ſuã vidiſſet in voluntate diuina, cui ſemper fuit conformis, non fuiſſet contriſtatus: ſed vt mundo oſtenderet ſe verum eſſe hominem, non tãtùm admirabilem, ſed & imitabilem, voluit paſſionem ſuam contueri in ſemetipſo (vt aiunt Sapientes) in portione inferiore: atque ita ſupra modum contriſtatus eſt; quia pati & mori horrendum eſt per ſe omni naturæ, & quidem tantò magis horrendum, quantò patiens nobilior eſt & delicatior. Non venit itaque triſtitia hæc Chriſto importuna, ſed venit vocata. vim intulit ſibi ipſi, & propter amorem, quo erat in nos, cotriſtari voluit. Mors flatus tantùm eſt, ſeu expiratio: ſed moleſtia, ſolicitudo & dolor mortis cruciant & premunt. Vt igitur exprimeret, quàm tenerè nos diligeret, non ſatis fuit illi morte mori duriſſima, ſed & triſtari voluit triſtitia maxima. Agite Romani, hìc igitur eclipſis Solis incipit: hìc paſſio Chriſti ſumit exordium.

SVſtinete hìc, & vigilate mecum.] Bonum eſt hanc Chriſti triſtitiam non ignorare, ſed multò melius eſt cum Chriſto triſtari. Conformes namque in triſtitia Chriſto effecti, etiam illi cõformes erimus in lætitia. *Suſtinete hìc.* Si alijs anni temporibus durum vobis viſum ſit pati, ſaltem hodie, cùm Chriſtus Dominus noſter tantam afflictionem in corde & anima ſuſtinuit, nullus dolor vobis grauis eſſe debet: præſertim ſi cogitetis illum, cui omnis pœna leuis viſa eſt, eò quòd vos tãtopere diligebat. *Suſtinete, ſuſtinete,* Chriſtiani: tolerate omnem fortunam aduerſam, perferte omnem iniuriam, fortique animo omnem tribulationem ſupportate. Quid eſt vita Chriſtiana, niſi continua * pœnitentia? Ah Roma. Si putes te non habere tribulationes, nondum cœpiſti eſſe Chriſtiana. Non eſt alia via ducens in cælum, quàm patientia. Hanc viam calcauit omnis bonus Chriſtianus. *Suſtinete, ſuſtinete.* Si caput noſtrum ſpinoſum ſit, turpe eſt mẽbra in voluptatibus delicijſque viuere. Non eſtis membra Chriſti, qui tantos cruciatus ſuſtinuit, ſi non & ipſi ſuſtineatis amaritudinem, væ, labores, moleſtias & tribulationes. *Suſtinete, ſuſtinete.* Tanta vis temporis eſt, vt omnis iniuriæ faciat obliuiſci.

* forte patientia.

Christiano patientia eſt neceſſaria.

Ah

Ah cur tantum non poteſt Ieſus Dominus noſter in noſtris pectoribus, vt faciat nos obliuiſci perſecutionum? An maior inimicus vobis in mundo ſit tempore, quod quaſi tyrannus vniuerſalis & vos & omnia veſtra cõſumit? Et quis maior amicus vobis Chriſto, qui ſe in crucem rapi ſiuit, ibique mortuus eſt, poſtea pro ſalute veſtra ſepultus eſt? Si tanta poſſit in vobis inimicus, vt quid tam parum poterit amicus tam charus & incomparabilis? Ah Chriſtiani, *Suſtinete, ſuſtinete*. Hæc ſumma eſt, hoc argumentum totius veſtræ philoſophiæ, Patientia. Hæc eſt fornax quæ probat omnem hominem. Hæc ornat mulieres, hæc amatur in pueris, laudatur in iuuenibus, ſuſpicitur in ſenibus. Hæc regit carnem, conſeruat ſpiritum, refrenat linguam, continet manum, prohibet omnia ſcandala. hæc conſolatur pauperes, moderatur diuites, delectat fideles, iuuitat ad fidem Ethnicos. Hæc corroborat fidem, nutrit ſpem, fouet charitatem, conſeruat pacem. O ſancta patientia. *Suſtinete, ſuſtinete*, filioli mei.

Nunc tempus triſtitiæ, poſt hanc vitam tempus erit gaudij.

SVſtinete hîc, hæc, & nunc.] Neceſſe eſt pati: aderit breui alia vita, & torrentem tranſgreſſi, ad ſtabile littus æternæ gloriæ tranſportati, non ampliùs patiemini. tolletur patientia, & felices eritis atque ab omni moleſtia liberi. *Abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & iam non erit ampliùs neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà: quoniam priora tranſierũt.* (**Apoc.22.**) Dicite, dicite omnes; *Poſt tenebras ſpero lucem.* (**Iob 17.**) Poſt nubila Phœbus, poſt tribulationes gaudia. Ecce quomodo Chriſtus idipſum innuit; *Mundus gaudebit, vos verò contriſtabimini: ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* (**Ioan.16.**) *SVſtinete, ſuſtinete hîc.*] imò nõ ſolùm ſuſtinete, ſed gaudete cùm vobis eueniunt triſtia, cùm incidunt tribulationes. Eſt enim ſignum veſtram appropinquare gloriam. *Suſtinete hîc, ſuſtinete hîc.* Videtíſne Chriſtum tædere cœpiſſe, ne vos tædium aliquod obrueret? Ipſe expauit, ne paueatis vos: ipſe contriſtatus eſt, vt vos gauderetis. Ipſe infirmitatem veſtram detexit, oſtenditque: vos viciſſim eius fortitudinem oſtẽdite. Cur exiſtimatis Angelum veniſſe, vt illum in agone confortaret, niſi vt in capite mẽbra corroboraret? Cur ſanguis, vitæ ſedes, decurrit in terram, niſi vt vita

Christi terram nostram, propter peccatum Adæ ad mortem condemnatam, viuificaret? *Sustinete hîc, sustinete hîc.* Non est mirandum animosum & fortem confortare pusillanimes; sed mirandum est pauidum & afflictum totum mundum confortare. Ecce Christus, ecce Christus plenus tristitia & miseria, & tamen cum hac sua infirmitate omnium suorum militum animos erexit, accenditque. O magnum miraculum. *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* Non eritis itaque milites Christi, nisi in posterum strenui sitis, & fortes in omni tribulatione. *Sustinete hîc, sustinete hîc.* 1 Cor.1.

SVstinete & vigilate.] Iudas non dormit, animæ meæ charæ, vt Christum tradat: nolite dormire vos, vt Christũ defendatis. Vigilate, vigilate, Christiani, vt boni solent milites, qui hostis aduẽtum expectant. Si hucusque dormieritis, nũc tempus est vt excitemini & vigiletis. *Hora est iam nos de somno surgere.* Si vigilassent pastores nostri temporis, non fuisset arca Domini à Philisthijm capta: non fuisset Ecclesia tot hæresibus infecta, non esset nũc Christus in tot sectas dissectus. *O Petre, non potuisti vna hora vigilare mecum?* Quid aliud vita nostra est, quàm vna hora? imò horę potiùs minutum est. Cur igitur vno illo horæ momento non statis vigilantes in fide, ardentes in charitate, ad bona opera prompti, & sacrarum literarum studio dediti? Surgite, surgite; *Sustinete & vigilate.* Vigilent saltem Pastores per Petrum designati, si dormiant alij. Quanto in periculo versantur oues miserę gregis, cùm dormiunt Pastores? *Pastores erant in regione illa obseruantes vigilias noctis.* O sanctos Pastores: quia non dormiebant, ideo apparuerunt illis Angeli, & natiuitatem Christi annunciarunt. *Vigilate*, vigilate omnes Christiani. *Quod vni dico, omnibus dico, Vigilate.* Christiano vigilandum. Rom.13. Matth.26. Vita nostra vna hora est. Luc.2. Mar.13.

VIgilate & orate, vt non intretis in tentationem.] Non reprehendisset Christus Petrum, eò quòd dormiebat, nisi illi priùs vires dedisset, vt posset vigilare. Vigilate, vigilate, quia cur dormiatis nulla vobis est excusatio. Perniciosissima res est dormire: Samsoni dormienti rasi sunt capilli, in quibus omnis eius fortitudo Mar.14. Dormire periculosum est. Iudic.16.

erat

2 Reg.4. erat posita. Isboseth dormiens Regnũ amisit. Tobias
Tob.2. dormiens fit cæcus. Sisara dormiens occiditur. Holo-
Iudic.3. ferni dormienti caput abscinditur. Saul dormiẽs spo-
Iudith 12. liatur. Seruis dormientibus, venit inimicus homo,
1 Reg.16. & zizania in agro seminauit. Virgines fatuæ dormi-
Matth.13. entes à Sponso repudiantur. Hodie Petrus dormit, &
Matth.25. à Magistro suo corripitur. Denique dormiente Chri-
Matth.26. sto, nauis periclitabatur. Absit, absit itaque somnus,
Matth.8. negligentia, pigritia, otium à Christianis.

Mũdus suam habet patientiam & suas vigilias.

SVstinete hîc, & vigilate.] *Sustinete mecum, vigilate mecum.* Etiam mundus suam habet patientiam, etiam mũdus suas habet vigilias. Non dormit vnquam ambitiosus, vt cupitos assequatur honores. Omnes labores atque molestias sustinet mercator, vt ditescat. Nolo hanc patientiam, nolo hanc vigiliam, inquit Iesus noster Dominus. *Sustinete, sustinete & vigilate mecũ.* Patimini pro me, vigilate pro me, cõfortamini à me. Patientia & vigilia mundi faciunt martyres Diaboli; Patientia & vigilia Christi faciũt martyres Dei. Agite Romani, ne posthac corda vestra ad passionẽ Christi indurescant: molliantur animi vestri, condolete & sustinete cum illo, facite vt oculi vestri in fontes lachrymarum conuertantur. Audite vocem eius dolore plenam; *TRistis est anima mea vsque ad mortem.*] Filioli mei, post horam nihil habiturus sum quàm cruciatus & pœnas: perijt omne meũ gaudium: nulla mihi erit consolatio. nunc mea incipiũt martyria, non me lętum posthac videbitis: crescent pœnæ meæ momentis singulis: ecce quasi in mortem propero. Corpus hoc meum à capite ad calcem videbitis laniatum, hi mei oculi, hæ meæ aures, hæc mea facies, omnes hæ carnes meæ flagellis erunt repletæ. condolete mihi filij mei, quia *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Sed nec in ipsa morte habebo vel minimum solatium, quod meos dolores mitigabit. Prophetia in

Psal.68. me adimplebitur; *Quæsiui qui simul mecum contristaretur, & non fuit: consolantem me quæsiui, & non inueni.* O verba quæ etiam mouere possent tygrides, & vos non mouemini Christiani? Sentite, sentite hanc tristitiam in vobis, transmittite hunc dolorem vsque ad

Philip.2. vestros animos. *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo*

Iesu.

Iesu. Nolite tantùm intelligere, nolite tantùm meditari; sed sentite, probate, gustate in vobis. *Sentite, sentite in vobis* hunc extremum illius dolorem. Sentite hanc eius agoniam. Sentite pietatem maximam, quæ in illo ex illo ipso exorta æstuabat. *Sẽtite in vobis*, quòd non obstante hac tristitia non retraxit pedem, sed ex amore in nos nimio in manifestissimã mortem processit. *Sentite in vobis*, quòd non absolutè Patrem orare voluit, ne moreretur, sed sub conditione; *PAter si possibile est, transeat à me calix iste.* Sed quia scio non esse possibile; *Non sicut ego volo,* considerans mortem in se; *Sed sicut tu,*] quia & ego mori cupio, cõsiderans mortem in te. *Sentite, sentite in vobis* hoc amoris miraculum: non enim dubitauit mori absolutè, vt vitam daret nobis, licet per se conditionaliter à morte abhorrebat. *Hoc, hoc sentite in vobis*, & proinde sustinete & vigilate secum. Ipse orat, Auditores, orate & vos; stat, nolite iacere; vigilat, nolite dormire. Proijcit se in terram, nolite superbire; contristatur, contristamini & vos; patitur, patimini & vos; sitit, ieiunate; sudat, laborate; supportate, tolerate; percutitur, macerate vos; pugnat, armamini; illuditur, nolite illudere; flagellatur, condolete; sanguis profluit, lauamini; lachrymatur, collachrymamini; tingit Crucem, amplectimini illam; loquitur, auscultate; moritur, mortificamini; non mouetur, perseuerate & vos. *Sustinete hic, & vigilate mecum;* pia mẽte auscultate. Sciebat Iesus quòd *spiritus promptus est, caro autem infirma.* Videtisne Christum Apostolos suos etiam excusasse, quòd oculos habebant somno graues? *DOrmite iam & requiescite.*] ignoscet ille carnis infirmitati, studete vt spiritus saltem promptus sit ad patiendum cum illo.

Ne quis autem putet Christum ideo in hortum abijsse, vt se absconderet; tanquam is, qui sciebat Iudam à cœna surrexisse, & exijsse, vt expediret quod aduersum se conceperat, addit Euangelista; *SCiebat autem Iudas, qui tradebat eum, locũ, quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis.*] Videte quæso quanto cum artificio B. Ioannes contexit hanc historiam. Venit igitur huc Iudas celeri gradu, vt traderet illum; quia sic placuit illi, qui tradi volebat. *Oblatus est quia*

Iudas venit in hortum.

Esa. 53.

ipse

ipse voluit. IVdas ergo cùm accepisset cohortem à Pontificibus & à Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis, & facibus, & armis.] O proditor perfidissime. Reliqui omnes Apostoli dormiunt, mortis Domino suo imminentis tædio victi, & tu solus vigilas? Auaritia, Romani, quæ illi oculos aperuerat in Bethania, in illa die, qua Magdalena vnguẽtum fudit in caput Iesu, vsque in hodiernum diem eos apertos detinuit, vt damnum illud triginta denariorum, quod se passum in trecentis illis denarijs, quibus vendi potuerat vnguentum, resarciret; neque ea auaritia illi aut somnum aut requiem permisit, priusquam Deum mundi vendidisset, prodidisset, & ipso actu in manus Iudæorum tradidisset. O horrendã sceleritatem. Iniquitatem Cain, feritatem Ismaëlis, pertinaciam Esau, malitiam Absalonis, peruersitatem fratrum Ioseph, quibus non modis detestamur & execramur? at quantò magis detestanda est inuincibilis hæc perfidia, induratissima hæc obstinatio Iudæ, qui nunquam à tradendi Deum proposito semel concepto potuit reuocari? Quod ad malignitatem mentis eius pertinet, tanta ea erat, vt si potuisset non tantùm eius carnem, sed animam, sed diuinitatem etiam Domini nostri Iesu Christi occidi voluisset. O totius mundi destructorem. Quid non fecit Christus, vt eum reuocaret? Ante pedes illius prostratus, quasi locuturus ad cor, cùm eum lauaret, secretis verbis tanquam Deus, cui proprium est loqui ad cor, non ad aures, ita eum affatus est: Ah Iuda, quid mali tibi feci, vt me tradere iam decreueris? Oro te pœnitentia ductus errorem agnosce & conuertere. At vanum fuit omne Christi artificium: flecti non potuit, magis induruit, perfricta fronte corpus Christi cum alijs Apostolis accepit, & propter hanc irreuerentiam intrauit in cor eius Diabolus; de malo in peius prolapsus est; non resipuit, nisi cùm tandem desperans se, vt remissione & venia indignum, laqueo suspenderet. O tremendum Dei iudicium. Quis audebit vnquam securus esse de sua salute, cùm Iudas tot modis à Christo admonitus salutem non sit assecutus? Iniuriam Christus quodammodo suæ iustitiæ fecit, tanta in illum vsus misericordia: tamen saluari noluit; &

Ioan. 12.

Christus omnia fecit vt Iudam reuocaret.

quia

quia noluit, damnatus eſt: idque (ſi dicere liceat) inuito Chriſto. Omnis itaque homo timeat, & ex hoc exemplo duo documenta eruat. Primum eſt, Si Deus voluerit ſuperabundare gratiam in Iuda, in quo abundabat delictũ; nulli certè ex vobis defuturus eſt Deus, quò minùs ſaluetur. Secũdum verò, Si Iudas tam pertinaciter infinitis beneficijs, monitisque Christi, quibus illum conuertere voluit, reſtiterit: multò magis vos, aut ſaltem non minùs gratiæ Saluatoris reſiſtere poteritis, reſiſtendoque damnari, quomodo & Iudas damnatus eſt; quod auertat Omnipotens. Quòd ſi itaque alijs temporibus, non intelligentes arcanum hoc, diuinis vocibus, quibus intus & foris vos ad pœnitentiam inuitabat, contumaciter reſtiteritis; *Hodie ſaltē ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Cedite diuinis inſpirationibus, cedite: nolite reſiſtere, nolite obdurare; contra volũtatem enim veſtram non ſaluabit vos Deus, nõ coget, non ad ſalutē vos violenter adiget, quomodo nec Iudam adegit. Poteſt igitur multum diuina bonitas, quæ adeò ſe inclinauit, vt ad proditoris ſui pedes procubuerit: ſed & multũ poteſt humana malitia, quæ patientiam & bonitatem Dei ante pedes ſuos procumbentem aſpernata eſt. Nolite hac in re culpare Deum, ſed voſmetipſos culpate. *Impius cùm in profundum peccatorum venerit, contemnit: ſed ſequitur eum ignominia & opprobrium.* Venit itaque traditor iam non ampliùs in pelle agni, ſed manifeſti lupi furore, rabieque veſtitus: adducitque ſecum Romanæ militiæ cohortem; quinquaginta quinque (vt minimum) peditum, equitum verò quinquaginta ſex: tot enim armatos complectebatur cohors, à cohortando dicta, quòd ſe mutuò ad pugnãdum cohortabantur. Adduxit etiam ſecum inſolentes illos, inurbanosque miniſtros Sacerdotũ & Scribarum. Præceſſit harum gentium agmen Iudas, vt anteſignanus. O infelices Romani milites, qui Iudam habetis Imperatorem. Sed videamus quomodo veniunt ad capiendũ Saluatorem. *Habebant faces ac laternas accenſas.* Ah, *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Niſi noctem in ſe habuiſſent, non opus illis lux externa fuiſſet. Chriſtus erat lux, qui clariùs

Duo ſalutaria documēta.

Pſal.94.

Prou.18.

Cohors quot milites habuit.

Ioan.1.

Cur Iudæi adducũt ſecum lumen.

lucet, quàm mille Soles. Etsi nox erat obscura, vbi tamen ille erat, nulla erat obscuritas: *Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris*. Sed quia Sol hic non lucebat in cordibus illorũ, qui fenestras suas clauserant, iccirco egebant facibus & laternis. optimè laternis, quę lumẽ habẽt in se clausum, quia & Christus radios suos in se absc õdidit, quia non illuminabat eos ampliùs, sed in tenebris & cæcitate sua illos deinceps relinquebat. *Hoc est iudiciũ, quia lux venit in mundũ, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem*. Moyses sub velo gloriam vultûs sui occultauit, & Christus Maiestatem splendoris sui in carne abscondidit. *Verè tu es Deus absconditus*. Tunc quidem illũ Deum agnouerunt, at nunc in pœnã suæ perfidiæ non agnoscunt. *Si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*.

Ioan. 8.

Ioan. 3.

Esa. 45.

1 Cor. 2.

Quid fustes & arma.

CVm fustibus & armis.] Quid fustes sunt, nisi partes ligni. O ligna inutilia, nulli rei quàm vt in ignem proijciamini idonea. Æquum erat vt in conspectum Christi cum lignis, quæ meritorum vestrorum sunt symbola, veniretis: ipse enim suo tẽpore vos in ignem conijciet, vbi æternùm ardebitis. Quid sunt arma, nisi instrumenta quibus offendimus & defendimus? Qui non habet arma spiritualia, huic necessaria sunt corporalia. Ecce Christus inermis est: non enim defendi voluit: sufficiebat ei sua innocentia. At econtrariò nebulones illi armis se munierant, suam iniquitatem agnoscentes, ideoque sibi metuentes. *Abijciamus, abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis*, Christiani mei.

Rom. 13.

TRaditor autem signum dederat; Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite cautè.] Hîc quæso considerate, an'ne verũ sit, quod Christus dixerat; *Vnus ex vobis Diabolus est?* O verè diabolice Iuda, qui signum amoris signum facis proditionis; qui signum reconciliationis signum facis mortis, & instrumenta virtutis in arma conuertis iniquitatis. *Quemcunque osculatus fuero, ipse est*. Scrutamini, & examinate verba huius Diaboli. Forsan dicere voluit; Quem ego osculaturus sum, ipse est meus Magister, quem ego ingratissimus & sceleratissimus triginta denarijs vobis trado. Ipse est meus pater, qui mihi donauit vitam, &

Mar. 14.

Ioan. 6.

ego cum quæro ad mortem. O scelerate Iuda. *Quemcunque osculatus fuero, ipse est.*] Ipse est traditor ille, rebellis ille Cæsari, magus ille, seductor ille, inimicus meus, qui me in damnum triginta denariorum adduxit: non satiabor, priusquam illum occisum videro. *Ipse est*, qui iactauit se templum posse demoliri, & in triduo reædificare: qui se Regem Iudæę constituere voluit. *Ipse est*, qui natus è fabro, & vos omnes proteruè aspernatur. *Ipse est*, qui suis sermonibus vos oẽs exosos reddit populo. *Ipse est*, qui violat Sabbathum, qui legis ceremonias non obseruat. *Ipse* qui interfici debet, si saluam volueritis nostram Rempub. *Ipse est*, qui falsa sua doctrina me in errores seduxit, qui me incantationibus suis fascinauit: sed iam tandem errorem agnoui, resipui: ideoque volo vt moriatur. Eamus saltem, & cum magno animo eum adoriamur. *Quemcunque osculatus fuero, ipse est.*

TEnete eum, & ducite cautè.] Vidi eum operantem suis illusionibus mirabilia: subducit sese in momento ex oculis hominum, & vt phantasma disparet. Ita è manibus Nazarenorum euasit, cùm eum de monte vellent dare præcipitem. Ita Pharisæos fugit, volentes eum in templo lapidare. Estote igitur cauti, ne & nos illudat. *Tenete eum.* Nolite eius audire verba, ne vos ligent, vti multos alios ligârunt. Manus tantùm in eum inijcite. *Tenete eum*: quod nisi feceritis, statim aut se transformabit, aut reddet inuisibilem; aut ipse vos priùs cátenis constringet; ita vt eum capere non possitis; sed eius potiùs captiui sitis. Parati igitur estote, & cauete, ne vobis cunctantibus elabatur. *Tenete eum.* Eius satellites homines sunt inermes, nolite illos timere, me sequimini. *Tenete eum, & ducite cautè.* Vulgus, vt scitis, illum sequitur: credit eum esse Messiam, & filium Dei illum asserit. Moneo igitur vos, ne inter ducendum tumultum excitetis; sed cautè ducite. Solę mulieres Hierosolymitanæ, soli pueri illum è manibus vestris liberabunt, si vocem eius audierint. Cauete igitur, ne possit vociferari. *Ducite cautè.* Scitis quòd occidẽdus est, quia dux seditiosorum est: sic igitur ducite, ne intelligant eius complices ante Solis exortum eum esse captum, ne noua seditio illius causa

exoriatur. *Ducite cautè.* Tota Iudęa in hac vrbe nostra propter Pascha congregata est, varij de illo sparguntur rumores in vrbe, & Principes extra vrbem eum diligunt: paucos habet inimicos, ideoque *Ducite cautè.* O Diabole incarnate, ô proditor Iuda. Non tibi sufficiebat osculi signũ dedisse, sed modum etiam docere voluisti, quo capi deberet: ne manibus eorum elaberetur. *Tenete eum & ducite cautè.* Ligate eum fortiter, stringite illum arctissimè, ne mouere se, aut loqui valeat.

Iudas Iesum osculatur. *ET cùm venisset, confestim accedens, osculatus est eum, dicens; Aue Rabbi.*] O flagitiosissime, cum istis labijs quibus illum vendidisti, & nunc tradis, eum ausus es osculari? Iam eum ad macellum ducis, & adhuc salutas? Paulò antè dixisti eum esse seductorem, & nunc vocas Magistrum? *Et osculatus est eum.* Quid non audeat proditor, si non erubescat, postquam te prodidit, ad te venire, & osculari? O quot Iudas, quot Achitopheles, quot Sinones præsens hoc nostrum habet seculum? Cui amoris signo cõfidere poterimus, cùm non tutum sit fidere osculo, quod omnium amoris signorum summũ est & maximum? *ET osculatus est eum.*] **Cant. 1.** Videtísne sponsam languere, & dicere; *Osculetur me osculo oris sui?* Osculum hoc datum est, cùm os Dei, Christus, nostro ori, hoc est carni in vnitate personali coniunctus est. O Iuda, qui signum summi amoris cum signo summi odij confudisti. Hoc osculo Chaos omnium rerũ in orbem reuocasti. *Et osculatus est eum.* Boni, detestamini hunc traditorem, quia modum vos tradendi docuit. Mali, & vos eum execramini, quia propter illum osculis vestris iam nulla fides habetur. **Prou. 27.** *Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis.*

At constans ille Iesu Domini nostri animus, Auditores mei, nón est commotus: excepit osculum cum amplexu & salutatione Iudæ. O quanta patiẽtia. Scit se proditum, scit se venditum, scit se capiendum, & scit hoc esse proditionis signum. non respuit tamen salutationem, amplexum & osculum sui proditoris. Videte hîc culmen bonitatis in Christo, & in Iuda culmen perfidiæ. Vt autẽ intelligatis exactiùs, ecquod horum

horum duorum est superius, audite verba Iesu, quibus respondet traditori. *AMice, ad quid venisti?*] O quàm insolēs hęc est & rara Philosophia, Christiani? Amice chare, amice dulcis. O infelix amice, quò te tua perduxit peruersitas, vt ex Apostolo fias proditor? *Amice, ad quid venisti?* Ego te ad Apostolatum vocaui, vt gloriosum te & in terra & in cælo efficerem, quæ tua hæc vilitas & abiectus animus, qui propter triginta denarios teipsum priuas vna ex duodecim sedibus, in qua sedisses, mundum omnem iudicaturus, & æternam nunc tibi conciliasti infamiam? *Amice, ad quid venisti?* Non huc deductus, non huc protractus es; non fatum, non fortuna, non præscientia in tale te scelus rapuit, aut præcipitauit; *Venisti, venisti* Iuda, non tractus fuisti, heu, ad quam amētiam, ad quem errorem, ad quod flagitium? Considera, considera parumper, Amice mi, quæso, ad quid venisti. Venisti scio vt me comprehēderes. *AH Iuda, osculo filium hominis tradis?*] Luc. 22. Ego qui tantopere diligo cunctos homines, trador à te osculo, signo amoris inter homines maximo? Tu itaque solus hominibus inures hanc notam infamię? Ad quid venisti infelix per tuam auaritiam? Doleo certè tuū hoc infortunium. Scio quòd quæris triginta denarios tibi promissos. O Iuda, crastino die eos abiicies, abibis, & te suspendes, crepesque medius. Considera, considera ad quid venisti. Sed & ego idem volo quod tu, Amice chare. Tu me tam parui pendis, vt triginta vendas denarijs: ego te tanti semper æstimaui, & adhuc æstimo, vt cùm tu tanquam inimicus domesticus me iniuriâ, immeritoque tradas, ego vt verus amicus vitam meam pro te dare decreuerim. Ne vereare Iuda, quòd à Pharisæis pro perfido habeberis: ego me capi, imò occidi patiar. Ecce vt fidei tuæ consulam, me armatæ huic genti prædam offero. Esto bono animo, moriar, vt tibi gratuler. Grauis tibi sum eo quòd viuo: videre me tibi tormentum est. ego tamen nullā huius inimicitiæ causam præbui. Nihilominus te modis omnibus consolabor, tantùm agnosce, *Ad quid venisti.* Amori meo confide, agnosce delictum tuum: noli desperare, quia lubēs te in gratiam recipiam. O verba quæ etiam ad pietatem saxa mo-

gerent durissima. Sed plus potuit in illo Diabolus, quàm Christus. Ah, Christiani, nolite Iudam imitari. Vnusquisque magnitudinem suorum peccatorum consideret, seséque emendet. Animaduerte mulier ad quid venisti, ad quam turpitudinem vitæ, ad quam inhonestatem, ad quam insaniam. Considera vir ad quid venisti, ad quam ingratitudinem, qui Christum pro te hodie morientem millies in die blasphemas, & multò viliori re, quàm Iudas tradidit, illum negas. Semper sonent in auribus vestris hæc verba; *Amice, ad quid venisti?* Et vnus cordis gemitus hodie vobis omnis quantumuis maximi, criminis veniam impetrabit. Videtísne Iesum nostrum vsque ad finem suos traditores amicos appellare; *Amice, ad quid venisti?* Sed respiremus hîc paululum.

TERTIA PARS.

Ioan. 18.



IESVS itaque sciens omnia, quæ ventura erant super eum, processit, & dixit eis; Quem quæritis?] Videte quæso quàm impauidus animus, quam secura & imperturbata mens est summi huius Philosophi. Stant attoniti milites, nec quid facient sciunt, tanquam ab occulta virtute, quæ insensibiliter, quando volebat, operabatur, percussi. At Christus illis obuiàm procedit, animumque addit, dicens; *QVem quæritis?*] Duo hîc notanda sunt; Primum est, charitatem consummatam, qua Christus erat vestitus, omnem timorem & horrorem mortis pectore illius expulisse. Secundū, omnes huius mundi exercitus eum contra voluntatem suam capere non potuisse, licet inermem, licet solum. Cum quo fastu, qua cum iactantia putatis hos milites exijsse, vt caperent eum? quanto cum furore barbarico, verbisque minarum plenis venisse creditis? Cùm autem Iesum viderunt, stetere quasi immobiles; loqui non fuissent ausi, nisi ipse ijs animum inspirasset. *Quem quæritis?* Ego quidem credo omnes contremuisse, non aliter, quàm Pontifices, cùm illos templo eijceret. etsi tanto essent numero, animus tamen illis defecerat, nec respondere potuerunt, nec verbis sese defen-

Charitas timorem expellit.

Contra Christū nihil potest homo.

defendere. Ipse solus erat, & tamen flagellum illud ex
funibus cõfectum in eos sine respectu vsurpabat. Ha-
bebat Christus in vultu suo quandã Maiestatem, quæ
perfidam & sceleratam turbam hanc territabat.

IEsum respondēt *Nazarenum.*] Cùm alio loco cum
Iuda erant, non tanta cum reuerentia nomen eius ex-
presserant. Non alio procul dubio illum appellarunt
nomine, quàm seductoris, magi, perduellis, hæresi-
archæ &c. hîc nihil horum audent, sed nomine pro-
prio, Iesum Nazarenum vocant. Hem miseri & infe-
lices, si hic sit Iesus, hoc est Saluator, cur vultis eum
occidere: si salus moriatur, quomodo vos saluabit?
Si hic sit Nazaræus, hoc est sanctus, cur non supplica-
tis illi, vt vos sanctificet? si sanctus moriatur, quomo-
do vos sanctificabit?

EGo sum,] ait Christus. Videte quæso an sui sint
compotes. Vident eum, loquuntur cum eo, & tamen
non agnoscũt eum. sed necessarium est, vt ipse se ma-
nifestet ac dicat, *Ego sum.* O infinita Iesu Christi po-
tentia. Sed ecce argumentum maius. *VT ergo dixit eis,
Ego sum; abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.*]
O quàm succinctum est verbum, *Ego sum.* tantæ nihi-
lominus virtutis est, vt illos statim ꝓsternat, supinos
in terram cadere, armaque abijcere faciat, non aliter,
quàm si tonitruum, machina bellica, fulgur fuisset aut
terræmotus. *Dedit voci suæ vocem virtutis*, ait Prophe- Psal.67.
ta. O vocem omnipotentem. Vbi est hîc furor, vbi
hîc furor vester milites? vbi armorum terror? vbi
vester impetus? vbi vis & potentia? Quid faciet vox
illa horrenda; *Ite maledicti in ignem æternum*, cùm se- Matth.25.
debit Christus in sua Maiestate, si hodie in sua passio-
ne hac sua dulci voce, *Ego sum*, tantum tumultum,
tantamque trepidationẽ in hoc exercitu concitauerit?
Cauete, cauete vobis, Christiani, ne terribilem vocem
illam audiatis: sic viuite, vt dicatur vobis; *Venite be-
nedicti Patris mei, possidete Regnum paratum vobis à con-
stitutione mundi.* Verbũ illud, Docti, *Ego sum*, nomen
Dei est. Ideo nomẽ illud ineffabile diuinitatis *Iehoua
menda haia*, quod significat, *Esse*, Deo soli tribuitur: vt
significetur, nullũ nomen Deo magis esse proprium,
quàm illud *Esse*: quia vt verum fateamur, ipse solus

Exod.3. propriéque Eſt. *Ego ſum, qui ſum. Ille qui eſt, miſit me ad te: hoc eſt nomen eius*; dicit ipſe Moyſi. Res aliç propriè non habent eſſe: ſed illius participationem: ita vt vbi mundi Sapientes dicunt; *Accidentia non eſſe entia, ſed entis*: ego dicere audeam, nullam rem *eſſe ens propriè, ſed entis; Dei ſcilicet, qui verè eſt, riuulus & participatio quædam.* Quare & in templi Salomonis porta quadam ſculptũ erat loco nominis Dei, verbum hoc *Es*, quaſi diceretur; *Tu ſolus es.* Mirandum igitur non eſt, ſi ſuperbi iſti milites ac ſatellites, planè à Deo alieni, audito hoc nomine in terram ceciderint. Infirmitas humana diuinam non poteſt ſuſtinere potentiam, niſi eius virtute fulciatur. Moyſes non cecidit cùm audiret; *Ego ſum.* Cur? quia diuinæ gratiæ fortitudine ſuſtẽtabatur. Cecidit quidem Paulus, cùm Damaſcum proficiſceretur, & audiret vocem; *Ego ſum, Saule, quem tu perſequeris*: quia in eo erat propoſito, vt Chriſti Eccleſiam turbaret, extirparetque. Quia rationi omnino conſentaneũ eſt eos cadere, qui veniunt vt Chriſtũ comprehendant. Sed videte quæſo, cadunt *retrorſum.* Faciem itaque habent in cælũ ſpectantem, dorſum autem humi depreſſum; quia virtutes quas Chriſtus in terris operatur conſpicere dedignantur. Sed & æquum eſt, vt cadentes ſupini iaceant, erectis ad ſydera vultibus, vt in opprobrium ſuum videant, ſe virtute cæleſti, non terreſtri tactos cecidiſſe: cæleſtem eſſe, non terreſtrem, quem comprehenſum venerunt; ideóque cælũ pro ipſo militare, quomodo quondam terram pro Antheo. Oſtendit itaque hîc ſe Deum eſſe, vt timore perculſi per iſtud miraculum, ſufficiens certè ad quamlibet mentem obſtinatam flectendam, conuerterentur. Sed etſi audaciam amiſerant, crudelitatem tamen non amiſerunt. Ieſus itaque ſecundò interrogat illos, dicens; *QVem quæritis?*] Reſpondent iterum crudeli iſto, quo erant in Chriſtum, animo, nihil hac blanda voce mutati; *IEſum Nazarenum.*] At nunquam animi ſui propoſitum exequi potuiſſent, niſi vox illa reddidiſſet illis vires, quas antea abſtulerat. *DIxi vobis, quia ego ſum*, reſpondet Ieſus: *ſi ergo me quæritis, ſinite hos abire.*] Vidiſtis vnquam ſimilem conſtantiam in homine, qui tot armatis hominibus circun-

Actor.9.

circundatus in tali agone cõstitutus, tot solicitudinibus, curis & anxietatibus plenus, anima illa inuicta suorum obliuiscitur dolorũ, & cum pia memoria suorũ recordatur sociorũ? O altissima virtus. O incomparabilis pietas. *SI me quæritis, sinite hos abire. vt impleretur sermo* (inquit Ioãnes) *quẽ dixit; Pater quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quenquam.*] Non tantùm ob hoc, sed & ob aliud id; vt agnosceres salutem & redemptionem tuam solius Christi partam sanguine. Quòd si quis alius cum illo mortuus fuisset, existimasses forsitan aliquam salutis partem Christo, aliquam alteri deberi, mundumque non minùs huic, quàm Christo pro sua redemptione obligatum. Mortuus est solus, noluit sibi adiungi socium. Christo soli, Christo soli deuincti sumus in negotio redemptionis. Ideoque illi soli seruire, illum solum amare, illum solum debemus adorare. Sanctos reliquos in illo, & propter illum, non propter seipsos. *Redempti estis pretioso sanguine agni immaculati, & incontaminati.* Ipse solus est agnus qui abstulit peccata nostra. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ipse solus sanguinem pro nobis effudit. *Dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Alij Sancti sanguinem suum fuderunt, non quidem pro nobis, sed pro Christo: nisi fortè sic pro nobis, vt nobis exemplum darent, quòd & nos pro Christo sanguinẽ fundere debemus: quomodo Paulus dicit; *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi pro corpore eius, quod est Ecclesia.* Sed sufficit solum Christi sanguinem nobis redemptionem meruisse. Iccirco mortuus est solus, & non voluit aliquem ex Apostolis socium. eandem quoque ob causam permisit, vt omnes caderent, & scandalizarentur: vt sciremus nos nulli, præterquam Deo soli, soli esse obligatos. *Soli Deo honor & gloria.* Optimè igitur dixit, *Si me quæritis, sinite hos abire.*

Salus humana soli Christo accepta ferenda.

Ioan.17.

1 Pet.1.

Ioan.1.

Apoc.1.

Coloss.1.

1 Tim.1.

INiecerunt itaque manus in Iesum, & ligauerũt eum.] Ecquis homo vel modicè pius his verbis nõ commouebitur? At scelerati illi verbis istis crudeliores facti, manibus suis violentis & crudelibus, manibus sacrilegis & sanguine plenis in mitissimum agnum inuolant, eum apprehendunt, eum ligant. O lupi rapaces.

Funes quibus ligatur Christus, qui, & vnde.

Vis dicam, Roma, qui fuerint isti funes, quibus Christus ligatus est? Nos, nos funes eos confecimus; peccata nostra sunt hæc vincula, quæ tot habent nodos, quibus tam arctè stringitur Christus, vt sanguine sudet in his laqueis. Fatetur hoc Propheta, cùm dicit; *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* Nescitis quid dicat Ieremias; *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris?* Vincula hæc magna sunt & longa, magnam catenam efficiunt. Incipit enim catena hæc ab Adamo, peruenit ad nos, & ad finē mundi deinceps extenditur. In huius catenæ medio vinctus est Christus, inter peccata antecedentia & consequentia, inter præterita & futura. Et cur Romani? Vt omnes & patres nostros, & nos, & posteros nostros ab istis vinculis & laqueis solueret. O sancta vincula, quæ mundum vinctum soluerunt. Appositè dictū est à Propheta. *Vincula eius alligatura salutaris.* Sed etsi corpus Christi ligatum erat, animus tamen liber erat & solutus; affectus Regis huius magnanimi in omnē terram exspatiabatur, omnes homines saluare cupiēs.

Psal. 118.

Thren. 4.

Eccli 6.

Christus alloquitur turbas.

Hoc modo vinctus sese conuertit ad sceleratam hanc turbam, in qua etiam erant Principes Sacerdotum, qui impietatem militum incendebant, nec doloribus Christi satiari se posse arbitrabantur, nisi eos suis oculis conspicerent. O sanguinarij. Effusio sanguinis hominem facit ad Sacerdotium inhabilem: Vos qui iam Sacerdotes estis, exitis, vt videatis & pascatis vos sanguine Christi? *TAnquam ad latronē existis cum gladijs & fustibus comprehendere me? Quotidie apud vos eram in templo docens, & non me tenuistis. Sed hæc est hora vestra & potestas tenebrarū.*] Nisi surdi fuissent, & absque auribus Sacerdotes isti, absque auribus dico mysticis, de quibus toties antea locutus erat Iesus; *Qui habet aures audiendi, audiat*, horū verborum mysterium vtique intellexissent: sed non intellexerunt. Intelligite vos ea saltem Christiani. *Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum. Omnis qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.* Quid vnquam fieri potuit peius, quàm Christum comprehendere? Oportebat igitur horam esse nocturnam & tenebrosam. Quo tempore prædicabat, ligari

Matth. 13.

Luc. 22.

Ioan 3.

gari non potuit: scitis enim quòd *Verbum Dei non est* 2 Tim.2.
alligatum. HÆc, hæc est hora vestra & potestas tenebra-
rum.] Tempus & locus operum nostrorum qualitatem
indicant. At non possum non hîc contra nos omnes
exclamare? O Sacerdotes, si nos primi in Christi con-
iuremus innocentiam, quid facient alij? Vbi asylum
inueniet innocentia, si apud nos non inuenerit? Sci-
entia & sanctitas sunt quasi duæ tutrices pauperũ, sub
alas earum fugiunt omnes oppressi. Ah Roma, ciui-
tas Sacerdotalis, si in te nec sanctitas sit, nec scientia,
quæ iuuet miseros, ad quem erit recursus, ad cuius de-
fensionem confugiemus? Huc, huc omnes appellati-
ones, huc iniuriæ aliorum Principum deferuntur. Hîc
omnes viri & fœminæ, hîc exules, hîc condemnati,
hîc captiui, hîc litigantes audiuntur & iudicantur.
Pietas, pietas Sacerdotes, & non crudelitas. Induite af-
fectum tenerum, mollem & sympathia plenum. Da-
uid quia crudelis erat & sanguinis effusione delecta- 1 Par. 22.
batur, non potuit templum Domini ædificare. Nos
igitur crudeles erimus, & iniurij, nos laniabimus, con-
culcabimus, occidemus, & corpus Christi administra-
bimus? Audite quid doceat nos summus Sacerdos
noster Iesus in hac sua apprehensione. Sanctus Petrus Petrus amputat Malcho auriculam.
plenus feruore videns Magistrum suum capi, gladium
strinxit, volens Christum defendere; *zelum habens, sed*
non scientiam; Malcho Pontificis famulo auriculam Rom. 10.
amputauit. At Dominus iussit illi gladium in vagi-
nam recondere, nolens hunc Petri zelum vlterius pro-
gredi. An vnquam iustior fuerit causa fundendi san-
guinem, quàm vt Christi vita defenderetur? Sed mi-
nimè decet Sacerdotẽ manus suas sanguine comma-
culare. Audite Paulum; *Oportet Episcopum esse non per-* Tit. 1.
cussorem: Habet quidem Sacerdos gladios duos, pote- Quomodo Ecclesiasticus vtetur gladio seculari.
statem Ecclesiasticam, & secularem; vtrumque gladi-
um Sanctus Petrus, vt summus Pontifex, habuit. *Ec-*
ce duo gladij hîc; & non dicit Christus, *Nimis est.* sed,
Satis est. At gladium ferreum non habent Sacerdotes, Luc. 22.
vt eo vtantur, sed vt laici eo vtantur ac stringant ad
nostrum imperium. Rex enim & Cæsar *minister Dei* Rom. 13.
est. Non enim sine causa gladium portat, inquit Paulus;
non dicit, *Habet*, sed *portat*: quasi nõ habeat à seipso,
sed

ſed portat illum tanquam noſter miniſter. Nos habemus tanquam noſtrum, iccirco & Chriſtus dixit Petro; *COnuerte gladium tuum in vaginā,*] nota illud *Tuum*. Tuus, Petre, gladius eſt, ad ſanguinem fundendū.
Ioan.18. Caue tamen ne tu illum educas, ſed educant alij pro te, ad tuum imperium, Tunc autem cùm mori Chriſtum oportebat, & defendi non expediebat, vt mundus redimeretur, nec Petrum, nec alium nomine Petri gladio percutere voluit. Contrarium erat Sacramento ſalutis noſtræ illo tempore velle Chriſtum defendere. Hoc modo indefenſus, quia voluit, captus & ligatus, ductus eſt ad Annam, Caiphæ ſocerum.

Apoſtoli fugiunt. Simile. *TVnc discipuli eo relicto fugerunt omnes.*] Quomodo volucres, ſi fortè auceps lapidem in illas proijciat, per incertas aëris vias, diſperguntur, & fugiunt, in arborum ſummitatibus & occultioribus ramis, propter metum, quàm optimè poſſunt, ſeſe abſcondunt: ſic chorus hic Apoſtolicus, nullum certum habens refugium, vbi ſecurum ſe tutumque fore ſperabat, timidus, pauidusque diſperſus eſt in omnem plagam, neſcius vbi ſe occultaret. *Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis.* O triſte ſpectaculum, videre agnum ſolum in tot luporum manibus. O quàm crudeliter immanes illi canes Chriſtum momorderunt & laniarunt: laceraſſent & comediſſent Chriſti ſanctiſſimas carnes, ſi ipſis conceſſum fuiſſet. *Aperuerunt ſuper me os ſuum ſicut leo rapiens & rugiens. Et dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus eius vt ſaturemur?* O infinitam dulcis Ieſu noſtri patientiam. Dedit illis carnem ſuam, vt tractarent eam pro ſua libidine. Inſultabant, & ille non reſiſtebat: minabantur ei, & non reſpondebat; iniurijs onerabant, & ſuſtinebat: ligarunt illum arctiſſimè, & ſe non inflectebat; percutiebant, & ille ſtabat immotus; illudebant ei, & ipſe tacebat; conuiciabantur eum, & ipſe ſe non defendit; maledicebant, & ipſe pro illis orabat. Eheu, cur non omnes lachrymamini in tam amara liberatoris veſtri afflictione? Quis ſimilem vnquam vidit crudelitatem? Quis tantam audiuit vnquam manſuetudinem? Ecce ouis quæ ad macellum ducitur. *Tanquam ouis ad occiſionem ducetur.* Ecce agnus ad ſacrificium deſti-

Mar.14. Pſal.21. Iob 31. Eſa.53.

destinatus. *Et ego sicut agnus mansuetus qui portatur* Hier. 11.
ad victimam. O verbum breue, sed plenum mysterijs.
Scio quòd nocte hac nulla mihi quies dabitur. Scio
quòd colaphus mihi in conspectu Annæ à vili seruo
infringetur. Scio quòd mille iniurijs in ædibus Cai-
phæ satiabor. Non ignoro falsa testimonia, quæ in
me excogitantur. *Et ego sicut agnus mansuetus.* Scio
quòd tu Petre ter me negabis; Scio quòd non tantùm
viri, sed & ancillæ, contra naturalem omnium fœ-
minarum pietatem, in me sæuient. Scio quòd Pila-
to præsentabor. Scio quòd ad Herodem me captiuum
ducent. Scio quòd omnes mihi illudent. *Et ego quasi*
agnus mansuetus. Scio quòd ad columnam ligabor,
quòd à capite ad calcem flagellis lacerabor. Scio quòd
corpus meum vmbræ vitæ quàm viuo corpori erit si-
milius. Scio quòd sanguine totus perfundar. Scio
quòd non miserebuntur mei, qui oderunt me. Scio
quòd mea mansuetudine fient crudeliores, & magis Matth. 27
clamabunt: *Crucifigatur, Crucifigatur. Et ego sicut agnus*
mansuetus. Scio, Pilate, quòd tu me contra conscien-
tiam tuam condemnabis. Scio quòd cruci me clauis
affigent. Scio quòd ne mortuo mihi parcet Iudæa.
Scio quòd me nudum relinquent in patibulo. Scio
quòd me opprobriis & doloribus saturabunt. *Et ego*
quasi agnus mansuetus. Scio quòd pauci per mortem me-
am ad pœnitentiam cõuertentur. Scio infinitos amo-
re meo fore indignos. Scio quòd ex hoc beneficio ni-
hil nisi ingratitudinem reportabo. Scio quòd pau-
cissimi saluabuntur. *Et ego sicut agnus mansuetus.* O
factum immane & acerbum, ô nos infelices. Sanctus
capitur, ligatur innocentia, bonitas, pietas; omnis or-
do confusus est, omnis lex violata, omni naturæ in
hac dulcis Iesu captiuitate vis illata est. Plangite &
lamentamini omnes. Ecce ipse vos præcedit, dicens:
Non peccaui, & in amaritudinibus moratur anima mea. Iob 17.
Nostrum est flere, nostrum est lachrymari: ecce ipse
soluere pro nobis incipit. *Quæ non rapui, tunc exolue-* Psal. 68.
bam. Et tu non lachrymaris Christiane? Et tu non
lachrymaris Christiana? Capta est arca, & Israëlitæ
non lamentantur: Captus est Rex, & non dolet Re-
gnum? captus est imperator, & nullum doloris si-
gnum

gnum edit exercitus? Captus est Deus, & non luget mundus: Omnia tristantur hoc die, Romani, & vos non contristabimini? Collachrymamini, collachrymamini omnes: Angeli plorant, cæli suos retrahunt radios, Sol nigra veste cooperitur, aër obscuratur, dies in noctem mutatur; Ecclesia quasi vidua sponsi pullis vestimentis induitur; altaria spoliantur, extinguuntur luminaria, non sonant campanæ. Eheu, vos soli in communi hoc Christi luctu, in communibus his exequijs lugere non vultis, cùm tamen ipse sit, qui pro salute vestra capi & ad mortem se duci patitur? O corda ferrea, ô pectora adamantina, quæ his omnibus ad misericordiam non commouemini. Quando inuenietis similem Regem, qui ad saluãdum Regnum suum tam promptè morietur? Pergamus.

Petrus Iesum sequitur. *SEquebatur autem Iesum Simon Petrus, & alius discipulus.*] Vnus discipulus illum tradiderat, nouem fugerant; hi duo, Petrus & Ioannes, eum sequebantur. Miser Iesu, qui inter hos lupos & leones solus relinqueris. Sed & Petrus secundùm Euangelium Marci

Mar.14. *sequebatur à longè.* Non ea erat animi fortitudo vt propiùs accederet; quia magis sibi timebat, quàm Christum amabat. O Petre, vbi est ille feruor, ille zelus, ille ignis, quo paulò antè æstuabas, quando di-

Luc.22. cebas; *Paratus sum tecum in carcerem & in mortem ire. Etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo?* Factus es amicus à longè Petre: tam citò te occultare incipis? quis tibi hactenus timorem vllum incussit? Cùm tot discipuli à Christo discederent, tu intrepidus conuer-

Ioan.6. tens te ad Christum, dixisti; *Domine ad quem ibimus? verba æternæ vitæ tu habes.* Nunc tam tepidus es, vt paulatim ab illo discedas longiùs? Non sine causa, Romani, dicitur in contextu, quòd frigebat, & quòd iccirco Ioannes notus Pontifici introduxit illum, vt se calefaceret. Calorẽ amoris diuini amiserat, ideoque dicitur fuisse frigidus. Etiam si medius fuisset Augustus, fuisset frigidus, cùm alioquin, si perseuerasset in amore pristino, ne mense Decembri aut Ianuario opus fuisset ad focũ accedere, & se calefacere. O quantum frigus inuasit Petrum ista nocte. *VEnit ancilla rogans; Nonne tu discipulus es huius hominis?*] Quòd si Re-

gina

gina fuisset, quòd si miles, quid respondisset? At simplex erat ancilla: neque interrogat; *Túne es discipulus huius seductoris?* sed; *Túne discipulus es huius hominis?* Et statim miser quasi congelatus respondit; *NOn noui illum.*] Idem dicebat & alijs duobus plebeijs hominibus, iurans & peierans, quòd hominem nō cognouisset, imò quòd nesciret, quid dicerent. Nolite existimare quòd fidem amisit: credidit semper, & in illa de Christi diuinitate fide in omnibus negationibus perseuerauit. Postquam semel dixit; *Tu es Christus filius Dei viui*, nunquam postea fides hæc in illius corde defecit. Ideo dixit tunc illi Christus; *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Nota; *Tu es*, non; *Tu eris*. Tu nunc es Petrus, petra solida, stabilis, fundata, & in fide immobilis. Et paulò antè quàm caperetur dixit; *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.* Fuit itaque semper petra, semper credidit: sed amor in illo defecit: vnde oris nascitur confessio. Fuit itaque fides eius informis & nuda, quę debebat esse vestita & charitate perfecta formata: adeò vt si mortuus fuisset absque pœnitentia, absque dubio in æternum perijsset. Sed Dominus qui passus est eum cadere tam turpiter; tum vt omnes homines discerent, de suis viribus non præsumere; tum etiam vt Petrus, qui futurus erat summus Pontifex, disceret peccatorum fragilitati compati; fecit etiam vt resurgeret, ne quispiam desperaret, & vt postea cum omni potestatis suæ clauiumque plenitudine neminem à peccatis suis absolueret, nisi priùs pœnitētem. Dixerat illi Christus, qui omnia futura videt tanquam præsentia; *Antequam gallus cantet, ter me negabis.* Cùm ergo Christum negasset, gallus cecinit. *COnuersus ergo Dominus respexit Petrum,*] inquit Lucas: aspectu illo interiore, quo tenebras eius illuminauit. Et ipse consentiens eius gratiæ, non obstinatus vt Iudas, sed pœnitens, & errorem suum agnoscens, recordatus est verbi Christi; *Priusquam gallus cantet, ter me negabis. EGressus foras fleuit amare.*] Discite, discite hìc à Sancto Petro, ad vocem galli, hoc est concionatoris, exire foras, & peccata vestra deflere. Intus peccastis, pœnitentiam foris agite. Exite foras, exite foras, re-

An Petrus fidem amiserit.
Matth.16.
Luc.22.
Cur Christus Petrum cadere permisit & pœnitentem resurgere fecit.
Matth.26.
Luc.22.
Galli cantus quid significet.

lin-

linquite mala hominum consortia, praua colloquia, mundi conuersationem: si amissam gratiā ab omnipotente Deo velitis recuperare.

Annas examinat Iesum.

INterrogauit ergo Iesum Annas de discipulis, & de doctrina eius.] Impius Pontifex in numero discipulorum Iesu esse nolebat, oderat eius doctrinā, & tamen tam de illis, quàm de hac interrogat. Sed non aliud meritus est respōsum, quàm; *QVid me interrogas? interroga eos, qui me audierunt. Ego palàm locutus sum mundo, & in occulto locutus sum nihil.* Sed vix tanta locutus erat Iesus, cùm ecce homo quidam scelestus seruus Annæ, astans manum eleuat, alapamque illi inflixit, dicens; *Sic respondes Pontifici?*] Iniqui serui, qui vt placeatis vestris Dominis, toties Christi faciem percutitis. Mali serui sæpe suos perdiderunt Dominos, Christiani. Eijcite, eijcite seruos illos, qui vt placeant vobis, operam suam venalem habent, ad percutiendū, calumniandum, feriendum, occidendum nunc hunc, nunc alium. Et vos serui, qui tamen estis omnes filij & fratres Christi, cauete ne vnquam accusetis innocentem, ne vnquam hominem cōcutiatis, ne cuiquam iniuriam in Dominorum vestrorum gratiam inferatis. Si ipsi sese vindicare voluerint, attendite, ne vobis tanquam instrumentis abutantur. Ipsi quod volunt faciant: Primarius vester Dominus Deus est, vos illi colaphū infringitis, quoties propter Dominos vestros terrenos aliquem ex proximis vestris iniuriâ læditis aut offenditis. Hac infamiæ macula vestrū nomen vultis contaminare propter alium, vt dicamini percussores Dei & Christi?

SI malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: Si autem bene, quid me cædis?] Ita respondit Christus huic flagitioso famulo. Sufficiebat hîc tacuisse, vt summā suam virtutem, patientiamque incredibilem ostenderet: sed quia Christo satis non erat iniuriam sustinere, nisi beneficium referret; ideo vt se conuerteret, errorémque suum agnosceret, fraternè monet eum, dicens; *Si malè locutus sum*, ostende, animaduertam, tuo stabo hîc iudicio. *Si autem bene*, dic mihi *cur me cædis?* Aut tu peccasti hîc, aut ego; ego respondendo, tu percutiendo. Meum peccatum non video: si tu tu-

um

um videas, agnoſce. Si ergo innocens ſim, iniuſtè me hoc loco percutis. Tu, tu erraſti, tu te emenda. Non ego horreo hanc alapam; paulò pòſt enim & caput ſpinis, & latus lanceæ, & corpus flagellis, & manus clauis, & vitam morti ſum expoſiturus. percuſſiſti me in vnam maxillam; paratus ſum præbere tibi alterā, vt pœnis meis ſatureris. Sed dolet mihi peccatum tuum: peccas enim in ipſam iuſtitiam miſer. Dominus tuus in verbis meis iniuriam non agnoſcit, & tu me cædis? Et illi & mihi hoc facto ſimul iniuriam facis, ô infelix. Agnoſce peccatum tuum, & emenda te. Hoc modo Ieſus ſeruo ad cor locutus eſt. O altiſſima Philoſophia.

Annas hoc Chriſti reſponſo confuſus eſt, animum tamen maleuolum non mutauit, *ſed miſit Ieſum ad Caipham, qui erat Pontifex illius anni.* Hic erat ille Caiphas, Romani, qui ſanguinem Ieſu Domini noſtri ſitiens, dura illa verba (quæ quo animo in Chriſtum erat facilè arguebant) in concilio dixerat; *Vos neſcitis quicquam, nec cogitatis: Expedit enim vt vnus homo moriatur pro populo, & non gens tota pereat.* Cogitate hîc quæſo, Chriſtiani, quomodo Chriſtus ab hoc homine ſanguinario tractatus eſt. Hîc illi mille alapas dederunt, hîc in faciem eius expuerunt, hîc oculos eius velarunt, hîc falſi teſtes in illum ſurrexerunt, hîc accuſatus, hîc deriſus, hîc publica factus eſt fabula. O ſceleratiſſime Pontifex. Non tibi ſufficiebat, quòd in ædibus tuis conſilium illud mortis dediſti? non ſatis erat, vt vbi coërcere & mitigare debebas furorē iſtorum ſceleratorum ſatellitum, ipſe illum tuis incentiuis auxeris; ſed vt peccatum peccato adderes, te præſente, coram tuo tribunali (ô omnis vitij magiſter, omnis innocentiæ hoſtis) illum illudi, cædi & percuti præcepiſti? Vbi eſt iuſtitia, vbi ſanctitas, vbi Sacerdotalis pietas? Chriſtiani; Sacerdotium ſemper fuit ſanctum, ſed non omnes Sacerdotes fuere ſancti. Ab Aarone vſque ad Samuelem omnes fuere peruerſiſſimi, vitæque peſſimæ. Non mirum Pontificem hunc ſcidiſſe veſtimenta ſua, erat enim Pontificatu indignus.

Chriſtus ducitur ad Caipham.

Ioan. 11.

Sacerdotium ſemper ſanctum, ſed nō omnis ſacerdos ſanctus.

MAnè autem facto, adducunt Ieſum ad Pilatum.] Hîc

Chriſtus ducitur ad Pilatum.

 fluent

fluent lachrymæ, hîc alto ducentur è pectore suspiria, hîc cor ingenti dolore palpitabit, si hæc diligenter piaque mente consideraueritis. *MAnè autem facto, adducunt à Caipha ad Pilatum.*] Nec Annas, nec Caiphas quenquam interficere potuerunt; supremum tribunal isto tempore fuit illud Pilati, Iudææ Præsidis, vbi iudicium erat sanguinis. Die Veneris itaque summo manè, nōdum infinitis eius noctis tormentis satiati, Iesum adducunt ad hoc tribunal, vt occideretur. O vrsi, ô tygrides, ô feræ humanis vultibus; cur vos ipsos non soluitis vincti leones & Pardi, vt vindictam de rabidis his, furentibusque canibus sumatis? *IPsi verò non sunt ingressi prætorium, ne contaminarentur manducare Pascha.*] O impij, nō vultis vos contaminare in solenni die Paschatis, ideoque non intratis domum Proregis Romanorum, quia non erat circuncisus: & non erubescitis & animos & manus vestras innocēti contaminare Christi sanguine? O sepulchra depicta, ô parietes dealbati, ô superstitiosa Religio, ô vanæ &
Matth.15. frigidæ ceremoniæ. *Irritum fecistis mādatum Dei propter traditionem vestram.* Nónne Moyses vobis prohibuit sanguinem fundere innocentem? cur ergo tantopere debacchamini in ipsum innocentiæ fontem? cur vitam Christi tanta cum crudelitate persequimini?

QVam accusationem affertis aduersus hominem hunc?]
Hier.2. Age, age *Iudicio contende mecum.* Iudæa scelerata, quam accusationē adfers aduersus Iesum meum? Sic inquit Pilatus, Christiani, qui tanquam Iudex prudēs, in hoc ab inuiolata Romanorum iustitia nō alienus, nostram causam sumpsit defendendam. Quòd si in hoc proposito perseuerasset, & iniqua morte Christū condemnando Romanum imperium non maculasset, à Tiberio Cæsare postea exilio mulctatus non fuisset. At Pharisæi frementes frendentesque, contra omnem ordinem iustitiæ, contra leges, contra rationem, nullo seruato ritu ciuili aut criminali, suis tantummodo verbis credi postulant. Ipsi sunt actores, testes, iudices; iniuriam faciunt Pilato, volunt eum suo acquiescere iudicio, volunt nō audita causa Christum condemnari; tumultuantur, impetum faciunt.

SI

SI non esset hic malefactor, nō tibi tradidissemus eum.] Videte quantum valeat authoritas in manu flagitiosi; gladius est euaginatus in manu hominis furiosi. Quia ipsi erāt Sacerdotes, volunt suam authoritatem sufficere, ad damnandum, interficiendumque innocentem. Nos viderimus, si non sit malefactor. Nos tales & tanti sumus, qui non adduxissemus illum ad te, si reus mortis non esset. O effrons audacia. *Si non esset hic malefactor.* Qua in re Christus Iesus malefactor est? dicite, dicite impudentes, aut palinodiam canite. Omnis malefactor in aliquam legem delinquit; in quam deliquit Iesus? Obseruauit legem Sacramentorum, quia circuncisus est. Obseruauit legem ceremoniarum, quia in templo oblatus est. Obseruauit legem præceptorum moralium, quia subditus obediensque fuit Mariæ & Iosepho suo nutritio. Obseruauit legem naturalem, quia iuuit omnes opem suam implorantes, & in necessitate positos. Obseruauit legem Imperialem, quia censum dedit Cæsari. Obseruauit denique legem Sacerdotalem, quia leprosos, à se mundatos, misit ad Sacerdotes, vt munus offerrent. *SI non esset hic malefactor.*] Qua in re malefactor est Iudæa inuerecunda? vbi sunt eius homicidia, furta, adulteria? vbi sunt extorsiones violentæ, vbi rapinæ? *Si non esset hic malefactor.* An pacis & communis sit perturbator libertatis? vix natus ipse vniuersalem pacem mundo peperit sub Octauiano. An seditiosus? ipse è duobus populis fecit vnū, è Iudæis & Ethnicis vnam condidit Ecclesiam. An superbus? ipse cùm Deus esset, exinaniuit se, & factus est homo. An inanis gloriæ cupidus? ipse primas partes tribuit Ioanni Baptistæ, & se eius manibus baptizandū subiecit. An ambitiosus? ipse est qui cùm Regnum offerretur, fugit in desertum. An commercium habeat cum Diabolo? ipse Dæmones timentes, trementesque corporibus virorum & mulierum expellit. An gulæ deditus? ipse quadraginta diebus & noctibus neque edit, neque bibit. Sabbathum, aliaque festa non seruauit, qui vnum perpetuumque festum ad Dei gloriam celebrat? An auarus ille sit, qui nihil sibi voluit esse proprium, qui neque domum, neque tectū habuit? Inutilis est mundo il-

Authoritas in homine malo perniciosa.

do ille, qui etiam saliua sua sancta oculos cæci nati aperuit?

SI non esset hic malefactor.] Qua in re, si omnia fecerit bene? Dicunt enim de illo turbæ, *Bene omnia fecit.* Ideo lux à Prophetis appellatur, nihil enim potest excogitari, quod exactiùs illius exprimit beneficentiam, quàm lux, quæ mundo nostro tam est necessaria. *Si non esset hic malefactor.* Is'ne malefactor est, qui cæcos illuminat, qui sanat infirmos, qui resuscitat mortuos, qui dimittit peccata? Malefactor est is, qui legem interpretatur, qui Prophetas declarat, qui nomen Dei vbique manifestat? Malefactor est ille, qui populo vestra detegit scelera, ne prauos mores vestros imitentur? *Si non esset hic malefactor.* Quomodo malefactor esse potest is, cui mare, terra, aër, stellæ, cæli, Angeli, Deus, imò ipsi Diaboli, innocētiæ perhibēt testimonium? Tu, tu ingrata Iudæa non potuisti cognoscere magnum hunc benefactorem, nec eius vti beneficijs, ad lucem occæcata, ad ignem congelata, ad fontem siti mortua es. Sed dementior ego sum Iudæis; qui probare volo Christi innocentiam, qui ostendere volo eum non esse malefactorem, qui cum peruersissima totius mundi gente disputo. Gloria Christi non eget meis verbis, vt illustretur: neque tam est exilis, vt à Iudaismi possit obscurari infamia. Respiremus paulisper, deinde concludamus.

Mat.7.
Christus lux & cur.
Esa.42.

QVARTA PARS.



ON potuit Pilatus Pharisęis appositè magis respondere, Auditores, quàm dicere: *ACcipite eum vos, & secundùm legem vestram iudicate eum.*] Quòd si Iudæi secundùm legem eum iudicassent, ô quàm bene ipsis actum esset: cognouissent enim se malefactores, illum autem fuisse innocentem: se rebelles, illum pacificum: se prophanos, illum sanctum: se vermiculos terræ, illum Deum viuum & verum pro salute mundi incarnatum. Nescitis Dominum illos toties ad Scripturas veteres remisisse; *Scrutamini Scripturas, quia illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me?* At nunquam

Si Iudæi iudicassent Iesum secundùm legem, non occidissent.

Ioan.5.

quam Christum secundùm legem iudicarunt, sed secundùm odium & inuidiam suam iudicarunt eum. Vitiosa eorum erant conspicilia, iccirco non bene legebant. Oculus iudicij illorum erat infectus, iccirco omnia de Christo in malam partem interpretabantur. Pilatus ergo, etsi huius ignarus mysterij, tanquã tamen organũ Spiritûs sancti, quomodo & Caiphas, remisit eos, vt iudicarẽt Christum secundùm legem suam. *ACcipite, accipite eum vos, & secũdùm legem vestram iudicate eũ.*] Non mittitur Iesus ad Ethnicismũ, sed rectà mittitur ad Iudaismum. Vos, vos igitur legis Iudaicæ Magistri, accipite libros vestros, eos perlegite, considerate & conferte Prophetias cum operibus huius hominis: Videte præterea an hic homo sit, qui tanta facit miracula, & iudicate. Sed sanguinarij isti, quibus nil aliud in corde propositum erat, quàm efficere vt occideretur, non intelligunt secretum hoc. Ioan.18.

NObis inquiũt *non licet interficere quenquam.*] Quis loquitur vobis de interficiẽdo? quis ô parricidæ, mortis facit mentionem? Pilatus de interficiendo ne verbum quidem fecit: dixit, quòd secundùm legem eum iudicaretis. an iudicare idem sit quod interficere? *Ex abundantia cordis os loquitur.* Luc.6.

INtroiuit autem in prætorium Pilatus, & vocauit Iesum.] Ecce is sub iudice stat iudicandus, qui viuos simul iudicabit & mortuos. O Pilate, si hoc sciuisses, potuisses vtique hîc sedens & interrogans Christum, in illo futuro iudicio absolutionem tibi comparasse. Non est mos Romanorum, ait intra se Pilatus, condemnare quempiam, eo priùs non audito. Volo igitur hũc Iesum interrogare. Interrogauit itaque illum de summa rerum: *TV es Rex Iudæorum?*] Aliarum rerum nullam habebat rationem, de hac sola, quia ad Imperium Romanum spectabat, eum interrogauit; iuxta Prouerbium Ethnicorum; *Si violandum est ius, regnandi causa violandum est.* Hec ambitio, Romani (vt scitis) ruina fuit vestri imperij. O Principes, ô Principes Christiani: sit vobis Pilatus exemplo, qui propter zelum Romani Imperij ausus est facere, quo dici nil potest peius: Christum scilicet occidere. Absint, absint procul hinc istæ vestræ ambitiones, quæ totum euer-

Christus à Pilato examinatur.

euertunt Christianismum. Non minor erit pœna vestra in futuro Iudicio, quàm erit Pilati. Christus enim amat Christianos non minùs quàm semetipsum. *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Philosophatus est Christus cum hoc Ethnico, quem credo in Romana & Græca Philosophia fuisse exercitatissimum, de rebus sublimibus. Sed quia occultum eius peccatum, vt qui nullam habebat Religionis aut iustitiæ curam, sed solius Imperij, cuius gratia faciebat om̃ia, merebatur, quòd Christum vsque ad finem patienter audire non potuit. cùm absque dubio Christus eum in sui amorem traxisset, si orationis suæ finē expectasset. Verùm impatiens exiuit foras, & cœpit dicere Iudæis:

Zach. 2. Matth. 25.

Luc 23.

Pilatus Iesum excusat.

EGo nullam causam mortis inuenio in eo.] Quid putas dixisset, si finem sermonis Christi audiuisset? Non dixisset verbum vnum: sed stricto gladio omnes facinorosos illos Iudæos, Pharisæos & Scribas abegisset. Surrexisset de solio suo, liberasset Christum, & procidens eum corpore & animo adorasset. O ambitio quę perdidisti insignem hunc Nobilem Romanum. Perdet & vos Principes, nisi modũ ei statuatis, frenũq́ue iniiciatis. At non exiguum est hoc testimoniũ, Christiani, sed omni seculo ad gloriam Iesu Christi memorandum, quod Romanus, Præses Iudçæ, tam apertè coram omni Iudæorum populo dicit; *Ego nullam causam mortis inuenio in homine isto.* Magnum est, magnum est testimonium, lætamini. Ego qui Ethnicus sum, alienę Religionis, patria Gallus, ciuitate Romanus, qui inter vos habito, qui cum hominibus familiariter non conuersor, qui ab Imperio Romano authoritatem iudicandi adeptus sum, hunc hominem diligenter examinaui; nihil verò morte dignum in illo inueni. Vos estis accusatores, vobis credendum non est: credendum est Iudici, non populo. Nec minus est & illud; quòd omnes vias modosq́ue tentauit, vt Christum liberaret: bonis & benignis vtitur verbis, excusat illũ, duos populo proponit, vt alterum ad vitam, alterum ad mortem eligant, Barrabam scilicet & Iesum: minimè credens eos fore tam immanes, & absque omni ratione furiosos, quòd Barrabam pete-

Pilatus cupit Iesum liberare.

peterent dimitti, & Christum condemnari. Quòd ideo fecit, quia cognita erat illi Christi innocentia, & quòd fera illa pessima inuidia Christum in hanc miseriam rapuisset. Sed frustra laborabat, omnis eius conatus erat irritus. magis magisque tumultuabãtur.

SI hunc dimittis, inquiunt, *non es amicus Cæsaris. Omnis enim qui se Regem facit, contradicit Cæsari.*] Hac voce territus Pilatus, tradidit Iesum satellitibus ad columnam ligandum, & à capite ad calcem flagellandum. Accurrebant milites illius, & plectentes coronam è spinis acutissimis, illã capiti eius impresserunt, & veste purpurea Regali circundederunt eum. Deinde veniunt omnes canes isti, & linguis suis sceleratis eum salutantes, dicunt; *AVe Rex Iudæorum,*] & cum manibus suis funestissimis dabant ei alapas. O Maria, si scires quomodo tuus tractatur filius. **Iesus flagellatur & coronatur.**

EXiuit igitur iterum Pilatus foras & Iesus cum eo] cum illa corona, cum illa veste, cum laceris istis carnibus, cum maxillis istis tumescentibus, cum oculis istis liuidis. Putasses eum mare fuisse rubrum, tanta sanguinis copia de corpore illius defluebat. vultus illius sputis erat oppletus, humeri verberibus lassi, & aures erant plenę blasphemijs. O triste spectaculum. *ECce homo,*] inquit Pilatus. O Iudæi implacabiles, fieri potest vt ad misericordiam non moueamini, videntes Iesum in tantis doloribus, in tanta confusione? *Ecce homo.* Non iam apparet homo, sed vmbra potiùs hominis. Sufficere profectò tibi debebant hæc tormenta immanis Iudæa. *Ecce homo.* O rarum hominem, ecce quò miser deuenit. *Ecce homo.* Quis vidit vnquam hominẽ tam afflictũ, tam immaniter tractatum? Audistis vnquã tanta improperia, tantaque supplicia simul in vno homine cõgesta? *Ecce homo.* Commoueamini ad sympathian, pietatem & misericordiam, ait Pilatus. Ego causam dignam morte in illo nõ inuenio. Videte nihilominus qualis & quomodo hîc stat: mortuus potiùs dicẽdus est, quàm viuus. Sufficiat, sufficiat. Estis gens sancta, in sanctũ sęuire nolite. **Christus populo spectandus educitur.**

At satiari tãto spectaculo non potuere Iudæi. *CRucifigatur, crucifigatur,*] clamant canes isti rabiosi. Volumus vt moriatur sicut latro in patibulo. *REgem ve-*

strum crucifigam? Non habemus Regem nisi Cæsarem. Crucifigatur, crucifigatur.] O miseri Iudæi, qui propter Cæsarem tam crudeles estis in Deum. *Tolle, tolle, crucifige.* Tolle illum ab oculis nostris: fac ne ampliùs eum videamus. Occidite illum in cruce. *SI hunc dimittis, non eris amicus Cæsaris.*]

Iesus ad mortem condemnatur.

SEdit ergo Pilatus pro tribunali, & tradidit illis Iesum vt crucifigeretur.] Plange & lamẽtare Roma, quia Dominus noster Iesus Christus condemnatus est ad mortem, mortem autem Crucis, mortem ignominiosissimam. Plangite & collachrymamini omnes, quia iustitia victa est, iniquitas præualet, confusa est ratio, locum non habet veritas, etiam apud Romanos, quorum iustitia illo tempore per totum mũdum erat celeberrima. O Pilate, siccíne Romanorum gloriam commaculas? siccíne iudicas secundùm leges Romanas? Vbi sunt rationes? vbi processus? vbi testimonia? vbi rei confessio? Si apud Romanos non sit iustitia, heu, à quo alio Principe hæc erit vnquam petẽda? Omnes bonos desperare fecisti, Pilate, & omnia confudisti hac tua tam iniqua sententia. Vbi est iuramentum quod præstitisti Cæsari, & Senatui Romano, quòd neque odio, neque amore, neque muneribus, neque timore te abs rectitudine iustitiæ abduci patereris? Vbi sunt, ô perfide, verba illa, quæ paulò antè locutus es; *Ego nullam causam mortis inuenio in homine isto?* Cur eum condemnas, quem non tantùm excusas, sed insuper proprio laudas elogio? Non metuisti Deos tuos, quorum iram semper Senatus Romanus tantopere metuit? Oblitus es tot exemplorum, quæ docent, conseruata iustitia, conseruari Regnum; illa verò labente, labi quoque Imperium? O inique Præses, quam hîc inuenies excusationem, quæ te defendet? cur ante sententiam lauas manus? In mortem Christi consentire parum non erat; tu nõ tantùm consentis, sed auctor illius es, & caput primarium. Quid prodest te manus lauare aqua, ô hypocrita, si eas innocenti sanguine commacules? Quomodo dicere audebas, ô Pharisæe, non iam Romane, *INnocens ego sum à sanguine iusti huius?*] Si te mordente etiam consciẽtia tua eum ad crucẽ condemnes,

Iniustitia Pilati exaggeratur.

quo-

quomodo tam cæcus es Pilate, vt dicas; *SAnguis eius super vos*: & non potiùs; *Sanguis eius super nos & super filios nostros?*] Quomodo te Cæsar, cui tam iniquè placere voluisti, cum omni sua Monarchia defendet, si te Deus condemnet, quem tam grauiter offendis? Miser ille, Roma, qui sic timet Cæsarem, vt tribunal Dei contemnat. Infelicissimus ille homo, qui sedet secundùm leges, & contra leges hominem iniustè ad mortem condemnat.

TRadidit ergo illis Iesum Pilatus, vt crucifigeretur.] Iesus traditur vt crucifigatur.
O triste nuncium. ô infelicem diem æternis dignum lachrymis. Si moriatur charus tibi amicus, tot signa doloris ostendis: incusas cælos, deploras tuũ infortunium, nũquam suspirare desinis: putas te dimidium tantùm esse hominem, altera parte priuatum. Quoties illius recordaris, dicis cum gemitu; O amice dulcis, quæ te mihi infausta eripuit stella? cur amicitiæ iura violasti? O Christiane, ad mortem condemnatus est contra omnem rationem & æquitatem maximus tuus in mundo amicus, Iesus tuus, Saluator tuus. Videbis mox eum in crucem agi, afflictum & languidum magnam illam animam exhalare, & non plangis? non suspiras? nõ lachrymaris? Laxate, laxate frena dolori, deuoti Christiani, aperite venas oculorum vestrorum, vt fluant lachrymæ. Hodie, hodie (si vnquam aliàs) tempus est lachrymandi. Quam ob rem velitis plangere, si ob mortem Christi non planxeritis: Impia certè, omniq́ue adamante durior est anima, quæ calido Iesu sanguine hodie non mollescit, non rumpitur. Vt quid tibi affectus doloris, si ad flendum hodie non moueatis? Iudæi triginta duos continuos dies luxerunt, cùm mortuus esset Moyses: vos mox mox videbitis oculis vestris mori Christũ, & non lugetis vel modicum? oculis hoc siccis aspicietis? Collachrymamini, collachrymamini omnes. O mortem semper deflendam. Defleamus Sacerdotes nostrum Pontificem, deflete Docti vestrum Magistrũ, deflete Nobiles vestram gloriam, deflete milites vestrum Capitaneum, deflete pauperes vestrum refugium, deflete infirmi vestrum Medicum, deflete filij vestrum

Mors Christi deflenda.

Num.2

 strum

ſtrum patrem, deflete viduæ veſtrum aduocatū, deflete orphani veſtrum tutorem, deflete mercatores veſtrum theſaurum, deflete virgines veſtrum ſponſum, & omnes homines deflete fratrem veſtrum chariſſimum. Non ſit aliquis exemptus ab hoc fletu, quia nō eſt aliquis exemptus ab illa morte. Condemnatus eſt ad mortem, pro peccatis omnium morietur, vt ſaluet omnes: omnes itaque lachrymemur. Etiam Angeli flent, & nos non flebimus? *Quis igitur dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum?* Erumpite foras lachrymæ, erumpite ſuſpiria, quia damnatus & morti addictus eſt Chriſtus Ieſus noſter Dominus. Audite, animæ meæ, ſanctum Euangeliſtam:

Hier. 9.

Luc. 23. *SVſceperunt autem Ieſum, & eduxerunt in eum qui dicitur Caluariæ locum.*] In hoc loco, qui extra ciuitatem erat, malefactores morte plectebantur. Si Chriſtus patiebatur pro malefactoribus, æquum'ne erat vt in loco malefactorum crucifigeretur? Ecce Hircus emiſſarius, qui portat extra ciuitatem peccata populi.

Ieſus in mōtem Caluariæ educitur.

Ieſus Crucē portat. *EXiuit ergo Ieſus baiulans ſibi Crucem.*] O Maria, cur non licuit tibi crucem vnà portare cum filio, vt illum adiuuares? Ecce alter Iſaac, Romani, qui portat lignū in humeris, vnde fiet cataſta in qua ſacrificabitur: Iſaaco pepercit Deus, ſed non pepercit Chriſto: portat crucem, & cruci affixus in cruce morietur. *Proprio filio non pepercit Deus, ſed pro nobis omnibus tradidit illū.* Videte hîc Iudæorum crudelitatem. Ieſus ſemiuiuus eſt, omnis enim ſanguis in terram, lacerato tot flagellis corpore, effluxit. Pedibus inſiſtere non poteſt, & nihilominus cogunt illum, vt magnam illam Crucis machinam in humeris baiulet. Conſiderate humilitatem Ieſu, qui non negat, non recuſat, non lamentatur: facit quod imperant: decreuit enim illis per omnia & in omnibus ſatiſfacere: ſub onere mauult cadere, quàm illis non ſatiſfacere. *EXiuit baiulans ſibi crucem.*] Immenſam peccatorum noſtrorum ſarcinam ſuis portat humeris, cùm vnum tamen peccatum tam ponderoſum ſit, vt totum mundum in infernum detrahat, quaſi plumbum grauiſſimum. Non ergo mirum, ſi ſub pondere Crucis adeò laboret atque affligatur

Geneſ. 22.

Rom. 8.

-tur Christus. *EXiuit baiulans sibi crucem.*] *Domine, quò vadis* hac cruce tam graui oneratus? *Vado crucifigi,* filioli mei. Adam vos omnes in ligno occidit, ego in hoc ligno vos omnes viuificabo & saluabo. Exclamate, exclamate omnes. *O benedictum lignum per quod fit iustitia. Vt qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur.* Plantabitur in terra lignũ hoc, Roma, irrigabitur sanguine Christi; etsi terra sit maledicta, locus ad mortem damnatorũ, ab humore tamen eius virtutem accipiet, germinabit, ramosque suos in omnem terram extendet. Aridum est & horridum, virescet, florescetque & fructus pretiosos ad salutem mundi producet.

SEquebantur autem illum mulieres & multa turba populi.] Boni sequebantur eum ex deuotione; mulieres ex pietate naturali: alij cogitabant quòd insigni aliquo miraculo militum manibus se expediret, vitæque suæ consuleret, qui sequebantur ex curiositate. Alij admirantes fortunæ inconstantiam (ante quatriduum enim eum triumphantem regio more viderant vrbem ingredientem) sequebantur, vt finem huius mortis viderent. Quot autem secutos arbitraris, vt conspicerẽt, quî se Maria mater gereret, cum qua constantia, cum quo vultu, cum qua patientia filium suum, quem super omnem thesaurum diligebat, videret interfici. Traxit Maria, Christiani, venerabili sua præsentia, Maiestate sua sancta ad hoc spectaculũ gentem innumerabilem. Per singularem namque morũ suorum grauitatem, omnibus erat admirationi. non habebatur tanquam vna ex aliarum fœminarum plebe: æstimabatur diuina, non humana. Quot mulieres putas ex pietate infelicem hanc matrem, quæ lumine suorum oculorum priuaretur, magis luxerunt, quàm ipsum filium? Crudelis certè, durus & inhumanus etiam est vsque hodie, qui cùm desolata mater ista in mẽtem venit, ex singulari pietate & sympathia non lachrymatur. Omnis mulier desiderat filium: quem cùm habet, is vnicus illius amor est: si moriatur, luget semper. Non potest verbis exprimi maior dolor, quàm cùm dicitur, dolor matris de filio vnigenito: *Luctum vnigeniti fac tibi, planctum amarum,* inquit

Qui & qua intentione Christum secuti.

Dolor M[ariæ] exagger[atur].

Hier.

inquit Ieremias. Ah creditis ergo Mariam non doluisse, cùm talem & tantum amisit filium, qualis & quantus est Iesus? tam formosum, tam gratiosum, tam obedientem, tam amabilem, tam sapiẽtem, tam moratum, tam admirabilem, tam dulci matri suæ charum & dilectum? Doluit, doluit misera mater, & supra modum doluit. Si anima Christi, qui Deus erat, contristata sit, quo prætextu nos dicemus affectũ maternum in Maria locum non habuisse? Si in partu suo immunis fuerit à communi ceterarum mulierum dolore, hodie certè dolorem illum soluit cum vsura. Recordabatur mater verborum Simeonis; *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* eaque in secreto pectoris sui ruminabat. Extulit supercilia & oculos suos fixit in vnigenitum suum filium, sanguine suo lactatum. videt eum tam miserè laniatum & discerptum; fasciculum facit ex illusionibus, tormentis & opprobrijs eius. Videt eius sanguinem in terram profluentem, videt eum iam non habere formam hominis: reuocat in mentem pulchritudinem eius raram, magnam eius obedientiam, & bonitatem incomparabilem. O dolorem immensum, ô ineffabilem materni cordis rugitum. Hic, hic est gladius, qui pertransit animam meam. Non fuit vnquam fœmina (matres) quę tantis doloribus est oppressa. Suspirabat intus mater, ebulliebat cordis afflictio, & instar Ætnæ æstuabat: foras erumpebant lachrymæ, sed quia non erat communis fœmina, victæ ratione & fortitudine illius heroica, vnde exierant, illuc redierunt. Nónne alieni eritis ab omni pietate, si nõ compatiamini huic matri tam sanctæ, tam piæ, tantis doloribus plenæ? Ecce dolores Beatæ Virginis, mulieres. Angelus dixit illi; *Aue,* & ecce nũc plena est Væ, plena miseriæ. Dixit illi; *Gratia plena,* Ecce tantum non potest vt filio calicem aquæ frigidæ porrigat. O mater infelicissima. Dixit illi, *Dominus tecum*: Ecce qui est inter Iudæos, non est amplius cum illa. non potest saltem satiari videndo illum inter Iudæos, tot populorum turbis circundatum. Dixit illi, *Benedicta tu in mulieribus.* Quæ mulier vnquam tantis exagitata est afflictionibus, quanta

Luc. 2.

est

eſt Maria? Eliſabeth dixit; *Benedictus fructus ventris tui.* Ecce omnes illum blaſphemant, omnes illũ maledicunt & execrantur.

CRucifixerunt ergo eum, & alios duos hinc & hinc: medium autem Ieſum.] Ecce hęc dolorum eius eſt ſummitas; quòd vidit filium ſuum inter duos latrones ſuſpendi. Miror profectò, Chriſtiani, quòd ad moriendum non ſufficiens fuit hoc ſpectaculum. Quid cogitas, ait pia mater in ſemetipſa, ô gens ingrata? ô generatio perfida? quod commercium fuit filio meo cum latronibus, vt eum inter illos ſuſpendatis medium? *Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æ[illegible]m Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens.*

Christus crucifigitur.
Mar.15.
Philip.2.

Sed quis dolor, quod tormentum, quis cruciatus fuit Chriſto Ieſu, cruci affixo? in illa brachiorum extenſione, in neruorum dilatatione, in illis manuum vulneribus, in illa pedũ vnius ſuper alium (vt maior eſſet dolor) perforatione quos non dolores ſenſit? *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite & videte, ſi eſt dolor ſimilis, ſicut dolor meus.* Nunquam delicatior fuit complexio, quàm fuit illa Chriſti: non fuit vnquam homo, qui viuaciùs ſenſit in omnibus membris Chriſto: Non viſus eſt vnquam homo tot excarnificatus tormentorum generibus, quot Chriſtus: non eſt vnquam aut reus ſupplicio affectus, aut ſanctus cum tanta martyrio ſublatus iniquitate. Ideo dolor eius fuit & maximus & incomparabilis.

Thren.1.

A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram.] Cur putatis has apparuiſſe tenebras, niſi vt ſublata luce externa, intus ſe recolligerent Iudæi, animumque aduocarent, & graue peccatum ſuum agnoſcerent? Nox aptiſſimum tempus eſt meditationibus. *Tota nocte exercitabar, & ſcopebam ſpiritũ meũ,* inquit Dauid. Videtíſne cõmodiùs, maioríque cum fructu ſtudere nos nocte, quàm interdiu? Quoties oculos in die clauditis, cùm rem aliquam difficiliorem cogitatis, & ipſi ex die noctem vobis facitis? Agite, ſi Iudæi hoc nõ cogitauerint, vos ſaltem cogitate. Vos, vos Chriſtiani meditamini hanc ſanctam Crucem Chriſti, qui in peccatis veſtris mortuus eſt.

Tenebræ c[ur] apparuerint in morte Christi.
Psal.76.

ET


ET inclinato capite emisit spiritum.] Post septem verba, quæ locutus est in Cruce, inclinato capite, contra erectam Adami ceruicem, (ô humilima Iesu nostri Domini obedientia; *Factus obediens vsque ad mortem*) emisit magnam illam animam, corpore in Cruce remanente. Ecce Christus noster crucifixus, animæ meæ. Agite,agite, animos nunc erigite, & infinitam hanc Regis, hanc liberatoris charitatem mecum meditamini. Tu, ô homo,reus eras, tu eras condemnatus; ille omnia in se suscepit, atque ita morte sua tibi vitam restituit. O amor sine mensura. Quis non flebit cùm t[illegible]ndit dulcis Iesu? Et quis non potiùs mori cupiat,quàm ingratus esse tuo huic amori?Quis etiam non lubens tecum moriatur? Ego quidem tecum crucifigi cupio, mi Domine: absconde me in tuis vulneribus, transfige me tuis clauis, sepeli me in tuo sanguine.Tu crucifixus es pro tuis inimicis,& nos tui sumus inimici, igitur & pro nobis es crucifixus; cur igitur pacem & gratiam apud te non inueniemus? Video latronem à dexteris tuis, nónne & nos à dexteris tuis stabimus, qui cognoscimus amorem tuũ, qui virtutem Crucis profitemur,qui omni studio in hoc incumbimus, vt tibi reconciliemur? Volumus tibi deinceps ex toto corde seruire. Misericordia, Misericordia Domine. Non dicã, quod dixit latro, qui cum tanta violẽtia clàm paradisum suffuratus est; *MEmento mei dum veneris in Regnum tuum*:] sed dicam confidenter, quomodo oportet; *Memento mei, quia iam venisti in Regnum tuum.* Tu hostem debellasti, victoriam reportasti, Rex totius mundi factus es. Tũ iam tot seculis regnas in tua gloria,& regnabis vsque in æternũ; *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Recordare igitur Romæ tuæ, Domine, Romæ tuæ tuo sanguine sanctificatæ, sedis tuæ Ecclesiæ, legis tuæ Magistræ. Non meretur misericordiam, fateor Domine, sed meretur pro ea tuus ille sanguis pretiosus. *Agnus Dei qui tollis peccata mundi,miserere nobis. Agnus Dei qui tollis peccata mundi,dona nobis pacem.*Pacem,pacem,Domine.Tu pacem reliquisti Apostolis tuis,antequam morereris. pacem absque te habere non possumus.

Christus moritur. Philip. 2. Luc. 23. Psal. 109.


mus. *Da, da nobis pacem in diebus nostris, vt ope misericordiæ tuæ adiuti, ab omni peccato simus semper liberi, & ab omni perturbatione securi.* Pacem, pacem inter vos colite, Romani: procul absint à Christiano pectore inimicitiæ & odia, & pacem apud Deum inuenietis. *Etsi Deus pro nobis, quis contra nos? In nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti. Amen.* Rom. 8.

FINIS TOMI I.









CONCIONES DE
DOMINICIS ET
FEST. RP. MUSSO

TOM. I.

